ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII
OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN III
PERIODUS TERTIA

PARS V
CONGREGATIONES GENERALES CIII-CXI

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXV

CONGREGATIONES GENERALES

CONGREGATIO GENERALIS CIII
16 octobris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CIII

16 octobris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregationem generalem 103 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Et nunc attendatis, Patres! Multa habeo dicere vel melius dicenda. Hodie in primis, in hac congregatione, distribuetur documentum, quod maximo gaudio accipietur a Patribus, nempe *Instructio ad exsecutionem constitutionis de sacra Liturgia recte ordinandam* [*plausus*]. Approbata est speciali modo a Summo Pontifice, die 26 septembris anno 1964, et vigere incipiet a die 7 martii anno 1965, prima dominica quadragesimae.

Deinde distribuetur relatio super schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* quae legetur suo tempore. Adhuc distribuetur textus emendatus cap. VII schematis constitutionis *de Ecclesia* et relatio. Quoad hoc caput schematis constitutionis *de Ecclesia* moderatores em.mi statuerunt suffragationem super singulis punctis faciendam esse feria II proxima. Uti iam scitis, Patres venerabiles, circa singula puncta suffragatio fit per *placet* et *non placet.* Expleta suffragatione super singulis punctis, transitus fiet ad suffragationem super totum caput, circa quod fiet suffragatio per *placet, non placet* et *placet iuxta modum* — iam hoc bene notum est. Ergo feria II proxima, et lego nunc aliquam notificationem, quae respicit schemata ad articulos redacta.

Bene attendatis, Patres! Haec eadem notificatio, durante hac Congregatione, repetetur variis linguis ita ut universis nota sit quocumque modo. Notificatio est haec, lego lente:

« Cum ab em.mis moderatoribus postulatum sit a multis Patribus ut post brevem disceptationem schematum ad propositiones redactorum, eadem schemata, vel saltem quaedam ex eis, remittantur ad commissiones competentes ita ut recognoscantur ad mentem animadversionum, quae factae fuerint a Patribus, em.mi moderatores rem censuerunt remittendam ad commissionem de coordinandis Concilii laboribus.

Haec commissio, postulatis Patrum attente examinatis, hisque apte compositis cum ordine iam legitime statuto, decrevit ut post brevem

disceptationem uniuscuiusque schematis, de quo supra, suffragium expeteretur a Patribus super quaesito: An placeat Patribus ut post disceptationem schematis transeatur ad suffragationem faciendam — quod aliquo modo iam praevidetur etiam in ipso ordine servando.

Si responsio Patrum erit ex maioritate absoluta, nempe 50% plus 1, affirmativa, procedetur statim ad suffragationem prout praescriptum est. Si vero negativa, nempe haec maioritas habita non fuerit, tota res remittetur ad commissionem ad recognoscendum, intra breve tempus, schema iuxta Patrum animadversiones ».

Haec est notificatio, quae repetetur variis linguis. Ceterum in animo habeo, Patres venerabiles, hanc notificationem typis edere ita ut vobis omnibus prostet ad claritatem et distribuam feria II proxima.

Ni fallor tamen, iam clara est notificatio et clarior fit cum repetetur mox variis linguis; nunc alia notificatio quoad canonizationem Beatorum Martyrum Ugandensium, quae habebitur dominica proxima.

Episcopi et Abbates in canonizatione induunt rochetum, pluviale et mitram albam ex tela. Cum canonizandi sint martyres, pluviale est coloris rubri.

Attamen non omnes Patres possunt sibi procurare pluviale coloris rubri; ita propterea fiet: Patres qui habent pluviale rubrum adibunt Palatium Apostolicum versus horam 8,15 et praecise in xysto lapidum, i. e. « Galleria delle lapidi » in primo ambulacro Palatii Apostolici « prima loggia »: induent vestes sacras et se conferent ad sacellum sixtinum, ita ut comitentur more processionali Summum Pontificem: alii vero qui praesto non habent pluviale rubrum, possunt induere pluviale album, attamen debent statim adire Basilicam Vaticanam versus horam 8,15 et suas sedes occupare in sedibus quae occupantur durante Concilio. Non est necesse proprium locum tenere, nam secus essent sedes vacuae plurimae, ni fallor; non est congregatio generalis, non sunt suffragationes faciendae, quapropter sedes potest seligi ex arbitrio post em.mos DD. cardinales, qui tamen iam partem habent in processione papali. Illi qui habent pluviale rubrum more processionali comitantur Summum Pontificem et postea loca occupabunt, quae designabuntur a Magistris Caeremoniarum Pontificalium. Ergo rubri in processione, albi in Basilica, ut paucis verbis comprehendam omnia: — omnes hora 8,15; et, ni fallor, nihil aliud habeo communicandum, vel potius oportet dicere quod in schemate *de Ecclesiis orientalibus* sunt in fine aliquae emendationes, introducendae in textum et suffragatio suo tempore fiet super textum cum emendationibus iam introductis: sed hoc explicabitur melius quando res agetur expresse.

Tandem nomina. Verbo uti petierunt circa schema *de Ecclesiis orientalibus*: em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus de Barros Câmara, arch. Flum. Ian. in Brasilia; S. B. Albertus Gori, patr. Hierosolymitanus Latinorum; S. B. Ignatius Petrus Batanian, patr. Ciliciae Armenorum; exc.mi DD. Ioseph Slipyj, arch. Leopolitanus Ucrainorum in Polonia; Isaac Ghattas, arch.-ep. Theben. in Aegypto; Carolus de Provenchères, arch. Aquen. in Gallia; Elias Zoghby, arch. tit. Nubiensis, vic. patr. Melchitarum in Aegypto; Michael Doumith, ep. Sarben. in Libano; Basilius Cristea, ep. Visitator Del. Romenorum in Diaspora; Ioseph Stangl, ep. Herbipolen. in Germania; Iesus Serrano, ep. vic. ap. Darienen. in Panamà; Ioseph Tawil, arch. tit. vic. patr. Melchitarum in Damasco; Alexander Scandar, arch. Lycopolitanus in Aegypto; Ioannes Hoeck, sup. gen. Congregationis Bavaricae O.S.B.; Raphael Bayan, ep. Armen. Alexandriae in Aegypto; Victorius Costantini, episcopus Suessanus in Italia; Antonius Vuccino, arch. tit. Aprensis in Gallia; Neophytus Edelby, arch. tit. Edessen. Melchitarum; Petrus Dib, ep. Cahiren. in Aegypto; Geraldus McDevitt, ep. aux. Philadelphien. in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Franciscus Simons, ep. Indoren. in India; Stephanus Kocisko, eparcha Possaicen. in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Franciscus Ayoub, arch. Aleppen. Maronitarum in Syria; Petrus Sfair, arch. tit. Nisiben. Maronitarum; Ceslaus Sipović, ep. tit. Mariammitan., Vis. Bieloruss. in exilio.

Hoc tandem, venerabiles Patres, dico: suffragatio, de qua dixi, circa schema *de sacerdotibus,* nempe illa suffragatio praeliminaris, fiet etiam feria II proxima, nempe quaeretur utrum videatur Patribus schema mitti posse ad suffragationem circa singula puncta. Ergo feria II proxima habebuntur iam 2 suffragationes; 1ª quoad hoc schema *de sacerdotibus,* nempe suffragatio praeliminaris, et deinde 2ª suffragatio de capite VII schematis *de Ecclesia* quoad singula puncta, ut iam dixi. Gratias.

1

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. DE BARROS CÂMARA
Archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Ianuarii in Brasilia

Venerabiles Patres,

Loquor ut Ordinarius pro catholicis Rituum Orientalium in Brasilia, iam per undecim annos. *Hactenus habemus* [1] saltem octo ritus orientales in tota Brasilia.

Plaudo labores commissionis quae paravit schema *de Ecclesiis orientalibus.* Sed aliquas animadversiones, data venia, faciendas habeo.

I - Ne videatur Concilium spectare tantummodo personas quae in oriente degunt, mihi placuerit, in prooemio, lin. 8, post verba « ut eaedem floreant » si inserantur haec: « etiam in diaspora », ut sic attingantur orientales dispersos inter populos ritus latini, quos schema paucum respicit.

II - Pag. 6, linn. 6 ss., ubi agitur de retinendo ritum proprium, quando aliquis ingredi vult in Ecclesiam catholicam, dicere audeo, ni fallor melius est servare id quod in Codice Orientali habetur, canone 11, a Pio XII probato, anno 1957: i. e. « Baptizati acatholici ritus orientalis, qui in catholicam Ecclesiam admittuntur, ritum quem maluerint amplecti possunt; optandum tamen ut ritum proprium retineant ». *Rationes sunt*:

1. Teste experientia, multoties illi orientales malunt amplecti ritum sacerdotis a quo instructi sunt. Et praeferentia haec multum repraesentat in adhaesione finali Ecclesiae catholicae. Atqui, cum Synodus Vaticana sit pastoralis, haec ratio despici non decet.

2. Alia ratio. Adhuc experientia ductus, affirmare possum: saepe descendentes a familiis alicuius ritus orientalis nesciunt ad quemnam ritum pertineant, praesertim quando dispersi sunt in regionibus ritus latini, educati in lingua et consuetudinibus illarum gentium.

III animadversio. De matrimonio, pag. 8, n. 18. Nihil dicitur de validitate matrimonii inter personam alicuius ritus orientalis cum persona ad ritum latinum pertinente. Nonne haec quaestio de validitate matrimonii maximi momenti est? Haec est occasio, ut mihi videtur, optima et fortasse unica ad rem tam gravem stabiliendam.

IV et ultima animadversio. Demum mihi in corde est appellare ad episcopos ritus latini ut in dioecesibus nostris magis ac magis catholicos certiores faciamus, ope instructionis religiosae, non tantum orientales catholicos esse *et legitimos et bonos* [2] ac nostros latinos, sed etiam voluntatem Sanctae Sedis multoties declaratam et iam a saeculis reaffirmatam in eo esse ut conserventur ritus orientales ubique terrarum apud emigrantes orientales. Non est mera tolerantia sed expressa voluntas Summorum Pontificum. Si quaestiunculae oriantur inter latinos et orientales catholicos vel orthodoxos, ne obliviscamur defectus nos omnes habere et munus nostrum episcopale *omni vi impleamus,* [3] inducendo fideles ut *res inter se rite componant et* [4] in vera pace christiana vivant. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Sunt. [2] aeque bonos et legitimos. [3] adimpleamus. [4] deest.

2

BEAT.MUS P. D. ALBERTUS GORI
Patriarcha Hierosolymitanus Latinorum

Em.mi Patres, venerabiles Fratres,

Quoad schema de Ecclesiis orientalibus de quo agimus, aliquid tantum volo dicere [1] de art. 4, pag. 6, linn. 6-10, in quo pro illis qui ad Ecclesiam catholicam conveniunt libertas eligendi ritum quem maluerint practice denegatur.

Nec dicatur quod satis libertati consulitur per provisum *recursum ad Sedem Apostolicam.* Istud effugium, illogice admissum ab illis, qui summe vitare cupiunt interventiones Sedis Apostolicae, est de se, formalitas difficillima et impossibilitas moralis pro persona adhuc extra Ecclesiam vivente. Si persona illa adiuvetur in formalitate perficienda, statim dubium movebitur de genuinitate petitionis suae. Ex alia parte, quomodo valebit auctoritas suprema sat expedite et celeriter de re iudicare, quod tamen valde interest. Revera, solutio istius recursus supprimit practice libertatem in re tanti momenti.

Attamen, libertas hodie agnoscitur ut valor supremus, constitutivus personae humanae. Nihil mirum ergo, si, iam ab initio Concilii ardenter vindicata est libertas religiosa intra ipsam Ecclesiam, et, mense elapso, extra Ecclesiam. Sed nunc remanet vindicanda eadem libertas ad ingressum in Ecclesiam, pro illis nempe qui ad Ecclesiam catholicam convenire cupiunt, ita ut eis liceat ritum quem maluerint eligere, si hoc absolute petunt.

Quare, una cum patriarchis orientalibus Coptorum, Syrorum et Maronitarum, certoque cum multis aliis ...[2], ego quoque fortiter vindicabo hanc integram libertatem ob rationes sequentes:

1. Mirum certo et inauditum foret, post tam pulchre et vehementer dicta, hic in aula, mense elapso, de valore supremo libertatis, intra et extra Ecclesiam, ut heri optime dixit Sua Beatitudo Sidarouss, patr. Coptorum, mirum sane foret illam libertatem intolerabiliter coarctare pro illis, qui ad Ecclesiam absolute convenire volunt per ritum quem absolute maluerint.

2. Textus propositus in art. 4 se exhibet, in tempore nostro progressus universalis, et circa valorem humanum supremum, ut *gravis* [3] regressio ab antecedentibus praxi et legislatione Ecclesiae. Contradicit enim constitutioni *Orientalium dignitas* anni 1894, tempore quo tamen mi-

nor erat reverentia libertatis individualis, et contradicit etiam codificationi orientali anni 1957.

3. Haec nimia coarctatio libertatis religiosae contradicit praesertim *bono animarum,* quae suprema lex est apostolatus. Nam qui absolute petit ingredi Ecclesiam in alio ritu, hoc evidenter facit ex imperativo conscientiae, quia aestimat in ritu a se electo, se inventurum esse bonum et quietem animae suae. Longa experientia personali, mihi notum est multos fratres seiunctos extra Ecclesiam invitos remansisse, quia nimis illis opponebatur difficultas in ritu eligendo.

Conclusio mea haec est: tempore nostro praesertim, dum fervet spiritus oecumenicus omnes nos certo reicimus omnem speciem proselytismi quo fratres seiuncti ab Ecclesiis suis raperentur.

Sed aliunde providendum est fratribus illis seiunctis qui sub imperativo conscientiae suae, Ecclesiam catholicam ingredi volunt. Pro illis, omnes nos aequali reverentia erga ritus orientales moti, communiter optamus ut unusquisque ritum suum retineat.

Sed ultro, et hoc *fortiter* [4] dico, consulendum est illis qui, non communiter sed etiam non raro, sub dictamine conscientiae suae ad Ecclesiam catholicam convenire volunt per alium ritum. Pro istis etiam fortiter vindicamus libertatem eligendi ritum quem maluerint.

Unde fidenter peto ut, si non retinetur canon 11 in Motu Proprio *Cleri sanctitati* a. 1957 promulgatus, saltem, per emendationem, finis art. 4 nostri schematis, sic concludatur: « Salvo iure pro acatholicis baptizatis ad Ecclesiam convenientibus, eligendi alium ritum, si hoc ab ipsis ut conditio necessaria interponatur ».

Haec sunt ipsa verba Constitutionis Apostolicae *Orientalium dignitas,* ergo verba certo traditionalia, et quibus simul servatur et bonum animarum et sana notio libertatis religiosae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Quidquid sit de ratione schematis in genere, quod sane respicit in primis fratres nostros orientales, aliquid tantum dicam. [2] episcopis ubique terrarum. [3] stupenda. [4] emphatice.

Secretarius generalis: Audiatis Patres! Aliqui Patres petierunt ut notum fieret calendarium priorum dierum mensis novembris.

Itaque: vacabit congregatio generalis die 1 novembris, die 2; 3 autem die novembris habebitur Cappella Papalis in suffragium em.morum cardinalium et Patrum defunctorum elapso anno; die autem 4 novembris resumetur congregatio generalis.

Ergo: die 1, festum omnium Sanctorum; die 2, commemoratio omnium Defunctorum, congregatio vacat; et vacat etiam congregatio

die 3, in qua tamen habebitur Cappella Papalis in suffragium em.morum cardinalium et Patrum defunctorum elapso anno.

Nunc exc.mus D. subsecretarius Villot leget notificationem lingua gallica.

Notificationis versio gallica

(P. D. Ioannes Villot, subsecretarius)

Cette communication concerne les schémas qui ont été rédigés sous forme de « Propositions ». De nombreux Pères ont demandé aux Em. Modérateurs, qu'après une brève discussion ces schémas, ou du moins certains d'entre eux, soient remis aux Commissions compétentes pour être revus selon les observations faites par les Pères. Les Em. Modérateurs ont estimé qu'une telle question devait être portée à la Commission de Coordination. Cette Commission ayant attentivement examiné les demandes présentées et les ayant confrontées avec les dispositions déjà établies à ce sujet, a pris la décision suivante:

Après une brève discussion, sur chacun des schémas en cause, les Pères seront invités à se prononcer sur l'interrogation suivante: « Plaît-il aux Pères qu'après la discussion de ce schéma, on passe au vote? ». Si la réponse des Pères est affirmative, à la majorité absolue, il sera immédiatement procédé aux détails des votes du schéma. Si elle est négative le schéma fera retour à la Commission, pour être revu, dans un delai bref, suivant les remarques des Pères.

3

BEAT.MUS P. D. IGNATIUS PETRUS BATANIAN
Patriarcha Ciliciae Armenorum

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres conciliares,

Liceat mihi mentem meam aperire circa n. 18 schematis decreti *de Ecclesiis orientalibus,* ubi agitur de matrimoniis mixtis. Haec enim quaestio maximum momentum pastorale et oecumenicum habet pro nobis orientalibus.

Motu Proprio *Crebrae allatae ...*[1] sequens statuebatur, in disciplina sacramenti matrimonii pro Ecclesia orientali, forma celebrationis matrimonii: « Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur ritu sacro, coram parocho, vel loci hierarcha, vel sacerdote cui ab alterutro facta sit facultas matrimonio assistendi, et duobus saltem testibus... ».

Hoc modo abrogabatur consuetudo vigens generaliter in ritibus orientalibus, secundum quam matrimonia inita coram sacerdote, etiam acatholico, habebantur valida etsi illicita.

Cum autem, iuxta mentalitatem orientalem, difficillime concipiatur virum sequi debere mulierem et consequenter matrimonium celebrari posse extra ecclesiam viri, impositione huius novae formae celebrationis matrimonii, fere omnia matrimonia mixta, inter virum acatholicum et mulierem catholicam, pergerunt celebrari coram sacerdote acatholico viri, et ideo Ecclesia catholica illa invalida habuit.

Maxima haec mala praevidens, legislator patriarchis concessit ...[2] facultatem dispensandi a forma celebrationis matrimonii, ...[3] et facultatem concedendi sanationem in radice.

Hanc eandem facultatem sanandi in radice, mitigatis tamen cautionibus, patriarchis concessit S. S. Congr. Sancti Officii...[4]

Ipsa commissio *de Ecclesiis orientalibus* proposuit, in textu praecedenter elaborato, remedium dispensationis a forma, concedendo hanc facultatem omnibus Ordinariis.

Haec tamen remedia inefficacia visa sunt fere omnibus Patribus Ecclesiarum orientalium, quorum observationes, hac de re, cum illis plurimorum aliorum Patrum, pervenerunt ad commissionem quae, rursus examinatis rationibus, adhibuit, post suffragationem, textum emendatum huic congregationi generali propositum.

Etenim dispensatio a forma canonica matrimonii, in nuptiis mixtis contrahendis, consisteret in facultate facta parti catholicae ut contrahat matrimonium cum acatholico baptizato per solum mutuum consensum expressum.

Porro, haec facultas in praxi est inutilis. In ritibus enim orientalibus non concipitur, apud fideles, matrimonium sine assistentia et benedictione sacerdotis.

Immo, in mentalitate contrahentium et fidelium, dispensatio a forma, data ab Ordinario parti catholicae, significaret: « Potes adire sacerdotem acatholicum pro matrimonio celebrando ».

Insuper pars acatholica numquam erit convincta de validitate talis matrimonii; neque auctoritas religiosa acatholica illud matrimonium validum habebit.

Praeterea persuasum mihi habeo omnes dispensationes a forma celebrationis, datas in matrimoniis mixtis orientalium, secutas fuisse matrimonio celebrato coram sacerdote acatholico.

Hic status rerum et haec mentalitas ponunt ipsum hierarcham, facultatem dispensandi a forma habentem, coram casu conscientiae angore pleno. Quomodo enim poterit concedere dispensationem — quae Ecclesiae favor est — mulieri quae, contra legem Ecclesiae, firmiter vult adire sacerdotem acatholicum et coram ipso matrimonium contrahere?

Fatendum est quoque quod raro petitur haec dispensatio. Ita ut,

a promulgatione M. P. *Crebrae Allatae* ad dies nostros, millia matrimonia mixta contracta sint invalide coram sacerdote acatholico, et generatim cum maximo damno mulierum, quae constituunt partem catholicam, quarumque status ingens periculum spirituale secum fert.

Nec facultas, patriarchis concessa, sanandi in radice vere mitigatis cautionibus, difficultatem solvit. Etenim, ipsa non attingit nisi raros casus. Et in his casibus etiam videndum est si cautiones datae a muliere — quae generatim nihil potest facere contra voluntatem viri dissidentis — sunt revera moraliter certae.

Dicendum quoque est quod non raro ipsa catholica mulier non vult frui hoc favore, ut possibilitatem relinquat liberationi, casu quo matrimonium sibi fastidiosum evadat...[5]

Gravissimis his rationibus et animadversionibus Patrum serio perpensis, commissio de Ecclesiis orientalibus nobis proponit sequentem textum emendatum n. 18 schematis: « Ad praecavenda matrimonia invalida, cum catholici orientales cum acatholicis orientalibus baptizatis matrimonium ineunt, et ad consulendum nuptiarum firmitati et sanctitati nec non domesticae paci, *Sancta Synodus statuit formam canonicam celebrationis pro his matrimoniis obligare tantum ad liceitatem; ad validitatem sufficere praesentiam ministri sacri, servatis aliis de ritu servandis* ».

Hoc textu magis consulitur fini pastorali Concilii: sic enim datur possibilitas sese reconciliandi cum Ecclesia tot mulieribus catholicis, quorum alioquin salus animarum in periculo aeternae perditionis inveniretur.

Non solum, sed possibilitas datur quoque his mulieribus, post poenitentiam de peccato commisso, ad Ecclesiam redeundi, filiosque catholice educandi et aliquando etiam maritum ad fidem catholicam convertendi. Experientia scimus res ante M. P. *Crebrae allatae* ita se habuisse.

Magis quoque consulitur fini Oecumenici Concilii: etenim praxis contraria — secundum quam invalida considerantur matrimonia mixta apud orientales acatholicos celebrata — non solum non iuvat fratrum seiunctorum unioni, sed Ecclesiam catholicam, pro hac agendi ratione, odiosam reddit illis, qui, ad vindicandam iniuriam quam ipsis illatam putant, saepe obligant mulierem catholicam ad renegandam fidem catholicam, et ad amplectendam fidem acatholicam.

Pro his omnibus rationibus et ad haec gravia mala vitanda, enixe rogo vos, Patres venerabiles, ut suffragiis vestris formam celebrationis matrimonii, in textu emendato n. 18 schematis propositam, confirmare velitis.

Hunc interventum meum terminare vellem uno verbo circa neces-

sitatem servandi proprium ritum pro acatholicis orientalibus baptizatis qui catholicam Ecclesiam ingrediuntur.

Momentum Oecumenismi maxime extollitur nostris temporibus, tum a nobis catholicis tum a fratribus orientalibus acatholicis. Porro S. Synodus ostendere debet illis Ecclesiam catholicam non solis verbis extollere ritus orientales et illos conservari velle, sed de facto omnes cautiones praebere ut probet ingressum in ipsam nullimodo alienationem a proprio ritu esse posse.

Visum est quibusdam Patribus talem dispositionem esse contra libertatem religiosam. Omnibus tamen compertum est quod nullimodo hic laeditur libertas religiosa. Certo quaecumque lex limitat aliquo modo libertatem: nemo tamen asserere auderet omnem legem esse contra libertatem.

In casu nostro, agitur, praecise, de filio familias, qui extra civitatem natalem et propriam familiam vixit. Rediens in civitatem natalem, lex naturae exigit ut in propriam familiam et non in quamcumque aliam familiam civitatis redeat.

Si quamdam seriam rationem habet aliter agendi, potest aliam familiam adire.

Sed in casu nostro, Ecclesia ipsa, quae vult ut ritus orientales religiose serventur, sibi reservare debet iudicium circa rationes ad alium ritum redeundi, ne res tanti momenti arbitrario iudicio individui relinquatur, neve abusus permittantur.

Ideo sapienter urgetur, in schemate, necessitas reditus ad proprium ritum. « Ubi autem videtur concedenda esse maior libertas quoad transitum ad alium ritum, satis provisum est per recursum ad Sedem Apostolicam », uti optime dixit em.mus card. Cicognani, praeses commissionis, in introductione ad relationem. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] diei 22 mensis februarii anni 1949, can. 85. [2] iuxta can. 32, § 2, n. 5. [3] in hoc determinato casu, gravissima tamen ex causa, et, iuxta can. 130, § 2. [4] per decretum 16 maii 1957, a Summo Pontifice die 7 iunii eiusdem anni approbatum. [5] Praeterea quomodo qualificandus esset sacerdos, zelo quidem animarum motus, qui, hoc in casu, sequenti modo ageret? Ante matrimonium deberet omni conatu avertere mulierem a matrimonio contrahendo, clare illi declarando ipsam excommunicatam iri matrimoniumque ab ipsa attentatum non esse nisi concubinatum. In diebus autem matrimonium sequentibus, deberet, omni conatu, occasionem quaerere illam eandem mulierem monendi de obligatione sui matrimonium sanandi, illamque hortandi et supplicandi ut hanc obligationem adimpleat et redeat ad Ecclesiam, quae libenter matrimonium, a quo antea gravissimis censuris arcebat illam, nunc vult et instanter quaerit convalidare.

Notificationis versio anglica

(P. D. Ioannes J. Krol, subsecretarius)

This announcement concerns the procedural rules and treating the schemas which were reduced to propositions.

A number of Council Fathers requested of the Moderators that a brief discussion be allowed on those schemas which were reduced to Propositions and that following such discussion the propositions—all or parts of them—be returned to the competent commission for revision according to the comments made by the Council Fathers.

The Moderators referred these requests to the coordinating commission. This Commission, having carefully considered the requests with a view of composing them with the lawfully established order of procedure, decreed, that after a brief discussion of each of these schema-proposition, the Fathers would be asked to vote on the following question:

Does it please you—after this discussion to proceed with the voting on this schema.

If an absolute Majority approves i. e. 50%, one shall immediately proceed with the voting.

If such a majority is not achieved, the schema under consideration will be referred to the competent Commission for revision within a brief time —in accordance with the oral or written comments of the Council Fathers.

4

EXC.MUS P. D. IOSEPH SLIPYJ

Archiepiscopus Leopolitanus Ucrainorum

Venerabiles Patres,

Nomine conferentiae episcopalis Ucrainorum et plurimorum Patrum orientalium corollarium quoddam supplendum esse putamus quod ad Ecclesiarum orientalium futuram prosperitatem pertineat. Immo agitur de esse vel non esse Ecclesiae orientalis —to be or not to be—.

Multa a Patribus Concilii favorabilia et consideratione digna dicta sunt pro oriente christiano. Ideo Patres orientales suum schema, quamvis diminutum, omnibus viribus sustinent. Propterea superest ut ad removendas omnes difficultates, res consideretur sub vero lumine ipsius catholicitatis Ecclesiae. Decursu historiae saepe saepius querela movebatur, quae etiam temporibus nostris repetitur, Ecclesias orientales fideles suos perdere et non progressum sed potius regressum facere relate ad suorum fidelium numerum. Omnibus nota sunt funesta detrimenta

quae Ecclesiae orientales in oriente passae sunt. Faxit ut Deus retribuat perdita membra! Qua de causa dolendum est de miserrimis sacerdotibus apostatis convertendis, persaepe vi maiore ab Ecclesia catholica detentis, non erat dictum benevolum verbum propter abruptam discussionem.

Ex altera parte constat, Ecclesias orientales plura membra sua perdidisse propter imprudentiam quorundam catholicorum occidentalium, qui orientales tum catholicos tum dissidentes, in ritum latinum convertere conati sunt et socialibus commoditatibus ritus latini nunc praevalentis cum emolumento abutuntur. Qui quidem hac agendi ratione pessimum ministerium catholicitati Ecclesiae praestiterunt.

Neminem latet, etiam hunc parvum hodiernum numerum orientalium, qui extra ritum latinum versantur, ...[1] ambitum catholicitatis augere sive sua locupletissima sub omni respectu traditione sive sua theologia sive suo ritu et disciplina catholica. In memoriam revocemini doctrinam orientalium de Trinitate, de Christologia, de Mariologia, Ioannem Damascenum, Bessarionem, Liturgias, Codices Nomocanonum et cetera. Cogitatione fingamus, omnes Ecclesias orientales in Ecclesia catholica disparere et totam vitam christianam, scientificam et practicam ad modum latinum compressam et coangustatam esse. Talis status iam vigebat tempore Lutherano; qua de causa theologi posterioris aetatis latini hanc catholicitatis coarctationem rumpere et ad pristinam amplitudinem restituere conati sunt. Praeterea omnes qui propter politicas rationes catholicos et dissidentes orientales ad ritum latinum materialibus quoque mediis et assidua propaganda, cum quibus orientales aemulari nequeunt, attrahunt, certo certius non solum Ecclesias orientales destruunt, sed et magnum damnum Ecclesiae catholicae *ut tali*[2] inferunt. Cui bono, *quaero*[3]? (Ecclesiae orientales anno 1939 vix 10.000.000 attigerunt, cum fideles ritus latini numerum 500.000.000 superabant. Superfluum est allata argumenta repetere et *statisticam secretariatui trado*[4]).

Ratio huius decrescentiae etiam haec est, quod quidam sacerdotes latini suum zelum facilius ad actum reducunt convertendo fideles catholicos byzantinos orientales ad ritum latinum, quam apostolico spiritu seiunctos occidentales (non orthodoxos) captando. Et nota bene, seiuncti occidentales tantum in ritum latinum possunt uniri cum Ecclesia catholica servatis servandis, quamvis e. g. seiuncti occidentales (vulgo Protestantes et Anglicani) cum orientalibus longas pertractationes de unitate egerunt. Nuperrime aetiopicus quidam Sanctum Patrem Paulum VI in Terra Sancta cum lacrimis implorabat, ne eorum aetiopicus ritus latino ritu destrueretur. Sine dubio agitur de dolendo zelo et labore destructivo, qui in catholicis serio cogitantibus de prosperitate Ecclesiae, timorem pro futuro infundit. Magni gressus extra viam!

Instanter rogamus et humillime precamur ut hoc, quod a plurimis Summis Pontificibus iam prohibitum erat, ab hoc etiam Sancto Concilio confirmetur et instantius urgeatur.

Denique tali actione funesta timendum est ne acatholici orientales deterreantur cum ipsi sibi persuadeant, se suas Ecclesias, suos fideles, suos ritus et saepe saepius, nationem suam, se uniendo cum Ecclesia catholica, perdere posse. Quod repetunt nunc non solum fideles orthodoxi, sed etiam athei autumantes nostram Unionem esse tantum pontem et tramitem ad latinizationem et evacuationem in mari latino; quamvis v. g. Papa Benedictus XIV expressis verbis in Bulla *Allatae sunt* (1755) declaraverit: « ... ut diversae eorum (orientalium) nationes conserventur, non destruantur, *omnesque* (ut multa paucis complectamur) *catholici sint, non ut omnes latini fiant* ».

Ne respondeatur, *venerabiles Patres,*[5] catholicam fidem in ritu latino securiorem esse, quia etiam in ritu latino historia testatur apostasias et schismata accidisse. Nullus ritus enim libertatem voluntatis tollit, atque in unoquoque ritu unusquisque se salvare potest.

Ceteroquin omnes orientales gratissimo animo canonem recentissime statutum *a Patribus*[6] susceperunt: « Episcopi denique, in universali caritatis societate, fraternum adiutorium aliis Ecclesiis, praesertim finitimis et egentioribus, secundum venerandum antiquitatis exemplum libenter praebeant ».

Misereminі ergo nostri, venerabiles Patres, quia orientales sumus, et adiuvate nos, ut nostram missionem in Ecclesia catholica rite implere queamus. [*Plausus*].

In textu scripto tradito: [1] nunc. [2] deest. [3] deest. [4] trado secretariatui; attamen mirum est, in sola Canadia nunc 80 milia Ucrainorum ritus latini inveniri, qui omnes prius ad ritum byzantinum pertinebant. In America Septemtrionali scimus aliquam paroeciam ucrainam quotannis quinquaginta fideles in favorem ritus latini perdere. Et. [5] deest. [6] deest.

5

Exc.mus P. D. ISAAC GHATTAS
Archiepiscopus-episcopus Thebanus

Venerabiles Patres, dilecti Observatores,

Libenter et sincero corde in primis gratias ago commissioni pro Ecclesiis orientalibus pro labore iam peracto in his quaestionibus difficillimis. Quod dictum est praesertim in his propositionibus de commu-

nicatione in sacris, valde laudandum est et nos certiores facit hanc commissionem laborasse iuxta mentem emendationum.

Mente gratissima et relatione nuper nobis tradita discimus commissionem textum respicientem matrimonia mixta iam mutavisse iuxta emendationes ab episcopis orientalibus propositas.

Remanent tamen nonnulla puncta maximi momenti, in quibus emendatio adhuc desideratur. Quapropter mihi loquendum esse censui.

...[1] Prima quaestio, quae oritur: Num necessarium est schema speciale de Ecclesiis orientalibus? Nonne timendum est ne Ecclesiae orientales appareant ut appendix quidam ad Ecclesiam catholicam, quae insuper identificare videtur cum Ecclesia latina? Revera textus ipse in hoc vitium incidit (cum in *prooemio,*[2] pag. 5, linn. 1, 2 et 3) dicat: « Orientalium Ecclesiarum instituta, ritus, semper magni facere consuevit Ecclesia catholica »? Quae est ista catholica ab Ecclesiis orientalibus distincta? Nos, orientales, sumus Ecclesia catholica eodem titulo atque Ecclesia latina; Ecclesia latina ipsa enim est Ecclesia particularis inter alias, etsi eius patriarcha, qui est Papa, primus est patriarcharum ut successor Petri, coryphaei apostolorum.

In schemate tractatur de Ecclesiis particularibus, quasi orientales tantum Ecclesiae essent particulares. Sed quaero: nonne omnis Ecclesia localis est Ecclesia particularis? Sed nihil dicitur in his propositionibus de Ecclesia locali. Suntne Ecclesiae orientales mere personales? Nonne habent loca, et illustria, sedes originis apostolicae? Praeterea, haec omnia pertinent ad schema *de Ecclesia,* in quo bene tractatum est de Ecclesiis particularibus.

Etenim, praeter aliquas res quae potius ad ius canonicum pertinent, omnia fere, in hoc schemate, locum proprium habent in aliis schematibus. Quae dicuntur de communicatione in sacris vel de conversatione cum fratribus sic dictis separatis, pertinent ad schema *de Oecumenismo.* Idem dicendum est de patrimonio spirituali Ecclesiarum orientalium; nos enim omnes, sive in communione cum Sede Romana, sive non, sumus haeredes eiusdem patrimonii, filii eorum qui nos genuerunt in fide, Marci, Athanasii, Cyrilli, Antonii, Pachomi, totque martyrum innumerabilium. Sed hae propositiones nimis caute, sicut non patefaciunt unitatem nostram in eadem communione catholica, sic etiam non demonstrant fraternitatem qua iuncti sumus Ecclesiis orthodoxis. Ratio non habita est schematis *de Oecumenismo.*

Quid de honoribus et privilegiis saepe nominatis? Unio cum fratribus nostris orthodoxis non promovetur, nisi verbis honorificis correspondeat solida doctrina.

Exemplum sit venerabile institutum patriarchatus, quod fundamen-

tale est Ecclesiis orientalibus atque commune nobis cum Ecclesiis orthodoxis.

A secunda sessione huius Synodi, Sanctus Pater, sentiens iniuriam — absque intentione quidem positam — esse loca ubi sedebant, voluit ut sedeant versus em.mos cardinales. Res bene gesta, pro qua gratissimi sumus. Sed talis honor vanus esset nisi effectus practici sequerentur.

Oportet ut de iuribus et de officiis patriarcharum loquamur, non de honoribus, quamvis debiti sint.

Cur non tractatur de iurisdictione territoriali patriarchatuum, saltem eorum de quibus non difficultas maior oritur? Nonne Ecclesiae orientales habent territorium vere proprium?

Cur nec nominatur origo apostolica nonnullorum nostrorum patriarchatuum? Per gratiam Dei, plures sunt in Ecclesia sedes apostolicae.

Nonne expectandum est, ut possimus redire in nostras patrias orientis, nuntiantes fidelibus nostris: Patriarchae vestri membra sunt Senatus Ecclesiae; ius habent eligendi Primum Patriarcharum Summum Pontificem ...[3]. Vere sunt Pontifices, pontem facientes inter Sedem Romanam et ceteras Ecclesias.

Sed haec omnia habent locum in schematibus *de Ecclesia* vel *de cura pastorali episcoporum*. Sic, hoc schema in toto est transferendum, potiusquam auferendum. Haec est mea prior, et remitto emendationes de hac translatione secretariatui. Si tamen haec translatio omnimodo impossibilis est, aliam seriem emendationum propono et secretariatui generali tradam, ut multae propositiones mutentur quoad litteram et quoad spiritum.

Quoad transitum alicuius acatholici ad Ecclesiam catholicam omnino consentio eis quae in schemate dicta sunt, scil. quod omnis acatholicus *et catholicus* [4] si catholicus sit, ritum proprium stricte servare debeat, salvo recursu in casibus specialissimis ad Sanctam Sedem.

Velint Patres *venerabiles* [5] huius Sacrae Synodi, caritate Christi impulsi et amore Ecclesiae nos benevolenter comprehendere, nobiscum sentire quae sint nostra vera problemata; adiuvent nos ut magno cursu eamus in via, quae ducit ad unitatem plenam cum tot millibus millium christianorum, qui semper magis sunt intenti ad omnia quae pertinent ad unionem unicae Ecclesiae Christi, cuius iam verae partes sunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Ecce. [2] deest. [3] et possunt ipsi eligi. [4] deest. [5] deest.

Emendationes additae:

Tota materia harum propositionum transferenda est in alia schemata modo sequenti:

1. Quae pertinent ad diversitatem in Ecclesia iam tractatae sunt in schemate *de Ecclesia.* Optandum est tamen ut aliquot emendationes fieri possint.

2. Quae dicuntur de patriarchis locum habent in schemate *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* ut melius videbitur infra.

3. Quae pertinent ad traditiones proprias Orienti iam bene tractatae sunt in schemate *de Oecumenismo,* cap. III, praesertim sub nn. 14-16.

Hic apparet duplex inconveniens harum propositionum: si tractatur separatim de Ecclesiis Orientalibus, nec unitas cum Ecclesia catholica manifestatur, et haec Ecclesiae videntur ut appendix quidam Ecclesiae catholicae, vel potius latinae; nec apparet fraternitas et coniunctio harum Ecclesiarum cum Ecclesiis Orthodoxis. Tantum abest ut eo modo « pontes » sint, ut potius obstacula deveniant.

4. Quae naturae iuridicae magis sunt, sub forma « Voti de disciplina Ecclesiarum Orientalium catholicarum renovanda quantum ad Sacramenta et Liturgiam » reducenda sunt, et remittantur commissioni pro revisione Codicis Iuris Canonici.

Modus huius transmutationis sic indicari potest:

I. Quae ponuntur sub numeris 1 et 2 iam dicta sunt in cap. III schematis *de Ecclesia,* n. 23, pag. 66, linn. 20-33.

Modum tamen proponimus: loco: « Quae Ecclesiarum... demonstrat » (linn. 31-33) dicendum: « Quae Ecclesiarum particularium in Patriarchatibus coniunctio indivisae Ecclesiae catholicitatem luculentius demonstrat ».

Ratio: Ut ex Relatione manifestum est, pag. 94 ad finem, de patriarchatibus agitur. Ergo nominentur.

II. Quae ponuntur sub n. 3 iam tractata sunt in capitulo II schematis *de Ecclesia,* n. 13, pag. 35, linn. 12-17.

Modum tamen proponimus: post verbum « fruentes », lin. 14, addendum: « pari dignitate pollentes ».

Ratio: Haec aequalitas haud raro bene servata non est, sive inter Ecclesias Orientales et Ecclesiam latinam, sive inter ipsas Ecclesias Orientales, sive etiam inter diversos ritus latinos.

III. Quae ponuntur sub n. 4 in tres partes dividenda sunt:

a) Ab initio usque ad verbum « fidelium » (pag. 5, lin. 29 usque ad pag. 6, lin. 2) agitur de constitutione hierarchiae propriae cuique ritui, boni fidelium et aequalitatis causa. Iam tractata est quaestio maiore cum prudentia in schemate: *De pastorali munere,* sub n. 21, 3), pag. 14, lin. 34 ad pag. 15, lin. 4.

Modum tamen proponimus: Post verbum « ratione » (pag. 15, lin. 8) addendum est: « Omnes regulae, sub hoc numero positae, ubique terrarum applicandae sunt, necnon in territoriis hucusque iurisdictioni Congregationis Ecclesiae Orientalis submissis ».

Ratio: Non rari sunt in Oriente dioeceses minus quam 10.000 vel etiam 5.000 fideles habentes, in territoriis ubi iam plures sunt episcopi. Haec multiplicatio minime demonstrat unitatem, contra Traditionem est, mirationi vel derisioni est orthodoxis.

b) Postea, agitur de conferentiis episcoporum (pag. 6, linn. 2-6) « Hierarchiae vero... tuendam ». De his tractatum est in schemate *de Pastorali munere* sub n. 36, 6) pag. 23, lin. 33 ad pag. 24, lin. 5.

Textus tamen sic emendandus est: « 6) Quae dispositiones valent quoque ubi plures Ecclesiae diversorum rituum exstant, ita ut eorum diversi praesules in unam episcoporum conferentiam conveniant, sub praesidentia Patriarchae principalis loci, quantum fieri poterit, salva disciplina cuiusque Ecclesiae quoad synodos inter episcopos eiusdem ritus ».

Rationes: 1. Eo magis necessariae sunt haec conferentiae episcoporum quo difficilior est coordinatio inter episcopos diversuum rituum. Ergo non tantum « enixe commendandae sunt » (ut dicitur pag. 23, lin. 33). 2. Oportet ut appareat indolis territorialis Patriarchatus.

c) Quae dicta sunt de transitu ad alium ritum, sub eodem n. 4, pag. 6, linn. 6-10 ad ius magis pertinent, et in *Votum de disciplina* quod proponimus transferenda sunt *sic emendata*: « Omnes denique et singuli fideles ius habent servandi et retinendi proprium ritum ubique terrarum, debentque eum colere et pro viribus observare. De transitu vero ad alium ritum provideat Codex reformatus Iuris Canonici, ratione habita libertatis christianae, iurium patriarcharum, periculi latinisationis, et prioritatis ritus loci ».

Rationes: Patriarcha ius habet in subiectos, praesertim in rebus liturgicis, de quo hic nulla mentio.

Libertas male servata videtur in priore textu.

IV. Quae ponuntur sub nn. 5 et 6 melius dicta sunt in cap. III schematis *de Oecumenismo,* n. 14, pag. 19, linn. 20-30; pag. 20, linn. 8-10; n. 16, pag. 21, etc. In hoc schemate enim notatur momentum disciplinae orientalis servandae ad unitatem fovendam, et apparet fraternitas inter omnes Ecclesias Orientales.

Quae vero pertinent ad religiones vel associationes latini ritus, in « *Votum de disciplina...* » transferenda sunt.

V. Quae ponuntur sub nn. 7-11 locum habent in schemate *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* inter nn. 34 et 35, pag. 22, sed sunt redigenda sub forma sequenti: « Ius agnoscit iurisdictionem conservatam aut acquisitam a quibusdam episcopis ultra eorum particulares Ecclesias. Qui Episcopi, vel metropolitae sunt, vel patriarchae et autocephales archiepiscopi. Congregatio enim particularium Ecclesiarum apud Orientales praesertim fit in patriarchatu, hoc est in communitate particularium traditionum a particulari iure recta. Patriarchatus vero non est nisi determinatae regionis episcopatus, unificatus in persona praesidis aut in synodo episcoporum, et omnibus facultatibus ab Apostolis obventis sine canonica obice pollens.

Pastoralium necessitatum causa, Ecclesia potest novos patriarchatus aut novas regiones autonomias creare, eis auctoritatem tribuens edictandi proprium ius, quod nec episcoporum dioecesanorum praerogativis obstet, nec Summi Pontificis. Propriae traditiones antiquorum patriarchatuum non impediunt quominus, novis rerum conditionibus attentis, sibi formam novam dent. Nec illi patriarchatus institutioni venerabili recentes conferentiae episcoporum ullo modo obstant vel nocent ».

Rationes: 1. Patriarchatus agnoscendi sunt, ne videantur ut tolerati. 2. De illis patriarchatibus, utpote venerabilibus, oportet tractare ante conferentias episcoporum. 3. Indolis originarie territorialis patriarchatus notanda est. 4. Porta aperienda est renovationi antiquorum patriarchatuum si opus sit. 5. Autonomia Patriarchatuum apparet.

VI. Quae ponuntur sub nn. 12-17 transferenda sunt ad « *Votum de disciplina* ».

VII. Quae ponuntur sub n. 18 de matrimoniis mixtis, locum habent et in « *Votum* », et in « *Schemate voti de matrimonii Sacramento* », pag. 6, lin. 12, post verbum « oecumenismo », sub forma sequenti: « Pro Orientalibus servetur pristina disciplina quae viguit usque ad annum 1949, ita ut omne matrimonium mixtum benedictum a sacerdote orientali validum sit ».

Ratio: Servandae sunt consuetudines Orientis ut saepe dictum est. Ergo non est quaedam concessio facta, sed recognitio iuris.

VIII. Quae posita sunt sub nn. 19-23 transferenda sunt in « *Votum de discilina...* », salvis duabus emendationibus:

1. Pag. 9, lin. 2: verbum « Orientalibus » omittendum est.

Ratio: Agitur de principio generali quod valet pro omnibus Ecclesiis.

2. Post verbum « conveniant », lin. 13, addendum: « Hoc etiam valet, mutatis mutandis, pro diebus festis solemnioribus et pro diebus ieiunii praecipuis, sive communibus pluribus Ecclesiis, sive propriis cuidam loco aut Ecclesiae ».

Ratio: Non decet in eodem loco alios festum diem agere, alios ieiunare, alios negotiis quotidianis vacare, praesertim inter catholicos.

IX. Quae ponuntur sub n. 24 paternalismum sapiunt, ergo delenda.

X. Quae sub n. 25 de se nota sunt. Quoad substantiam tamen in « *Votum de disciplina...* » transferenda sunt.

XI. Quae ponuntur sub nn. 26-28, iam dicta sunt in schemate *de Oecumenismo,* cap. III, pag. 20, linn. 36-40. Forsan, lin. 40, post verbum « suadetur », addendum: « praesertim in sacramentis Paenitentiae, Eucharistiae, Unctionis Infirmorum ».

Quae magis ad praxim pertinent, in « *Votum de disciplina...* » transferenda sunt.

* * *

1. N. 2 anteponatur n. 1. *Ratio*: Tractat de Ecclesiis particularibus in genere, et haec non sunt de se Orienti propriae (cf. schema *de Ecclesia,* n. 13, pag. 35, linn. 12-17; n. 23, pag. 65, linn. 1-16 et pag. 66, linn. 20-33, etc. ».

2. N. 1 remaneat in prooemio, sed sic incipiendus est: « Huius diversitatis in unitate vivi et venerabiles testes sunt Ecclesiae Orientales, et ideo earum instituta, ritus, traditiones ecclesiasticas atque vitae christianae disciplinam traditio catholica magni semper fecit ». *Rationes*: 1. Sic apparet cur propositiones speciales pro Ecclesiis Orientalibus factae sint: non quod sint Ecclesiae particulares, sed quia dignae sunt speciali honore, antiquitatis causa. 2. Dicendum est traditio catholica potiusquam Ecclesia catholica, ne confusioni locus detur inter Ecclesiam catholicam et Ecclesiam latinam, quae non semper magni fecit instituta orientalia.

3. N. 1, pag. 5, linn. 6-7: Tollantur verba « quae huius traditionis testes sunt vivi ». *Ratio*: Iam dictum est.

4. N. 1, pag. 5, linn. 8-11. Loco: « ut eaedem floreant... renasci », dicendum: « Ut semper magis appareat catholicitatem ex varietate oriri, praeter ea quae ad universam Ecclesiam spectant, capita quaedam statuere decrevit ». *Ratio*: Multa sapiunt paternalismum, quasi Ecclesiae essent minores et aliquo modo exteriores a catholicitate. Sed finis oecumenica notanda est.

5. N. 3, pag. 5, lin. 21: loco: « Huiusmodi particulares Ecclesiae » dicendum: « Ecclesiae Orientales ». *Ratio*: De his agitur.

6. N. 3, pag. 5, linn. 22-28: loco: « Inter se... usque Pontificis », dicendum: « Differant cum inter se, tum ab Ecclesia latina, eiusdem tamen Ecclesiae catholicae partes integrantes sunt in communione cum Ecclesia Romana. Pari proinde pollent dignitate omnes Ecclesiae cuiusvis ritus, ita ut nulla ceteris praestet ratione ritus, atque iisdem fruuntur iuribus et tenentur obligationibus, praesertim ad propagandam fidem ». *Rationes*: 1. Ecclesia latina ipsa est Ecclesia particularis. 2. Verbis « in communione cum Ecclesia Romana » de se supponitur primatus, de quo hic non directe tractandum est, quia notus omnibus.

7. N. 4 in integro emendandus est in tribus partibus:

A) « Ne Ecclesia quaedam ceteris praestare videatur, neque fideles laedantur in legitimo amore nativitatis suae, constituantur paroeciae atque propria cuiusque hierarchia modo aptiore diversitati locorum et traditionum ubi id postulat bonum spirituale fidelium ». *Rationes*: 1. Aequalitas est vera ratio, non « tuitio » quod sapit paternalismum. 2. Ne ponatur principium nimis generale.

B) « Ubi vero plures Ecclesiae diversorum rituum exstant, diversi praesules in unam conferentiam episcoporum conveniant, sub praesidentia Patriarchae principalis loci, in quantum fieri poterit, salva disciplina cuiusque Ecclesiae quoad synodos episcoporum eiusdem ritus. Sic enim apparebit unitas catholica et vinculum caritatis ad coordinandam actionem pastoralem ». *Rationes*: 1. Non curae omnium; id est nullius, relinquantur hae conferentiae quae eo magis sunt necessariae quo plures sunt episcopi. 2. Oportet ut appareat indolis territorialis patriarchatus in origine. 3. Signum unitatis notandum est, non tantum efficacia.

C) « Omnes et singuli christifideles ius habent servandi et retinendi proprium ritum ubique terrarum, debentque eum colere et pro viribus observare. De transitu ad alium ritum providebit Codex reformatus Iuris canonici, ratione habita libertatis christianae, iurium Patriarcharum, periculi latinisationis, et prioritatis ritus loci ». *Rationes*: 1. Melius est Synodum principia tantum ponere. 2. Patriarcha ius habet in subiectos, de quo hic nulla mentio. 3. Libertas videtur male servata in priore textu.

8. N. 5, pag. 6, linn. 18-20: loco « moribus suorum... videantur », dicendum: « Maxima igitur prudentia aptandae sunt, attentis rerum conditionibus, ne mutationes mirationem populi suscitant, praesertim in Ecclesiis eiusdem ritus ». *Ratio*: De factis non statuendum. Insuper porta non est claudenda adaptationibus, nec immobilitas ponenda est ut principium.

9. N. 6, pag. 6, linn. 21-28 ab initio usque ad verbum « satagant »: tollenda sunt haec omnia. *Ratio*: vel iam dicta sunt, vel paternalismum sapiunt, et insinuant Orientales sua culpa aliquando defecisse.

10. Nn. 7-8: loco eorum, textus proponitur in « serie priore » sub n. 5, pars prima.

11. N. 9, pag. 7, linn. 11-12. Loco « quippe qui... praesint », dicendum: « Quippe qui in sedibus apostolica origine suo quisque patriarchatui praesint tanquam signum unitatis. Ideo servanda est, et si opus sit, restauranda consuetudo synodi patriarchalis ». *Ratio*: significatio ecclesialis patriarchae notanda est: apostolicitas et unitas episcopatus unius regionis. Haec est ratio honorum.

12. N. 10. Tollendus. *Ratio*: in textu proposito in emendatione n. 10 (5 in serie priore) fusius tractatum est de metropolitis et aliis.

13. N. 11. Eius loco, sumenda pars altera emendationis sub n. 5 prioris seriei positae. *Ratio*: locum dat etiam renovationi antiquorum patriarchatuum.

14. N. 15, pag. 8, lin. 10. Loco « conceditur » dicendum: « Concedi potest a hierarchia locali ». *Ratio*: ad loca magis pertinet, et applicandum est principium subsidiaritatis.

15. N. 18. Eius loco dicendum: « In matrimoniis mixtis, servetur antiqua disciplina quae viguit usque ad annum 1949, ita ut omne matrimonium mixtum inter orientales a sacerdote orientali benedictum validum sit ». *Ratio*: « Veterem disciplinam de Sacramentis apud Orientales Sacra Synodus confirmat », ut dictum est n. 12, pag. 7, linn. 22-25.

16. N. 19, pag. 9, linn. 1-2: loco: « Ecclesiis orientalibus » dicendum: « Ecclesiae universae ». *Ratio*: quae tractantur spectant etiam ad Ecclesiam latinam quae est ipsa particularis.

17. N. 20, pag. 9, lin. 13, post verbum « conveniant », addendum: « Hoc etiam valet, mutatis mutandis, pro diebus festis solemnioribus et pro diebus ieiunii praecipuis, sive communibus pluribus Ecclesiis, sive propriis cuidam loco aut Ecclesiae ». *Ratio*: Non decet in eodem loco alios festum agere, alios ieiunare, alios negotiis quotidianis vacare, praesertim dum omnes sunt catholici.

18. N. 24, pag. 9, linn. 31-33: loco: « precibus... aestimatione » dicendum: « iuxta principia Decreti huius Synodi de Oecumenismo ». *Ratio*: exhortatio specialis pro Orientalibus sapit paternalismum, et haec omnia melius dicta sunt in schemate de Oecumenismo.

19. N. 25, pag. 10, linn. 1-5: tollendus. *Ratio*: quamvis bonae sint, non est hic locus de reunionibus individualibus tractari, cum agitur de reunione corporativa, et materia ad ius spectat.

Melius est etiam titulum pag. 9, post lin. 27 mutari in « De conversatione cum *Ecclesiis* Orthodoxis ».

Notificationis versio germanica

(P. D. Villelmus Kempf, subsecretarius)

Viele Väter haben die Em. Moderatoren gebeten, daß die Schemata oder wenigstens einige der Schemata, welche umredigiert worden sind in die Form der « propositiones », nach einer kurzen Debatte wieder den zuständigen Kommissionen zugeleitet werden, damit sie im Sinn der Vorschläge, welche die Konzilsväter gemacht haben, überarbeitet werden.

Die Em. Moderatoren hielten es für richtig, diese Frage der Koordinierungskommission des Konzils zu unterbreiten. Die Koordinierungskommission hat dieses Anliegen der Väter sorgsam geprüft und im Einklang mit der geltenden Geschäftsordnung dieses beschlossen:

Nach einer kurzen Debatte jedes der Schemata, von denen oben die Rede war, sollen die Väter abstimmen über die folgende Frage:

Ob sie wünschen, daß man nach der Debatte über das Schema eine Abstimmung halte.

Wenn die Väter mit absoluter Mehrheit mit Ja stimmen, wird die Abstimmung sofort stattfinden. Wenn nicht, so werden die Dinge an die betreffende Kommission überwiesen, damit diese das Schema baldmöglichst entsprechend den Wünschen der Väter überarbeite.

6

EXC.MUS P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES

Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Venerabiles Patres conciliares,

Hoc schema mihi placet. Dico mihi placet ut iam a commissione relatum est. Videte fasciculum relationes continentem pag. 14 ss. Pluria a commissione *de Ecclesiis orientalibus* apparata iam in schematibus ...[1] *de Oecumenismo* et *de pastorali episcoporum munere* introducta sunt. Unde hoc schema principiis theologicis et oecumenicis caret, ut animadvertit em.mus card. König, sed ab aliis schematibus compleri debet. Et insuper non oblivisci debemus omnia quae de Ecclesia *catholica*[2] dicuntur pro universa Ecclesia valere, ergo pro Ecclesiis orientalibus sicut et pro latina. Indebite in nostris schematibus, solus codex Iuris latini citatur ut deploravit exc.mus Ziadé ...[3].

Finis huius decreti est practicus et pastoralis. Ad solvendas quaestiones in Ecclesiis orientalibus perpendentes, vias antiquis traditionibus conformes necessitatibusque hodiernis aptas proponit, et sic pastorali harum communitatum renovationi inservit.

1. Schema vocat omnes catholicos ut magni faciant patrimonium harum Ecclesiarum quod partem constituit universae Ecclesiae patrimonii. Etenim permulti latini identificaverunt practice catholicismum et latinitatem. Certe Sedes Romana, praecipue a Leone XIII papa, semper orientis patrimonium in honore habuit, protexit et etiam contra diversos occidentales magis zelantes quam bene formatos, ad liturgiam, spiritualitatem disciplinamque latinizandas conantes defendit. Sed talis

defensio non semper efficax fuit. Opportune ergo revocat schema in memoriam patrimonium catholicum a sanctis Patribus Orientis traditum et a sacris Conciliis, quae praxim Ecclesiae disposuerunt, nobis concreditum.

Ecclesia latina pro sua parte utilitatem capit ab illa traditionum orientalium cognitione. Aliqua exempla affero:

a) In Liturgia: celebrationes paschales orientis, restitutionem vigiliae paschalis adiuvarunt; traditio concelebrationis et usus linguae vernaculae in orientalibus ritibus semper viguit.

b) In vita spirituali et in theologia: Patres Ecclesiarum syriacae et graecae sunt nobis contemporanei per vitam praesentem Ecclesiarum traditionum syriacae et graecae. In hac aula frequenter audivimus orientales Patres de Spiritu Sancto praeclare nos docere.

c) In institutionibus ecclesiasticis: Patres huius Concilii Ecclesiarum orientalium recenter nos latinos adiuvarunt ut sensum mysticum et sacramentale collegialitatis melius reperiamus et intelligamus.

Sic viget in Ecclesia catholica commercium consuetudinum et traditionum spiritualium, *communionem* Ecclesiarum manifestans, et haec communio magis magisque in Ecclesia catholica vigere debet.

2. Schema illustrat vocationem peculiarem Ecclesiarum cum Sede Romana communicantium ad unitatem cum orthodoxis Ecclesiis promovendam. Ecclesia catholica numquam oblita est unitatem perfectam orientis et occidentis, scil. unitatem cum Ecclesiis orthodoxis finem assequendum esse. Profecto ...[4] Ecclesiae aegre tolerarunt, post Florentinum Concilium accessiones ad unitatem catholicam fractionum ecclesiarum localium, aestimantes has amputationes ut iniustas catholicorum expugnationes; sed iam hoc tempore, et praecipue ab huius Concilii initio plures tam in occidente quam in oriente intellexerunt has Ecclesias ad separationem extinguendam utiliter collaborare posse. De qua re praeclarum exemplum praebet schema quando dispositiones proponit circa matrimonia mixta et communicationem in sacris, quae forsan ad harum quaestionum generalem solutionem *iam* [5] aperiunt. Ceterum schema Ecclesias orientales vocat ut in spiritu oecumenico crescant et suam propriam vocationem impleant, scil. unire orientem et occidentem.

3. In aliquibus quaestionibus urgentioribus et varias Ecclesias spectantibus schema dispositiones aptas proponit: nempe de casibus communicationum in sacris pro bono fidelium, de dispositionibus ad mixta matrimonia vel ad confirmationem pertinentia, de consideratione et defensione rituum. In rebus tam specialibus et intricatis, mea sententia, episcopi latini approbare debent dispositiones ab orientalibus episco-

pis magna cum cura statutas, ad orientis communitatum ac rituum integritatem defendendam atque servandam.

4. et ultimo. Denique hoc decretum restituit iura Ecclesiarum orientalium in vita Ecclesiae catholicae, quae est communio Ecclesiarum inter se aequalium, etsi ritibus traditionibusque diversarum. Invigilat ut illae Ecclesiae floreant et robore apostolico concreditum sibi munus absolvant ...[6].

Schema in sua prima redactione insufficiens sed iam a commissione utiliter emendatum restaurat institutionem patriarchatus quae est, ut dixit exc.mus Ghattas, earum Ecclesiarum fundamentum. Declarat illas iisdem iuribus frui et iisdem obligationibus teneri ac Ecclesia Latina, quod attinet ad Evangelium praedicandum in universum mundum ...[7]. Etenim patrimonia Ecclesiarum orientalium non servanda sunt defensivo modo, *uti*[8] dicam, sed modo positivo fructus ferendo ad vitalitatem Ecclesiae manifestandam. Ut missio Ecclesiae hodiernis temporibus universa appareat, illae decisiones maximi sunt momenti. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] de Ecclesia. [2] in generali. [3] Forsan nostrum schema melius intitularetur « de quibusdam quaestionibus ad orientales Sedi Romanae communicantes Ecclesias pertinentibus ». [4] hae. [5] viam. [6] (pag. 5, lin. 8). [7] (pag. 5, lin. 26). [8] ut ita.

Notificationis versio hispanica

(P. D. Casimirus Morcillo Gonzales, subsecretarius)

Aviso importante para los Padres Conciliares.

Muchos Padres han pedido a los Eminentísimos Moderadores, que después del breve debate sobre los esquemas presentados en forma de proposiciones, dichos esquemas o al menos algunos de ellos se envíen de nuevo a las Comisiones competentes para que se revisen teniendo en cuenta las observaciones hechas por los Padres.

Por esto los Eminentísimos Moderadores han creído conveniente que el asunto se remita a la Comisión Coordinadora. Esta Comisión, después de examinar atentamente las peticiones de los Padres, y concordarlas adecuadamente con el órden ya legítimamente establecido, ha decidido que después de un breve debate sobre cada uno de los referidos esquemas, se pida el voto de los Padres sobre la siguiente cuestion: Place a los Padres, que después del debate sobre el esquema, se pase a la votación? Si la respuesta de los Padres fuere afirmativa con una mayoría absoluta, se procederá en seguida a la votación. En cambio, si la respuesta fuere negativa, todo el asunto se remitirá a la Comisión para que en un breve espacio de tiempo, reelabore el esquema según las observaciones de los Padres. Gracias.

7

EXC.MUS P. D. ELIAS ZOGHBY

Archiepiscopus tit. Nubiensis, vic. patr. Melchitarum in Aegypto

Venerabiles Patres,

Tres animadversiones facere velim circa schema *de Ecclesiis orientalibus*: prima theologica, secunda historica, tertia practica.

1. Ea quae heri dicta sunt, tum ab em.mo card. König, tum a beat.mo patriarcha meo, Maximo IV, circa primam propositionem prooemii, demonstrant dilucide conceptum de Ecclesia catholica esse adhuc valde inadaequatum. Mirum est, post tot labores circa naturam Ecclesiae in hoc Concilio, mirum est theologos hanc notionem nondum clarificasse.

Ecclesia universalis enim, ...[1] quae constat omnibus Ecclesiis particularibus, a Spiritu Sancto aggregatis et unitis, quae primis temporibus structuratae sunt circa magnas sedes, quarum praecipua et efficax, de consensu omnium, propter successionem apostolicam in cathedra Petri, Romae erat. Haec Ecclesia universalis confundi non debet cum « universalitate » *hac*[2] illa Ecclesiae occidentalis et latinae, quae ut artefactum novum exstari incepit posterioribus saeculis, praesertim tempore Caroli Magni, et quae paulatim, ob separationem canonicam inter occidentales et orientales, quodammodo se solam invenit et reputavit, parvipendens et quasi suffocans antiquam structuram patriarchatuum quam canonizaverunt prima Concilia. Verum est, ex cruciatarum expeditionibus, a Romanis Pontificibus incitatis, patriarchas latinos super sedes orientalium positos esse, loco legitimorum pastorum. Sed illi non erant nisi umbrae Romani Pontificis. Insuper, non meliori consilio, temporibus posterioribus et usque hodie, missionarii latini latinas Ecclesias efformaverunt in oriente, ex quo emulationes exsurgebant erga orientales Ecclesias.

Verum est etiam, quasdam partes Ecclesiarum orientalium unitas esse decursu temporum Ecclesiae romanae. Sed hae structurae occidentali aggregatae sunt. Orientales autem separati semper primam conceptionem retinuerunt, quae, iuxta formulam Papae Pauli VI, in sua Encyclica *Ecclesiam suam,* pluralismum practicum continet; dum, e contra, occidentales ad secundam formam quasi exclusive, etsi plus minusve conscie, semper referuntur. Unde, quando loquuntur de separatione ecclesiastica, diversis linguis et *conceptionibus*[3] utuntur, neque mutuo se intelligere possunt: primi, vero, cogitantes de separatione ab

Ecclesia latina ut Ecclesia particulari; alii vero de separatione ab Ecclesia universali secundo modo excogitata.

Iamvero, schema nostrum *de Ecclesiis orientalibus* totum est ordinatum iuxta hanc secundam conceptionem, ac si Ecclesiae orientales catholicae partes essent vel appendices Ecclesiae universalis latinae: quod logice procedere non potest. Undenam ergo funditus schema repristinandum est, ut haec visio falsa evacuetur.

2. Ad primatum Romani Pontificis quod attinet, formulatio doctrinae, etsi pluries declarata sit in Conciliis occidentalibus praecedentibus, definitivam tamen formulam dogmaticam non accepit nisi in Concilio Vaticano I. Usque ad hoc tempus, ut aliqua doctrina canonica ab orthodoxis concipi potuit. Concilium quod Photium patriarcham in suo munere restituit, a. 879, inter utramque Ecclesiam consensum protulit, qui modum quemdam vivendi, sine conclusione theologica hac in re ratum haberet. Romanus Pontifex erat certo tunc temporis pro orientalibus primus episcopus in Ecclesia, iuribus quidem irrefragabilibus gaudens. Illius erat praesidere Conciliis oecumenicis, vel saltem ad ipsa vigilare, eorumque decreta subscribere. Ad ipsum utique appellabant, in summis rebus, orientales Ecclesiae, sed hoc potius canonice interpretabantur quam dogmatice.

Ergo, si per primatum Romani Pontificis ambae Ecclesiae inter se non opponebantur quoad doctrinam, neque per formulam « Filioque » theologia Orientalium de processione Spiritus Sancti ullo modo negabatur, sicuti etiam in Concilio Florentino dictum est, dicendum est orientalem occidentalemque Ecclesiam per multa saecula, etiam post discidium, separatas non fuisse modo quo saepe creditur, et in eadem fide communicasse. Conflictus erat inter particulares sive locales Ecclesias, vel inter orientales patriarchas et Romanos Pontifices, qui uti intendebant sua potestate patriarchali super occidentales erga orientales quoque. Nulla erat notio separationis ab Ecclesia universali apud orientales qui seipsos semper considerabant tamquam veram Ecclesiam, immo possidentes partem maiorem christianitatis, in qua veritates fidei in suis Conciliis definitae sunt, et cuius doctores maximos fuerunt inter theologos, quippe qui Conciliorum oecumenicorum fere unici Patres facti sunt.

Cum quaestio posita est in Vaticano I de definitione dogmatica primatus Romani Pontificis, necnon de determinatione circa structuram theologicam Ecclesiae, fere omnes et soli latini Patres aderant, et vox orientalium vix audita est. Nihilominus, haec definitio summi momenti erat pro ipsis, utpote structuram Ecclesiae orientis tangens plus quam adhuc hanc occidentalium.

3. et ultimo: de communicatione in sacris, de qua in n. 26 quaestio

est, dicam aliquid breviter. Optimum est redire ad usum istius communicationis, quae usque ad initium saec. XIX in usum erat in rebus pastoralibus, pro fidelibus in regionibus multis, et quae nonnisi ob applicationem ineptam legum post-tridentinarum pro Protestantibus in occidente, a quibusdam missionariis male informatis, in oriente grassari incepit.

Quoad transitum alicuius acatholici ad Ecclesiam catholicam, omnino consentio his quae dicta sunt in schemate *de Oecumenismo,* nempe quodcumque genus proselytismi nullo modo fovendum esse. Si vero casu accidit, ritum proprium stricte servare debet fidelis transiens, salvo recursu, in casibus specialissimis, ad Sedem Romanam. Hoc dico, omnino concors cum schemate, cum em.mo card. Cicognani, qui hoc praesentavit, necnon cum patr. Maximo IV et omnibus eius episcopis, cum patr. Batanian, cum arch. maiore Slipyj, cum exc.mo D. Isaac Ghattas, ep. Coptorum in Aegypto et fere omnibus Ecclesiis rituum orientalium.

Concludo.[4] Venerabiles Patres, sapientes simus, sed etiam boni et tolerantes. Nolumus iudicare de dissensionibus et divisionibus praeteritorum temporum secundum antecessorum nostrorum spiritum, sed secundum nostrum. Vivimus — Deo gratias! — in temporibus ubi corda aperiuntur, ubi libertas — etiam religiosa — praestat. Licentiam habent Patres, in eadem Ecclesia, in eodem Concilio, cogitandi et loquendi aliter ac ceteri. Quae libertas, nullo modo, in temporibus praeteritis existere potuisset. Ecclesia dividebatur ut sententiae propugnarentur. Et nulla commissio mixta, nulla coordinationis commissio existebat. Si prioris temporis methodi nunc iam vigerent, si aliquis card. Humbertus Concilio praesideret...

Moderator: Exc.me Domine, tempus tuum iam actum est.

Orator: ... quam multi inter nos, authenticos, authenticissimos catholicos, iam ex Concilio exivissent cum Bulla excommunicationis ...[5], etsi mille aut duo mille annos postea omnes dicerent sententias nostras non esse contradictorias ...[6] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] illa est. [2] deest. [3] conceptibus. [4] Ad modum conclusionis. [5] aut anathematismi. [6] primatum et collegialitatem, Scripturam et traditionem, non esse oppositas, sicut illum, ut aiunt, monophysismum, simul cum doctrina orientalium de processione Spiritus Sancti, cum fide componi posse.

Notificationis versio arabica

(P. D. Philippus Nabaa, subsecretarius)

تنبيه خطير الى اباء المجمع.

لما كان الكثيرون من اباء المجمع التمسوا من اصحاب النيافة الكرادلة المدراء، ان تحال الى اللجان المختصة المشاريع الثانوية التي عرضت او سوف تعرض في المجمع، لكي يعاد فيها النظر على ضوء ما ابداه الاباء من ملاحظات، فقد رفع الكرادلة المدراء هذا الالتماس الى المجلس الكردينالي لتنظيم اعمال المجمع المسكوني، وبعد درس هذا الالتماس في القوانين المرعية الاجراء، قرر المجلس الكردينالي المذكور ان يصار الى بحث كل هذه المشاريع، بحثًا مختصرًا، في جلسات المجمع، ثم يطرح الاباء السؤال الاجمالي الاتي " هل يقبل الاباء ان يصوّت على المشروع؟ " فاذا كان الجواب ايجابيًا وبالاكثرية المطلقة، يصار اذ ذاك الى التصويت العادي. واذا كان الجواب بالنفي، يعاد المشروع الى اللجنة المختصة لاعادة النظر فيه وفقًا لما يكون الاباء قد ابدوه من ملاحظات اثناء البحث في الجلسات.

نقله الخوري

جوزيف خوري

الماروني - اللبناني

8

EXC.MUS P. D. MICHAEL DOUMITH
Episcopus Sarbensis Maronitarum

Venerabiles Patres,

Multum sperabamus pro Ecclesiis orientalibus, immo pro Ecclesia Dei in regionibus orientis, ex opere huius Sacrosanctae Synodi; sed schemate perspecto, spes nostra fere totaliter evanescit. Praeter enim laudes, in hac materia iam suetas, nihil momentosi affertur; praeiudicia non corriguntur, inutilia repetuntur, peculiaria non semper in meliore parte solvuntur et tandem graviora ...[1] vitantur. Alia quae veniunt magis ad codicem Iuris quam ad decretum Concilii pertinent.

1. *Praeiudicia non corriguntur.* Opinio communiter recepta est quod ecclesiae orientales sunt ecclesiae particulares.

Iam multoties audistis ideo non repeto. Dicam tantum unum verbum de remedio ad hoc praeiudicium corrigendum. Postulatum est multoties[2] ut sive in Synodi decretis, sive in Codice Iuris principia omnibus communia in uno ...[3] capite exponentur, particularia vero in specialibus capitibus adnexis. Hoc *solo*[4] modo procedendi unitas Ecclesiae *innotescit,*[5] aequalitas particularium Ecclesiarum ...[6] servatur et clare apparet distinctio inter humanas et divinas traditiones.

2. *Inutilia repetuntur.* In hoc schemate quaedam veniunt quae iam alibi tractata sunt, et modo quidem accuratiore.

In nn. 2 et 3, tractatur de ecclesiis particularibus, quae materia iam in const. *de Ecclesia* n. 23 exposita est ...[7].

In n. 4, tractatur inter alia de conferentiis episcopalibus interritualibus, quae materia iam in *de pastorali episcoporum munere,* cap. III, n. 36, exposita est, et modo distinctiore. Ibi enim distinguuntur interrituales conferentiae a synodis ...[8] et de conferentiis dicitur quod habendae sunt « ratione habita boni communis totius *territorii* et iuxta normas a competenti auctoritate statuendas », quae praecisiones certe necessariae *ut conferentiae sint efficaces, quae praecisiones*[9] in nostro schemate desunt.

In nn. 5 et 6, tractatur de spirituali Ecclesiarum orientalium patrimonio servando, quae materia iam fusius et distinctius exposita est in *de Oecumenismo,* cap. III ...[10]. Manet in n. 6 monitum de latinisatione vitanda, quod post hoc Concilium non videtur necessarium ...[11].

Hae repetitiones, si inutiles reperiuntur, iam nn. 2, 3, 5 et 6 *non habent obiectum.*[12]

3. *Peculiaria non semper in meliore parte solvuntur.* Quaedam sufficiant exempla:

a) De propria hierarchia constituenda, extra territorium orientis. Textus sic habet: « Constituantur paroeciae atque propria cuiusque hierarchia, ubi id postulat bonum spirituale fidelium ».

Intentio certe laudanda est; in applicatione vero non deerunt difficultates, ex ipso Concilii textu, desumptae. De hac « hierarchia constituenda » in *de Ecclesiis orientalibus* non dicitur a quonam nec quando constituenda sit, nec a quonam dependere debeat. In *de pastorali episcoporum munere* ...[13] dicitur *e contra*[14] sub n. 21, quod fidelium diversi ritus « spiritualibus necessitatibus, episcopus dioecesanus providebit sive per sacerdotes... sive per vicarium episcopalem... sive per seipsum... quod si haec omnia fieri non possint, hierarchia propria constituatur ». *Ubi*[15] « hierarchiae propriae » constitutio apparet ut ultimum remedium, in quantum fieri potest, vitandum. Nunc autem haec « propria hierarchia », aliquibus ...[16] locis, iam existit et de facto pendet sive a loci hierarchia, sive a sede Romana, sed quamdiu — *ut simus sinceri*[17] — haec « propria hierarchia » ab auctoritate superiore proprii ritus non pendet, res non solvitur in bonum reale ecclesiarum orientalium ...[18].

... de aliis peculiaribus punctis, scripto remittam observationes.

Liceat mihi tantum animadvertere: hoc quod videtur mirum immo absonum, scil. quod:

a) *in quaestione de ritu servando pro acatholicis, favor iuris agnoscitur ritui Patrum, dum in « de libertate religiosa » ipsi veritati denegatur; et quod* b) *in quaestione de matrimoniis mixtis, forma canonica ad liceitatem tantum requiratur, dum inter catholicos requiritur ad validitatem; et quod ipsis catholicis* c) *in de communicatione in sacris permittitur accessus ut videtur sine ratione sufficienti ad sacramenta apud non catholicos.*[19]

4. et ultimo. *Graviora vitantur.* Gravior inter orientales catholicos est quaestio plurium iurisdictionum in eodem territorio seu plurium sedentium in eadem sede.

Quaestio haec in Ecclesia catholica inde a constitutis hierarchiis unitis ponitur. Tunc temporis putabatur problema oecumenicum hoc modo solvi posse *hoc modo,*[20] ut scil. post constitutam hierarchiam catholicam pro fidelibus iam unitis, alii qui nondum convenerant, casibus singularibus una aliave die convenirent. De facto quod praevisum, non fuit verificatum. Recta solutio esset, immo est, ut unitis constituatur, usque ad « diem unionis » ...[21], iurisdictio non iuris communis, sed exceptionis, quod revera factum est primis temporibus *unionis,*[22] sed, re nondum matura, derelictum fuit. ...[23] Praesens status rerum est contra

catholicam communionem, contra genuinam traditionem et certe contra verum bonum Ecclesiae. In errore corrigendo, plus exsurgunt difficultates ex parte clericorum, quam ex parte fidelium. Sed praetermissa quaestione, Synodus videtur praetermittere pro semper unicam occasionem necessariae reformationis. Principium saltem, principium, scil. ut non sit in unaquaque sede nisi unus sedens, agnoscatur, si ad exsecutionem statim perducari non potest, et lumine huius principii, multae difficultates nunc insolubiles, data occasione, recte solvi possunt, ex quibus non minimae sunt, ordo inter ritus instaurandus ubique terrarum, transitus ab uno ritu ad alterum ...[24].

Moderator: Venerabilis Pater, iam tempus tuum exhaustum est.

Orator: Sufficit.

In textu scripto tradito: [1] necessaria. [2] et, ut ita dicam, « marginales »; contradistinguuntur ab Ecclesia catholica, quae est « latina ». Res enim ita se habet ad litteram, in linn. 1-2 prooemii. Confirmatur autem ex eo quod de ecclesiis orientalibus speciale decretum conficitur, cui introducitur paragraphus de ecclesiis particularibus; confirmatur etiam in capite de patriarchis, ubi patriarchae semper dicuntur « orientales » quasi institutum patriarchale esset quid orientalibus proprium et quo facilius minui potest. Ad quod praeiudicium corrigendum (pro orientalium dignitate et Ecclesiae unitate) iam multoties postulatum est. [3] generali. [4] enim. [5] catholicae demonstratur. [6] non excepta latina. [7] et quidem in suo loco ut Ecclesiae particularis notae clarius appareant et ne intelligatur Ecclesias orientales esse solas particulares. [8] ritualibus. [9] deest. [10] Dici autem non potest quod illic agebatur de non catholicis, nam si quae de non catholicis dicuntur, de catholicis non valent, totus Oecumenismus ruit. [11] si necessarium videtur, locum habere deberet potius in schemate pro latinis. [12] omitti debent et eo ipso evanescit generalis expositio schematis. [13] vero. [14] deest. [15] In quo textu. [16] in. [17] deest. [18] Unde patet difficiliora, in textu nostro, non solvi, et alibi non in meliore parte solvi. *b*) De obligatione proprium ritum servandi: Legem inter catholicos vigentem servandi proprium ritum, schema extendit ad acatholicos ad catholicam convenientes. In hac autem materia, Ecclesiae disciplina nunquam fuit tam arcta. Lex nunc vigens, immo et traditionalis, est ut acatholici ad catholicam convenientes eligere possint ritum quem maluerint, vel saltem ritum orientalem quem maluerint. Stricta obligatio proprium ritum servandi pro acatholicis est quid omnino novum.

Principium sanae rationi et Ecclesiae traditioni consentaneum est libertas subiecti: nemo melior iudex quam unusquisque in propria causa, nam in eligendo ritu plura adesse possunt motiva, et quidem legitima, transeundi ad alium ritum. Si propter bonum commune, alicui ritui agnoscendus esset favor iuris, hoc deberet dirimi ratione habita boni territorii (non gloriae antiquatae) et exprimi aliquo consilio non autem stricta obligatione.

Nostro sensu, dignius esset Synodo ut acatholicis ad catholicam convenientibus, commendet tantum proprium ritum servare.

c) De matrimoniis mixtis. Ad praecavenda matrimonia invalida, cum catholici matrimonium ineunt cum acatholicis baptizatis, secundum schema nostrum in n. 18, requiritur ad liceitatem dispensatio a forma canonica, ad validitatem vero benedictio sacerdotis licet acatholici.

De qua dispositione liceat notare quod Protestantibus Orientalibus, licet baptizatis, non est applicabilis, et quod minus exigit a parte catholica, in matrimonio mixto, quam in matrimonio inter catholicos. Si forma canonica, in matrimonio mixto, exigitur tantum ad liceitatem, iam non intelligitur cur inter catholicos ad validitatem exigatur.

d) De communicatione in sacris. In schemate nostro catholicis permittitur sacramenta petere a ministris acatholicis « quotiescumque id necessitas aut vera spiritualis utilitas suadeat et accessus ad sacerdotem catholicum physice vel moraliter impossibilis evadat ».

Admisso quod spiritualis utilitas semper adest in susceptione sacramenti, iam non obstat ad illud petendum a ministro acatholico nisi « impossibilitas moralis » accedendi ad sacerdotem catholicum, quae impossibilitas certe difficile determinari potest, et practice cum aliqua latitudine interpretabitur. Et ideo, si dispositio proposita admittitur, fideles immo et sacerdotes, in locis mixtae religionis, indiscriminatim frequentabuntur ecclesias catholicas et non catholicas, sive ad suscipienda sacramenta sive ad sacrificium celebrandum. Intenduntne Patres ut ad hanc praxim pervenietur? Iam in praxi vigenti, multi putant nullam existere differentiam inter christianos; quid si praxis fit tam latior? Nonne sufficeret limitare recursum ad acatholicum ministrum ad casum « impossibilitatis physicae » accedendi ad ministrum catholicum? [19] deest. [20] deest. [21] totius Ecclesiae. [22] deest. [23] Unde. [24] conferentiae episcopales interrituales, et obligatio diffundendi Evangelium practice urgenda. Immo ipsum problema oecumenicum rectius ponitur eiusque solutio in posterum facilior praeparatur. Ad hanc reformationem praenuntiandam, sufficeret ut articulis de patriarchis addatur articulus qui sic haberet: « Ad bonum Ecclesiae efficaciter promovendum, providebit Romana Sedes ut tempore opportuno antiqua disciplina restauretur ita ut non sit in unaquaque sede nisi unus sedens potestatem territorialem detinens ». Venerabiles Patres, si haec omnia iudicatis digna vestra benevolenti attentione et approbatione, potestis, quibusdam punctis alibi interpositis, quibusdam aliis ad codicem iuris remissis, totum schema, tranquillo animo, reiicere.

9

Exc.mus P. D. BASILIUS CRISTEA

Episcopus tit. Lebediensis

Venerabiles Patres,

Cum in hoc sollemnissimo coetu disceptatur super schemata *de Ecclesiis orientalibus,* meminisse iuvat ac debet maiorem partem christifidelium harum Ecclesiarum vexationes et insectationes pro catholica fide, ab hinc plus quindecim annos et usque in praesens, pati.

Exstant enim plus *quam undecim milliones* [1] catholici variorum rituum orientalium. Horum autem fere *sex milliones,* [2] proinde plus quam

dimidia pars Orientalium, pertinent ad byzantini ritus Ecclesiam, quae, in Romania et Ucraina, europaeo altero bello finito, iniuste suppressa est, eaque iuxta civilia decreta adhuc esse non licet.

Porro, tristissima omnino est conditio catholicorum ritus byzantini in Romania, quia ibi publica lege eorum Ecclesia, inde ab a. 1948, tamquam deleta et suppressa consideratur. Nullus ibi iam habetur episcopus romenus, qui libere possit suam gubernare dioecesim; sex enim, ergo omnes, episcopi, qui suam cum Romana Apostolica Sede coniunctionem retinere volebant, in carcerem detrusi fuerunt, quorum quidem quinque inibi morte occubuerunt. Milia quoque sacerdotum et fidelium, ideo quod nullo modo volebant catholicam suam renuere fidem, maculare conscientiam, vel extorres in ignotas regiones fuerunt deportati, vel ad labores coactos, vel in carcerem fuerunt coniecti. Eiusdem Ecclesiae sacra aedificia et instituta ad aliud fuerunt destinata; plurimae religiosorum virorum et mulierum sodalitates dissolutae fuerunt, et eorum scholae prohibitae et aliis demandatae ...[3].

Nemo sane bona fide infitiari poterit catholicos ritus byzantini in Orientali Europa positos testimonium suae fidei reddidisse non solum indefectibili adhaesione et amore erga catholicae Ecclesiae centrum, atque egregia opera *progressione* [4] tum culturali tum sociali sui quisque populi, verum etiam constanti erga proprias traditiones fidelitate.

Quapropter opportunum videtur ut in schemate ipso, de quo nunc disceptatur, dilucide affirmetur caerimonias et traditiones disciplinam ecclesiasticam spectantes catholicorum ritus byzantini easdem prorsus esse atque apud separatos fratres vigent.

Opportunum quoque videtur ut in schemate ipso agnoscatur et aperte declaretur quod catholicae communitates ritus orientalis magnum semper habuerunt et procul dubio habebunt momentum ad fovendam et provehendam unionem, quae in omnium est votis, inter orientalem et occidentalem Ecclesiam. Solummodo ii, qui verae unioni vel adversantur vel ignorant veram et realem conditionem et statum maiorum communitatum catholicarum ritus orientalis, agnoscere nolunt beneficia haud parva, quae in favorem unionis oriuntur ex ipsa *praesentia* horum catholicorum inter fratres separatos. Huiusmodi enim praesentia fuit a saeculis et erit quoque in posterum veluti signum et revocatio conditionis Ecclesiae ante detestandam schisma vigentis. Id manifeste ostendunt etiam fratres nostri seiuncti, qui, in praesens longe a patriis laribus necessitate compulsi inveniuntur, nostras catholicas participant sacras functiones, Liturgiam, et non raro vel Sacramenta. Proinde immerito asserunt quidam has communitates esse potius impedimento unioni et colloquio catholicos inter et fratres separatos, ac si catholici orientales

constituant aliquid ambigui et mixti. Quid enim, quaero, seiuncti fratres fierent si, Deo volente, ad optatam Unionem deveniretur? Nonne idipsum, quod nos catholici orientales iam sumus?

Plausum, denique, dandum est sequenti asseverationi in schemate contentae, scil.: « Illi vero qui ratione sive muneris, sive apostolici ministerii frequens cum orientalibus Ecclesiis aut cum earum fidelibus habeant commercium, in cognitione rituum, disciplinae, doctrinae, historiae atque indolis orientalium accurate, pro gravitate officii quod gerunt, versati sint » ...[5].

Mihi concludere cordi est ita: 1. Attenta suppressione iniusta maiorum ecclesiarum catholicarum byzantini ritus, Ucrainae scil. et Romenae, valde esset opportunum, immo iustum, ut Patres conciliares peculiariter tristissimum statum realitatemque huius suppressae Ecclesiae prae oculis habeant, quando in actum deducentur ea, quae proposita sunt in hoc Concilio circa libertatem religiosam. In concreto quidem, si quando haec sancta Synodus universae hominum societati et universalibus coetibus, uti est v. g. Nationum Omnium Coetus compendiarie appellatus O.N.U., nuntium vel rogatum fecerit, explicitam mentionem faciat de fere *sex milliones* [6] catholicorum ritus byzantini, qui libertate fidei catholicae profitendae sunt destituti, idque non tam quia catholici, *sed potissimum quia sunt catholici ritus orientalis.*

2. Quo autem catholici omnes, cuiusvis sint ritus, efficacius participent angustias et passiones Ecclesiae, opportunum esset ut Sacra haec Synodus oecumenica instituat diem quemdam, quotannis stato die celebrandum nomine seu titulo *dies Ecclesiae patientis,* in quo omnes invitentur enixas ad Deum admovere preces pro christifidelibus insectationes omneque genus angustias et aerumnas pro Fide patientibus. Hoc fieret quidem ad instar diei « Pro Fidei Propagatione » et ad instar « Octavae Precum pro Ecclesiae unitate », qui dies iam instituti sunt in Ecclesia catholica. Talem in modum Sacrosanctum Concilium mundo praebiturum esset certum et concretum argumentum quantum cordi habeat sortem fidelium qui pro Fide persecutionem patiuntur; et ex alia parte, catholicis omnibus occasio daretur non solum Ecclesiae vexationes melius cognoscendi, verum etiam efficacius participandi merita confessorum Fidei, qui, de cetero, toto corde confidunt et animam sumunt in solidarietate totius catholici orbis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] centies undecies milia (11.000.000). [2] Sexagies centena milia (5.912.979). [3] (cf. Pii Pp. XII Litt. Enc. *Veritatem facientes in caritate* diei 27 martii 1952: *A.A.S.,* 1952). [4] progressioni. [5] (n. 6, 28-31). [6] sexagies centenis milibus (6.000.000).

10

EXC.MUS P. D. IOSEPH STANGL
Episcopus Herbipolensis

Venerabiles Patres et Fratres,

Schema decreti *de Ecclesiis orientalibus* in genere placet. Valde opportunum ducimus, quod schema speciale de Ecclesiis orientalibus propositum est, et minime nobis videtur, praesentatione huius schematis honorem Orientalium catholicorum imminui. Immo pleno ex corde assentimus em.mo relatori card. Cicognani, dicenti « hoc peculiare schema, quod unice ad Orientales spectet, reverentiam significare, singularem existimationem praebere » et, quod maximi momenti est, « fraternae caritatis pignus exhibere illis qui » — proh dolor! — « adhuc a nobis seiunguntur ».

Attamen propter has ab em.mo relatore optime adductas rationes ipsas summopere displicet, quod schema hoc ad modum simplicium propositionum reductum ac deminutum est. Ex schematibus prioribus a commissione praeparatoria elaboratis remansit solum scheletrum, ossa, loco pulchri corporis organice et bene formati.

Propter reverentiam fratrum nostrorum orientalium catholicorum necnon uti pignus dignum fraternae caritatis erga dilectissimos fratres seiunctos propono, ut schemati valor Decreti reddatur plenus, et ut addantur explanationes largiores, aut ex prioribus schematibus aut ex integro novae, additis locis ex Sacra Scriptura et ex Patribus, praesertim Orientalibus. E. g. ad n. 29 omnino deest et desideratur aliqua conclusio totius schematis complectens desideria et voluntatem huius Sacrae Synodi in collaudando hoc schemate. Ne fiat totum schema solummodo compilatio quorundam canonum, sed digna et pulchra expressio nostri amoris et aestimationis et fraternitatis.

Quoad titulum schematis: magis, si dicimus veritatem, aptus esset titulus *de Ecclesiis orientalibus catholicis,* quia — quod dolendum est — de seiunctis Orientalibus non multum agitur.

Omissis aliis: e. g. in n. 18 « de matrimoniis mixtis » mihi magis placet textus in emendationibus nunc a commissione propositus, quia ad antiquum Orientalium ius revertitur. Pauca adhuc dicam de communicatione in Sacris. Ex caritate pastorali summopere necessarium est in hodiernis conditionibus fidelium et catholicorum et seiunctorum, ut Sancta Mater Ecclesia omni quidem cum prudentia et sub moderamine Ordinariorum thesauros sacramentorum Salvatoris nostri nobis concre-

ditos largiri quo possibile est modo distribuat omnibus baptizatis qui bonae sunt voluntatis et in tot periculis versantur. Quapropter, quae commissio in schemate proponit laeto animo concedendum commendamus. Duas habemus tamen animadversiones:

1. Modus dicendi de communicatione in Sacris minus placet. Ibi praevalet timor exceptionum, periculorum, abusuum, fere dicam peccatorum, immo spiritus mere « canonisticus ». Si iam dantur adiumenta ac gratiae et catholicis et seiunctis, sentiatur etiam ex verbis ipsis magnanimitas, plenitudo, suavitas amoris Summi Pastoris nostri, Domini nostri Iesu Christi.

2. Eadem ex ratione magis placeret, si non enumerentur singula sacramenta, sed vox fiat de sacramentis in genere, excepto forse solummodo sacramento Ordinis.

Concludo. Verum est, tales emendationes schematis adhuc labores commissionis extensos requirunt, et ideo suum tempus, ut bene compleantur. At, venerabiles Fratres, homines futurorum saeculorum non quaerent utrum laboravimus per tres aut per quattuor sessiones, sed iudicium ferent in nos, qualia fecerimus decreta, meliora aut imperfecta. Dixi.

Moderator: Proxima congregatio generalis erit feria II, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CIV

19 octobris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CIV
19 octobris 1964

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Moderabitur 104 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Commendo vestris precibus, Patres pientissimi, exc.mum D. Ioseph Petrum Gagnor, ep. Alexandrinum Statiellorum, qui heri improviso et letali morbo correptus est.

In hac congregatione generali, distribuetur vobis, vel iam distributa est, Patres venerabiles, *Notificatio* iam feria sexta elapsa a nobis facta, circa suffragationem schematum quae sunt ad propositiones redacta.

Hic auditur aliqua echo... Mea vox duplicatur, sine necessitate!

Bene, Patres amplissimi: hanc *Notificationem* linguis hominum dedimus; non potuimus dare linguis angelorum; et tamen aliquod dubium mansit. Et dubium iam dissipatur per hanc explicationem. In quibusdam ephemeridibus, dictum est quod, quoad primam suffragationem praeliminarem...

Precor technicos, ut bene moderentur suas machinas; secus ne hac vice quidem intelligitur quod dicimus... Gratias!

Dictum est quod requireretur, quoad primam suffragationem praeliminarem, maioritas relativa. Sed reapse in hac aula dictum est quod requiritur maioritas absoluta. Nam maioritas relativa intelligitur tantum quando sunt tres quattuorve partes. Inter duas partes, maioritas relativa non intelligitur, vel melius: coincidit cum maioritate absoluta, uti patet. Sed iuridice dicendum est: « requiritur maioritas absoluta », nempe quinquaginta supra centum, et unus; non quinquaginta unus supra centum, sed quinquaginta supra centum, et unus; quae est res diversa uti patet, nonne, quando suffragantes non sunt centum, sed sunt, v. g., mille. Requiritur igitur maioritas absoluta: quinquaginta supra centum, plus unus.

Haec suffragatio, uti patet, fit tantum per *placet* et *non placet. Placet iuxta modum* non intelligitur in hac suffragatione. Quando autem, si votum fuerit affirmativum, transitus fit ad suffraganda singula puncta, tunc suffragatio fiet per triplicem formulam, prout statutum est et bene

explicatum est in textu typis impresso; nam super singulis punctis potest textus placere, non placere, vel placere cum aliqua reservatione, nempe, placere iuxta modum.

Puto me bene explicasse rem. Hodie, postquam legero nomina eorum, qui verbum petunt, proponam iam hanc suffragationem circa schema *de vita et de ministerio sacerdotali.* Ergo prima suffragatio erit haec. Deinde, facta debita relatione, transitus fit ad alias suffragationes, quae tamen respiciunt cap. VII *de Ecclesia,* et, suo tempore, dicam quomodo fieri debeant hae suffragationes, per *placet* et *non placet,* uti scitis.

Super integrum hoc caput, fiet suffragatio crastina in initio, et *tunc* possibilis est suffragatio *iuxta modum.* Quapropter si vultis, Patres, suffragari *placet iuxta modum,* iam nunc praeparetis modos necessarios, quos exhibebitis una cum scheda suffragationis.

In hac congregatione, pariter distribuetur *Relatio super emendationes capitis VII schematis constitutionis de Ecclesia,* quae legetur antequam suffragatio haec fiat, et etiam *Relatio super schema Declarationis de educatione christiana,* quae legetur suo tempore, uti patet.

Et nunc lego nomina. Petierunt loqui circa schema *de Ecclesiis orientalibus*: em.mus ac rev.mus D. Iacobus card. Lercaro, arch. Bononiensis in Italia; exc.mi DD. Ioseph Tawil, arch. tit. vicarius patr. Melchitarum in Damasco; Alexander Scandar, arch. Lycopolitanus in Aegypto; Ioannes Hoeck, sup. gen. Congr. Bavaricae O.S.B.; Raphaël Bayan, ep. Armenorum Alexandriae in Aegypto; Victorius Costantini, ep. Suessanus in Italia; Antonius Vuccino, arch. tit. Aprensis in Gallia; Neophytus Edelby, arch. tit. Edessenus Melchitarum; Geraldus McDevitt, ep. aux. Philadelphiensis in Stat. Foed. Am. Sept.; Stephanus Kocisko, eparcha Passaicensis in Stat. Foed. Amer. Sept.; Franciscus Ayoub, arch. Aleppensis Maronitarum in Syria; Petrus Sfair, arch. tit. Nisibenus Maronitarum; Ceslaus Sipovič, ep. tit. Mariammitanus, Visit. Bielorussorum in exilio; Raphaël Bidawid, ep. Amadiensis in Chaldaea; Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum; Nicolaus Elko, eparcha Pittsburgensis Ruthenus in Stat. Foed. Am. Sept.; Gregorius Thangalathil, arch. Trivandrensis Syrorum Malankarensium in India; Dominicus Athaide, arch. Agraënsis in India; Sebastianus Valloppilly, ep. Tellicherriensis in India; Mauritius Baudoux, arch. S. Bonifacii in Canada; Garabed Amadouni, exarcha apostolicus Armenorum in Gallia; Aloisius Bettazzi, ep. aux. Bononiensis in Italia; Armandus Fares, arch. Catacensis in Italia; Petrus Rougé, ep. Nemausensis in Gallia; Aemilianus Čekada, ep. Scopiensis in Jugoslavia; Athanasius Hage, archimandrita sup. gen. Ordinis Basiliani S. Ioannis Baptistae Melkitarum.

Et nunc, Patres, proponitur suffragatio praeliminaris circa schema *de vita et de ministerio sacerdotali.*

Aliud advertere volo, Patres venerabiles: si suffragatio erit affirmativa, ex maioritate absoluta suffragiorum, non solum commissio prae oculis habebit modos propositos, sed etiam, uti patet, disceptationes factas, nam reapse modi se referunt plerumque ad disceptationes factas. Quapropter bene examinabitur textus ita ut melior fiat quantum potis est. Ergo quaeritur, Patres venerabiles: An placeat Patribus ut, post disceptationem schematis *de vita et ministerio sacerdotali,* transeatur ad suffragationem faciendam. *Placet,* an *non placet?* Respondeatis, quaeso.

CONSTITUTIO DOGMATICA DE ECCLESIA

Hic fasciculus Patribus distributus est in congregatione generali 103, die 16 octobris 1964.

1 – Caput VII

DE INDOLE ESCHATOLOGICA ECCLESIAE PEREGRINANTIS EIUSQUE UNIONE CUM ECCLESIA CAELESTI

Textus prior

48. (olim n. 54). [*De indole eschatologica vocationis nostrae in Ecclesia*]. (B) Non tamen in terris consummatur sanctitas ad quam in Christo Iesu vocamur omnes.

Textus emendatus * [3

48. [*De indole eschatologica vocationis nostrae in Ecclesia*]. *Ecclesia,* ad quam in Christo Iesu vocamur omnes *et in qua per gratiam Dei sanctitatem acquirimus,* nonnisi in gloria caelesti consummabitur, *quando adveniet tempus restitutionis omnium* (*Act.* 3, 21) *atque cum genere humano universus quoque mundus, qui intime cum homine coniungitur et per eum ad finem suum accedit, perfecte in Christo instaurabitur* (cf. *Eph.* 1, 10; *Col.* 1, 20).

Christus quidem exaltatus a terra omnia traxit ad seipsum (cf. *Io.* 12, 32); *resurgens ex mortuis* (cf. *Rom.* 6, 9) *Spiritum suum vivificantem in discipulos immisit et per eum*

* Verba litteris italicis redacta sunt nova seu emendationes indicant.

[3]

Textus prior

Coniungimur quidem Christo in Ecclesia ac filii Dei nominamur et sumus (cf. *1 Io.* 3, 1), sed nondum apparuimus cum Ipso in gloria (cf. *Col.* 3, 4), in qua similes ei erimus; quoniam videbimus Deum sicuti est (cf. *1 Io.* 3, 2) (C). Itaque « dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino » (*2 Cor.* 5, 6) desiderium habentes esse cum Christo (cf. *Phil.* 1, 23); eadem autem caritate urgemur ut in aerumnis et tribulationibus magis vivamus. Ei qui pro nobis mortuus est et resurrexit (cf. *2 Cor.* 5,

Textus emendatus

Corpus suum quod est Ecclesia ut universale salutis sacramentum constituit; sedens ad dexteram Patris continuo operatur in mundo ut homines arctius cum Ecclesia coniungat ac proprio Corpore et Sanguine illos nutriendo gloriosae vitae suae faciat esse participes. Restitutio ergo quam promissam exspectamus, iam incepit in Christo, provehitur in missione Spiritus Sancti et pergit in Ecclesia in qua per fidem de sensu quoque vitae nostrae temporalis edocemur, dum opus a Patre nobis in mundo commissum cum spe futurorum bonorum ad finem perducimus et salutem nostram operamur (cf. *Phil.* 2, 12).

[4] *Iam ergo fines saeculorum ad nos pervenerunt* (cf. *1 Cor.* 10, 11) *et renovatio mundi irrevocabiliter est constituta atque in hoc saeculo reali quodam modo anticipatur*: *etenim Ecclesia iam in terris vera sanctitate licet imperfecta insignitur. Donec tamen fuerint novi caeli et nova terra, in quibus iustitia habitat* (cf. 2 *Petr.* 3, 13), *Ecclesia peregrinans in suis sacramentis et institutionibus, ad hoc aevum pertinentibus, portat figuram huius saeculi quae praeterit et ipsa inter creaturas degit quae ingemiscunt et parturiunt usque adhuc et exspectant revelationem filiorum Dei* (cf. *Rom.* 8, 22 et 19).

Coniuncti ergo Christo in Ecclesia et *signati Spiritu Sancto « qui est pignus hereditatis nostrae »* (*Eph.* 1, 14), vere filii Dei nominamur et sumus (cf. *1 Io.* 3, 1), sed nondum apparuimus cum *Christo* in gloria (cf. *Col.* 3, 4), in qua similes *Deo* erimus, quoniam videbimus *Eum* sicuti est (cf. *1 Io.* 3, 2). Itaque « dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino » (*2 Cor.* 5, 6) *et primitias Spiritus habentes intra nos gemimus* (cf. *Rom.* 8, 23) *et cupimus* esse cum Christo (cf. *Phil.* 1, 23). Ea-

Textus prior

15): induimus ergo armaturam Dei, ut possimus stare adversus insidias diaboli et resistere in die malo (cf. *Eph.* 6, 11-13). Cum vero nesciamus diem neque horam, monente Domino, constanter vigilamus ut cum Ipso ad nuptias intrare (cf. *Mt.* 25, 1-13) et cum benedictis connumerari mereamur (cf. *Mt.* 25, 31-46) (D); etenim, antequam cum Christo glorioso regnemus, omnes nos manifestabimur « ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum » (*2 Cor.* 5, 10) (E). Existimantes proinde quod « non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis » (*Rom.* 8, 18; cf. *2 Tim.* 2, 11-12), fortes in fide expectamus « beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi » (*Tit.* 2, 13), « qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae » (*Phil.* 3, 20-21) et qui veniet « glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt » (*2 Thess.* 1, 10) (F).

Textus emendatus

dem autem caritate urgemur ut magis vivamus Ei, qui pro nobis mortuus est et resurrexit (cf. *2 Cor.* 5, 15). *Contendimus ergo in omnibus placere Domino* (cf. *2 Cor.* 5, 9) *et* induimus armaturam Dei, ut possimus stare adversus insidias diaboli et resistere in die malo (cf. *Eph.* 6, 11-13). Cum vero nesciamus diem neque horam, monente Domino, constanter *vigilemus oportet* ut cum Ipso ad nuptias intrare (cf. *Mt.* 25, 1-13) et cum benedictis connumerari mereamur (cf. *Mt.* 25, 31-46), *neque sicut servi mali e pigri* (cf. *Mt.* 25, 26) *iubeamur discedere in ignem aeternum* (cf. *Mt.* 25, 41), *in tenebras exteriores ubi « erit fletus et stridor dentium* » (*Mt.* 22, 13 et 25, 30). Etenim, antequam cum Christo glorioso regnemus, omnes nos manifestabimur « ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum » (*2 Cor.* 5, 10) et *in fine mundi « procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii* » (*Io.* 5, 29; cf. *Mt.* 25, 46). Existimantes proinde quod « non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis » (*Rom.* 8, 18; cf. *2 Tim.* 2, 11-12), fortes in fide exspectamus « beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi » (*Tit.* 2, 13), « qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae » (*Phil.* 3, 21) et qui veniet « glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt (*2 Thess.* 1, 10).

Textus prior

49. (olim. n. 55). [*De communione Ecclesiae caelestis cum Ecclesia peregrinante*]. (A). Donec vero Dominus venerit in maiestate sua et omnes Angeli cum eo (cf. *Mt.* 25, 31) et, destructa morte, Illi subiecta fuerint omnia

Textus emendatus

49. [*De communione Ecclesiae caelestis cum Ecclesia peregrinante*]. Donec ergo Dominus venerit in maiestate sua et omnes Angeli cum eo (cf. *Mt.* 25, 31) et, destructa morte, Illi subiecta fuerint omnia (cf. *1 Cor.* 15, 26-

5] *Textus prior*

(cf. *1 Cor.* 15, 26-27), alii e christifidelibus in terris peregrinantur, alii hac vita functi purificantur, alii vero glorificantur intuentes « clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est » (1) (B); omnes tamen in eadem Dei et proximi caritate communicamus et eundem hymnum gloriae Deo nostro canimus. Universi enim qui Christi sunt, in Ipso invicem cohaerent et in unam Ecclesiam coalescunt: ideoque viatorum unio cum fratribus qui in pace Christi dormierunt, minime extenuatur aut intermittitur, quin potius, secundum perennem Ecclesiae fidem, spiritualium bonorum communicatione roboratur (C). Ex eo enim quod caelites intimius cum Christo uniuntur, totam Ecclesiam in sanctitate firmius consolidant, divinum eius cultum nobilitant ac multipliciter ad ampliorem eius aedificationem contribuunt (2) (D). Nam bona quae illi in terris adquisiverunt
[6] per unum Mediatorem Dei et hominum, Christum Iesum (cf. *1 Tim.* 2, 5), adimplentes ea quae desunt passionum Christi in carne sua pro Corpore eius quod est Ecclesia (cf. *Col.* 1, 24) (3), haec etiam in patriam recepti offerre non desinunt, per Ipsum et cum Ipso et in Ipso pro nobis apud Patrem intercedendo (4) (E). Eorum proinde fraterna sollicitudine infirmitas nostra plurimum iuvatur.

50. (olim n. 56, § 1). [*De Ecclesiae peregrinantis conversatione cum Ecclesia caelesti*]. (A). Hanc communionem totius Iesu Christi Mystici Corporis apprime agnoscens, Ecclesia viatorum inde a primaevis christianae religionis temporibus defunctorum memoriam magna cum pietate excoluit, sacrificia et preces pro

Textus emendatus

27), alii e *discipulis Eius* in terris peregrinantur, alii hac vita functi purificantur, alii vero glorificantur intuentes « clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est » (1); omnes tamen, *gradu quidem modoque diverso,* in eadem Dei et proximi caritate communicamus et eundem hymnum gloriae Deo nostro canimus. Universi enim qui Christi sunt, *Spiritum Eius habentes,* in unam Ecclesiam coalescunt et invicem cohaerent in Ipso (cf. *Eph.* 4, 16). Viatorum igitur unio cum fratribus qui in pace Christi dormierunt, minime intermittitur, immo secundum perennem Ecclesiae fidem, spiritualium bonorum communicatione roboratur. Ex eo enim quod caelites intimius cum Christo uniuntur, *totum populum Dei* in sanctitate firmius consolidant, cultum quem ipse offert nobilitant, ac multipliciter ad ampliorem *totius Ecclesiae* aedificationem contribuunt (cf. *1 Cor.* 12, 12-27) (2). Nam in patriam recepti *et praesentes ad Dominum* (cf. *2 Cor.* 5, 8), per Ipsum, cum Ipso et in Ipso non desinunt apud Patrem pro nobis intercedere (3), exhibentes merita quae per unum Mediatorem Dei et hominum, Christum Iesum (cf. *1 Tim.* 2, 5) in terris sunt adepti, *Domino in omnibus servientes et* adimplentes ea quae desunt passionum Christi in carne sua pro Corpore Eius quod est Ecclesia (cf. *Col.* 1, 24) (4). Eorum proinde fraterna sollicitudine infirmitas nostra plurimum iuvatur.

50. [*De Ecclesiae peregrinantis conversatione cum Ecclesia caelesti*]. Hanc communionem totius Iesu Christi Mystici Corporis apprime agnoscens, Ecclesia viatorum inde a primaevis christianae religionis temporibus, defunctorum memoriam magna cum pietate excoluit (5) et, « *quia sancta et salubris est co-*

Textus prior

illis offerendo atque vicissim se orationibus eorum sedulo commendando (5). Apostolos autem et martyres Christi, qui sui sanguinis effusione supremum fidei et caritatis testimonium dederant, in Christo arctius nobis coniunctos esse Ecclesia semper credidit eosque simul cum Beata Virgine Maria et sanctis Angelis peculiari affectu venerata est (6) (B); quibus mox adnumerati sunt illi quoque qui Christi virginitatem et paupertatem pressius erant imitati (7) (C) et tandem ceteri quos caritatis aliarumque virtutum praeclarum exercitium (8) (D) ac divina charismata piae fidelium devotioni et imitationi commendabant (9) (E).

Dum enim illorum conspicimus vitam qui Christus fideliter sunt secuti, nova ratione ad futuram Civitatem inquirendam (cf. *Hebr.* 13, 14 et 11, 10) incitamur simulque tutissimam edocemur viam qua inter mundanas varietates, secundum statum ac condicionem unicuique propriam, ad perfectam cum Christo unionem seu sanctitatem pervenire poterimus (10). (F) In vita eorum qui, humanitatis nostrae consortes, ad imaginem tamen Christi perfectius transformantur (cf. *2 Cor.* 3, 18), Deus praesentiam vultumque suum hominibus vivide manifestat. In eis Ipse nos alloquitur, signumque nobis praebet Regni sui (11), ad quod tantam habentes impositam nubem testium (cf. *Hebr.* 12, 1), talemque contestationem veritatis Evangelii, potenter attrahimur (G).

Nec tamen solius exempli titulo caelitum memoriam colimus, sed magis adhuc ut totius Ecclesiae unio roboretur per fraternae caritatis exercitium (cf. *Eph.* 4, 1-6). Nam sicut christiana inter viatores communio propinquius nos ad Christum adducit, ita et multo magis consortium cum Sanctis coniungit nos Christo,

Textus emendatus

gitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur » (*2 Mach.* 12, 46), suffragia etiam pro illis obtulit. Apostolos autem et martyres Christi, qui sui sanguinis effusione supremum fidei et caritatis testimonium dederant, in Christo arctius nobis coniunctos esse Ecclesia semper credidit, eos simul cum Beata Virgine Maria et sanctis Angelis peculiari affectu venerata est (6), *eorumque intercessionis auxilium pie imploravit.* Quibus mox adnumerati sunt alii quoque qui Christi virginitatem et paupertatem pressius erant imitati (7) et tandem ceteri quos praeclarum virtutum christianarum exercitium (8) ac divina charismata piae fidelium devotioni et imitationi commendabant (9).

Dum enim illorum conspicimus vitam qui Christum fideliter sunt secuti, nova ratione ad futuram Civitatem inquirendam (cf. *Hebr.* 13, 14 et 11, 10) incitamur simulque tutissimam edocemur viam qua inter mundanas varietates, secundum statum ac condicionem unicuique propriam, ad perfectam cum Christo unionem seu sanctitatem pervenire poterimus (10). (F) In vita eorum qui, humanitatis nostrae consortes, ad imaginem tamen Christi perfectius transformantur (cf. *2 Cor.* 3, 18), Deus praesentiam vultumque suum hominibus vivide manifestat. In eis Ipse nos alloquitur, signumque nobis praebet Regni sui (11), ad quod tantam habentes impositam nubem testium (cf. *Hebr.* 12, 1), talemque contestationem veritatis Evangelii, potenter attrahimur (G).

Nec tamen solius exempli titulo caelitum memoriam colimus, sed magis adhuc ut totius Ecclesiae unio *in Spiritu* roboretur per fraternae caritatis exercitium (cf. *Eph.* 4, 1-6). Nam sicut christiana inter viatores communio propinquius nos ad Christum adducit, ita consortium cum Sanctis nos Christo coniungit, a

7] *Textus prior*

a quo tamquam a Fonte et Capite omnis gratia et ipsius Populi Dei vita promanat (12) (H). Summopere ergo decet ut hos Iesu Christi amicos et coheredes, fratres quoque nostros et benefactores eximios diligamus, debitas ipsis rependamus gratias atque « suppliciter eos invocemus et ob beneficia impetranda a Deo per Filium eius Iesum Christum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugiamus » (13). Quodcumque enim amoris testimonium caelitibus a nobis exhibetur, suapte natura tendit ac terminatur ad Christum qui est « corona Sanctorum omnium » (14) et per Ipsum ad Deum qui est mirabilis in Sanctis suis et in ipsis magnificatur (15).

Nobilissima vero ratione unio nostra cum Ecclesia caelesti actuatur, cum praesertim in sacra Liturgia divinae maiestatis laudem socia exsultatione concelebramus (16) (I), et universum genus humanum, sanguine Christi redemptum et in unam Ecclesiam congregatum, uno cantico laudis sanctissimam Trinitatem adorat et magnificat. Quam ob rem iam nascentis Ecclesiae filii, perpauci adhuc et dira
8] ubique persecutione oppressi, Ecclesiae caelesti sese iungebant communicantes et memoriam venerantes in primis gloriosae semper Virginis Mariae, sed et beatorum Apostolorum et Martyrum et omnium Sanctorum (17) (K).

51. (olim n. 56, §§ 2-3). [*Concilium statuit dispositiones pastorales*] (F). Quam venerabilem maiorum nostrorum fidem circa vitale consortium cum fratribus qui in caelis sunt magna cum pietate recipimus et decreta sacrorum Conciliorum Nicaeni Secundi (18)

Textus emendatus

quo tamquam a Fonte et Capite omnis gratia et ipsius Populi Dei vita promanat (12). Summopere ergo decet ut hos Iesu Christi amicos et coheredes, fratres quoque nostros et benefactores eximios diligamus, debitas *pro ipsis Deo* rependamus gratias, « suppliciter eos invocemus et ob beneficia impetranda a Deo per Filium eius Iesum Christum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugiamus » (13). *Omne* enim *genuinum* amoris testimonium caelitibus a nobis exhibitum, suapte natura tendit ac terminatur ad Christum qui est « corona Sanctorum omnium » (14) et per Ipsum ad Deum qui est mirabilis in Sanctis suis et in ipsis magnificatur (15).

Nobilissima vero ratione unio nostra cum Ecclesia caelesti actuatur, quando, praesertim in sacra Liturgia, *dum virtus Spiritus Sancti per signa sacramentalia super nos agit,* divinae maiestatis laudem socia exsultatione concelebramus (16), et universi, *in sanguine Christi ex omni tribu et lingua et populo et natione redempti* (cf. *Apoc.* 5, 9) *atque* in unam Ecclesiam congregati, uno cantico laudis sanctissimam Trinitatem magnificamus. *Eucharisticum ergo sacrificium celebrantes cultui* Ecclesiae caelestis *vel maxime* iungimur communicantes et memoriam venerantes in primis gloriosae semper Virginis Mariae, sed *et beati Ioseph* et beatorum Apostolorum et Martyrum et omnium Sanctorum (17).

51. [*Concilium statuit dispositiones pastorales*]. Quam venerabilem maiorum nostrorum fidem circa vitale consortium cum fratribus qui in caelis sunt *vel adhuc post mortem purificantur,* magna cum pietate haec *Sacrosancta Synodus* recipit et decreta Sacrorum

Textus prior

(A) et Tridentini (19) (B) denuo confirmamus. Simul autem, pro pastorali sollicitudine nostra, omnes ad quos spectat hortamur, ut si qui abusus, excessus vel defectus hic illicve irrepserint, eos arcere aut corrigere satagant ac omnia ad pleniorem Christi et Dei laudem instaurent. Doceant ergo fideles authenticum sanctorum cultum non tam in actuum exteriorum multiplicitate quam potius in intensitate amoris nostri consistere, quo, ad maius nostrum ac totius Ecclesiae bonum, sanctorum quaerimus « et conversatione exemplum et communione consortium, et intercessione subsidium » (20). Ex altera vero parte fideles instruant nostram cum caelitibus conversationem, dummodo in pleniore fidei luce secundum genuinam naturam suam concipiatur, nequaquam extenuare, sed e converso impensius ditare latreuticum cultum quem Iesu Christo et Deo in Spiritu tribuimus (21) (C).

Nam omnes qui filii Dei sumus et unam familiam in Christo constituimus (cf. *Hebr.* 3, 6), dum in mutua caritate et una sanctissimae Trinitatis laude invicem communicamus, intimae Ecclesiae vocationi correspondemus et consummatae gloriae liturgiam praegustando participamus (22). Quando enim Christus apparebit et gloriosa mortuorum resurrectio erit, claritas Dei illuminabit caelestem Civitatem et eius lucerna erit Agnus (cf. *Apoc.* 21, 24). Tunc tota Ecclesia sanctorum in summa caritatis beatitudine adorabit Deum et « Agnum qui occisus est » (*Apoc.* 5, 12), una voce proclamans: « Sedenti in throno, et Agno: benedictio, et honor, et gloria, et potestas in saecula saeculorum » (*Apoc.* 5, 13-14).

Textus emendatus

Conciliorum Nicaeni II (18), *Florentini* (19) et Tridentini (20) denuo confirmat. Simul autem pro pastorali sua sollicitudine omnes ad quos spectat hortatur, ut si qui abusus, excessus vel defectus hic illicve irrepserint, eos arcere aut corrigere satagant ac omnia ad pleniorem Christi et Dei laudem instaurent. Doceant ergo fideles authenticum Sanctorum cultum non tam in actuum exteriorum multiplicitate quam potius in intensitate amoris nostri *actuosi* consistere, quo, ad maius nostrum et Ecclesiae bonum, Sanctorum quaerimus « et conversatione exemplum et communione consortium, et intercessione subsidium » (21). Ex altera vero parte fideles instruant nostram cum caelitibus conversationem, dummodo *haec* in pleniore fidei luce concipiatur, nequaquam extenuare latreuticum cultum, Deo Patri per Christum in Spiritu tributum, sed illum e contra impensius ditare (22).

Nam omnes qui filii Dei sumus et unam familiam in Christo constituimus (cf. *Hebr.* 3, 6), dum in mutua caritate et una sanctissimae Trinitatis laude invicem communicamus, intimae Ecclesiae vocationi correspondemus et consummatae gloriae liturgiam praegustando participamus (23). Quando enim Christus apparebit et gloriosa mortuorum resurrectio erit, claritas Dei illuminabit caelestem Civitatem et eius lucerna erit Agnus (cf. *Apoc.* 21, 24). Tunc tota Ecclesia sanctorum in summa caritatis beatitudine adorabit Deum et « Agnum qui occisus est » (*Apoc.* 5, 12), una voce proclamans: « Sedenti in throno, et Agno: benedictio, et honor, et gloria, et potestas in saecula saeculorum » (*Apoc.* 5, 13-14).

[9] # NOTAE

Caput VII

De indole eschatologica Ecclesiae peregrinantis eiusque unione cum Ecclesia caelesti

Ad n. 49.

(1) Conc. Florentinum, *Decretum pro Graecis*: Denz. 693 (1305).

(2) Videatur synthetica expositio huius doctrinae paulinae in: Pius XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis*: *A.A.S.*, 35 (1943), p. 200 et passim.

(3) Cf., i. a., S. Augustinus, *Enarr. in Ps.* 85, 24: *PL* 37, 1099. S. Hieronymus, *Liber contra Vigilantium*, 6: *PL* 23, 344. S. Thomas, *In 4m Sent.*, d. 45, q. 3, a. 2. S. Bonaventura, *In 4m Sent.*, d. 45, a. 3, q. 2; etc.

(4) Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis*: *A.A.S.*, 35 (1943), p. 245.

Ad n. 50.

(5) Cf. Plurimae inscriptiones in Catacumbis romanis.

(6) Cf. Gelasius I, Decretalis *De libris recipiendis*, 3: *PL* 59, 160, Denz. 165 (353).

(7) Cf. S. Methodius, *Symposion*, VII, 3: GCS (Bonwetsch), p. 74.

(8) Cf. Benedictus XV, *Decretum approbationis virtutum in Causa beatificationis et canonizationis Servi Dei Ioannis Nepomuceni Neumann*: *A.A.S.*, 14 (1922), p. 23; plures Allocutiones Pii XI de Sanctis: *Inviti all'eroismo*. Discorsi... t. I-III, Romae 1941-1942, passim; Pius XII, *Discorsi e Radiomessaggi*, t. 10, 1949, pp. 37-43.

(9) Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39 (1947), p. 581.

(10) Cf. *Hebr.* 13, 7; *Eccli.* 44-50; *Hebr.* 11, 3-40. Cf. etiam Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39 (1947), pp. 582-583.

(11) Cf. Conc. Vaticanum I, Const. *De fide catholica*, cap. 3: Denz. 1794 (3013).

(12) Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis*: *A.A.S.*, 35 (1943), p. 216.

(13) Conc. Tridentinum, Sess. 25, *De invocatione ... Sanctorum*: Denz. 984 (1821).

(14) Breviarium Romanum, *Invitatorium in festo Sanctorum Omnium*.

(15) Cf. v. g., *2 Thess.* 1, 10.

(16) Conc. Vaticanum II, Const. *De Sacra Liturgia*, cap. 5, n. 104.

(17) *Canon* Missae Romanae.

[10] *Ad n. 51.*

(18) Conc. Nicaenum II, Act. VII: Denz. 302 (600).

(19) Conc. Florentinum, *Decretum pro Graecis*: Denz. 693 (1304).

(20) Conc. Tridentinum, Sess. 25, *De invocatione, veneratione et reliquiis Sanctorum et sacris imaginibus*: Denz. 984-988 (1821-1824); Sess. 25, *Decretum de Purgatorio*: Denz. 983 (1820); Sess. 6, *Decretum de iustificatione*, can. 30: Denz. 840 (1580).

(21) *Ex Praefatione*, aliquibus dioecesibus concessa.

(22) Cf. S. PETRUS CANISIUS, *Catechismus Maior seu Summa Doctrinae christianae,* cap. III (ed. crit. F. STREICHER), Pars I, pp. 15-16, n. 44 et pp. 100-101, n. 49. [10]

(23) Cf. CONC. VATICANUM II, Const. *De Sacra Liturgia,* cap. 1, n. 8.

N. B.: Notae quae in Relationibus ad singulos huius Capitis numeros adiectae erant, et in quibus ulteriores iustificationes scientificae et indicationes bibliographicae praebebantur (cf. Schema Constitutionis « De Ecclesia » mense iulio 1964 editum, pp. 187-194), permanserunt immutatae et ideo hic iterum edendae non erant.

2 – RELATIO [11]

Venerabiles Patres,

Caput VII Schematis « De Ecclesia »: « De indole eschatologica nostrae vocationis ac de nostra unione cum Ecclesia caelesti » in Aula Conciliari discussum est diebus 15 et 16 septembris 1964.

17 Patres Conciliares in ipsa Aula de hoc Capite locuti sunt, dum 28 Patres interventum in scriptis miserunt ad Secretariatum Generalem Concilii.

Caput in genere placuit (E/2598, 2628, 2664, 2676 cum 11 aliis, E/2678, 2681, 2682, 2685, 2695, 2711, 2714 cum 2 aliis, E/2743 etc.); immo pluribus valde vel magnopere placuit (E/2672, 2673, 2674, 2675, 2683 cum 4 aliis, E/2694) nec desunt qui indicaverint Caput in actuali sua forma esse retinendum, quia mutationes substantiales perfectum eius aequilibrium, harmoniam et organicitatem in peius tantum mutarent (E/2672, 2673, 2683 cum 4 aliis).

In specie notatum est quod hoc Caput feliciter et necessario complet totam Constitutionem « De Ecclesia » — in quo fere omnes conveniunt —, dum plures insuper in specie laudaverunt expositionem de indole eschatologica vocationis nostrae (E/2672, 2675, 2678), et etiam expositionem subsequentem de nostra unione cum Ecclesia caelesti, utpote quae recte evolvatur ex conceptu fundamentalis unitatis in Christo totius Populi Dei (E/2518, 2673, 2676, 2678, 2682, 2685, etc.).

Coram tali consensu ille Pater extra chorum cantare dicendus est qui integrum Caput supprimere velit (E/2692), dum simul omnes obstant proposito in alio interventu manifestato, quod nempe Caput magna ex parte supprimatur et aliquae eius partes tantum introducantur in Caput de Beata Maria Virgine (E/2745 cum 6 aliis).

Quamvis ergo verus consensus exstet de retinendo Capite et perplures iudicium omnino favens expresserint, tamen non desunt qui ali-

[11] quas emendationes proposuerint ad textum vel complendum vel perficiendum; omnium harum observationum pro quantum fieri potuit ratio habita est in textu iterum redigendo et quamvis non omnes — interdum cum aliis aperte pugnantes — in textum introduci potuerint, tamen vix non omnes in opere revisionis fuerunt utillimae. De singulis autem emendationibus maioris momenti agetur in Relatione ad singulas paragraphos.

Animadversiones autem principaliores quae propositae fuerunt, sunt sequentes:

1) ut functio *Spiritus Sancti* in Ecclesia ad patriam peregrinante clarius affirmetur et indicetur (E/2673 B, 2681);

[12] 2) ut ea quae de indole eschatologica vocationis nostrae magis sub aspectu individuali, ascetico, spirituali recte proferuntur, compleantur expositione quae amplius insistat in eiusdem realitatis aspectu *collectivo, ecclesiastico, cosmico* (E/2627, 2678, 2680, 2694, 2710 cum 70 aliis, E/2711, 2743);

3) ut disertis verbis mentio fiat de *inferno* et de poena imposita illis qui in peccato mortali moriuntur (E/2639, 2675, 2676 cum 11 aliis, E/2681, 2682, 2695, 2720, 2788, 2838 cum 13 aliis);

4) ut ex professo sermo fiat de *purgatorio et de nostris relationibus cum Ecclesia Purgante* (E/2628, 2682, 2685, 2695, 2716, 2720).

In nova redactione facienda textus ita emendatus est ut his opportunis desideriis revera satisfieret, quin tamen pessumdaretur structura Capitis quae secundum plures Patres, et etiam secundum illos qui has emendationes proposuerunt, in actuali forma est retinenda.

De titulo Capitis

Longe maior pars Patrum de quaestione tituli silet. Unus (E/2598) censet titulum actualem esse retinendum, cum perfecte exprimat contentum Capitis. Alii tamen exoptant titulum breviorem (E/2635, 2642, 2676 cum 11 aliis, E/2682, 2685, 2714). Duo insuper petunt ut in titulo evitetur vox « eschatologica », cum coaevis nostris minus sit intelligibilis (E/2635 B, 2689). A Commissione autem probatus est titulus: « *De indole eschatologica Ecclesiae peregrinantis eiusque unione cum Ecclesia caelesti* ».

Ad n. 48

p. 181, lin. 2: Mutatus est ordo verborum, ne expositio initium sumeret ab aliqua negatione (E/2635 B, 2791).

p. 181, lin. 4: Plures Patres desiderium expresserant ut modo magis explicito ageretur de aspectu collectivo, ecclesiali, cosmico exi-

stentiae nostrae eschatologicae (E/2627, 2678, 2680, 2710 et 70 alii, E/2743) et de functione Spiritus Sancti in Ecclesia ad patriam peregrinante (E/2673 B, 2681). [12]

Ut satisfieret his postulatis, secundum decisionem Commissionis, in sequentibus fusius exponitur doctrina *de indole eschatologica Ecclesiae,* sive consideratae in suo statu glorioso, sive in anticipatione huius status finalis in hoc aevo temporali. Hic status terrestris manifestat tum realem sed adhuc incompletam renovationem, tum indolem transitoriam variarum Ecclesiae institutionum, tum etiam necessitatem muneris a fidelibus in hoc mundo labore suo sedulo complendi.

p. 181, lin. 5: Introducta sunt in textum verba: « *signati Spiritu Sancto " qui est pignus hereditatis nostrae "* (*Eph.* 1, 14) » secundum observationem E/2681; quae verba paucas post lineas roborantur alia citatione scripturistica, *Rom.* 8, 23. [13]

p. 181, lin. 8: Adoptata est melior formula quae proposita fuerat a E/3209 cui concordat observatio E/2638.

p. 181, lin. 15: Verba quae iam in textu habebantur: « eadem caritate urgemur *ut magis vivamus Ei,* qui pro nobis mortuus est et resurrexit » completa sunt citatione ex Epistula Secunda ad Corinthios, 5, 9: « *Contendimus ergo in omnibus placere Domino* ».

Aliquibus enim visum est, si huiusmodi verba deessent, periculum fore ne homines ad caelestia intenti minus curent de eis quae hic in terra agere debeant ut vocationi suae christianae plene respondeant (E/2694, 2711).

Ob eandem rationem etiam sequens emendatio facta est.

p. 181, lin. 21: Eo enim quod in hoc loco introducta sunt verba e parabola talentorum desumpta, scilicet: « *sicut servi mali et pigri* » (cf. *Mt.* 25, 26) clariore modo ostenditur connexio quae existit inter laborem humanum et futuram sortem gloriae caelestis vel damnationis (E/2694, 2711).

p. 181, lin. 22: Introducta sunt in textum verba Domini nostri circa poenam aeternam inferni, sicuti explicite a multis Patribus petitum est (E/2639, 2675, 2676 et 11 alii, E/2682, 2695, 2716, 2720).

p. 181, lin. 26: Ratione habita praecedentis emendationis, ob internam logicam expositionis et ut amplius adhuc desideriis Patrum satisfieret, introducta sunt verba de resurrectione vitae vel iudicii (E/2788, 2838 cum 13 aliis).

[13] *Ad n. 49*

p. 182, lin. 14: Loco vocis « christifidelibus » nunc legitur « *discipulis Eius* », quia uti animadvertit aliquis Pater (E/2642) terminus « christifideles » minus recte adhiberi potest de caelitibus quippe qui iam non habeant fidem.

p. 182, lin. 18: Addita sunt verba « *gradu quidem modoque diverso* » proposita ab uno Patre (E/2635). Sic clarius apparet iustitiam in membris Ecclesiae haberi « secundum mensuram, quam Spiritus partitur singulis prout vult (*1 Cor.* 12, 11), et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem »
[14] (Conc. Trid., Sessio VI, Decr. *de Iustificatione,* Cap. 7, Denz. 799). Haec verba insuper ostendunt diversitatem inter viatores et caelites in cultu Deo praestando, non obstantibus identitate substantiali laudis et coniunctione inter liturgiam terrenam et caelestem.

p. 181, lin. 21: Iterum specialis mentio Spiritus Sancti facta est (E/2681), ut eius munus in Ecclesia peregrinante clariore in luce ponatur.

p. 182, lin. 22: Secundum consilium alicuius Patris (E/2791) addita est referentia ad *Eph.* 4, 16 ut fundamentum scripturisticum doctrinae ibi propositae appareat.

p. 182, lin. 31: Secundum consilium eiusdem Patris (E/2791) opportune addita est referentia ad textum *1 Cor.* 12, 12-27.

p. 182, lin. 34: Ante verba « *adimplentes ea quae desunt passionum Christi* » nunc posita sunt verba: « *Domino in omnibus servientes* », et quidem ideo, ne contra intentionem omnium, res ita intelligeretur ac si labores et dolores essent unicus meritorum fons. Ita ergo satisfactum est desiderio quorumdam Patrum (E/2783 et 31 alii).

Ad n. 50

p. 183, lin. 15: Cum plures Patres petiverint (E/2685, 2695, 2720) ut data opera saltem breviter ageretur de relationibus inter viatores et membra Ecclesiae quae in Purgatorio degunt, in textum inserta sunt verba desumpta ex *2 Mac.,* 12, 46. Verba autem « atque vicissim se orationibus eorum sedulo commendando » omissa sunt ne dirimi videretur quaestio libere disputata de imploranda purgantium intercessione (E/2627, 2639).

p. 184, lin. 9: Inserta sunt verba « *in Spiritu* » ut iterum clarius indi- [14]
cetur functio Spiritus Sancti in Ecclesia.

p. 184, lin. 18-19: Loco verborum « debitas ipsis rependamus gratias » dicitur nunc « *debitas pro ipsis Deo rependamus gratias* »; quod factum est propter desiderium quorumdam Patrum (E/2712, 3171 cum duobus aliis), qui putabant hanc formulam esse praeferendam utpote usui liturgico magis accommodatam.

p. 184, lin. 28: Verba « qui est mirabilis in Sanctis suis » retenta sunt quia in S. Liturgia adhibentur. In Nota autem omissa est referentia ad Psalmos 67, 36 et 88, 8 quia — uti recte ani-
madverterunt quidam Patres (E/2720, 2791) — versio Vul- [15]
gata non perfecte textui originali correspondet.

p. 184, lin. 32: Aliqua verba hic adiuncta sunt ut clarius indicetur actio Spiritus Sancti in vita sacramentaria Ecclesiae, uti postulatum est in voto E/2673 B.

p. 184, linn. 34-35: Recte varii Patres animadverterunt minus accurate in textu dici universum genus humanum in Ecclesia esse congregatum (E/2635 B, 2639, 2682, 2716). Ideo sententia mutata est: suppressis verbis « universum genus humanum » et introducta citatione ex *Apoc.* 5, 9, quae diserte agit de illis qui in sanguine Christi redempti sunt, solummodo post haec verba sermo est de illis qui in Ecclesiam sunt congregati. Idem textus *Apoc.* 5, 9 ceteroquin opportune sublineat homines cuiusvis tribus et linguae et populi et nationis in Ecclesiam congregari.

p. 185, lin. 1: Secundum desiderium quorumdam Patrum nomen S. Ioseph in textum introductum est (E/2592, 2642).

Talis explicita mentio S. Ioseph commode hoc loco fieri potuit, cum, ad repetitiones evitandas, sermo iam non sit de historia cultus catholici.

Ad n. 51

p. 185, lin. 9: Addita est mentio Concilii Oecumenici Florentini, quia in ipso plura de Purgatorio inveniuntur, de quo in textu actuali, postulantibus pluribus Patribus, data opera actum est.

p. 185, lin. 18: Secundum desiderium alicuius Patris (E/2635) ad verbum « amoris » adiectum est verbum « *actuosi* » ut excludatur amor mere emotionalis. Ita simul etiam satisfactum

[15] esse videtur desiderio alterius cuiusdam Patris (E/2682), qui in eodem fere sensu scripsit. In genere autem opportunum visum non est augere numerum dispositionum pastoralium, sicut ab aliquibus Patribus postulatum erat (E/2635 B, 2746, 2791), nam principia in hac paragrapho enuntiata satis universalia et explicita esse videntur. Ceteroquin totum Caput clare exponit fundamenta doctrinalia ex quibus colligitur quid hac in re agere debeant illi qui cum Ecclesia revera sentiant.

Ut obvium est, in Relatione mentio facta non est illarum mutationum, quae hinc inde ob meras rationes stylisticas textui allatae sunt.

Moderator: Rogatur ergo em.mus D. card. Rufinus Santos, relator, ut relationem legere velit super emendationes cap. VII schematis constitutionis *de Ecclesia.*

3 – RELATIO

EM.MI P. D. RUFINI CARD. SANTOS
Archiepiscopi Manilensis

SUPER EMENDATIONES
CAPITIS VII SCHEMATIS CONSTITUTIONIS DE ECCLESIA

Venerabiles Patres,

Commissio « De doctrina fidei et morum », post attentum laborem, considerationi vestrae submittit textum emendatum Capitis VII Schematis « De Ecclesia », de quo disceptatio facta fuerat diebus 15 et 16 septembris huius anni.

Hac occasione, sicut iam videre potuistis ex Relatione quae textui emendato adnexa est, 45 Patres vel oraliter in Aula vel in scriptis interventum fecerant et quidem tum nomine proprio tum, non raro, etiam nomine aliorum.

Omnes hi interventus sedulo excussi sunt ab ipsa Commissione nostra, quae grato animo observationes Patrum recepit et sincere conata est textum complere vel ad eorum mentem perficere.

Res maioris momenti in illis observationibus contentae modo qui sequitur synthetice proponi possunt:

1) In primis patuit insertionem huius Capitis in Constitutionem « De Ecclesia » modo prorsus universali placuisse, si unum Patrem excipias. Ille consensus moraliter unanimis habetur ex eo quod hoc Caput

Constitutionem *ipsam*[1] feliciter complet, dum e contra si illud non exsisteret, expositio nostra de Ecclesia remaneret mutila. Omnibus insuper, unica tantum exceptione facta, necessarium visum est ut hoc Caput retineatur tamquam Caput VII Constitutionis « De Ecclesia ».

Structura quoque et doctrina Capitis fere omnibus placuit, immo pluribus Patribus valde vel magnopere; nec defuerunt qui nullam substantialem mutationem admittendam esse censuerint, ne perfecta organicitas Capitis pessumdaretur.

In specie laudata sunt soliditas et aequilibrium doctrinae circa hanc materiam, quae hucusque in nullo documento magisterii synthetice exposita fuit; sicut laudata quoque est prudens orientatio pastoralis et manifestus sensus oecumenicus erga Fratres separatos sive Orientis sive Occidentis.

Notatum insuper est in Aula hoc Caput speciale momentum pastorale habiturum esse pro catholicis communitatum recentiorum et pro illis qui persecutionem ob Christi fidem patiuntur; tandem a pluribus in luce positum est hoc Caput optimum transitum praebere ad Caput VIII de Beata Maria Virgine.

2) Nonnulli tamen Patres, qui ceteroquin Caput in genere laudaverant, quasdam animadversiones fecerunt quae utillimae visae sunt ad textum emendandum vel ditandum.

Ita petitum est ut in n. 48 fusius ageretur de indole eschatologica ipsius Ecclesiae et de aspectu collectivo, ecclesiali et cosmico exsistentiae nostrae. Ut his desideriis satisfieret, Commissio *Theologica*[2] curavit ut paragraphus notabiliter ampliaretur et quidem ita ut ratio haberetur alicuius textus qui ad hunc finem a quibusdam Patribus iam confectus fuerat. Simul autem, aliorum Patrum desiderio obsecundantes, magis directe agere etiam voluimus de anticipatione status finalis in hoc aevo temporali: quam ob rem, inter alia, in textu emendato explicite fit sermo de indole transitoria variarum Ecclesiae institutionum ac de necessitate ut fideles labore suo contribuant ad extructionem mundi et ad efficaciter promovendam instaurationem omnium in Christo iam in hac terra.

Recte etiam postulatum fuit ut clariore in luce poneretur functio quam Spiritus Sanctus exercet in Ecclesia ad patriam peregrinante. Ideo iam in prima paragrapho huius Capitis et deinceps pluries sublineavimus aspectum pneumatologicum doctrinae in nostro Capite expositae.

Tandem multi Patres emphatice petiverunt ut doctrina de Novissimis compleretur et quidem in specie de inferno. Postulatis horum Patrum obsequentes, hoc dogma fidei nostrae exposuimus ipsis verbis

quibus Dominus noster usus est in frequentibus monitis de aeterna peccati sanctione.

Rogantibus non paucis Patribus, textui aliqua addita sunt de nostris relationibus cum illis qui adhuc in Purgatorio purificantur, ita tamen ut quaestio adhuc inter theologos disputata de imploranda eorum intercessione evitaretur.

Et haec sunt quae de maioribus emendationibus dicenda visa sunt. De reliquis vero necessarium esse non ducimus singillatim agere, cum in Relatione textui adnexa iam vobis innotuerit cura qua animadversiones vestras susceperimus.

Post diligentem laborem, quo emendationes a vobis sapienter propositas consideravimus, eisque satisfacere totis viribus conati sumus, sincere confidimus textum, qui vestrae suffragationi proponitur, a vobis libenter approbatum iri.

In oratione: [1] nostram. [2] doctrinalis.

Em.mus card. DÖPFNER, *moderator*: Gratias agentes em.mo relatori et commissioni, pro opere diligenter perfecto, nunc transeamus ad disceptationem circa decretum *de Ecclesiis orientalibus*.

1

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. LERCARO
Archiepiscopus Bononiensis

Venerabiles Patres et Fratres,

Occidentalis Pater ego loquor, qui Orientales in sua iurisdictione non habet, sed problemata orientalium Ecclesiarum problemata censet esse unius Ecclesiae.

Multa quae em.mus card. König animadvertit, probo, nec tempus conteram in iisdem rebus repetendis.

Ad practicam propositionem pervenire malo.

Initium capio a re, de qua multi consentiunt: nempe in schemate normae aliquae (praecipue de matrimonio et de communicatione in sacris) per se quidem opportunae, tamen in contextu iacent qui aliter spirat ac decretum *de Oecumenismo*.

Ad illas normas favorabiles servandas — quod omnes sane volumus — gravius tamen esset contextum totum recipere qui non plene

consentit cum principiis a nobis iam sancitis in constitutione *de Ecclesia* et in decreto *de Oecumenismo*...[1]

Hoc itaque propono: ut agnoscamus singulas normas huius schematis ad genera prorsus diversa pertinere: distinguamus igitur normas ipsas iuxta eorum genera, nec leges feramus ubi non est ut leges ferantur; ubi autem nova ordinatio re vera urget, pro decreto normativo substituamus, *si oportet*,[2] aliquas enuntiationes generales vel vota.

Etenim si Schema diligenter consideramus, facile conspicimus illud exstare ex partibus et mente et forma inter se dissimillimis; quae partes non modo possunt sed natura sua distingui et disiungi debent.

1. Sex primae paragraphi continent praeter prooemium declarationes existimationis et obsequii erga patrimonium et autonomiam orientalium Ecclesiarum: quae enuntiationes iam inveniuntur in constitutione *de Ecclesia* et in decreto *de Oecumenismo*...[3]

2. Maior pars paragraphorum a 12 nempe usque ad 18 *de disciplina Sacramentorum* et omnes paragraphi ab 19 usque ad 23 *de cultu divino* ad particulares quasdam dispositiones attinent, quae propriae non sunt Universalis Legislatoris, sed ad munus ordinarium spectant quod Ecclesiae Orientales habent legum ferendarum: de his nostrum Concilium decreta ferre non debet, sed simpliciter hoc remittere ad potestatem legum scribendarum uniuscuiusque Ecclesiae; quae potestas, in hac materia, effectiva per se est, ubi non adsit reservatio vel statuitio contraria Universalis Potestatis.

Quam ob rem satis est ut Concilium nostrum in his abstineat ne normas indicet, praesertim cum decretum *de Oecumenismo* in cap. III — hoc meminisse iuvat — iam aperte et fortiter affirmavit ambitum liberae potestatis, quam Ecclesiae Orientales habent legum ponendarum.

3. Normae paragraphorum a 7 usque ad 11 ad patriarchas attinent. Quae tales sunt ut a nemine *plene* probentur, neque in Communitatibus cum Roma coniunctis neque in Communitatibus a Roma seiunctis.

Ceterum normae istae non solum Patriarchas vel Ecclesias Orientales tangunt, sed totam Ecclesiae catholicae structuram. Quapropter definiri non possunt antea et separatim a reliquo altiore corpore legum generale regimen Ecclesiae ordinantium.

De magnis patriarchatibus historicis etenim tractare idem esse non potest ac quasdam normas ferre iuris positivi, quasi de quovis ecclesiastico officio fungibili ageretur.

De patriarchatibus ita agendum est, ut magna cum observantia prosequamur traditionem spiritualem et amplissimam veritatem et naturam historiae, civilis cultus, religionis, quibus illud perantiquum institutum fundatur.

Quam ob rem hoc thema aut ita tractetur ut principia et rationes authenticas resumamus quas Concilium Nicaenum et Constantinopolitanum acceperunt, quasque Ecclesia Romana sua ex parte confirmare voluit in Canone Concilii Florentini, aut aggrediendum non est in hoc momento pro conscientia quam haec Synodus adhuc usque (in hac, dico, sessione) de se habet.

4. Normarum classis postrema ex illis praecipue constat in quibus emendatur vigens disciplina de mutatione rituum, de matrimonio, de communicatione in sacris: vere hae normae ad res tantum attinent quibus confestim providendum est, ut recentiores minus idoneae statuitiones emendentur et vera ab antiquo tradita disciplina restituatur.

Oportet sane ut de his rebus Concilum nostrum actum voluntatis eliciat et clare manifestet; sed mihi videtur minus opportunum ut id fiat ad modum decreti normativi.

Redeo igitur ad sententiam quae mihi maxime cordi est quaeque iam a me in secunda sessione expressa fuit in interventione de organis Sanctae Sedis reformandis. Tum proposui ne Concilium de hac re verum et proprium decretum statueret, sed potius — per commissionem ad hoc electam — simplices enuntiationes ad modum tantum votorum exprimeret.

Nunc etiam de hac re hoc idem sentio, semper propter rationes quae tangunt conscientiam magis profundam et exactam ipsi Concilio necessariam de suis muneribus: nempe, non esse solius Concilii nostri statuere singula de matrimoniis et de communicatione in sacris cum orientalibus, sed natura sua res istas supponere et requirere aliquam concordiam et consensum magnarum Communitatum ecclesialium, quarum hierarchae nondum sedent inter nos, in hoc Concilio.

Locus et munus nobis reservandi sunt Ecclesiis illis quas Paulus VI, feliciter regnans, « seiunctas et nihilominus tam proximas » dixit: praesentes illas sentire debemus, nec sine illis hodie statuere, quod una cum illis forsitan cras decerni poterit.

Id enim exigit ipsa natura rerum de quibus statuendum est, quae proprie intercommunionem tangunt; non solum fraternum obsequium nostrum erga orientales Ecclesias, sed etiam conscientia realitatis historicae et oecumenicae huius Synodi.

Ut ergo concludam, hoc propono: abiciamus tantum partes schematis vim vere legislativam, et legis quidem universalis, non habentes; ea, e contra, servemus, quae quaestiones practicas respiciunt et immediate possunt normas incongruas etiam nunc vigentes immutare. De iis vero non ad modum veri et proprii decreti statuamus, sed potius ad modum votorum. Quorum finalis redactio et proximae consequentiae

congrue pertinebunt ad *Directorium* quod secretariatus pro unione christianorum iam parat: Secretariatus enim ille competentiam procul dubio habet ubi non unius tantum est leges ferre, sed concorditer paranda sunt quae, saltem pro aliquo problemate particulari, conferunt ad commune consilium et consensum cum Ecclesiis orientalibus. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Fratres orientales omnes — intra et extra Ecclesiam catholicam — sed maxime Ecclesiae ipsae orientales iam exspectant non nostram benevolentiam tantum et sensus gratiosos, sed ut conversationem cum ipsis fundemus in solida theologia atque in methodo exacta et cohaerenti. [2] deest. [3] Ceterum ipsae per se normativae statuitiones non sunt et — si etiam aliqua ex parte, ut em.mus König monuit, retractentur et melius reformentur — tamen materia non sunt decreti i. e. textus formaliter normativi.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, incipiamus suffragationes circa cap. VII schematis constitutionis *de Ecclesia.* Videatis fasciculum congruentem: pag. 3, haec habetur inscripto: « Caput VII: *De indole eschatologica Ecclesiae peregrinantis eiusque unione cum Ecclesia caelesti.*

Textus, qui suffragationi subiiciendus est, est in latere dextro, nempe est textus emendatus.

Et lego textum I suffragationis, quae respicit n. 48 [*cf. pag. 49-51*]. *Placetne* an *non placet?*

2

EXC.MUS P. D. IOSEPH TAWIL

Arch. tit. Myrensis, vicarius patriarchalis Melchitarum in Damasco

Venerabiles Patres,

Haec Sacra Synodus quae direxit Ecclesiam definitive in lineam oecumenicam, sibi debet exinde sentire fidem suam non tantum secundum fines mundi catholici sed etiam secundum dimensiones universi christiani necnon universi orbis. Nequidem ad nihilum redigamus tantum opus conciliare, oportet ut mutemus aliquos modos sentiendi et agendi, ad mentem verborum Suae Sanctitatis Pauli VI peregrinantis in Terra Sancta.

Atqui schema *de Ecclesiis orientalibus,* quod quidem progressum *facit* [1] a priore textu in prima sessione submisso, emendandum est tamen ut plene concordet cum schemate *de Oecumenismo,* quod revera ape-

ruit coram omnibus viam novam et bene meruit laudes unanimes. Circa hoc schema, en, venerabiles Patres, aliquae animadversiones:

1. Mirum est quod hoc schema potuit loqui de Ecclesiis orientalibus ut Ecclesiis particularibus ac numquam talem honorem dedit Ecclesiae latinae quae quidem est revera Ecclesia particularis. Exinde sermonem fecit de patriarchatibus, quasi essent institutio propria orientis, et sic obliviscit quod Ecclesia occidentalis, quae per millennium simul cum Ecclesia orientali de hac institutione vixit, adhuc hodie de hac institutione vivere non desinit. Quid enim distinguit Ecclesiam quamdam de altera Ecclesia, Ecclesiam scil. occidentalem de orientalibus, nisi patriarchatum qui sese definit Ecclesia-Fons, Ecclesia-Mater? Primatus Romani Pontificis minime delet patriarchatum occidentis.

2. Mirum est adhuc quod nostrum schema loquatur de patriarchis orientis ac omnino tacet nomina sedium eorum. Porro clare cognita sunt apud nos: Constantinopolis, Alexandria, Antiochia et Ierusalem ...[2]. Aliunde, quid putandum est, venerabiles Patres, de *superadditione*[3] sedis latinae in Ierusalem? Hoc titulum tardius evenit post bella, et iniusta depossessione titularium legitimorum, postea suppressum est ipsis bellis, ac tandem restauratum est saeculo elapso: hodie constanter significat amaras recordationes in oriente tam catholico quam orthodoxo. Vi huius Patriarchatus ...[4] latinizatio orientis quasi in institutionem transit...[5]

Velint Fratres nostri, venerabiles Patres occidentales, nobis ignoscere: diligimus Ecclesiam latinam ...[6] magna dilectione, et eam veneramur eo magis quod ei plus debemus. Sed pro bono communi Ecclesiae universalis, haec Sacra Synodus sibi debet punctum finale ponere illo episodio historico tam dolendo et diuturno. Non debet amplius tolerare *latinizationem*[7] orientis christiani sub quacumque specie aut ratione.

3. Par. 4, pag. 5, ubi tractatur de christianis acatholicis qui catholici fieri desiderant, postulatur ut in proprio ritu permaneant. Sed latinizantes supra dicti, tam preoccupantur de hac quaestione quod sub praetextu libertatis personae conentur ut illi ad ritum latinum transeant. Sed ...[8] revera hic habeatur pseudo-problema: de individuis agitur sicut de communitatibus: illi qui olim in oriente ad communionem Sedis Romanae rediti sunt, *non*[9] renuntiaverunt nec proprio ritui nec propriae disciplinae. Ex nihilo non venerunt sed ab Ecclesia iam constituta et validis sacramentis edita in ritu quodam iam exsistente; *de reconciliatione agitur et non de renuntiatione.*[10]

Conclusio. Ad horam oecumenismi pervenimus; ad horam verae collegialitatis in oriente servatae et nunc ab omnibus denuo recuperatae

tandem pervenimus. Si schema *de Ecclesiis Orientalibus* ad aliquid prodest, sufficiat ut, ad bonum Ecclesiae universalis, agnoscatur Ecclesiis orientalibus regimen synodale sub auctoritate patriarcharum propriorum, secundum iustas normas traditionis communis in Ecclesia.

Pro ceteris quaestionibus particularibus, commissio postconciliaris componetur ex Orientalibus et peritis vere amicis orientis, ut « aggiornamento » harum Ecclesiarum ad felicem exitum ducatur in mutua fidelitate Successori Petri et genuinis traditionibus tandem reformatis et purificatis ab omni elemento extraneo. In tali labore, etiam Fratres orthodoxos, certo, censeo, serviemus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] fecit. [2] ac ante omnes illas quatuor, Roma ut prima sedes apostolica. [3] additione. [4] qui non est orientalis nisi geographice. [5] Nam post Congressum Eucharisticum habitum in Ierusalem a. 1893, promulgabatur encyclica Papae Leonis XIII *Orientalium dignitas*, quae erat fructus huius congressus. In illa encyclica prohibebatur latinizatio et promovebatur respectus rituum orientalium. Quid attamen fuit eius consequentia? hodie et post 70 annos, fideles patriarchati latini 40.000 attingunt, qui quidem portant nomen arabicum, ideoque est difficile credere omnes esse filios cruciatorum. [6] sororem nostram. [7] scandalum latinizationis. [8] cur non amplius baptizare pueros ob eandem fallacem causam? [9] nec. [10] Transitus ad alium ritum iniuria esset Ecclesiae in qua vivere non desinunt. Haec est reconciliatio et non renuntiatio. Pro casibus particularibus recursus ad Sanctam Sedem manet possibilis.

3

Exc.mus P. D. ALEXANDER SCANDAR
Episcopus Lycopolitanus

Venerabiles Patres,

In hoc schemate *de Ecclesiis orientalibus* nonnulla optime dicuntur sed in quibusdam deficit. Desunt enim regulae quae efficaciter Ecclesias orientales adiuvent ad finem suum principuum, unionem scil. Fratrum a se seiunctorum, obtinendum.

Ecclesiae utique orientales cum sede romana unitae, sunt ianua, vel, si vultis, via qua Fratres nostri seiuncti invitantur ad unionem restaurandam ut simul, reiecta omni dissensione ex utraque parte, unicum chorum efformemus ad laudem divinam decantandam uti fratres unius familiae. Ad hunc finem obtinendum animadverto:

1. Optime mihi videntur ea quae in pag. 6, n. 5 et sequenti dicuntur de spirituali Ecclesiarum orientalium patrimonio servando. In hoc

patrimonio primum locum obtinent ritus liturgici et disciplina iuridica. Propono ut magis inculcetur studium rerum orientalium praesertim in seminariis ubi futuri pastores efformantur. Seminaria orientalia non debent prae se ferre typum seminariorum latini ritus ut, proh dolor!, saepe fit nostris in regionibus. Programmata studiorum, vita et pietas alumnorum debent magis magisque haurire ex thesauris fontium praesertim orientalium. Directores et professores in his institutis idonei esse debent ad hoc munus perficiendum, et desumantur ex ipsis orientalibus vel saltem a viris qui prae se ferant qualitates verae competentiae.

2. In n. 12, pag. 7, non sufficit dicere quod Sacra et Oecumenica Synodus « exoptat » tantum instaurationem disciplinae de sacramentis, sed debet dici « iubet » vel alio simili verbo; secus, nihil fiet in futuro si non inculcetur obligatio.

3. In n. 17, pag. 8, diaconis matrimonium non prohibetur; vetatur tamen archidiaconis; habetur in disciplina nostra alexandrina ordo archidiaconatus cuius sodales ad servitium altaris et praedicationem incumbunt...[1]

4. In n. 18, pag. 8, facultas datur hierarchis orientalibus dispensandi a forma canonica in matrimonium mixtum contrahendis. Sed haec solutio pro matrimoniis mixtis insufficiens est. Debemus restaurare antiquam disciplinam secundum quam matrimonia illa coram ministro acatholico celebrata, valida quidem sunt quamvis illicita. Ratio est quia numerus catholicorum in maxima parte nostrarum regionum est tam valde exiguus ut non facile inveniantur sponsi bene dispositi ad matrimonium coram ministro catholico celebrandum. Et ex alia parte iniuriosum est invalida habere matrimonia mixta coram ministro acatholico inita, *et est contra principia oecumenitatis.*[2]

5. *et ultimo*: aliquid de communione in Sacris de qua in nn. 26 ss., pag. 10. Inter dispositiones requisitas ad admittendos christianos acatholicos ad sacramenta apud catholicos requiritur, merito quidem, ut sint dispositi, sed non dicitur in quo consistit haec dispositio. Mea quidem sententia debemus in primo loco certitudinem habere de baptismo eiusque validitate in iis qui a nobis sacramenta petunt, *quia nulla hac de causa sunt.*[3] Ubi autem serio dubitatur de eorum baptismate, admitti nequeunt, nec sub conditione baptizari, nisi velint ad Ecclesiam catholicam accedere. Si casus ferat, res remittenda est ad hierarchiam loci et baptismus sub conditione conferatur privatim et sine pompa.

Mea opinio est in oecumenismo utopiam exsistere plus quam realitatem; difficultates cum fratribus seiunctis inter quos vivimus minime respondet et non resolvet. Fides sacrificari omnino non debet.[4]

Deinde dicitur in textu n. 27 « ut sint bona fide », quod ambiguum

et variis modis intelligi potest. Regula in hoc numero exposita mihi non placet. Ratio est quia fovet indifferentismo. *Apud fideles, praesertim iuvenes, communicatio in sacris sine convictione nequit esse via ad unitatem sed ad indifferentismum.*[5] Semel apud nos communicant et alia vice in suis ecclesiis dum pro baptismate, matrimonio et funeribus ad nos non pergunt. Scandalum praebetur nostris catholicis si viderent acatholicos admitti ad sacramenta simul cum ipsis. Hoc accidit communiter et ideo nequimus dare regulam generalem pro admittendis acatholicis ad sacramenta. Patres nostri non erraverunt cum depositum fidei maxima cum cura custodierunt et integrum nobis transmiserunt. Principium dicens « sacramenta sunt facta pro hominibus », hic applicari nequit, et debemus sacramenta denegare excepto casu « articulo mortis ».

Proinde, propter his rationibus, mitigatio proposita in his paragraphis circa communicationem in sacris, saltem apud nos omnibus, admitti nequit. Cetera scripto tradam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] sed non exclusive. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest.

Secretarius generalis: Communico imprimis Patribus exitum suffragationis praeliminaris quoad schema *de Sacerdotibus* (ut dicam brevi):

Fuerunt praesentes votantes		2.135
Dixerunt	*placet*	930
	non placet	1.199
	placet iuxta modum	2
Suffragia nulla		4

Ergo non placuit, et ideo, prout iam dictum est, tota res remittitur ad commissionem competentem, quae, iuxta animadversiones a Patribus factas, schema recognoscat et iterum praesentet congregationi generali.

Patres qui volunt aliquas alias animadversiones facere possunt intra triduum, nempe tres dies. Postea non, nam commissio debet laborare cum sollicitudine, ut novum textum exhibeat nostrae congregationi generali.

Nunc lego textum suffragationis II circa cap. VII *de Ecclesia*. Videatis pag. 5, n. 49 [*cf. pag. 51-52*]. *Placetne* an *non placet?*

4

REV.MUS P. D. IOANNES HOECK

Superior generalis Congregationis Bavaricae O.S.B.

Patres venerabiles,

Cardo totius quaestionis sic dictae orientalis est structura patriarchalis Ecclesiae, quae nisi plene restaurata fuerit sub respectu oecumenico nihil fere actum erit. Structura patriarchalis erat structura *totius* Ecclesiae inde a primordiis Ecclesiae et viguit inconcusse per totum primum millennarium, i. e. per totum tempus quo Ecclesia indivisa erat, et non ultima causa schismatis praecise ea erat, quod exeunte illo millennario conceptus huius structurae in occidente paulatim evanuerat *sub variis influxibus infaustis,*[1] etiam documentorum falsorum, uti e. g. famosae illius Donationis Constantinianae et Decretalium Pseudo-Isidori...[2]

Restitutum est quidem Institutum Patriarchale pro iis parvis Ecclesiis orientalibus, quae inde a saec. XVI in unionem cum Ecclesia Romana convenerunt, sed horum patriarchatuum iura erant (et sunt) nonnisi umbra eorum, quae eis olim competebant. Quare non raro hae Ecclesiae a fratribus relictis uti traditores paternarum virtutum aspernabantur. Sane negari non potest istas parvissimas Ecclesias tunc temporis ne quidem aptas et paratas fuisse ad primaevam autonomiam, et forsitan etiam hodie nondum sunt. Sed hodie quaestio omnino alia est. Hodie harum Ecclesiarum *unitarum* [3] status in Ecclesia catholica est exemplum et specimen (vulgo: *Test*) pro iis magnis Ecclesiis orientalibus, quae adhuc a nobis seiunguntur. Quaerunt enim istae Ecclesiae adhuc seiunctae, et quidem iure merito, quis earum status, ubi earum locus erit in Ecclesia, si tandem aliquando hora unionis venerit. Quis nostrum censere praesumpserit eas debere subordinari Curiae Romanae, praesertim Congregationi Orientali, earumque Patriarchas subordinari posse collegio cardinalium? Quis crediderit eis negari posse eam autonomiam, qua gaudebant in millennaria unione cum Ecclesia Romana? Utique agnoscendum erit ab illis Primatus Successoris Petri sicut et agnoscebatur tempore unionis. Sed omnino aliud quid est *exercitium* huius Primatus, quod hodie toto caelo differt ab illo, qui tunc temporis in usu erat. Inspiciatis quaeso illum librum nuperrime editum a P. Gulielmo de Vries, cui titulus « Rom und die Patriarchate des Ostens », ubi ex documentis authenticis tota haec quaestio sobrie et iuste tractatur. Constat ex istis documentis: 1. in toto millennario unionis Ecclesias orientales

libere elegisse suos patriarchas et episcopos, item libere erexisse vel mutavisse suas dioeceses; 2. eas propria auctoritate ordinasse totam Liturgiam et ius canonicum; 3. eas plene sui iuris fuisse in disciplina cleri et populi; a. v. eas habuisse, etsi, uti patet, non absolutam, tamen canonicam et disciplinarem autonomiam.

Utique non dubitabatur de iure Romani Pontificis interveniendi, sed isti interventus rarissimi erant, vix aliqui duodenarii in toto millennario. Sed quot erant postea et sunt usque ad hodiernum diem! Videatis Regesta Pontificum et archivia Vaticana, Propagandae et Congregationis Orientalis! Si vero Ecclesia catholica per mille annos exsistere et suum munus implere et bene implere potuit sine tali exercitio Primatus, cur non et hodie?

Sane tempora mutantur... Mundus coaluit et etiam Ecclesiae particulares hodie magis coalescere et collaborare debent et possunt quam temporibus longe transactis, sed hoc ultro facient et melius facient, si id non coacte sed spontanee facere possunt. Praestat varietas in caritate quam unitas *coacta*.[4]

Ceterum nonne aequum et iustum est Ecclesias adhuc a nobis seiunctas iisdem sub conditionibus ad unionem invitare et recipere, ac erant nobiscum coniunctae ante separationem? Et nonne in decreto *de Oecumenismo* nuper probato nos ipsi cum apostolis convenimus nil ultra eis esse imponendum quam necessaria?...[5]

Nec dicatur totam hanc quaestionem remittendam esse et relinquendam Summo Pontifici. Non enim agitur de quibusdam gratiis et privilegiis concedendis, *sed de ipsa fundamentali structura totius Ecclesiae.* Et si est officium et munus nobilissimum huius Synodi ab ipso Summo Pontifice ei commissum coram universo mundo declarandi, quid sit Ecclesia, haec nota integralis et fundamentalis Ecclesiae minime est silentio praetereunda. Esset irremissibilis omissio et gravis defectus...[6]

Innuitur quidem structura patriarchalis in constitutione *de Ecclesia*...[7], at tam obscure et omisso vel ipso nomine rei, ut vix experti id percipiant. Et in schemate *de episcopis* ne hoc quidem fit. Quae vero in nostro decreto ...[8] de hac re dicuntur, nullum aut vix ullum progressum constituunt, praeter emendationem nonam in Appendice, ubi dicitur iura patriarcharum quam primum restituenda esse et quidem uti viguerunt tempore unionis. Sed et hoc mihi videtur nimis vagum et variis interpretationibus obnoxium. Ne ergo iterum idem eveniat ac post Concilium Florentinum, proponere audeo, ut tota haec quaestio, quae uti dixi et repeto, est cardo totius problematis unionis cum Ecclesiis orientalibus, retractetur et quidem non solum pro nostro decreto,

sed etiam et imprimis pro constitutione *de Ecclesia* et pro decreto *de episcopis*. Non tamen a commissione nostra, saltem non *solum* a commissione nostra, quippe quae pro maiore parte constet ex Patribus orientalibus et ideo semper pro domo loqui videri possit; immo quaedam Ecclesiae orientales partim *hodie* [9] adeo latinizatae sunt, ut ne velint quidem restitutionem in integrum, ut ita dicam. (Experto credite Ruperto!). Constituenda esset potius nova quaedam commissio mixta ex membris commissionis de *Ecclesia*,[10] de episcopis, de Oecumenismo et nostrae, ex Patribus utique rei bene peritis et cordatis, at non immediate implicatis. Et ab hac commissione movenda esset etiam quaestio, annon *etiam* [11] novi patriarchatus instituendi essent, e. g. pro Ecclesia Ucrainorum, quae hodie est longe maior Ecclesiarum orientalium et tanta passa est ultimis his temporibus necnon in periculo est, ne dispersa per omnem terram grave detrimentum capiat. Immo quaeri posset, annon etiam Ecclesia latina dividenda sit in plures (sed non solummodo titulares!) patriarchatus, cum sit proportionaliter nimis magna et ideo semper in periculo, ne ceteras Ecclesias particulares maiorizet et opprimat. Hoc modo etiam facilius obveniri posset exaggeratae centralizationi, de qua tot querelae.

Ceteroquin decretum nostrum certe multa bona, immo optima continet sub respectu disciplinari et pastorali, quae assensum nostrum omnino merentur, praesertim si modus ea praesentandi adhuc perficiatur, uti ab aliis iam propositum est. At dubitari potest, *ut modo factum est ab em.mo card. Lercaro*,[12] utrum sit nostri Concilii, quod fere latinum est, tales quaestiones pro Ecclesiis orientalibus decernere, cum in decreto *nostro* [13] et in decreto *de Oecumenismo* ...[14] sollemniter declaretur Ecclesias orientales et ius et officium habere se secundum proprias disciplinas regendi. Nonne nobismetipsis contradicimus, si nihilominus de earum disciplina tractamus? Nonne saltem ante generalem votationem quaerendi essent orientales ipsi, utrum placeat eis de his quaestionibus votatio totius Concilii necne? Unica fere quaestio, quae certe spectat ad totum Concilium, est quaestio de structura patriarchali totius Ecclesiae...[15]

Em.mus card. LERCARO, *moderator*: Rev.me Pater, faveas concludere!

Orator: Concludo... concludo! Audeo ergo adiurare vos, Patres venerabiles, ut sedulo et serio attendatis et perpendatis singulare et vere historicum officium ...[16], quod nobis commissum est, ne iterum praetereat « Kairós », quod tam saepe accidit in historia Ecclesiae ...[17]. Stu-

deamus, ut vere et sincere possimus dicere fratribus nostris in Christo: « Ecce parata est domus paterna communis! Porta patet et cor magis! ». Dixi, et salvavi animam meam.

In textu scripto tradito: [1] sub influxu variarum idearum, etiam politicarum (e. g. conversionis Romanae Sedis ad Francos, crescentis patrimonii Petri), sub influxu ingravescentis iuridismi, sub influxu denique infausto. [2] Audivimus nuper quam superbe et iniuste egerit in oriente infelix ille Legatus Humbertus de Silva Candida. Non pauca possunt afferri huiusmodi exempla, sed omitto, quia essent forsan piarum aurium nimis offensiva et quia non mihi interest hic obtinere vilem effectum, sed solidam et sobriam persuasionem. Ceterum non negandum etiam ab altera parte multa esse commissa quae laudari et excusari non possunt. Promissa est quidem in Concilio Florentino restitutio iurium patriarchalium, sed proh dolor nunquam in effectum deducta vel potius ab utraque parte aliter atque aliter interpretata. Nescio utrum de hac dissensione laetati sint caeli et exsultaverit terra, uti in arrhenga huius decreti monebantur. [3] deest. [4] commandata. Non verbulum « sub » (sub auctoritate, sub potestate, sub moderamine) est genuine catholicum, sed verbulum « cum »! [5] (decr. de Oecumenismo c. III, 18). [6] Utique est Summi Pontificis approbare et confirmare (vel etiam non confirmare) Concilii Decreta, sed *nostrum* est ea tractare et votare. Et ego pro mea parte non possum credere Summum Pontificem huiusmodi propositiones non accepturum immo vel exspectaturum, cum ipse tam praeclaro et eximio exemplo nobis praecesserit in illo fraterno occursu et amplexu patriarchae Athenagorae. An pudet sequi, nec pudet non saltem sequi? [7] (c. III, n. 23). [8] (nn. 7-11). [9] iam. [10] Fide. [11] et. [12] et de facto multi dubitant. [13] ipso (n. 5). [14] (n. 16). [15] et haec quaestio, uti dixi, omnino insufficienter tractata est. Nisi vero hoc mutatum erit, nihil actum erit. [16] et munus. [17] ut paene dici possit historia praetermissarum occasionum.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationis I circa cap. VII schematis *de Ecclesia*:

Suffragium dederunt Patres		2.135
Dixerunt	*placet*	2.099
	non placet	20
	placet iuxta modum	16

Ergo congregatio generalis probavit hunc textum.

Nunc lego textum III suffragationis hodiernae. Videatis pag. 6, n. 50 [*cf. pag. 52-54*]. *Placetne* an *non placet?* Rogamini, Patres venerabiles, ut vestris sedibus stetis, ita ut suffragatio compleri possit sine nimio incommodo, praesertim eorum qui schedulas debent porrigere. Gratias.

5

EXC.MUS P. D. RAPHAËL BAYAN
Episcopus Alexandrinus Armenorum

Venerabiles Patres conciliares,

Gratias quam magnas imprimis agendum omnibus, qui hoc schema decreti *de Ecclesiis orientalibus* exaraverunt, maternaque Ecclesiae viscera orientalibus aperuerunt seiunctis. Faxit Deus, intercedente Deipara Virgine, ut audax innovatio in disciplina « Communicationis in Sacris » optimos afferat fructus, quo via ad totalem unionem pateat. Venia tamen sit quasdam formulare observationes:

A) Pro n. 4, pag. 6, linn. 7-9. Felicissimam duco formulam schematis, qua obligatio proprium retinendi ritum imponitur omnibus indiscriminatim, catholici sint aut acatholici baptizati ad Ecclesiam catholicam convenientes, salvo iure, in casibus particularibus, recurrendi ad Sedem Apostolicam. Attamen quidam, pro acatholicis baptizatis ad Ecclesiam catholicam convenientibus, vindicant libertatem proprium ritum deserendi ac alium eligendi, « si hoc ab eis ut conditio necessaria imponatur ». Respondeo dicendum:

1. Adiecta clausula, « si hoc ab eis ut conditio necessaria imponatur », practice minime coarctat vindicatam libertatem, quia de facto res ita praeparantur ut hic casus necessariae conditionis, ut exceptionale quid a legislatore intentus, re vera ordinarius evadat. Ad vitandos tales abusus, proponitur ut pristina disciplina hac in re mutetur et imponatur recursus ad Sanctam Sedem.

2. Iuridice « inter varios ritus ad illum quis pertinet, cuius caerimoniis baptizatus fuit » vel baptizari debuisset; iam vero acatholicus valide baptizatus, per ipsum baptisma, quo « constituitur in Ecclesia Christi persona », proprium assequitur ritum nec ei licere deberet logice, sive in conveniendum ad Ecclesiam catholicam sive postea, ad alium transire ritum, sine speciali venia Apostolicae Sedis.

3. Meo humili sensu, tota difficultas provenit non ab acatholicis in Ecclesiam catholicam sincero supernaturalique animo convenientibus, sed ab illis qui his dispositionibus carent — et hi arcendi essent — vel a nobis necnon a sacerdotibus aliisque cooperatoribus nostris, sensu catholico et authentice oecumenico Ecclesiae carentibus. Qui disponibiles putamus habere vires, ne falso proselytismo apud membra sive catholica sive acatholica alterius ritus indulgeamus, sed convertamus

nos ad proprios fratres seiunctos, si qui sint, vel ad eos, et innumeri sunt, ad quos bonum Nuntium nondum pervenit.

B) Pro nn. 7-11, pag. 7. Sedulo distinguenda videntur *dignitas* ac *honor, patriarchae* qua tali debita, a *iurisdictione* ac *regimine,* quae *Synodo Patriarchali* competunt: haec est genuina orientalium traditio, apud seiunctos fratres adhuc vigens. Caveamus, venerabiles Patres conciliares, ne nimis extollamus patriarchalem personalem potestatem, cum reali detrimento potestatis episcopalis, memores episcopatum divinam esse institutionem, patriarchatum vero nonnisi humanam et quidem non ipsis apostolis vel eorum immediatis successoribus attribuendam, sicuti quidam innuere videntur, sed politicis vel socialibus tantum adiunctis. Nonne mirandum quid videtur patriarchalis illimitatae potestatis praecones eos ipsos esse, qui limitationem iurisdictionis papalis quaerunt in *co-responsabilitate* (ipsorum est terminus) concomitante episcopatus?

Actualis forma gubernii in Ecclesia non est perfecta; hoc minime negare intendimus: omne humanum enim necessario est imperfectum. Decursu temporis adfuerunt quoque dolendi abusus; attamen minime licet, ad talia vitanda, anachronicas formas re-instaurare viamque ad longe maiores abusus, historia teste, late sternere.

C) Pro n. 18, pag. 8, ubi de forma matrimonii, hanc proponerem formulam: « Matrimonia mixta inter orientales partes, quarum una catholica altera vero acatholica baptizata, coram ministro acatholico inita, valida habeantur sed illicita, nisi accessus ad catholicum ministrum physice vel moraliter impossibilis evaserit ». *Rationes* sunt:

a) Ante novam disciplinam Motu Proprio *Crebrae allatae* introductam, huiusmodi matrimonia, quidquid sit de theoria, practice valida sed illicita habebantur apud Armenos, Chaldaeos, Coptos, Malabarenses, Melchitas, Rumenos ac Syros. Cum nova haec legislatio maxime damnosa evaserit, iam inde a primis temporibus quaerebatur remedium.

b) Schema nostrum proponebat, tanquam remedium adaequatum et praeventivum, facultatem concessam « omnibus hierarchis orientalibus locorum... dispensandi proprios subditos a forma canonica in matrimoniis mixtis contrahendis, si illa gravi de causa observari non possit, dummodo saltem pars catholica suetas cautelas sincere praestare parata sit ». Proponebat, dico, quia iam commissio pro validitate matrimonii est, ob gravissimas difficultates contra solutionem dispensationis a forma motas. Etenim:

1. Possetne hierarcha, cui haec conceditur facultas, pacato animo tutaque conscientia, eadem uti in favorem subditi quem certissime novit acatholicum ministrum aditurum ad matrimonii benedictio-

nem impetrandam, ad sacrum ritum, minime vero ad actum mere civilem, ponendum?

2. Talis dispensatio a forma canonica, iure simul ac re, nil aliud est nisi facultas nupturientibus concessa sese matrimonio uniendi solo mutuo consensu, excluso omni sacro ritu. Iamvero hoc, pro fidelibus nostris, absonum videtur, ne dicam sacrilegum quid.

3. Quod adhuc gravius evadit, ubi, profundius in ultimas huius praescriptionis causas procedentes, invenimus talia excogitari solummodo ad hoc, ut impediantur nupturientes quominus acatholicum ministrum adeant. Num ita paramus viam ad unionem?

c) Unicum igitur remanet remedium, formula videlicet superius proposita: « Matrimonia mixta inter orientales partes, quarum una catholica altera vero acatholica baptizata, coram ministro acatholico inita, valida habeantur sed illicita, nisi accessus ad catholicum ministrum physice vel moraliter impossibilis evaserit »...[1]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Ultima autem additur clausula (nisi accessus ad catholicum ministrum physice vel moraliter impossibilis evaserit) ut consequentes nobismetipsis simus, qui pag. 10, n. 27 huius schematis licentiam concedimus catholico « ab iis acatholicis ministris, in quorum confessione habentur valida sacramenta », petendi paenitentiae, Eucharistiae et Infirmorum Unctionis sacramenta « quotiescumque — et haec sunt ipsa verba schematis — id necessitas aut vera spiritualis utilitas suadeat et *accessus ad sacerdotem catholicum physice vel moraliter impossibilis evadat* ». Quibus licitum est ipsa sacramenta ab acatholico ministro petere, curnam illicitum esset, iisdem in adiunctis, ab eodem ministro acatholico petere ut matrimonii non quidem ministrum sed testem tantum agat?

Secretarius generalis: Lego textum suffragationis IV, quae est ultima hoc mane. Videatis pag. 8, n. 51 [*cf. pag. 54-55*]. *Placet* an *non placet?*

6

Exc.mus P. D. VICTORIUS M. COSTANTINI

Episcopus Suessanus

Em.mi Praesides et moderatores, venerabiles Patres, adstantes omnes dilectissimi,

Schema *de Ecclesiis orientalibus* (quod adaequate ab ipsis orientalibus iudicari potest) placet. *Quaedam, quae scripsi, omittam brevitatis causa.*[1]

2. *Prooemium* nullo modo convenit logicae expositioni argumenti, e contra, optime ponerentur tamquam prooemium omnia quae habentur in eadem pag. 5, n. 2. Ita, quae habentur in praefato n. 2, prooemium constituerent, dum quae nunc in prooemio dicuntur, n. 2 efformarent. Ratio evidens est ex ipsa textuum lectione; prius enim quae generaliora sunt exponuntur, postea ad consectaria descenditur...[2]

4. Optima sunt quae pag. 6, n. 5, recoluntur de praeclaris institutis Ecclesiarum orientalium. Unum tamen cuperem ut adiungatur, scil.: « Eadem Sancta Synodus valde commendat Ecclesiis orientalibus ut de eodem patrimonio studia foveant, libros conscribant, omnibus aptis communicationis socialis mediis divulgare satagant, auxilio et cooperatione etiam scriptorum latinorum si opus sit adhibitis, ut divitiae *serae* [3] clausae ne maneant, sed totam laetificent civitatem Dei, universalem scil. Ecclesiam »...[4]

6. In pag. 8, n. 15, linn. 10 ss. Adiungatur quod et fideles latini ritus ista concessione frui possunt adsistendo celebrationi in ritu orientali, *i. e. sabbato in vespere.*[5]

7. In pag. 9, n. 19, linn. 5 ss. Ubi dicitur quod dies festos pro singulis Ecclesiis particularibus constituere etc., praeter Apostolicam Sedem, competit Synodis Patriarchalibus aut *Episcopalibus,*[6] debita tamen ratione habita, etc., adiiciantur verba: « Re cum Sede Apostolica communicata ». Ratio *est quia simplex* [7] communicatio privilegia non laedit, et maxime fovet unitatis vinculum.

8. Item pag. 9, n. 20. Mentio adiungatur de opportunitate satagendi ut interim, *i. e. tantummodo provisorie,*[8] quatenus fieri potest, universale Kalendarium introducatur, ita ut dies Paschatis coincidat cum celebratione quae — ob Kalendarium — in maiore parte mundi habetur.

9. In pag. 9, n. 23. In fine *possunt adiici* [9] verba: « re cum Sede Apostolica communicata », vel « certiore Sede Apostolica facta ».

...[10] Hierarchiae et fideles Ecclesiarum ritus orientalis animandi essent, ut quantum fieri potest, antiquum et gloriosum spiritum missionarium rursus habeant. Sicut anteactis saeculis plures regiones Christo, suo labore, acquisiverunt, ita et instituta missionaria hodie condant; adhuc enim multa centena millia hominum lucem Christi exspectant. Ita et augmentum fidelium sibi procurabunt.

Dum antiqua et sancta iura Ecclesiae ritus orientalis sibi vindicant, magis attendant ad habendam unitatem strictiorem cum Romano Pontifice, unitatis centro, quam ad independentiam in multis vindicandam. Quanto strictior unitas, tanto fecundior actio apostolica erit et Ecclesiarum progressus.

Multae quaestiones, etiam quae cardines vocantur, nobis videntur quod non tantum disciplinam vel historiam attingant, sed etiam doctrinam. Quapropter caute agendum et concorditer res examinandae sunt.[11]

10. Ideo, in quodam apto puncto huius decreti (e. g. in pag. 6, n. 5), consulatur Institutum aliquod condendum in quo et theologi latini ritus una cum orientalibus adlaborent ad Orientalem Theologiam evulgandam in tota Ecclesia, ne remaneat tantum cognita in universitatibus theologicis. Optandum ut hoc Institutum seu Universitas Theologica erigatur in Ierusalem, in memoriam amplexus oecumenici Pauli VI cum Patriarcha Athenagora et in monumentum vivum et efficax peregrinationis eiusdem Summi Pontificis in Palaestinam, et sicut in Ierusalem mortuus est Salvator noster Iesus Christus pro salute omnium, ita hoc Hierosolymitanum Institutum fiet centrum internationale et universale unionis et pacis pro omnibus catholicis cuiuscumque ritus et nationis. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Nam spiritu oecumenico et pastorali apparet perfusum, iura orientalium Ecclesiarum et earum privilegia clare exponit, et, salva auctoritate Romani Pontificis, semper earum exercitium liberum tuetur. Simul autem ad viam fratribus separatis sternendam, ut unum Christi ovile fiat, saepe aptae dispositiones et propositiones inveniuntur. Maxime probandae videntur facultates quae circa administrationem sacramentorum conceduntur (cf. praesertim pag. 8, de administratione S. Chrismatis etiam pro fidelibus latini ritus — n. 14 —, de poenitentia — n. 16 —). Pariter magni faciendae videntur dispositiones quae habentur in pag. 10 (praesertim nn. 25, 26, 27, 28, scil. de communicatione in sacris, quae omnia, cautelis adhibitis, prout in nn. 25 et 29 opportune innuitur, ad unionem fovendam multum quidem conferre possunt. Animadversiones quasdam proponere audeo, quae in bonum totius Ecclesiae conferre videntur. 1. *In prooemio* pag. 5, linn. 1-3, legitur: « Orientalium Ecclesiarum instituta, ritus, traditiones ecclesiasticas, atque vitae christianae disciplinam Ecclesia *catholica* semper magni facere consuevit ». Sed quaeritur: quomodo Ecclesia catholica... magni facit instituta orientalium Ecclesiarum? Nonne Ecclesiae orientales ad Ecclesiam catholicam non pertinent? Ergo dicatur, vel Sedes Apostolica, vel in praesenti, S. Synodus, vel melius alio modo tota periodus disponatur, auferendo praefata verba « Ecclesia catholica ». [2] 3. In folio 6, n. 4, linn. 6-10. Impositio tam absoluta retinendi proprium ritum, immo exigendi ab iis qui ad unitatem Ecclesiae redeunt, ut ritum determinatum seligant, valde grave videtur. Volumus omnibus libertatem concedere (cf. amplissimam declarationem de libertate religiosa), et postea volumus tam arcto vinculo homines coarctare in rebus iuris ecclesiastici? Id acatholicis absonum videtur. In his quae fidem non tangunt, cur volumus imponere vincula et limitationes? An non potius facultas praebenda esset omnibus sacerdotibus catholicis ut, probata eorum idonea praeparatione et quoad linguam liturgicam et quoad caeremonias praescriptas, libere possint uti et orientali ritu et latino, quando hoc necessitatibus pastoralibus non noceat. Nonne ad oecumenicum et unitatis

spiritum fovendum maximi momenti tales facultates haberentur? [3] sera. [4] 5. Relate ad sacramentorum disciplinam, quae a nostro Concilio merito laudatur, non incongrue simul aliquid adiici possit his vel similibus verbis: « Si vero hodiernae necessitates pastorales populorumque mutatae condiciones, innovationes quasdam (vulgo « aggiornamento ») exigant, hae libenter fiant, servatis servandis, ne, per ecclesiasticas traditiones maius bonum animarum impediatur. (Latini ritus Ecclesia exemplo suo satis faciendum demonstravit, pluribus traditionibus venerabilibus per decreta huius Sacrosancti Concilii. E. g. de usu linguae vernaculae in S. Liturgia, de concelebratione, de diaconatu stabili etc.). [5] deest. [6] Archiepiscopalibus. [7] talis. [8] deest. [9] adiiciantur. [10] In fine quaedam particularia adiici possunt. [11] Demum, sinatis, venerabiles Patres, propositionem aliquam proferre, quae etsi directe schema nostrum non tangat, tamen in spiritu eiusdem bonum esse reputamus. Ut omnibus notum est in Missis Pontificalibus a Summo Pontifice celebratis in Basilica Vaticana, perlaudabilis et antiqua caeremonia viget canendi Evangelium in lingua latina et graeca, optima haud dubium consuetudo quae servanda certe semper erit. Attamen, non pari sollemnitate illae duae lectiones eiusdem Evangelii habentur. Scimus rationes caeremoniales (cum agatur de identico Evangelio, circa quod sollemnitates ideo possunt una tantum vice uti), at ob psychologicas et significationis rationes melius esse censemus, si pari sollemnitate una et altera lectio fiat. Ideo proponere audeo: 1. ut non duo libri Evangeliorum, sed unicus habeatur qui textum graecum et latinum simul contineat, ne caeremoniae benedictionum multiplicentur; 2. ut octo candelabra quae in cantu Evangelii linguae latinae adhibentur, etiam maneant dum idem sanctum Evangelium lingua graeca cantatur. Verum est agi de repetitione cantus, sed semper Evangelium est, immo, si excluditur S. Matthaei textus, dum in lingua graeca Evangelium cantatur, textus originalis auditur.

7

Exc.mus P. D. ANTONIUS GREGORIUS VUCCINO
Archiepiscopus tit. Aprensis

Fratres venerabiles, Auditrices, Auditores et Observatores admodum eximii,

Evidens apparet in schemate laudabilis conatus aliquid perfectum conficiendi; attamen, sicut iam dictum fuit a quibusdam Patribus, in aliquibus partibus eius *non parvam attulit nobis deceptionem.*[1] Nam *hic*[2] promiscue iacent laudes, exhortationes, repetitiones, res superfluae, interdum insufficientia scientiae historicae.

Ideo proponitur ut funditus schema recognoscatur, saltem in aliquibus partibus, *necnon purgetur omni re extranea.*[3]

1. In prooemio legitur: « Orientalium Ecclesiarum instituta ...[4] Ecclesia catholica semper magni facere consuevit ». Affirmatio haec ali-

quibus factis historicis contradicit. Unde congruum mihi videtur propositionem hanc a textu decreti tollendam esse.

2. Insuper aliqua in prooemio aequivocatio latet. Nam non satis affirmatur aequalitas quae exsistit inter omnes Ecclesias catholicas particulares cuiuscumque ritus. Hic quaeri potest quae est Ecclesia ista catholica quae orientalium Ecclesiarum instituta, ritus etc., magni facere consuevit. Forsan agitur hic de Ecclesia ritus latini. Sed omnes scimus Ecclesiam ritus latini non aequiparari absolute cum Ecclesia catholica, quae, iuxta multorum Summorum Pontificum *declarationes,*[5] non est latina neque orientalis, sed simpliciter Ecclesia catholica in qua omnes Ecclesiae particulares eodem iure eademque dignitate pollent. Proponitur igitur ut conficiatur alterum prooemium cuius argumentum erit catholicitas Ecclesiae.

3. N. 6, linn. 32 ss., enixe exhortantur religiones et associationes latini ritus, quae in regionibus orientalibus operam praestant, ut « domos aut etiam provincias orientalis ritus constituant ». Attamen, cum haec ratio faciendi gravia incommoda secum fert, satius est clericos latini ritus mediis aptioribus auxilium praestare Ecclesiis orientalibus, dummodo *integritas*[6] earum nullum patiatur damnum.

Liceat unum ex his incommodis referre. Supradicta ratio faciendi suspicionem et diffidentiam ex parte Ecclesiae orthodoxae in aliquibus regionibus movet. Ego ipse multoties audivi orthodoxos clericos latinos in clericos orientales mutatos aequiparare falsis prophetis et lupis rapacibus in vestimentis ovium.

4. Pag. 9, n. 24, in titulo, sermo fit de conversatione ecclesiastica cum fratribus separatis. Patres venerabiles, enixe rogamini ut in posterum tam in scriptis tam in verbis, evitemus formulam « fratres separati » seu « fratres seiuncti », et loco ipsorum dicamus: « Fratres orthodoxi ».

In hoc numero et sequenti, sermo fit de munere oecumenico Ecclesiarum orientalium ad quas peculiare munus pertinet ...[7] orientalium *praesenti*[8] unitatem fovendi, sed non omnium christianorum sicut *habetur*[9] in textu, nam hoc munus aequaliter pertinet ad omnes catholicos cuiuscumque ritus. Certum est aliunde Ecclesias orientales recte munus suum adimplere eorumque praesentiam in ditionibus orientalibus valde praestare motui oecumenico. Etenim, in praxi profitentur communionem ...[10] cum Sede Apostolica non secumferre, ut saepe a multis orthodoxis creditur, absorptionem Ecclesiae orientalis ab Ecclesia latini ritus. Experientia enim constat timorem afficere Ecclesiam orthodoxam *ne*[11] unionem cum Ecclesia catholica imminutionem, immo gravem eius

secum ferre mutationem, nam laude digna est Ecclesiae orthodoxae fidelitas erga traditionem Patrum. Hic tamen quaeri potest unde venit quod praeclarissimum testimonium ab Ecclesiis orientalibus cum Sede Apostolica iunctis exhibitum non solum non repellit timorem superius dictum, sed immo in certis regionibus interdum praesentia Ecclesiarum orientalium quasi petra scandali evadit, ita ut latiorem ducat *forsan*[12] exsistentem inter Ecclesiam catholicam et Ecclesiam orthodoxam. Videtur quaesitum nostrum attentionem Ioannis XXIII, venerandae memoriae, nullatenus effugisse. Post maturam reflexionem conclusit dicendo ad filios suos: « Convertiamoci, ed allora loro ...[13] verranno all'unità ».

Quomodo operanda est conversio nostra? Veritatem facientes in caritate; dicamus Domino: « Tota nocte laboravimus et nihil cepimus ...[14] ». Etenim, nos catholici latini ritus multum laboravimus ad conficiendum complexum theologicum de unitate christianorum, attamen forsan nostrum inventum maiore latitudine eget *et*[15] iuridismo impinguato afficitur. Etenim, ianuis clausis, laboravimus et fratres orthodoxos non interrogavimus ...[16] quid censebant de unitate christianorum.

A. v. deficiebat colloquium seu dialogus inter fratres. Hodie dialogus iam in ianuis est. Haec est vera conversio mentis et cordis quae a saeculis exspectabatur a fratribus nostris orthodoxis, qui prorsus aures suas aperuerunt et manus suas porrexerunt ad osculum pacis. Prooemium vero dialogi futuri mihi videtur esse spectaculum quod datur in hac aula et angelis et hominibus, ubi fratres ex oriente et occidente conveniunt in unum et *unanimo*[17] corde orant in spiritu veritatis et caritatis.

Conversione effecta prorsus testimonium ab Ecclesiis orientalibus exhibitum coepit operari. Etenim, occasione peregrinationis Pauli VI in Terram Sanctam, Sua Beatitudo Patriarcha oecumenicus Athenagoras I fraternum habuit colloquium cum Sua Beatitudine Patriarcha Melkitarum, Maximo IV, qui priorem audivit sibi dicentem: « Quantum sum felix, Frater carissime, tibi occurrere ». Cui Sua Beatitudo Maximos respondit: « Gratias agamus Domino qui dignos nos fecit videre Ecclesias nostras invicem colloqui ». Insuper Sua Beatitudo Patriarcha Athenagoras dicebat Patri Raya, sacerdoti catholico: « Tu, Pater, qui iter facis ad Maximum Patriarcham, fratrem nostrum, faveas illi dicere quod optime laboravit in prima sessione Concilii Vaticani. Spes mea, spes Ecclesiae nostrae in manibus eius sunt. Capax enim est multum pro unione *laborare*.[18] Oportet ut vox Ecclesiae nostrae in Concilio audiatur ».

Utinam exemplum a Sua Beatitudine Patriarcha oecumenico *exhibitum*[19] multos habeat imitatores, qui libenter acceptabunt testimonium

Ecclesiarum orientalium, quae praeclare affirmant unionem cum Ecclesia catholica nullum damnum Ecclesiae othodoxae afferre! ...[20]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] applicare potest dictum « magni passus sed extra viam ». [2] in hoc. [3] deest. [4] etc. [5] Ecclesia Christi. [6] dignitas. [7] solum. [8] deest. [9] habet. [10] plenam. [11] deest. [12] fossam. [13] (orthodoxi). [14] In verbo autem tuo laxabo rete. [15] necnon. [16] ad cognoscendum. [17] uno. [18] laborem exhibere. [19] deest. [20] Mihi videtur exsecutionem votorum nostrorum ex progressiva et perseverante conversione de qua superius pendere. Liceat igitur mihi iterum dicere quod si sincere cupimus, de quo non dubitandum est, Ecclesiis orientalibus auxilium efficax praestare ad fovendam unionem orientalium cum Ecclesia catholica, oportet nos aures aperire ad audiendam vocem fratrum nostrorum Ecclesiae orthodoxae, cuius testimonium, sapienter testimonio Ecclesiae catholicae coniunctum et temperatum, multum iuvabit ad efficiendam optatam reconciliationem et perfectam unionem christifidelium. Cetera scriptis officio secretariae generalis transmittam. Proponitur sequens recognitio schematis: 1. In prooemio conficiendus est novus textus cuius argumentum erit catholicitas Ecclesiae. 2. Supprimantur sequentes numeri qui nihil novi afferunt: 2, 3, 4, 5, 12, 13, 17-22. 3. Recognoscantur numeri 6, 7-11, 24 et 25.

8

EXC.MUS P. D. NEOPHYTUS EDELBY

Archiepiscopus tit. Edessenus Melkitarum in Osrhoene

Venerabiles Patres,

In hac aula conciliari, disceptatio circa schema *de Ecclesiis orientalibus* est pro nobis orientalibus simul ...[1] causa magni solatii atque occasio alicuius incommodi.

Gaudemus nempe in Domino cum audimus a fratribus nostris occidentalibus tam pulchra verba, tot laudes de institutionibus nostris ac de toto patrimonio spirituali cuius, sine peculiari merito, haeredes constituti sumus. Gaudemus etiam in Domino cum, praeter verba ac laudes, sentimus affectum fraternum erga nos, ita ut Patres Concilii quamplurimi, nedum intendant pondus latinae maioritatis fratribus orientalibus imponere, unice e contra cupiunt votis suis confirmare id quod ipsis orientalibus placet.

Sed, auditis interventionibus Patrum orientalium, quaestio in intimo corde vestro, venerabiles Patres, oritur et ad labia quasi pervenit: Quid exacte volunt orientales? Utrum tandem schema hoc ipsis placeat an non?

Patres orientales qui iam locuti sunt in varias aliquoties abierunt sententias. Haec discrepantia opinionum est pro nobis, ut innui, causa

alicuius incommodi. Nos aliquando pudet in omnibus rebus non pervenisse ad unanimitatem. Sed, si aliqua explicatio huius discrepantiae afferri possit, liceat imprimis humiliter animadvertere, venerabiles Patres, quod huiusmodi discrepantia est tandem res naturalis nec admirationem gignere debet. Nonne apud Patres occidentales quoque discrepantiae plurimae etiam inveniuntur? Praeterea, opiniones orientalium pendent plerumque a perspectivis apostolicis diversis quas habent necnon a variis locorum necessitatibus et adiunctis in quibus versantur.

Cum autem unanimitas in rebus humanis, ubi semper offeruntur hinc inde commoda atque incommoda, difficile obtineri possit, bonum societatis ecclesiasticae exigit ut confirmetur illud quod maioritati placuit. Atqui, *venerabiles Patres, mihi membro commissionis tum praeparatoriae tum conciliaris, atqui liceat mihi dicere quod*[2] schema nostrum, cum emendationibus a commissione iam approbatis, placuit parti *non solum maiori, sed*[3] maxime maiori Ecclesiarum orientalium ita ut, excepto uno aliove *argumento,*[4] schema fere unanimiter a commissione approbatum fuerit, sicut optime declaravit em.mus card. Cicognani, Praeses nostrae commissionis.

Sane, schema non est optimum. Longe abest ut sit perfectum. Sed, in hodiernis adiunctis, *in quibus nos ipsi orientales partialem responsabilitatem habemus, in hodiernis adiunctis*[5] schema melius obtineri non poterat.

Quapropter, dicendum est, hic et nunc *schema esse bonum,* simpliciter bonum. Nihilominus potest adhuc perfici. Iam plures emendationes examinatae *sunt*[6] a commissione, ab eaque approbatae ut inserantur in textu. Tempus defuit — et hoc est dolendum — ut textus sic emendatus denuo typis imprimatur. Sed certum est per illas novas emendationes, quae in folio adnexo inveniuntur, iam satis fieri plurimis animadversionibus criticis quas Patres in aula inutiliter moverunt. Aliae novae emendationes proponi adhuc possunt et, meo humili iudicio, approbari deberent ut illae partes schematis, quae revera sunt *inacceptabiles,*[7] scil. prooemium et caput de patriarchis, acceptabiles reddantur. Ceteroquin, schema nostrum supponit aliud pulcherrimum schema doctrinale *de Oecumenismo.* Si inspiratio unius alteriusve schematis videtur aliquoties diversa, sicut optime animadverterunt em.mus card. König et em.mus card. Lercaro, quibus plene assentio, unitas inspirationis *adhuc*[8] potest obtineri, revisioni *subiacendo*[9] aliquas expressiones nostri schematis vel *melius*[10] per fructuosam collaborationem cum secretariatu ad unionem christianorum fovendam. Sed si schema — *mihi liceat dicere — si schema*[11] sic et simpliciter reiicitur, magnum est periculum, ne reformationes vigentis disciplinae, quas magno conatu et fere in

extremis obtinuimus, in cassum evanescant vel ad Kalendas graecas remittantur.

Nonobstantibus *igitur*[12] aliquibus defectibus, qui corrigi *adhuc*[13] possunt, schema constituit, non magnum, sed certum *aliquod*[14] progressum pro vita orientalium catholicorum. Hoc parvo progressu nos privari ne permittatis, venerabiles Patres.

Et nunc nihil dicam, *contra exspectationem forsitan generalem,*[15] de aspectu canonico vexatae illius quaestionis determinandi ritum, cui pertinere debent acatholici qui ad Ecclesiam catholicam conveniunt.

Parum enim refert, venerabiles Patres, ut aliquis orientalis vel aliqui orientales fiant latini. *Non est malum.*[16] Non agitur de miserabili desiderio retinendi vel augendi numerum propriorum fidelium. Haec quaestio *est quaestio oecumenica.*[17]

Et concludo[18]: Sicuti acatholicus occidentalis, puta italicus *vel hispanicus,*[19] qui ad Ecclesiam catholicam convenit, in Ecclesia occidentali, seu in ritu latino, manere debet, ita acatholicus orientalis qui ad Ecclesiam catholicam convenire vult, manere debet orientalis, et quidem, *si possibile,*[20] sui proprii ritus. Hoc non est contra libertatem religiosam, nec contra bonum animarum. Hoc est e contra in bonum animarum, quia aggregatio alicui ritui ponit normaliter unumquemque in adiunctis providentialibus suae propriae missionis. *Et mihi parcatis si concludo dicendo cum poëta vestro Virgilio*: « *Claudite pueri rivos sat prata biberunt* ». *Si Oriens continuatur in latinizatione,*[21] melius est amplius ne loquamur de unione Ecclesiarum *nec*[22] de veneratione erga Ecclesias orientales. *Orientales debent manere orientales.* Hoc non propter amorem proprium orientalium, sed propter bonum Universae Ecclesiae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] eodemque tempore. [2] deest. [3] deest. [4] subiecto. [5] deest. [6] fuerunt. [7] debiliores. [8] deest. [9] subiiciendo. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] ac indubium. [15] deest. [16] deest. [17] non potest dirimi abstractione facta a motu oecumenico qui hodie tendit, non ad augendum numerum asseclarum propriae cuiusvis Ecclesiae, sed ad colloquium instaurandum inter ipsas Ecclesias, ut, Deo favente, gressus fiat ad unionem ipsarum Ecclesiarum in unica Ecclesia Christi. Immo, hac occasione nacti, denuo affirmare cupimus nostram sinceram voluntatem condemnandi omnem proselytismum qui aliud non intendit nisi ut minuat, per quaevis media, numerum fidelium aliarum Ecclesiarum. Sed, dum expectamus felicem unionem omnium Ecclesiarum, constatare debemus factum certum et universale, nempe factum plurium individuorum vel etiam coetuum fratrum orthodoxorum qui, ab imperativo conscientiae moti, unionem restaurare iam cupiunt cum Ecclesia catholica romana. Pro huiusmodi casibus, de quibus abstrahere non possumus,

normae disciplinares condendae sunt ut determinetur ad qualem ritum ipsi pertinere debent. Elaboratio huiusmodi normarum disciplinarium non debet proinde nobis alienare animum carissimorum fratrum nostrorum orthodoxorum, quasi nos velimus, captioso modo, eos allicere ad deserendam propriam suam Ecclesiam. Hoc tandem intendimus ut illis qui, sub motu Spiritus Sancti, iam cupiunt ad Ecclesiam catholicam convenire, dentur normae clarae et praecisae, eodem modo quo se gerit ipsa Ecclesia orthodoxa relate ad catholicos qui orthodoxi fieri volunt. [18] Tandem elaboratio huiusmodi normarum iuxta quas orientales debent in genere orientales manere, nec latinizari vel ad alium ritum transire sine indulto S. Romanae Sedis, non debet nobis alienare animum fratrum nostrorum carissimorum latinorum, quos maximo honore et affectu colimus. Sed normas statuimus quas ipsi statuerent si de ipsis ageretur. [19] deest. [20] deest. [21] Si tandem conditiones peculiares alicuius animae exigunt ut transeat ad alium ritum, hoc libenter concedetur a Sancta Sede. Sed prorsus reiiciendum est illud *stratagema* « conditionis necessariae » transitus ad alium ritum, quam poneret ipse fidelis. Omnes sciunt hoc esse stratagema illorum qui portam apertam relinquere volunt latinizandi orientis. Latinizatio orientis iam durat a centum fere annis. Tempus est ut tandem ei porta claudatur. Alioquin. [22] et.

9

Exc.mus P. D. GERALDUS McDEVITT

Episcopus tit. Tigiensis, aux. Philadelphiensis Latinorum

Venerabiles Patres,

Aliquas observationes proferre volo de n. 4, pag. 6, linn. 6-10, ubi agitur de observatione et electione ritus.

Praesens textus sic sonat: « Omnes denique et singuli fideles, necnon baptizati acatholici ad Ecclesiam catholicam convenientes, proprium ubique terrarum retineant ritum, salvo iure, in casibus particularibus, recurrendi ad Sedem Apostolicam, eumque colant et pro viribus observent ».

Hic textus sicuti iacet in parte placet sed in parte mihi minime placet, et pro his rationibus:

Hic textus nimis restringit libertatem baptizatorum acatholicorum qui ad Ecclesiam catholicam convenire volunt. Recursus ad Sanctam Sedem pro catholicis qui iam sunt in Ecclesia et qui volunt transire ad ritum diversum a proprio ritu bene intelligitur ad servandos diversos ritus, ad vitandas difficultates et discordias quae oriri possint inter diversos ritus, etc. Sed casus baptizatorum acatholicorum in Ecclesiam catholicam convenientium mihi videtur esse casus totaliter diversus. Est casus eorum qui foris stant et pulsant, et nescio cur Concilium Oecumenicum

ponere velit tale obstaculum recursus ad Sanctam Sedem ingressui horum baptizatorum acatholicorum in Ecclesiam. Cur Concilium mutare vult legislationem valde recentem quae continetur in novo Codice Orientali ...[1], ubi dicitur: « Baptizati acatholici Ritus Orientalis, qui in catholicam Ecclesiam admittuntur, ritum quem maluerint amplecti possunt; optandum tamen ut ritum proprium retineant » ...[2]. Mihi videtur praescriptio in praesenti textu schematis esse contra totum spiritum huius Concilii in quo tantum locuti sumus, loquimur et certe loquemur de libertate conscientiae et de spiritu pastorali ...[3]. Nescio cur Concilium velit dare approbationem tali retrogressioni legislativae hac in materia.

Per decennium in Delegatione Apostolica Washingtoniae laboravi fere cotidie circa petitiones pro transitu ritus et bene scio quantum tempus requiratur ad praeparandos tales recursus ad Sanctam Sedem. Ordinarie sex menses et saepe saepius integer annus requiruntur ad complendos tales recursus et ad decisionem habendam. Impositio talis recursus iis qui sub influxu gratiae Dei in Ecclesiam catholicam convenire volunt, esset mea opinione quid mirum, ne dicam, quid crudele. Gratia Dei debet quasi exspectare exitum huius recursus!

Recenter multi nos episcopi, *si non omnes,*[4] recepimus — et quidem in locis sat remotis ab hac aula — communicationem privatam in qua continebantur argumenta contra praesentem textum in schemate, et in qua proposita fuit alia redactio considerationi Patrum. En redactio proposita: « Omnes denique et singuli fideles proprium ubique terrarum retineant ritum eumque colant et pro viribus observent, salvo iure, pro acatholicis baptizatis ad Ecclesiam convenientibus, eligendi alium ritum si hoc ab eis ut conditio necessaria interponatur ». Sicuti videtis, haec redactio maiorem libertatem concedit quam praesens textus *schematis,*[5] quia non exigit recursum ad Sanctam Sedem, sed mihi non placet. Verba « ... si hoc ab eis ut conditio necessaria interponatur » sunt fere eadem verba contenta in constitutione *Orientalium Dignitas* Leonis Papae XIII ...[6], et non video cur nos debeamus reverti ad talem restrictionem, nec cur nos debeamus tale onus imponere conscientiae eorum, qui Ecclesiam catholicam ingredi volunt. Exactio talis conditionis necessariae in hac re mihi semper videbatur valde periculosa. Si quis interponeret conditionem necessariam huiusmodi suo ingressui in Ecclesiam catholicam, esset idem ac dicere: « Ego Ecclesiam catholicam ingredi volo, sed Ecclesiam *catholicam*[7] non ingrediar nisi mihi concedatur facultas eligendi ritum alium quam proprium ». Potestne aliquis facere talem declarationem vel habere talem intentionem? Talis declaratio vel intentio mihi videtur iam peccaminosa et nescio cur nos velimus exponere has animas tali periculo. Hic agitur de electione ritus

quae certe est sat magni momenti, sed non agitur de aliquo articulo fidei vel octavo sacramento.

Proinde humiliter propono sequentem modum pro nostro schemate, loco praesentis textus. Notandum est in textu quem propono me uti verbis « baptizati acatholici » simpliciter sine addito verborum « ritus orientalis », ut clarius appareat quam in Codice *Orientali*[8] Protestantes in Ecclesiam catholicam convenientes eadem libertate gaudere amplectendi ritum diversum a ritu latino. En textus meus: « Omnes denique et singuli fideles proprium ubique terrarum retineant ritum, salvo iure, in casibus particularibus, recurrendi ad Sedem Apostolicam, eumque colant et pro viribus observent. Baptizati acatholici, autem, in Ecclesiam convenientes, ritum quem maluerint amplecti possunt; optandum tamen ut ritum proprium retineant ».

Hoc modo servatur ius vigens quod mihi videtur valde bonum, et meo humili iudicio, salvantur principium boni animarum, principium libertatis conscientiae, necnon debita reverentia erga omnes ritus in Ecclesia. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (1958). [2] (can. 11). [3] necnon oecumenistico. [4] deest. [5] deest. [6] (1894). [7] deest. [8] deest.

10

Exc.mus P. D. STEPHANUS KOCISKO
Episcopus Passaicensis

Venerabiles Patres,

Schema *de Ecclesiis orientalibus* in genere placet. Ostendit enim amorem et sollicitudinem pro ritibus orientalibus, quem amorem et sollicitudinem iam exhibebant Litterae et Encyclicae Romanorum Pontificum.

Schema praesens intendit ut orientales in omni libertate hereditatem suam orientis intactam servent. Una cum fratribus suis occidentis ipsi uniti gaudent de reciproco isto respectu et amore. Inde sperandum est etiam fratres seiunctos orientis, amisso omni timore, inclinaturos in Ecclesiam, quae talem libertatem, benevolentiam, reciprocum amorem ut proprium proclamat.

Verum est in praeterito aliquando in Ecclesia ortas esse difficultates interrituales ex ignorantia rituum. Ne hodie doctrina schematis, quod nemo serie timet, verbum pulchrum et scriptum tantum maneat, prin-

cipia feliciter enunciata, in quantum possumus, in praxim deducamus. Videamus ergo, Patres venerabiles, ut vincula interritualia specialiter quoad scientiam aestimationemque rituum necnon relate ad practicam reciprocam conversationem, ubi necessarium vel opportunum est, fortiora in dies evadant.

Hanc ob causam proponere mihi liceat, ut in pag. 6 schematis, sub n. 4, lin. 6, post verba « disciplinam efficacius tuendam », addantur verba: « Hierarchae provideant etiam ut ascendentes ad ordines sacros bene instruantur de ritibus et praesertim de normis practicis in materiis interritualibus, immo et laici in instructione catechetica de ritibus, eorum momento et de libera communione secundum normas Ecclesiae universalis doceantur ».

Hac ex instructione clericorum et laicorum perdurans caritas, reciproca aestimatio rituum et Ecclesiarum ritualium sperandae sunt, ita ut etiam relationes cum fratribus seiunctis meliores in dies evadant. Dixi.

11

Exc.mus P. D. FRANCISCUS AYOUB
Archiepiscopus Aleppensis Maronitarum

Venerabiles Patres,

Multa iam audistis de obligatione servandi proprium ritum, etiam pro acatholicis ad catholicam convenientibus: multa pro et multa contra. Illa non repetam. Conclusiones tantum traham ex conspectu documentorum circa praxim Ecclesiae in materia, quem conspectum scripto remittam et aliquas animadversiones addam circa exigentias quas oecumenismus imponit Ecclesiis unitis.

Saeculo elapso fuerunt de hac re contestationes, sicut fiunt in praesenti, non tamen ab omnibus orientalibus. Auditis contestationibus et re ex omni parte mature perpensa, Ecclesia secuta est aliquam praxim, quam clare demonstrant et decreta Sedis Apostolicae inde ab anno 1838 et decreta Synodorum Orientalium. In conspectu nostro citantur Synodi Syrorum, Armenorum et alia.

Ex praxi circa transitum ab uno ritu ad alterum, haec tria dilucide fluunt:

1. Catholicis impositum fuit aliquando recurrere ad Apostolicam Sedem, acatholicis vero nunquam.

2. Acatholicis interdictum fuit aliquando transire ad ritum latinum, ad ritum vero orientalem nunquam.

3. Motiva allata ad ritum latinum amplectandum aliquando reiecta fuerunt, motivum vero conscientiae nunquam.

Haec fuit praxis ante decretum *de Oecumenismo*. Utrum post hoc decretum mutanda sit, hoc nobis est investigandum.

Quidam putant, ne imputetur Ecclesiae catholicae quod in oecumenismo, *seu* [1] verbis, intendat latinizationem orientis, quod Ecclesia debet imponere acatholicis ad illam convenientibus, obligationem strictam servandi proprium ritum. Nobis videtur quod, ad quaestionem sic positam, distinguendum est inter casus singulares, seu individuales, et casus communitatum, seu Ecclesiarum. Recta sententia nobis videtur esse haec: sicut nulla communitas adstringenda est ad ritum mutandum, ita nulla persona adstringenda est ad ritum servandum. Rationes enim in utroque casu non sunt eaedem. In casu communitatum, ratio oecumenica postulat ut non sit transitus coetuum, nec ad ritum diversum, nec etiam ad ipsam Ecclesiam catholicam, nisi cum tota Ecclesia *particulari* [2] conveniret. Motu oecumenico propulsae, Ecclesiae orientales unitae curabunt de colloquio instaurando cum Ecclesia sorore, et non amplius de personis vel de familiis, ut dicunt, « rapiendis ». In quantum laborant Ecclesiae unitae ad felicem exitum unionis, in tantum abstinere debent a « conversionibus » quas dicunt singularibus. Secus ipse oecumenismus fit « captiosus », utpote intendens, verbis « unionem Ecclesiae », et, revera, « conversionem » *particularem*.[3] Laborent ergo Ecclesiae unitae in maturationem spiritualem propriae Ecclesiae et Ecclesiae sororis, et ne plus sollicitae sint de sorte individuorum.

Ceterum, communicatione in sacris quam latius admissa, iam non urget, sicut in praeterito, ratio se convertendi ad Ecclesiam catholicam. In casibus autem singularibus, qui tamen admitti debent, adest aliquod « imperativum conscientiae » quo quis, non obstante ratione oecumenica, impellitur ad Ecclesiam catholicam amplectandam. In hoc casu, ratio servandi ritum, quae pro communitate valet, iam non valet pro individuo. Ipse enim, nisi rationem haberet a ratione propriae Ecclesiae distinctam, ad catholicam non conveniret. De facto, occasione singulorum redituum, saepe saepius exsurgunt contentiones, quae animos fratrum seiunctorum alienant a ritu et Ecclesia quae acatholicum in suo sinu admisit. Propter hanc rationem orthodoxi non multam aestimationem habent pro orientalibus unitis, et de unione praeferunt tractare cum catholicis diversi ritus, immo cum ipsis latinis, ut in ipsa hac sessione comperimus. Et propter eamdem rationem, securius est, pro oecumenismo in futuro, ut non curet de casibus singularibus Ecclesia in qua *pandit* [4] spes unionis.

Ratione ergo oecumenica, acatholicus, cum ad catholicam convenit,

non adstringendus est ad proprium ritum servandum, et certe, si ad servandum ritum non adstringitur, non ideo ad illum derelinquendum impellitur, ut quidam videntur intelligere. Unusquisque casus habet propriam rationem et propterea proprium exitum.

Auditis quae audistis, potestis, venerabiles Patres, putare quod quotidie per totum orientem multitudines acatholicorum ad catholicam Ecclesiam concurrunt, ex quo concursu fiunt contestationes et fit strepitus. Sciatis oportet de hac re non adesse quaestionem aut quaestum, nisi in Palaestina. Valde optamus, et quidem sincere, ut pax Christi in patria Christi regnet inter omnes christianos fratres, et per prius inter unitos. Sed ne inducatur Concilium Oecumenicum, ut solvatur particularis difficultas, ad ferendam legem generalem odiosam et non plene fundatam. Esset ex alia parte mirum quod, urgente reformatione orientalium Ecclesiarum, unum tantum mutetur in praeiudicium alicuius ritus, qui certe ab Ecclesia Christi bene meruit, etiam in Palaestina.

Propter has rationes, et alias similes ad alias quaestiones pertinentes, putamus totum schema profunde recognoscendum esse in plena libertate et rectitudine mentis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] sub. [2] particularis. [3] particularium. [4] pendet.

Animadversiones additae:

Schema *de Ecclesiis Orientalibus* praescribit, in n. 4, ipsis acatholicis, dum ad Ecclesiam catholicam conveniunt, ut « proprium ubique terrarum retineant ritum, salvo iure, in casibus particularibus, recurrendi ad Sedem Apostolicam ».

De hac praescriptione, liceat notare quod est et contra praxim Ecclesiae, et contra libertatem subiecti.

I. *Est contra praxim Ecclesiae*. Praxim Ecclesiae demonstrant decisiones Sedis Apostolicae Romanae et decreta Synodorum Ecclesiarum Orientalium:

a) Sedes Apostolica Romana, quae tuitioni rituum semper curavit, nunquam acatholicis orientalibus interdixit transitum ad alium ritum *orientalem*; si quando illis interdictum fuit amplecti ritum latinum — et quidem ut omnibus pateat Romanam Sedem non approbare istam quam dicunt « latinisationem » — attamen nunquam impositus fuit recursus ad Sedem Apostolicam. Ipse Leo XIII, in litteris encyclicis *Orientalium dignitas* transitum ad ritum latinum non vetit, « conditione velut necessaria interposita amplectendi latini ritus ».

Tandem in motu proprio *Crebrae allatae,* post multas tractationes et haesitationes et causa latinisationis maturae considerata, declaratum fuit in can. 11, quod « Acatholici... ritum quem maluerint amplecti possunt; optandum tamen est ut proprium ritum retineant ».

b) Synodi orientales non aliam praxim commendant; liceat, per modum exempli, citare Synodum Syrorum an. 1888, ubi dicitur: « Si quis ex haeresi aut schismate, ad Ecclesiam catholicam accedit, admitti potest sive in nostro sive in

alio ritu catholico, sicut vult, cuiusvis ritus sit »; et Synodum Armenorum an. 1911, ubi dicitur: « Si qua ex dissidentibus Armenis communitas, familia aut persona ad catholicam unitatem venerit... ad suum ritum adscribatur, dummodo conditionem velut necessariam suae conversionis non interposuerit amplectendi alterum ritum, quo in casu *salus animarum cuilibet iuri anteferenda erit* ».

Unde apparet praxim Ecclesiae fuisse, nonobstantibus contestationibus et simul consideratis quae ad bonum commune et quae ad ius personae pertinent, ut inter ritus orientales servetur *libertas,* et ut, in omni casu, anteponatur *salus animae.*

II. *Est contra libertatem subiecti.* Sacrosancta Synodus Vaticana II, de libertate religiosa curans, omni homini agnoscit ius profitendi religionem — « licet obiective erroneam » — in qua sincere credit; cur acatholico ad veram et completam fidem convenienti denegatur ius amplectendi huius fidei formam quae illi convenit?

Nonne securius et dignius provideretur et animarum saluti et personae humanae dignitati ianuam Ecclesiae quam latius aperiendo et plenam libertatem agnoscendo non tantum accedendi ad fidem ex infidelitate sed etiam ex separatione? ne plus videamur aestimare accidentalia quam essentialia?

Nonne in limitatione libertatis esset aliquid scandalum pro convenientibus, qui viderent, antequam ingrediantur, plus esse divisiones intra Ecclesiam quam extra?

Haec Sacrosancta Synodus, quae de iisdem acatholicis agens in cap. III *de Oecumenismo,* sollemniter memoravit verba libri Actuum, quod scil. « Nihil ultra imponere oneris quam necessaria » (*de Oecumenismo* cap. III, 18), praescribendo strictam obligationem servandi ritum et recurrendi ad Sedem Apostolicam, nonne plus imponit oneris quam necessarium, et non certe quidem propter salutem animarum?

Ideo dignius esset huic venerandae Synodo ut proprium ritum servare commendet, non autem imponat.

Denique, venerabiles Patres, liceat alicui episcopo maronitae, unum verbum addere, per modum conclusionis, de proprio ritu:

Dispositio schematis extra motum oecumenicum ponit ritum maronitarum, qui nunquam acatholicos habuerunt in suo ritu: illis tamen iam ante constitutionem communitatum unitarum, Papa Pius IV, anno 1562, commisit ut in sinu Ecclesiae admitterent omnes « cuiusvis nationis » seu ritus, qui ad Ecclesiam catholicam reverterentur, quo officio, teste historia, functa est Maronitarum hierarchia, non ad propriam communitatem augendam, sed ad bonum Ecclesiae procurandum, et zelo missionariorum latinorum et catholicorum maronitarum, ortae sunt communitates unitae. Faxit Deus ut bonum Ecclesiae quam rectius intendamus.

12

EXC.MUS P. D. PETRUS SFAIR

Archiepiscopus tit. Nisibenus Maronitarum

Venerabiles Patres conciliares,

Quaedam quaestio particularis de patriarchis.[1] Tres sunt magni patriarchatus orientales de quibus in Concilio Nicaeno sermo fuit, nempe Constantinopolitanus, Alexandrinus et Antiochenus. Evidenter hic non loquor nisi de Antiocheno, et quidem non de eius primordiis, quando patriarcha Antiochenus non poterat facile communicare, *fere impossibilis erat communicatio*[2] cum Roma, sed de hodierno statu. Oh! quam mutatae hodie conditiones et adiuncta! Nunc tres patriarchae catholici habentur qui titulum Antiochiae gerunt, et adsunt etiam patriarchae Antiocheni non catholici. Et fideles, *ubi sunt*[3]? Tot sunt *fideles*[4] quot relinquit Islamismus. Numerus patriarchatuum non significat, *proh dolor!,*[5] quod numerus fidelium est conspicuus.

A. 1634, patriarcha Antiochenus Maronitarum enixe rogat Paulum V ut amplius non nominet patriarcham Antiochenum titularem in occidente, quia ipse, i. e. patriarcha Maronitarum et omnes subditi eius nati sunt et vivunt in patriarchatu antiocheno, et soli sunt catholici in toto illo territorio patriarchali. *Tunc res hoc modo se habebat.*[6] Cur ergo Patriarcha titularis? Et *adiiciebat*[7]: « Quid diceretur si ego nominarem hic archiepiscopum titularem Mediolanensem vel Toletanum? ». Haec petitio, facta Paulo V, exaudita fuit tempore Pauli VI, post tercentos et triginta annos... Quia Roma aeterna! Etiam in causis et recursibus... *Recordemur*[8]!

Tunc Sacra Congregatio de Propaganda Fide, inter cetera, hoc modo deliberavit: « Post eventuales conversiones ad catholicismum, si Patriarchatus quidem abolendus erit, ut Antiochiae Patriarcha unus maneat, certe non erit Patriarchatus Maronitarum *qui abolebitur, propter insignia merita quae iam acquisivit*[9] » (*Scritture originali riferite,* vol. 291, folia 10 et 11).

Nunc ad substantiam. *Et ero brevis*: *substantia brevis, ut praeambulum*[10]: A. 1929, patriarcha Maronitarum, vocatus ut ad ius canonicum orientale condendum participaret, respondit cum toto suo episcopatu *negative,* quia habent constitutionem propriam seu Synodum provincialem libanensem, a viris in iure peritissimis stabilitam, et quae unica *synodus*[11] inter magnas synodos orientales in forma speciali approbata fuit a Benedicto XIV, qui inter iurisperitos eminet et praecellit.

Et adhuc addebant *patriarcha et episcopi Maronitarum* [12]: « si aliquid deest in nostra constitutione, recurrimus ad ius *nostrum* [13] suppletorium, quod est Codex Iuris Canonici *Ecclesiae latinae, ut ius suppletorium.*[14] Et sic in iure canonico orientali partem non habebimus. Non indigemus alio iure; *non indigemus hac participatione* ».[15]

At die 20 iulii eiusdem a. 1929, Sancta Apostolica Sedes patriarchae et episcopatui Maronitarum respondit: « Vos vultis conservare in vigore Synodum libanensem, et haec Sacra Congregatio nullam obiectionem contra hoc habet... Pro certo habeatis quod nullum praeiudicium ...[16] afferetur Synodo libanensi ». Tunc Maronitae in tuto esse putarunt privilegia patriarchae *eorum* [17] in Synodo libanensi sancita, et propterea ad ius canonicum orientale condendum participarunt. Sed statuta Synodi libanensis aboleta sunt in novo iure canonico orientali; et hoc perturbationem causavit, quia privilegium praecipuum, quod non amplius viget, est quod patriarcha in Synodo episcopali suo, episcopos eligebat et consecrabat et dioecesibus providebat, antequam Sanctam Sedem de hac re certiorem faceret. Patriarchatus Maronitarum erat quodammodo in mundo ecclesiastico ut Respublica Sancti Marini in mundo civili. Si privilegia huiusmodi tolluntur, hoc neminem fugit. Propterea dixi de perturbatione *habita, etiam inter populum, inter vulgum.*[18]

Patriarchae Maronitarum, inde ab origine patriarchatus, a saec. VIII, his privilegiis fruiti sunt et semper exercuerunt, ad unitatem fidei suae Nationis praeservandam ...[19], quatenus etiam in rebus civilibus ad eos recursum faciebant. Partem quoque habuerunt in reditu acatholicorum ad catholicam Ecclesiam.

Proinde quaeritur: cur Benedictus XVI sollemniter ea privilegia in forma speciali approbavit? Cur Sacra Congregatio Orientalis, a. 1929, ea in tuto posuit, et Maronitas de eorum perenni conservatione certiores fecit? Non possumus credere eos egisse sine gravibus rationibus. Quaenam sunt? Difficile non est eas divinare. Et si abolenda sunt privilegia, modus in abolitione secutus potestne approbari? Potestne abolitio in his adiunctis conservari pro semper? « Invita in hoc versatur mea oratio » (dico cum Cicerone). Sed haec mihi exponenda visa sunt quia, ut membrum primae commissionis iuris canonici orientalis, eorum fui testis ocularis et auricularis, et, ut dicit Virgilius: quaeque ipse, in persona vidi et quorum pars magna fui. *Haec exposui submisse et peto veniam quia locutus sum, forsitan de re non tam grata, sed necessaria mihi visa est.*[20]

Et nunc [21] uno verbo, una phrasi concludo: Sancta Apostolica Sedes fidem dedit Maronitis et est verbo suo adstricta. Maronitae, qui in

amore erga Sanctam Sedem nulli sunt secundi, *ut patet ex historia eorum,*[22] confidunt et exspectant fidei datae exonerationem. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] addebat. [8] deest. [9] deest. [10] brevissime. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] deest. [16] vel damnum. [17] deest. [18] deest. [19] et disciplinae conservandam. [20] deest. [21] deest. [22] deest.

Secretarius generalis: En, venerabiles Patres, exitus suffragationum:

II -	Praesentes votantes	2.132
	Dixerunt *placet*	2.121
	non placet	8
	Suffragia nulla	3
III -	Praesentes votantes	2.121
	Dixerunt *placet*	2.104
	non placet	8
	placet iuxta modum	9
	et nullum suffragium nullum, sed sunt nulla *placet iuxta modum.*	
IV -	Votum dederunt Patres	2.077
	Dixerunt *placet*	2.067
	non placet	8
	placet iuxta modum	1
	Suffragium nullum	1

Ergo congregatio generalis omnes tres textus approbavit.

Patres venerabiles, rogamus vos ut hora duodecima cum viginti quinque momentis omnes stetis vestris locis. Gratias.

13

Exc.mus P. D. CESLAUS SIPOVIČ
Episcopus tit. Mariammitanus

Venerabiles Patres Concilii,

Cum Providentia honorem mihi apud quasi ultimos oratores hac in sessione loqui reservaverit, liceat mihi imprimis humiliter mentem meam manifestare de illis, quae in hac aula dicta audivimus, scil. nullo modo his in circumstantiis laborum Concilii nostri conveniret, ut — si casus ferat — novum schema apparandum secretariatui pro Unione exclusive tradatur.

Nunc, quoad schema propositum.[1] Schema decreti propositi *de Ecclesiis orientalibus* varias ob rationes mihi placet.

Imprimis placet mihi valde illud, quod Ecclesiae orientales non apparent ex schemate qua institutiones staticae immutabiles, ad quod ob suam traditionibus fidelitatem proclives sunt, sed ut vitae plenae temporibus ac necessitatibus dierum nostrorum ut respondeant in voto Concilii nostri est (cf. n. 2).

Deinde laude dignum est illud in schemate clare expressum vinculum unionis omnium Ecclesiarum particularium, nempe « pastorale gubernium Romani Pontificis, qui Beato Petro in primatu super universam Ecclesiam divinitus succedit » (verba ex schemate, n. 3).

Hoc « pastorale gubernium temporibus recentioribus laudabiliter ac fructuosissime per Sacram Congregationem « Pro Ecclesia Orientali » exercebatur, cui liceat mihi hic animi gratitudinem pandere.

Iuvat hic in memoriam revocare verba illa *celeberrima*[2] Benedicti XV ex eius Motu Proprio anni 1917, quo haec Sacra Congregatio pro negotiis Ecclesiarum orientalium exclusive instituebatur: « E ceteris autem libet confidere iam non fore qui latinos in suspicionem orientalibus adducant, cum vel ex hac re sit manifestum, in Ecclesia Iesu Christi, ut quae non latina sit, non graeca, non slavonica, sed catholica, nullum inter eius filios intercedere discrimen, eosque, sive latinos, sive graecos, sive slavos, sive aliarum nationum, omnes apud hanc Apostolicam Sedem eumdem locum obtinere »...[3]

Quid pulchrius dici possit, quod dictum est nomine Ecclesiae Romanae, quae est Mater omnium Ecclesiarum?

Nunc quoad particularia attinet schematis oculis nostris vertendum esset[4] — salvo iudicio meliore — mihi notare liceat:

1. *Quoad prooemium.* Revera in prooemio, in sententia initiali, Ec-

clesiae orientales ab Ecclesia catholica separari videntur. Ut omne dubium tollatur, hanc sententiam initialem modo sequenti exprimere propono: « Orientalium Ecclesiarum instituta, ritus, traditiones ecclesiasticas atque vitae christianae disciplinas *haec Sacrosancta Synodus* magni facit ».

In lin. autem 5 eiusdem prooemii velim proponere, ut verbum « partem » omittatur ac tota sententia, linn. 3-6 praeclusa, in hunc modum redigatur: « In eis enim, utpote veneranda antiquitate praeclaris, elucet ea quae a Patribus est et ab apostolis traditio, quae divinitus traditum atque indivisum Ecclesiae universae patrimonium constituit ».

Aliqua alia praetermitto et secretariatui trado. Nunc attentionem vestram, venerabiles Patres, velim ad ultimum punctum vertere, nempe [5]:

4. *De apostolatu apud orientales disiunctos ab Ecclesiis orientalibus catholicis exercendo.* Regulae generales apostolatus temporibus hodiernis adaptati in schemate *de Oecumenismo* in cap. II et III ...[6] habentur...[7]

Non est timenda repetitio *in nostro schemate ubi etiam succincte de hoc dicitur,*[8] nam per apostolatum efficacem solummodo unio christianorum in unica Christi Ecclesia attingi possit, haec tamen est finis omnium schematum ac nostrorum laborum.

Liceat mihi propterea aliquantulum insistere in activitate apostolica promovenda apud orientales, quae sua indole specifica ab aliis categoriis apostolatus in Ecclesia distinguitur atque ut ab Ecclesiis orientalibus in unione cum Sede Romana dirigatur, in voto nobis est.

Apostolatus de quo sermo tribus modis exerceri potest: *a*) oratione, *b*) studiis, *c*) per Associationes.

Ad orationem quod attinet.[9] Vix aliquid de ea dicendum sit, nam omnibus necessitas eius pro apostolatu unionistico in comperto est, *et de hoc etiam mentio in schemate habetur.*

Attamen velim ut [10] inter media ad unionem restauranda etiam intercessionem Matris Dei Theotocos ponere velimus, de quo tamen haec ultima editio nobis propositi schematis omnino silet.

Secundo: *quoad studia.*[11] In via ardua ad unionem haud paucae sunt quaestiones, quae nos dividunt cum fratribus seiunctis orientalibus, vel quae nobis communia iam sunt. Haec omnia in luce vera poni possint solummodo per studia Theologiae Orientalium, Patrologiae, Rituum, Iuris Canonici et sic porro. His ultimis temporibus multum factum est opere Romanorum Pontificum ad studia orientalia promovenda praesertim per erectionem Pontificii Instituti Orientalium Studiorum hac in Urbe.

De studiis, velim ut explicite sit mentio in nostro schemate.[12]

Tertio et ultimo: *quoad Associationes*.[13] Inter Associationes quae ab annis apostolatum unionisticum *fructuosum*[14] promovent ac non raro oecumenismum practicum exercent, sit mihi venia nominare saltem aliquas, *e. g.*[15]: Piam Associationem S. Nicolai Barensis in Italia, ...[16] Associationem « Unitas », Associationem Sanctorum Cyrilli et Methodii, quae originem ducit ab anno 1851, Catholicam Unionem in regionibus linguae germanicae, Societatem S. Ioannis Chrysostomi (Society of St. John Chrysostom) in Magna Britannia; *et multae aliae*; *in America*[17]: Catholic Near East Welfare Association...

Nec oblivisci potest apostolatus orationis ac per editionem librorum, ephemeridum, qui a Patribus Benedictinis, a Congregatione B. Mariae Assumptae aliisque magno cum sacrificio promovetur.

Cur, propterea, in nostro schemate nec unum verbum de isto apostolatu[18]?

His dictis, humiliter velim rogare, ut in nostro schemate ad ea omnia, quae sub n. 24, pag. 9, habentur, adhuc addatur mentio explicita de Maria Matre Dei, de studiis orientalibus provehendis ac de apostolatu per Associationes exercito.

In fine, liceat mihi verbum dicere de momento Ecclesiarum orientalium catholicarum pro apostolatu unionistico.

Ecclesiae istae persecutionibus funestis ad numerum parvum reductae, ab aliquibus de *unionismo*[19] seu alicuius generis proselytismo accusantur, immo ab aliquibus catholicis, qui vias novas quaerentes omnia praeterita quasi spreverunt.

Hodie nos omnes impulsu Spiritus Sancti ducti meliora quaerimus ac nos catholici orientales credimus partem nostram in unione christianorum recuperanda summi momenti esse...[20] Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] memorabilia. [3] (*A.A.S.*, 9 [1917], p. 530). [4] Ad particularia schematis oculos nostros vertendo haec. [5] 2. in pag. 10 sub n. 26, linn. 10-11, ubi sermo est de communicatione in sacris, velim proponere ut omittantur verba « singularum personarum » ac ut remaneant solummodo « adiuncta ». Ratio est haec, quod in materia communicationis in sacris circumstantias aliquando totius dioecesis vel nationis considerare oporteat et non solummodo singularum personarum, uti stat in schemate. 3. In pag. 10, lin. 21. Propono ut omittantur verba « Positis memoratis principiis » et ut textus modo sequenti redigatur: « Orientalibus, qui etsi ab Ecclesia catholica seiuncti, tamen in fide inveniuntur et in sua confessione sacramenta valida retineant, si sponte petant et rite sint dispositi, eis sacramenta Paenitentiae, Eucharistiae et Unctionis Infirmorum conferri possunt ». In isto a me proposito textu omittuntur verba « positis memoratis principiis » uti, saltem meo humili iudicio, non complete ma-

teriam explicantia, nimis apodictica quoad principia communionis in sacris, ergo non necessaria. Adiungitur tamen expressio nova, quae in schemate priore etiam habebatur, quaeque ut retineatur desiderabile est, scil. « in sua confessione sacramenta valida retineant ». Hisce verbis adiunctis validitatem sacramentorum apud fratres orientales seiunctos asserimus atque unam bonam rationem addimus, cur nempe aliquando communicatio in sacris permitti possit. [6] n. 18. [7] De apostolatu etiam sermo est in schemate *de Ecclesiis orientalibus* in pag. 9 sub n. 24, etsi valde succincte. [8] immo desideratur valde. [9] Ad *a*) Quod orationem spectat. [10] Pius XI, magnus ille apostolus unionis, a. 1923 in Encyclica *Ecclesiam Dei* haec asserebat: « Quoniam vero haec populorum omnium in oecumenica unitate consensio ut opus imprimis Dei, divinis est auxiliis praesidiisque comparanda, piis sedulo insistamus precibus, exempla et documenta sequentes Sancti ipsius Iosaphat, qui orationis potissimum fretus pro unitate adlaborabat » (*A.A.S.*, 15 [1923], p. 581). [11] Ad *b*) Studia. [12] deest. [13] Ad *c*) Associationes. [14] deest. [15] scil. [16] Associationem catholicam italicam pro oriente christiano. [17] Societatem meritissimam in Statibus Confoederatis Americae:. [18] deest. [19] uniatismo. [20] Honore mihi duco in memoriam revocare metropolitam Andream Šeptycki eiusque sanctum fratrem, exarcham Leonidem Fedorov, exarcham Niemancevič, archimandritas Abrantovič et Cikoto, qui in vita ac per suum martyrium exempla apostolatus veri praebuere. Omnes isti perillustres viri ad Ecclesiam sic dictam unitam pertinere.

14

Exc.mus P. D. RAPHAËL BIDAWID

Episcopus Amadiensis

Venerabiles Patres conciliares,

Nomine loquor conferentiae patriarchatus Babylonensis Chaldaeorum.

Schema nostro examini subiectum, omni ex parte valde placet. Maxima enim consideratione et summo honore Ecclesias orientales prosequitur, sollicitudine vere pastorali et spiritu oecumenico movetur, ad viam pro dialogo et unione cum fratribus seiunctis parandam, et ut eaedem Ecclesiae orientales in dies magis floreant et crescant.

Quaedam circa caput « de patriarchis orientalibus » liceat mihi proferre, ut melius mentem episcopatus Chaldaeorum patefiat vobis, venerabiles Patres.

Ad patriarchas quod attinet, schema nostrum, eorum institutionem, iurisdictionem et dignitatem, clare et concise exponit, prout « veritas, iustitia et rectus oecumenismus » id exigunt ...[1], vitando inutiles et steriles disputationes de odiosa quaestione circa enumerationem Sedium Patriarchalium earumque gradum honorificum.

Scimus enim, patriarchatus orientales, omnes, non divinae nec apo-

stolicae sed tantummodo ecclesiasticae institutionis esse, et nonnisi saec. IV ineunte, ut tales agniti fuerunt in Imperio Romano, pluries ob politicas rationes etiam, inde a Concilio Nicaeno et sequentibus. Eodem fere tempore instituti sunt extra Imperium Romanum alii duo patriarchatus ...[2]. Hi sunt *patriarchatus* [3] Ecclesiae orientis in Imperio Persico et *patriarchatus* [4] Armeniae, qui cum iam inde ab initio haeresi duophysistica et monophysistica affecti fuissent, *et ita autonomos sese reddiderunt,*[5] nulla mentio facta est eorum in Conciliis Oecumenicis usque ad aetatem mediam.

En quare a quibusdam, immerito introducta est illa distinctio inter patriarchatus maiores et minores aut etiam apostolicos et non-apostolicos.

At neminem fugit has distinctiones nullo fulciri historico fundamento. Multas enim alias ecclesias apostolos fundasse constat, quae tamen titulum patriarchalem nunquam sibi vindicaverunt.

Itaque valde placet id quod sub par. 7 legitur: « Ab antiquissimis temporibus in Ecclesiis orientalibus viget institutio patriarchalis, iam a primis Synodis Oecumenicis agnita », et in par. 8: « Patriarchae Ecclesiarum orientalium, licet alii aliis *tempore* posteriores sint, omnes tamen *aequales* sunt ratione dignitatis patriarchalis, salva inter eos *praecedentia honoris* legitime statuta ».

Liceat insuper notare Sedem Apostolicam Romanam, etsi patriarchalem, nullo modo aliis sedibus patriarchalibus aequiparari posse.

Nego paritatem, propter multas bene fundatas rationes dogmaticas et historicas, quae cum omnibus notae sint, non est cur iterum atque iterum illas repetamus. Inde omnino necessarium erat illud incisum in par. 7: « salvo primatu Romani Pontificis ».

Deinde, si res bene et sereno animo perpendamus, clare nobis innotescit quod sedes patriarchales catholicae hodiernae, non iisdem pollere characteribus ac primaevae sedes, quae nonnisi unum titularem habebant, qui et residentiam in ipsa sede retinebat. Quandonam sedes una, tres vel etiam plures patriarchas habuit, quorum nemo in ipsa sede residet! Vel quis primorum patriarcharum, plures sedes patriarchales sibi appropriavit? Nequidem ipsi Apostoli hoc fecerunt! Nonne tempus est, venerabiles Patres, ut totum hoc institutum patriarchale reformationi subiciatur secundum temporum et locorum exigentias, ut patriarcha revera sit « pater et caput » sui patriarchatus!

Praeterea, nullus ex patriarchatibus catholicis hodiernis, si unum, Syrorum Maronitarum qui semper catholicus exstitit, excipiamus, institutionem conciliarem sibi vindicare potest. Omnes, ex haeresi et schisma conversi, instituti et confirmati fuerunt a Summis Pontificibus. Et pri-

mus inter hos patriarchatus fuit Chaldaeus anno 1553 a Sede Apostolica erectus. Et inde a saec. XVII aliae accesserunt communitates orientales ad unitatem Ecclesiae, quibus a Romanis Pontificibus patriarchatus instituti sunt, et quorum ultimus in ordine temporis fuit ille Alexandrinus Coptorum a. 1895 a Leone XIII denuo erectus.

Tandem, par. 11 spiritui Concilii nostri bene consonare videtur: etenim Ecclesia, cum sit Corpus Christi *vivum,* et non, ut ita dicam, « mummificatum » et inanimatum, omnino illam suae vitae rationem variis temporum locorumque necessitatibus aptare oportet. Sic vita Ecclesiae omnibus splendescit, non tantum novos filios gignendo sed et bono spirituali melius providendo, novas sedes erigendo.

Et si Papa Ioannes XXIII, sanctae memoriae, numerum em.morum cardinalium Sanctae Romanae Ecclesiae, bono universali Ecclesiae, opportunum augere censuit, cur numerus patriarchatuum, ita suadente bono communitatum, augeri nequit?

Itaque schema hoc plene approbandum ducimus et laude dignum dicimus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cf. Notae p. 26, Resp. 68 schematis). [2] qui et Catholicatus seu Catholicosatus nuncupantur. [3] catholicosatus. [4] catholicosatus. [5] deest.

Moderator: Venerabiles Patres, moderatores vobis quaestionem ponunt, nempe: An placeat Patribus ut finis imponatur disceptationi supra schema *de Ecclesiis orientalibus?*

Patres, quibus placet ut finis disceptationi imponatur, velint surgere! [*Fere omnes Patres surgunt*].

Secretarius generalis: Ergo crastina habebitur suffragatio praeliminaris circa hoc schema. Praeliminaris, dico: An placet transire ad suffragationem singulorum punctorum. Gratias.

Moderator: Proxima congregatio generalis erit crastina, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CV

20 octobris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CV

20 octobris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii Oecumenici Vaticani II secretarius generalis*:

Congregationem generalem centesimam quintam moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

Loqui postulaverunt nomine septuaginta Patrum, adhuc super schemate *de Ecclesiis Orientalibus*: exc.mi DD. Georgius Hakim, arch. Ptolemaidensis Melchitarum; Mauritius Baudoux, arch. S. Bonifacii in Canada; Dominicus Athaide, arch. Agraënsis in India.

Post hos loquetur relator, exc.mus Bukatko, et deinde fiet suffragatio: « An placeat transire ad suffragationes super singulis punctis », quemadmodum fecimus pro schemate *de sacerdotibus*.

Deinde fit transitus ad schema *de Ecclesia in mundo huius temporis*. Post relationes habitas ab em.mo ac rev.mo D. card. praeside Ferdinando Cento et ab exc.mo Guano, ep. Liburnensi, incipiet disceptatio et loquentur ex ordine: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Achilles Liénart, ep. Insulensis in Gallia; Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia; Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis in Italia; Paulus Léger, arch. Marianopolitanus in Canada; Iulius Döpfner, arch. Monacensis in Germania; Albertus Meyer, arch. Chicagiensis in Stat. Foed. Am. Sept.; Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellen. in Belgio; Alfredus Ottaviani; Augustinus Bea; deinde beat.mi DD. Maximus IV, patr. Antiochenus et totius Orientis Alexandriae et Hierosolymae Melchitarum; Paulus Petrus Meouchi, patr. Antiochenus et totius Orientis Maronitarum; exc.mi DD. Mathias Alfonso, ep. Chikmagalurensis in India; Ioseph Vairo, ep. Gravinensis et Montis Pelusii in Italia; Casimirus Morcillo, arch. Matritensis-Complutensis in Hispania; Villelmus Conway, arch. Armachanus in Hibernia; Leo Elchinger, ep. coad. Argentinensis in Gallia; Elias Zoghby, arch. vic. patr. Antiochenus Melchitarum; Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis pro Ucrainis in Canada.

Nunc, antequam ad disceptationes deveniatur, prouti heri nuntiatum est, propono vobis, Patres amplissimi, suffragationem circa inte-

grum cap. VII schematis *de Ecclesia,* cuius lego tantummodo initium et finem [*cf. supra, pag. 49-55 textus emendatus*].

Ergo, Patres venerabiles, hic textus *placet, non placet,* an *placet iuxta modum?* Qui tertiam suffragationem exprimit, nempe *placet iuxta modum,* debet, una cum schedula, tradere assignatoribus modos, scriptos in foliis separatis si possibile sit. Gratias. Respondeatis igitur.

PATRUM ORATIONES
(*De Ecclesiis Orientalibus*)

1

EXC.MUS P. D. GEORGIUS HAKIM
Episcopus Ptolemaidensis

Venerabiles et carissimi omnes qui in aula sunt,

Loquor nomine plus quam septuaginta Patrum, sive latinorum sive orientalium.

Schema decreti *de Ecclesiis Orientalibus* placet et de eo gratos animi sensus exprimimus tum em.mo card. Cicognani tum respectivae commissioni orientali.

Toto corde assentiens officialibus declarationibus em.mi card. Cicognani ac beat.mi patriarchae Maximi IV eiusque consiliarii, exc.mi Edelby, aliorum complurimorum venerabilium Patrum, profiteor schema in genere placere. Humiliter propono ut illud votis nostris confirmemus; ceteroquin omnes modi vel emendationes proponi possunt et attente considerentur. Accipere schema in genere est actus positivus sapiens et constructivus, quia permittit nobis retinere omnia bona quae schema continet, dum e contra votum negativum destruit simpliciter et simul elementa bona et mala. Sane nos omnes scimus textum non esse perfectum. Sed, peto, quinam textus anteriorum schematum fuit perfectus? Quisnam nostrum est perfectus? « Deus solus est perfectus », dicit proverbium arabicum — سبحان لكامل، لكمال لله وحـــد.

Mihi liceat duas tantum animadversiones practicas patefacere, quas spero a commissione in considerationem sumptas iri.

1. Imprimis, in par. 3, linn. 25-28, magis clarificandam censeo ideam, addendo aliquam sententiam in qua dicuntur haec vel similia: Cum sacrosancta Synodus declarat omnes Ecclesias, sive occidentales sive orientales, officio teneri praedicandi Evangelium ubique terrarum,

eodem tempore vi destituuntur atque abrogantur omnes normae a quavis auctoritate datae, puta ab aliquo Dicasterio etsi Supremo, vel a Legatis Pontificiis, quae restringunt activitates apostolicas cuiusvis Ecclesiae orientalis in favorem solius Ecclesiae latinae, sive in Proximo-Oriente, sive in Africa, sive in India, sive alio in loco. Clarum enim sit oportet, una vice pro omnibus, quod Sanctum Concilium decernit finem ponere cuivis discriminationi in Ecclesia, in damnum alicuius ritus et in favorem alterius. Si, in aliquibus casibus, Hierarcha seu Ordinarius loci reus est violationis canonum vel prudentiae, ipse personaliter corrigatur, admoneatur vel deponatur, sed damnum ne inferatur iuribus ipsius suae Ecclesiae, quae aequalia debent esse pro omnibus ritibus.

2. Iuxta mentem n. 27, relate ad sacram conversationem inter catholicos et orthodoxos, cui toto corde consentimus, vellem proponere ut a fortiori Concilium maiorem concedat facultatem concelebrandi pro sacerdotibus catholicis diversorum rituum inter se. Commissio competens facile inveniet formulam convenientem, ut facultas concedatur Ordinariis locorum vel eorumdem Vicariis Generalibus permittendi sacerdotibus alieni ritus concelebrare cum eorumdem propriis sacerdotibus, si in ritu sat edocti sint, non solum in locis sacris peregrinationum, sed etiam in conventibus nationalibus vel internationalibus sacerdotum variorum rituum. Simul enim communicantes de Corpore et Sanguine Christi, sacerdotes qui pertinent ad varios ritus catholicos, magis se sentient unitos inter se et fratres eiusdem Christi.

In hac enim petitione, sicut in omnibus aliis quas submittere censuimus, et in singulis propositionibus huius decreti *de Ecclesiis Orientalibus,* finem unicam intendimus: « Ut omnes unum sint! ». Dixi.

2

EXC.MUS P. D. MAURITIUS BAUDOUX
Archiepiscopus S. Bonifacii

Venerabiles Patres et in Christo Fratres,

Multa iam optime dicta sunt de mediis practicis quae schema proponit ut Ecclesiae particulares suum patrimonium speciale servent et augeant in bonum totius Populi Dei.

Liceat mihi, episcopo ritus latini in regione ubi numerosi adsunt fideles ritus orientalis cum propria hierarchia, aliqua afferre quae praeoccupationibus aliquorum episcoporum respondeant.

Prima pars: in genere. 1. Agitur in n. 4 de necessitate et modo laborandi tuitioni et incremento omnium Ecclesiarum particularium. Hoc correspondet principiis schematis *de Ecclesia.* Ibi enim bis laudantur varietates traditionum, rituum et consuetudinum quae in Ecclesiis particularibus inveniuntur, tanquam divitiae quae nedum unitati noceant, ei potius inservire possunt, et tanquam luculentior demonstratio catholicitatis indivisae Ecclesiae...[1]

Nuper approbavimus suffragatione fere unanimi contributionem hanc Ecclesiarum particularium ad patrimonium Ecclesiae universalis. Parum hoc iuvabit nisi prompti inveniamur ad eam efficaciter fovendam in nostris dioecesibus. In textu admonentur fideles rituum orientalium ut perseverent in sua vocatione particulari nonobstantibus difficultatibus. Nos autem incitamur ut eis subveniamus in his difficultatibus et in ritu retinendo animum demus, etiamsi exinde nostrum ministerium minus facile evadat.

2. Praescripta in n. 4 data eo tendunt ut clare appareat Ecclesiam catholicam non intendere sic dictam latinizationem eorum qui ad eam conveniunt. Omnibus evidens esse debet quod baptizatus qui in fide et oboedientia cum catholicis convenit, non ideo se alienat a proprio ambitu et communitate vitae nec renuntiat propriae culturae, ingenio, modo sentiendi, formae orandi et Deo serviendi, magis sibi suisque convenienti. Qui magni faciunt suum patrimonium, faciliter suspicantur de proditione eum qui membrum communitatis esse desinit momento quo fit catholicus. Ne accusetur Ecclesia in hanc proditionem cooperari faciliorem reddendo transitum orientalis ad ritum latinum! Hoc poneret obstaculum quasi insuperabile unitati cordis et actionis quam motus oecumenicus quaerit inter communitates orientales et Ecclesiam latinam.

3. Sane, multo peius est obstaculum reconciliationi communitatum obiicere quam individuo contradicere qui ad alterum ritum transire vellet. Et quidem multae difficultates ex parte eius qui ad Ecclesiam latinam convenit evanescerent, si ei cum caritate explicarentur rationes servandi patrimonium quod propriae personalitati correspondet, quod totam Ecclesiam ditiorem facit et quod unitati omnium in Christo favet. Quae argumenta valent non tantum pro regionibus Orientis, sed pro qualibet parte orbis terrae. Qui enim ex una regione ad aliam transeunt, indolem propriam non amittunt, et praestant servitium verum patriae adoptionis si in praxim ducunt patrimonium spirituale proprium.

Secunda pars: in specie. 1. Obiectio generalis contra textum ut in n. 4 schematis invenitur.

Solutio allata problemati valde complexo nequit omnibus videri tanquam optima.

Pro aliis, non satis affertur in schemate ad conservationem et dilatationem ingenii orientalis, quod est thesaurus pro omni Ecclesia pretiosus. Si textus schematis in hoc deficit, non est ex insufficienti consideratione et desiderio Patrum commissionis sed utique ex difficultate concreta problematum.

Pro aliis vero, illusorium videtur servare in tota Ecclesia et pro tota Ecclesia divitias quas existimant conservari posse unice inter communitates in ditionibus orientalibus viventes. Praeferendum ducunt favere integrationi communitatum peculiarium in communitate maioritatis, etiam pretio mutationis rituum. Ipsis respondere possumus iudicium non leviter ferri de rebus duraturis et perituris. Nam abruptio structurarum mundi, necnon et pluralismus in mundo magis patens, non sinit nos dicere valores vere humanos et *divitiores* [2] perituros esse, nec nobis permittit otiosos esse in tuitione et incremento divitiarum Ecclesiae.

2. Obiectiones particulares: *a*) Relate ad libertatem religiosam. Obligatio servandi fidelitatem proprio ritui non privat facultate serviendi Deo secundum dictamen propriae conscientiae. Sed e contra authentica libertas fovetur quando subsidiis a zelo pastorali inspiratis adiuvatur homo ut pressionibus socialibus facilius resistat. Et libertas totius Ecclesiae minuitur quando eius multiformis varietas extenuatur deperditione voluntaria divitiarum a Deo acceptarum.

b) Relate ad complicationes ordinis administrativi et pastoralis. Experientia scimus conflictus possibiles et inevitabiles esse ubi convivunt fideles rituum diversorum. Hos conflictus causare possunt defectus caritatis et dialogi, diuturna separatio individuorum a communitate rituali cui pertinere deberent, zelus non satis discretus aliquorum sacerdotum, problemata ordinis iuridici quae exsurgere possunt ubinam conveniunt auctoritates. At huiusmodi difficultates nunquam tantae sunt quae in caritate et in prudentia vere pastorali solutionem invenire non possint. Nec licet tales difficultates comparare cum malis ordinis superioris quae causarentur a proposito omnes christifideles ad unam categoriam reducendi.

Facilitas in administratione, et absentia duarum vel plurium iurisdictionum in eodem territorio non est finis in se, sed subordinari debet bono superiori scil. diversitati quam Spiritus vult in Ecclesia florescere.

Conclusio, circa quartam sectionem: servandus omnino est textus *n. 4* [3] schematis *de Ecclesiis Orientalibus,* qui: 1. Patribus conciliaribus

praesentatur ex decisione maturius perpensa commissionis conciliaris; 2. repraesentat votum Ecclesiarum orientalium in Concilio praesentium, duabus vel tribus tantum exceptis; 3. inspiratur sollicitudine omnium Ecclesiarum orientalium quibuscum tantis nexibus in Christo vinculamur.

Veniam tandem peto, ut possim addere unum verbum de institutione patriarchali. Institutio patriarchalis in Ecclesia catholica honoranda est sicut in Ecclesiis orthodoxis honoratur. Haec enim institutio Ecclesiae universalis semper viguit et adhuc viget in Orthodoxia, quia *tamquam* [4] basim orientalis ecclesiologiae constituit. Omnis diminutio patriarchatui in Ecclesia catholica allata, est infidelitas traditioni patristicae et synodali, ideoque dialogo obstaculum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cf. n. 13, pag. 35, lin. 17; n. 23, pag. 66, lin. 31). [2] divinos. [3] deest. [4] deest.

3

Exc.mus P. D. DOMINICUS ROMOALDUS BASILIUS ATHAIDE
Archiepiscopus Agraënsis

Patres Fratresque dilectissimi,

Liceat sequentes facere animadversiones relate ad schema *de Ecclesiis Orientalibus*:

1. Ad providendum ubique terrarum tuitioni atque incremento omnium ecclesiarum particularium, in n. 4 schematis statuitur: « ut constituantur paroeciae atque propria cuiusque hierarchia, ubi id postulat bonum spirituale fidelium ». Quo fit, ut in uno eodemque territorio, in quo simul vivunt fideles diversorum rituum, plures simul vigeant iurisdictiones ab invicem independentes.

Nemo autem ignorat talem organisationem hierarchicam, in eodem territorio pro diversis ritibus diversam, saepissime pluribus dissentionibus et vexationibus praebere ansam, atque non raro constituere causam dissipationis energiae.

Quapropter, nomine plurimorum episcoporum Indiae et etiam aliarum regionum tam latinorum quam orientalium, proponere audeo, ut principio nimis absoluto in n. 4 statuto, substituatur principium optimum et sapientissimum in schemate *de pastorali episcoporum regimine in Ecclesia,* sub n. 21, ad 3, consecratum, vi cuius scil., tanquam norma *regulariter* servanda, statuitur in uno eodemque territorio, nonnisi unum

praeesse episcopum dioecesanum; huic vero iniungitur ut *ipse* provideat spiritualibus necessitatibus fidelium diversorum rituum in dioecesi eius versantium « sive per sacerdotes aut paroecias eiusdem ritus, sive per vicarium episcopalem aptis facultatibus instructum, et, si casus ferat, etiam charactere episcopali ornatum, sive per seipsum — denique — diversorum rituum Ordinarii munere fungentem ». *Solummodo* « si haec omnia, ob rationes peculiares iudicio Apostolicae Sedis, fieri non possint, Hierarchia propria pro diversitate rituum constituatur ». *Hoc modo bene providetur necessitatibus fidelium variorum rituum.*[1]

2. In n. 6, legitur: « Religionibus et associationibus latini ritus, quae in regionibus orientalibus vel inter fideles orientales operam praestant, enixe commendatur ut, ad maiorem apostolatus efficaciam, domos aut etiam provincias orientalis ritus, quantum fieri potest, constituant ».

Quamvis in schemate ex professo agatur de solis Ecclesiis orientalibus, atque proinde non absolute requiratur ut in schemate isto ex professo exponantur principia aequivalentia relate ad religiones orientalis ritus ...[2] inter fideles latinos operam praestantes, tamen episcopis conferentiae nationalis Indiae videtur opportunum ut ibidem explicite recolatur simile monitum pro iisdem orientalibus valiturum; hoc enim exigi videtur ut vitetur quaelibet discriminationis causa relate ad diversos Ecclesiae catholicae ritus de facto in eodem territorio vigentes.

Quapropter, nomine omnium episcoporum conferentiae nationalis Indiae, propono ut post verba supradicta schematis, explicite addantur haec vel similia verba: « Religionibus et associationibus orientalis ritus vero, quae in regionibus determinatis inter fideles latinos operam praestant, enixe commendatur, e converso, ut ad maiorem apostolatus efficaciam domos aut etiam provincias latini ritus, quantum fieri potest, constituant ».

3. ...[3] In prooemio et in sectione « de Ecclesiis particularibus » ample et continuo, et merito quidem, laudantur et extolluntur variae Ecclesiae orientales particulares in diversis regionibus exsistentes, atque determinantur earumdem relationes cum Ecclesia catholica universaliter sumpta, quin ibi ullum inveniatur verbum laudativum Ecclesiae latinae, et quin ibi ullatenus alludatur ad relationes Ecclesiarum orientalium cum Ecclesia latina.

Ex hoc autem, ni fallimur, apud quosdam forsitan oriri potest impressio omnino erronea et menti Sacrae Synodi indubitanter contraria, quod « Ecclesia catholica » in schemate, identificatur cum Ecclesia latina, et quod Ecclesiae orientales ibidem tractantur ut mera quaedam appendix minoritatum, quae utique laudandae sunt et integre retinendae, Ecclesiae latinae tamen aliquatenus postpositae.

Ut ab initio tali falsae impressioni claudatur via, proponimus ut prooemium incipiat sequentibus aut similibus verbis: « *Non tantum Ecclesiae latinae, sed et* orientalium Ecclesiarum instituta, ritus, traditiones ecclesiasticas atque vitae christianae disciplinam Ecclesia catholica semper magni facere consuevit... » etc.

b) Quod attinet ad patriarchas orientales, opinamur iis non minorem dignitatem esse agnoscendam quam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus.

Quapropter, proponere audeo ut in fine n. 9, addantur haec vel similia verba: « quinimmo, ut iisdem in futuro agnoscatur dignitas cardinalitia... ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] in regione determinata. [3] Nomine aliquorum episcoporum Indiae adiungo denique sequentes propositiones: *a*).

Relatio conclusiva disceptationis

Exc.mus P. D. GABRIEL BUKATKO
Archiepiscopus Belogradensis

Venerabiles Patres conciliares,

Expleta iam disceptatione de schemate decreti *de Ecclesiis Orientalibus,* liceat mihi sequentia adnotare:

1. Prae primis gratias maximas ex imo corde agimus omnibus vobis, venerabiles Patres, iis praesertim qui suis interventibus quaestiones difficiliores nostri schematis magis enucleatas reddiderunt easque luce clariore illustraverunt. De huiusmodi observationibus aliisque modis a Patribus adhuc forsitan suppeditatis, si hoc Patribus placuerit, Commissio ista vel alia in ulteriore labore rationem debitam, considerationemque attentam habebit.

2. Ex ipsa disceptatione de nostro schemate hac in aula habita, sufficienter elucet quam difficilis et complicata sit materia istius schematis, cum Patres qui locuti sunt in tot varias sententias abierunt diversasque solutiones proposuerunt, quod provenit ex diversitate communitatum orientalium, ex varietate eorum ritus, disciplinae, historiae, traditionum, etc.

3. Attamen re penitus perpensa fateri debemus, nonnullas observationes a Patribus in aula prolatas non fuisse ad rem vel eam vix teti-

gisse. Nec defuerunt observationes factae quae sibi ad invicem contradicebant, puta v. g. petitionem facultatis erigendi ubique instituta pro fidelibus alicuius diversi ritus et eodem tempore postulandi ut de certo aliquo loco tollantur omnes iuxtapositae iurisdictiones varii ritus, praeter unicam localem, quae possideret et omnes alias praevalere deberet. Aliae autem obiectiones sat numerosae debentur, proh dolor! tantummodo inadvertentiae Patrum ad non paucas modificationes textus impressi, quae in sessionibus Commissionis nostrae iam acceptae fuerunt et in fine Relationis impressae inveniuntur. Istis modificationibus nec invisis nec cognitis, non pauci Patres proinde « hanno sparato a vuoto » — si direbbe in italiano —, oppugnaverunt textum quoddam quasi fictivum, dum e contra disceptationi proponebatur textus schematis a commissione iam emendatus, modificatus, perpolitus.

4. Uti iam in relatione dictum est, schema proprium *de Ecclesiis Orientalibus* eiusque programma debetur augustae decisioni Summi Pontificis sanctae memoriae Papae Ioannis XXIII. Si nunc Patribus conciliaribus placeat ut programma Ioanneum quoad Ecclesias orientales catholicas mutaretur, velint de hac re clare sese exprimere.

5. Quod spectat relationem nostri schematis ad alia schemata conciliaria, nos neque in competentiam aliorum commissionum intravimus, neque res ab aliis tractatas retractavimus, neque repetitiones inutiles fecimus. Immo dicere debemus: alia schemata, sive *de Ecclesia,* sive *de munere pastorali episcoporum,* sive *de Oecumenismo* ex nostro schemate non pauca mutuaverunt. Nihilominus, nullum ex hisce schematibus materiam nostram ad mentem orientalium catholicorum tractavit.

In specie quod relationem attinet schematis nostri ad illud *de Oecumenismo,* cap. III, notare iuvat: character cap. III *de Oecumenismo* est potius declarativo-descriptivus, dum character schematis nostri est magis dispositivus, habet vim legis. Ideo ambo schemata sese ad invicem complectuntur, non sibi opponuntur. Schema *de Oecumenismo* ad eos describendos potius limitatur, qui sunt a nobis seiuncti; nostrum vero schema ulterius progreditur, et orientalibus in unitate catholica iam viventibus meliore quo potest modo providere cupit ad interim et ad tempus, donec dialogus cum fratribus seiunctis initus ad finem felicem non perveniat et meliore modo de omnibus quaestionibus providere valeat.

6. Quoad postulata ab aliquibus Patribus facta, ut ex schemate reiciantur quaestiones iuridicae, quaeritur, cur simile quid minime postulabatur relate ad cetera schemata nostri Concilii ubi tot problemata ac quaestiones mere pastorales, disciplinares atque iuridicae tractabantur. Cur non posset iure suo uti etiam oriens catholicus ut statuat synoda-

liter principia, quae in codificatione orientali ad effectum plenum deduci valeant?

Minus adhuc accipi potest propositio aliquorum Patrum, qui huiusmodi quaestiones iuridicas remitti proposuerunt ad competentiam patriarchae proprii vel synodi patriarchalis. Non omnes enim Ecclesiae orientales catholicae habent proprium patriarcham. Nonnullae, immo numero fidelium maiores, eo adhuc carent. Praeterea, plures quaestiones tangunt non unam aliamve Ecclesiam, sed totam Ecclesiam catholicam.

7. Ad obiectionem, quod schema nostrum non sit satis oecumenicum, sincere confiteri debemus: nullam esse in nostro schemate materiam, quae a fratribus nostris seiunctis amplecti non possit: si de sola forma sermo fit, haec utique perfici et corrigi possit et debeat.

Conclusio. Quid ergo ad concludendum dici debet de schemate hoc, quid de eo sentiendum sit relate ad suffragia ferenda?

Id quod longe maior pars tum membrorum commissionis tum Patrum sive orientalium, sive occidentalium, praesertim qui in disceptatione verbo usi sunt consentierunt in eo convenientes, quod schema sane non est perfectum, sed perfici potest. Ut autem perficeretur, ad nihil serviret votum negativum. Huiusmodi votum negativum in discrimen poneret certum progressum disciplinarem in schemate propositum sicuti et prestigium Ecclesiarum orientalium catholicarum.

E contra, votum positivum, licet fiat cum certo numero modorum, adiuvaret utique ad textum schematis perficiendum.

Rogo vos humaniter et exhortor, venerabiles Patres, ne tractetis fratres catholicos orientales peius quam decretum *de Iudaeis et de nonchristianis,* proinde suffragium positivum pro adprobatione huius schematis velitis dare, scil. placet, vel saltem placet iuxta modum. Dixi. Gratias.

Moderator: Indicet nunc votationem praeliminarem exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: His omnibus auditis, Patres amplissimi, expromamus nostrum suffragium, respondendo ad quaestionem: « An placeat Patribus ut post disceptationem schematis decreti *de Ecclesiis Orientalibus,* transeatur ad suffragationem faciendam? ». Responsio erit vel *placet* vel *non placet.*

Moderator: Transeamus nunc ad disceptationem de schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis,* et introductionem dabit em.mus D.

card. Ferdinandus Cento, et se praeparet ad loquendum exc.mus relator exc.mus D. Aemilius Guano, ep. Liburnensis. Primo, loquatur exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Venerabiles Patres, disceptatio de hoc schemate hunc ordinem habebit: imprimis fiet disceptatio de principiis generalibus. Post hanc disceptationem, moderatores quaerent a Patribus utrum transitus fieri possit ad disceptanda singula puncta. Huiusmodi suffragium exprimetur per schedulas.

Si suffragium fuerit positivum, transitus fiet ad singula puncta, quae hanc distinctionem habebunt: imprimis fiet disceptatio circa prooemium et cap. I; deinde super cap. II et III coniunctim; deinde procedetur ad cap. IV. Sed cum materia huius capitis sit varia, fiet disceptatio circa singula puncta cap. IV, praemissa brevi relatione circa unumquodque punctum, prout statuit art. 32 *Ordinis* nostri.

Unde fiet imprimis, semper quoad cap. IV, disceptatio circa introductionem et n. 20, scil. de dignitate personae fovenda; deinde fiet disceptatio de dignitate matrimonii et familiae, nempe de n. 21; transitus dein fiet ad n. 22, de cultura rite promovenda; adhuc discutietur n. 23, de vita oeconomica et sociali; postea de « solidarietate » familiae populorum promovenda, nempe n. 24; transitus fiet dein ad n. 25, nempe de pace firmanda; qui numerus erit ultimus, et hic numerus suffragationi subiicietur una cum conclusione.

Lego nunc, Patres venerabiles, exitum suffragationis circa *integrum cap. VII de Ecclesia*:

Praesentes votantes	2.184
Dixerunt *placet*	1.921
non placet	29
placet iuxta modum	233
Suffragium nullum	1

Ergo congregatio generalis approbavit cap. VII integrum; sed modi, ut saepius promissum est, examini debito subiicientur. Dixi.

DISCEPTATIO

[5]

1 – Schema
DE ECCLESIA IN MUNDO HUIUS TEMPORIS *

PROOEMIUM

1. [*Ecclesia Concilio repraesentata quantopere generi humano iuncta sit*]. Gaudium et luctus, spes et angor hominum huius temporis, pauperum praesertim et afflictorum, ipsius quoque Concilii sunt angor et spes, luctus et gaudium. Omnes enim pariter sumus homines, membra populi innumeri, creati a Deo, habitantes terram, quam Deus credidit nobis, ut excolamus eam unanimes. Omnes in intimo animo sentimus communem nobis esse sortem in rebus prosperis et adversis, communem hereditatem historiae, communem conatum progrediendi.

Omnes insuper vocati sumus ad unam filiorum Dei familiam in Christo Iesu efficiendam, qui omnes homines cuiusvis gentis vel linguae, nationis vel condicionis, eodem prosequitur amore. Ipse enim venit ut omnes a peccati miseria et discordia liberatos congregaret in unum et Suo regeret mandato amoris, unitatis et pacis.

---

* *In initio fasciculi legitur*: « Ss.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, de quo in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo deliberabitur, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die III mensis Iulii, anno MCMLXIV.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

Verba, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur ».

2. [*Ecclesia perscrutatur « signa temporum »*]. Tempus enim si- [5] gnum et vox est, pro Ecclesia et pro hominibus, quatenus secumfert praesentiam Dei, vel, infeliciter, absentiam a Deo, necnon hominis magis minusve consciam ad Dei invocationem, Dei magis minusve patentem ad hominem vocem. In voce ergo temporis vocem Dei audire oportet ita ut in luce fidei praesentes opportunitates et miseriae hominum conscientiis concretum caritatis mandatum adumbrent. Plura videt Ecclesia ab hominibus nostrae aetatis bene perspecta et gesta, inter quae eminet, quod magis magisque omnes homines ut membra unius familiae agnoscuntur atque eadem singulis aestimatio tribuitur; congaudet de scientiae et technicae artis incremento, quod profecto respondet consilio Dei, qui hominibus terram implendam tradidit atque subiciendam (cf. *Gen.* 1, 28).

Ast neminem fugit, quantum absit genus humanum a vera solutione tot gravium problematum quae hodiernae culturae progressui inhaerere videntur. Non enim eodem passu homo proficit in sapientia ac in technica arte. Haud raro homines rerum externarum evolutione, ratione vivendi, laborandi ac se recreandi sibi ipsis magis alienantur: multi, soli progressui materiali intenti, nil altius desiderare videntur, cum alii confuso quodam inanitatis sensu, taedio, immo desperatione angantur. Nec vera [6] habetur pax, quae fructus sit caritatis et iustitiae, veritatis et libertatis, dum innumeri homines debita libertate privantur, dum alii autem bonis terrae iniuste distributis, in famem detruduntur vel a congrua evolutione retardantur. Iterum atque iterum oriuntur bella, nec minari desinit bellum omnium funestissimum, quod nucleare dicunt.

Propterea non est mirum, si permulti homines, etsi iure de aucto dominio super naturam gloriantur, de intimo sensu historiae humanae, praesertim mundi hodierni dubitare incipiunt.[1] S. Synodus vero in variis eventibus totius generis hominum operationem Divini Spiritus dignoscit. Ipse dirigit cursum temporum et renovat faciem terrae; Ipse est, qui hominum mundat corda eaque inter mundanas vicissitudines diversis viis ducit ad Christum. Non sine Eius luce homines discernere possunt in praesenti civili cultu proba et iusta ab inceptis minus rectis et periculosis.

3. [*Ad quos dirigatur hoc Schema et quid intendat*]. Ecclesiae mysterio iam considerato, S. Synodus Ecclesiae filios alloquitur, ut coniunctis viribus partem suam praebeant in mundo secundum spiritum Christi aedificando. Sed exoptamus, ut cum unus nobis sit labor, audiamur a dilectis quoque fratribus communitatum Ecclesialium a nobis seiunctarum, qui eundem Dominum atque mundi Salvatorem confitentur,

[6] atque paris sollicitudinis testimonia dederunt non pauca. Illos porro alloquimur, qui, Christo nondum agnito, nobiscum Deo vivo et sancto agunt gratias, cuius gloria invisibilis splendore creationis manifestatur (cf. *Rom.* 1, 20). Omnes denique homines, qui nos interrogant de spe quae in nobis est, invitamus, ut nobiscum considerent, quid sit homo et quaenam eius vocatio ac munus in hoc mundo. Certi sint de sincera christianorum voluntate cooperandi in extruenda civitate terrestri vere fraterna, libenter quoque agnoscendo bonum quod ipsi iam contulerunt vel conferent.

4. [*Christus lux mundi*]. S. Synodus, dum christianis universaeque hominum familiae de relatione Ecclesiae mundum huius temporis alloquitur, ipsum solum Christum, verum Deum et hominem, intendit, qui est lux et Salvator mundi. Etenim nonnisi per Ipsum, e quo omnibus omnia profluunt bona (cf. *Io.* 8, 12; 12, 46), Ecclesia sua fungi potest missione pro mundi vita. Inter infirmitates et in spiritu crucis Christi Ecclesia in mundo amorem Eius visibilem efficere debet, qui humili vita et morte amorem Patris erga mundum manifestavit et qui, resuscitatus a Patre, suo amore vivificat Ecclesiam et mundum.

[7] 1° In omnibus, spirituali missioni intenta, quam a Christo suscepit, Ecclesia homines edocet, quomodo munera quoque temporalia in luce verae integraeque vocationis suae considerare et implere debeant (C. I.).

2° Cum universa Ecclesia ministerio suo, praesertim per Pastores exhibito, Christum agat, qui in forma servi venit (cf. *Phil.* 2, 7-9), implicatas suas relationes ad civitatem terrestrem sic ordinare vult, ut non solum spiritualis natura suae missionis hominibus pateat sed etiam bonum commune totius generis humani promoveatur (C. II.).

3° Singuli christiani communitatesque christianorum Christum in medio fratrum versantem honesta et generosa cooperatione cum omnibus hominibus in spiritu fraternitatis, paupertatis et servitii manifestent (C. III.).

4° Tandem S. Synodus omnes et singulos christianos admonere vult, ut opera maxime urgentia huius aetatis vigili spiritu et prompto animo aggrediantur (C. IV.).

[8]

Caput I

DE INTEGRA HOMINIS VOCATIONE

5. [*Introductio*]. Apud huius aetatis homines paene communis evadit persuasio quaestiones de cultura, de civitate, de scientiae et artis technicae progressu omnes redigi ad unam quaestionem: nempe de homine

eiusque vocatione. Multi autem vitam hominum nonnisi sub specie [8] finium temporalium respiciunt, vanum, immo saepe nocivum aestimantes quidquid homines ad aeterna provocat, ac si inde a recta cura rerum huius terrae avertantur. E contra non desunt christiani, qui dubitent an opera progressui civitatis terrestris impensa non aptius solis rebus supernaturalibus devovenda sit, non advertentes huiusmodi officium ab ipsa fide sua promanare. Quare dilucidandum est, quanti sint momenti res terrenae in integra hominis vocatione. Christus enim venit, ut totum hominem ad altiorem elevaret dignitatem.

6. [*De valore rerum et munerum terrestrium*]. Christum secuta, Ecclesia Deo gratias agit pro omnibus rebus creatis, quae sunt « valde bona » (cf. *Gen.* 1, 31) et hominibus continenter enarrant benignitatem Patris, qui scit quibus indigeamus (cf. *Mt.* 6, 8 et 32). Omnes res creatae hominem ad Deum vocant (cf. *Io.* 1, 3; *Col.* 1, 17). In Christo Iesu autem homo loquelam rerum vere audire et intellegere potest; omnia enim per ipsum et in ipso creata sunt, qui est Verbum Patris (cf. *Col.* 1, 16). Ipse veniens in mundum verbis humanis altum sensum rerum creatarum revelavit. Verbum Patris, assumendo sua incarnatione naturam humanam, totum hominem, corpus et animam omneque creationis opus, ipsam quoque materiam ad altiorem evexit dignitatem et omnia, etiam munera terrestria, altiori inseruit cum Deo habitudini qui naturam hominis excedit.

Homo ergo, si vult sic transire per bona temporalia, ut non amittat aeterna, debet etiam in illis, ut filius adoptivus, Deum audire et ut Patrem glorificare.

At, per donorum Dei superabundantiam cor hominis dilatatur et spes eius elevatur ultra civitatem terrestrem aedificandam, quae, quamvis grandis et pulchra sit, coli debet spe civitatis venturae caelestis. Profecto Christus Iesus, unicus Dei Filius, nos altioris participes fecit vocationis (cf. *Hebr.* 13, 14): ut credentes in Eum et Patrem qui misit Eum, vitam habeamus aeternam, filii Dei nominemur et simus (cf. *Io.* 3, 16), divino amore cum ipso coniuncti unam formemus familiam Dei (cf. *1 Io.* 3, 1), [9] Deum Patrem filiorum animo cognoscentes, nunc per fidem, tunc autem facie ad faciem (cf. *1 Cor.* 13, 12).

Haec spes sane non minuit, sed potius exaltat huius vitae in mundo et in societate humana dignitatem et momentum. In hoc enim cursu vitae terrestris homo suam fidelitatem erga Deum et amorem in fratres probare debet. Labor quo homines terram sibi subiciunt, cum iam naturaliter sit praeclarum vinculum sociale, fons progressus culturae, et fons, etsi non unicus, perfectionis ipsius hominis, altiori inseritur consilio Dei de

[9] homine. Cum Dei circa hominem consilia compleantur amore, quo Filium suum Salvatorem mundi constituit, filii adoptivi omni studio sollicitudinem Patris erga omnes homines etiam in rebus terrestribus induere debent. Caritas non solum super terram sed etiam in ipsis laboribus et commerciis terrenis florescere debet. Ii, qui fideliter in luce Christi ambulant, qui est lux et Salvator mundi, intime sentiunt et intellegunt etiam expectationem creaturae, quae exspectat revelationem filiorum Dei. Etsi plena creaturae liberatio a servitute corruptionis (cf. *Rom.* 8, 19-21) nonnisi in secundo adventu Domini manifestabitur, tamen redempti, etiam structuris et ordinibus terrestribus, initia spei suae, meliore quo fieri potest modo, communicare debent.

Plena proinde hominum vocatio haec est, ut gratias agentes Dei dona accipiant, et consilium Dei suum facientes fructum afferant in omni bono opere, in omnibus Christum secuti. Omnia enim vere sunt nostra, si nos sumus Christi, sicut Christus est Dei Patris (cf. *1 Cor.* 3, 23).

7. [*Hominis vocatio et dignitas ne minuatur*]. Quare S. Synodus christifideles hortatur ut memores sint magnitudinis suae vocationis eamque vita non solum privata sed etiam sociali aliis manifestent. Deploranda est caecitas eorum, qui sive docendo, sive agendo, hominum vitam ad solas coarctant dimensiones terrestres. Christus severe reprehendit et Mammonis idololatriae (cf. *Mt.* 19, 23) accusat illos, qui bonis terrenis immoderate inhaerent (cf. *Mt.* 6, 24; *Lc.* 16, 13). Hodie non raro doctrinas, institutiones ordinemque laboris et otii in eo convenire vidimus, ut immensa desideria hominum cordibus divinitus inserta, in immoderatam cupiditatem possidendi terrena depravent. Scientia et artis technicae progressiones, aucta bonorum productio, quae per se sunt fructus et signa dominii super materiam, sic iam desinunt esse auxilia, quibus homo excrescat, ac saepe mutantur in diros tyrannos, et communitatum et singulorum. « Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? » (*Mt.* 16, 26).

[10] 8. [*Quantum homo peccator indigeat Salvatore mundi*]. Ipsam terrenam civitatem homines solummodo Salvatoris ope ita extruere possunt, ut plenae suae vocationi respondeant. Natura enim humana, operum creationis visibilis fastigium, ad quod secundum Dei consilium intendebat terrae per innumeros annos evolutio, ab ipso depravata est homine, qui libertate divinitus data abusus, benignae Patris voluntati propriam opponere ausus est. Quod peccatum historiae humanae decursu sic abundavit, ut homo nascatur non tantum proclivis ad malum sed etiam quasi vitae condicionibus temptatus, ne recte se gerat erga Deum, erga fratres, erga

mundum. Re vera, non desinit humanum genus experiri res prosperas [10] dirui iniustitia, mendacio atque violentia. Quae mala non ex eo tantum oriuntur, quod res oeconomicae, technicae, et scientiae discrepantiis progressui oeconomico-sociali inhaerentibus concutiuntur; sed oriuntur etiam ex singulorum superbia et egoismo, et ex eo, quod in peccato conveniunt multi, et saepe etiam opera sua societatisque cultum suis peccatis contaminant. Ubi ordo rerum peccatorum sequelis perturbatus est, nova semper oriuntur incitamenta iniustitiae. Peccatum vero ex intimo prorumpit homine (cf. *Iac.* 1, 14-15), qui ad vitam nequaquam resurget, nisi veteri homini mortuus erit (cf. *Rom.* 6, 6; 8, 13). At nemo, suis solis viribus, maligni spiritus tentationes et peccati servitutem effugere valet ad veram filiorum Dei libertatem assequendam. Christus solus, peccati quidem expers (cf. *2 Cor.* 5, 21), mortuus vero pro nobis peccatoribus, ut omnes salvaret, et a Deo omnium primus resuscitatus, hanc nobis largitur vitam. Quare homo, qui in omnibus e Deo pendet, insuper propter peccatum, novis indiget donis divinis et remediis, et quidem non solum ut gaudia assequatur aeterna, sed etiam ut ipsam civitatem terrenam exstruat super solidum iustitiae et caritatis fundamentum. Homo nec amorem sui ipsius purgabit nec iniustitiam in mundo evincet nisi vestigia Eius sequatur qui per mortem in vitam gloriosam ingressus est.

9. [*Tensio et harmonia diversorum munerum in integra hominis vocatione*]. Duae rationes vocationis hominis — ut primum quaerat regnum Dei (cf. *Lc.* 12, 31) et fideliter exstruat civitatem terrenam — sibi non opponuntur. Cultura enim terrena, negato fine et subsidio divino, fieret manca; cum altera ex parte, qui spretis donis divinitus oblatis mundo renovando non velit secundum vocationem propriam inservire, Deum quaerit in vanum. Dei enim voluntas est ut homo toto corde agnoscat Eius dominum super omnes res, et ut regnum Christi crescat, sicut semen in terram missum, dum homo, qua creatura praedilecta, officia sua exsequitur erga Deum, erga proximum, erga mundum, qui est Dei et hominum. Donec veniat Dominus, christiani versantur in mundo, tamquam fratres laborantes cum fratribus ad mundi aedificationem. In [11] mundo exercent amorem Dei sanando condiciones vitae humanae et succurrendo miseriae fratrum. Sed mundus, quatenus cupidine, mendacio, et odio implicatus est (cf. *1 Io.* 2, 16), eis peccati labem minatur. Quare tum Dei et Salvatoris dominium super mundum, tum caritas proximi et salus propria urgent omnes, ut sociam dent operam societati magis iustae et fraternae aedificandae. Ita patet conversionem cordis ad Deum minime posse sperari e solo progressu scientiarum vel e naturae dominatione vel e copia divitiarum; sed nec dubitare licet quin sincera et

[11] plena ad Deum conversio exigat conatus continuos et socios, ut ordo caritatis et iustitiae in rebus terrestribus in dies magis appareat et homines liberentur ab illa rerum inopia et servitute, quibus persaepe impediuntur ne observent bonos mores animumque aperiant rebus supernis.

Perficitur ergo homo cognitione, moribus, spiritu, totis viribus, inserviendo secundum propriam vocationem communitatibus tam spiritualibus quam temporalibus ad quas pertinet. Nemo tamen, quamvis forsitan maiore vitae parte officiis terrenis occupatus, Deo gratias agere neglegat, nec obliviscatur quanti pretii sit cognoscere Deum. Item, qui vitae statu vel apostolatu, rebus divinis consecratur, terrena hominum officia nequaquam despiciat. Omnes potius meminerint hominem spirituali cibo egere et materiali.

[12]

Caput II

ECCLESIA DEI HOMINUMQUE SERVITIO DEDITA

10. [*Introductio*]. Ecclesia, quae versatur in hoc mundo (cf. *Io.* 17, 16), etsi non est de hoc mundo, multiplicibus et mutuis relationibus connectitur cum mundo, id est cum omnibus hominibus eorumque institutionibus et officiis. Haec mutua relatio est fecunda pro ipsa Ecclesia et pro mundo, non obstantibus discrepantiis vel difficultatibus quandoque inevitabilibus. Multae autem difficultates auferri vel saltem deminui poterunt, si omnes bene intellexerint quomodo Ecclesia suam missionem circa mundum a Domino acceptam interpretetur. Qua in re ipsa decursu saeculorum et per varias experientias plura paulatim clarius perspiciebat et perspicit. Primo loco sermo potius erit de servitio Pastorum Ecclesiae erga mundum, deinde de toto Populo Dei, quatenus participat illam missionem, speciatim autem de laicis.

11. [*De munere apostolorum eorumque successorum proprio*]. Iesus Christus, ut opus redemptionis, quod dedit Ei Pater, perenne redderet, misit discipulos, ut omnes homines fierent salutis participes, spe resurrectionis. Apostolis eorumque successoribus munus credidit, ut Evangelium omnibus populis nuntiarent, et omnes credentes congregarent in unitate caritatis, orationis et gratiarum actionis, eosque docerent omnia servare quae Ipse praescripsit (cf. *Mt.* 28, 20). Ipsi vero cum toto Populo Dei subiciuntur Spiritui Iesu, qui est verum credentium vinculum. Munus eorum, qui Christi nomine regunt Ecclesiam, in eo positum est, ut opus prosequantur Illius, qui venit ministrare et non ministrari (cf. *Mt.* 20, 28). In omnibus ergo eos agere oportet ut ministros salutis omnium hominum (cf. *2 Cor.* 6, 4).

12. [*Quomodo Ecclesia ad potestates terrenas referatur*]. Apostoli [12] eorumque successores cum mittantur, ut hominibus annuntient Christum Salvatorem mundi, qui mortem devicit moriens et resurgens a mortuis, in hoc apostolatu exercendo, eadem innituntur potentia Dei, qui persaepe virtutem Evangelii in infirmitate testium manifestat. Quicumque enim ministerio Verbi Dei se devovent, utantur oportet viis et mediis Evangelio propriis, quae in plurimis differunt a mediis licet honestis civitati terrenae propriis et omnino opponuntur astutiae et violentiae, quae toties hunc mundum perturbant.

Sine dubio, res terrenae et eae quae mundum exsuperant in homi- [13] num condicione, arcte inter se iunguntur, et ipsa Ecclesia temporalibus utitur, quantum propria missio id postulat, quin in privilegiis ab auctoritate civili oblatis spem ponat. Immo exercitio iurium quorumdam legitime acquisitorum libenter renuntiabit, ubi primum constiterit eorum usu ob novas vitae condiciones candorem testimonii vocari in dubium. Certe sanam cooperationem cum iis potestatibus minime recusat, immo eam exoptat. Semper autem et ubique divinitus fas ei est postulare, ut vera cum libertate fidem praedicare et inter homines munus suum expedite exercere possit, omnia et sola media adhibens quae Evangelio et bono omnium secundum temporum et condicionum diversitatem respondeant.

Ecclesiae maxime cordi erit, ut promoveatur, iuvantibus omnibus bonae voluntatis hominibus, vera spiritus libertas, exclusa qualibet coactione, quae dignitatem personae humanae offendat vel sinceram fidem adulterare possit. Evangelium enim, liberum hominis responsum provocare vult, cum nullo modo assensum mere externum intendat, sed contra sinceram conversionem internam novamque vitam in Christo. Non solum Ecclesia sed paene omnes homines hodie a potestatibus civilibus expectant et postulant efficacem libertatis religiosae agnitionem, ita ut unusquisque, sive solus, sive in communitate cum aliis, plena libertate gaudeat dum propriam conscientiam sincere sequitur veritatem inquirendi, et, iuribus aliorum hac in re sancte servatis, publice etiam profitendi. Haec libertas est essentialis pars boni communis.

Ecclesia ceterum docet potestates, scilicet spiritualem et temporalem, esse distinguendas, et christianos iustis mandatis potestatum temporalium obligari (cf. *Rom.* 13, 1-7), salvo sane officio praedicandi Evangelii, fidei profitendae, legisque divinae in omnibus servandae. Ecclesiae Pastores etiamsi implendo suam missionem interdum de rebus temporalibus ratione fidei et morum iudicare debent, nequaquam dicioni propriae potestatis civilis se interponunt. Sciunt enim suum munus non esse intervenire rebus temporalibus qua talibus. Sicut

[13] Christus munus arbitri litium terrenarum respuit (*Mt.* 22, 15-21) nec se regem proclamare passus est (cf. *Io.* 6, 15), similiter et ipsi hominibus sua relinquent mundana dirimenda negotia, ubi non agitur de necessario vel libere postulato caritatis servitio. Suo sacro munere fungentes unice Dei servitio et hominum saluti intenti sint oportet, nulla regnandi cupiditate distracti, non tamen ignorent res temporales Deo esse subiectas et sapientiae Eius legibus, quae obligant omnium conscientias. Quibus illuminandis Pastores dant operam, Dei dominium super res creatas praedicantes, et non suum. Quod sane homines nostrae [14] aetatis facilius agnoscent, cum divina favente Providentia, Pastores in novis mundi adiunctis negotiis temporalibus curandis minus in dies implicentur.

13. [*Quomodo Ecclesia a mundo iuvetur*]. Ecclesia sciens in toto mundo virtutem operari Verbi, in quo condita sunt et constant universa (cf. *Io.* 1, 3; *Col.* 1, 17), nihil bonum et verum a se putat esse alienum et sibi indifferens. Per profectum scientiarum veritas rerum creatarum magis magisque hominibus patet; per experientiam historiae ipsius hominis natura melius discernitur; per divitias in diversis humanis culturis reconditas innumerae viae manifestantur, quibus homines ad Veritatem perducuntur. Quae omnia admirationem erga Deum augent. Ecclesia autem ab humanae experientiae et humanarum scientiarum incrementis plurimum adiuvatur et stimulatur in veritate revelata magis ac magis inquirenda, intelligenda, proponenda, illustranda.

Simplici animo Ecclesia eos audit qui membrorum eius peccata defectumque spiritus evangelici obiciunt. Ipsa noscit quidem Spiritum Sanctum sibi datum ut munera mundo distribuat, sed pariter scit se ex hominibus constare, quorum ignorantia ac peccatis fidelitas erga Spiritus impulsionem saepe impediatur, sibique proinde impositam esse renovationem continuam, usque ad finem temporum.

14. [*Ecclesiae doctrina et exemplum civitati terrenae conferunt opem*]. Deus, omnium largitor bonorum, Ecclesiae verbum suum commisit eamque Spiritu Christi incessanter vivificat, ut fecunda sit doctrina et opere non solum, quamvis primum, pro vita futura, sed etiam pro terrestri vita. Si enim mundus, qui per Verbum Dei factus est, audit verba Verbi incarnati, quae vita sunt et spiritus, inde omnes verum sensum et finem rerum creatarum recte intellegunt atque altiores et purificas vires recipient ad extruendam civitatem terrenam in amore et iustitia, aptiusque promovendam libertatem hominum ab omni oppressione.

Ecclesia conscientias hominum hac de re illuminat non per sola [14] documenta magisterii sui, sed etiam per omnem manifestationem sensus fidei totius Populi Dei atque per opera et institutiones a Pastoribus vel a fidelibus in unione cum Pastoribus coepta et promota.

Ecclesia sancte servat verbum Dei sibi commissum tamquam thesaurum immutabilem, ex quo vetera et nova proferre (cf. *Mt.* 13, 52) non desinit, manifestando et defendendo omnium hominum, ne uno quidem excluso, dignitatem et verum sensum rerum creatarum. Ipsum Evangelium, seu bonus nuntius a Deo veniens, fit virtus et norma, quae illustrat valorem moralem et spiritualem actionum humanarum et detegit [15] pericula errorum et iniustitiae.

Summa autem Evangelii lex et virtus pro humano convictu est caritas, quae vivificat et firmat omnes alias leges et virtutes (cf. *Mt.* 22, 34-40). Per hoc magnum mandatum omnia in vita privata et sociali magis magisque dirigantur oportet. Cum autem homines hic nonnisi in via sint versus perfectam caritatis iustitiam et saepe in dura colluctatione contra mendacium et iniustitias versentur, Ecclesia sollicite proponit tum caritatis finem perfectum, ad quem omnes tendere debent, tum id, quod ab omnibus urgeri potest, tum viam, qua homines competentes ipsi pro rerum condicione meliores semper solutiones practicas quaerant. De his agit quod attinet ad processus et relationes sociales doctrina socialis Ecclesiae. Quodsi verbum Dei semper immutabiliter indicat finem perfectum caritatis in iustitia et iustitiae in caritate, in explorandis gressibus versus hunc finem Populus Dei praesertim in aetate praecipitum profundarumque mutationum, continenter perscrutari debet, quid signa temporum postulent. Quo in officio, distincta quidem ratione exercendo a Pastoribus Ecclesiae reliquisque fidelibus, alter alterum adiuvet: Pastores interpretando, iuxta suum munus apostolicum doctrinam Evangelii et quae cum ea essentialiter connexa sunt; fideles adiuvando pro sua parte et sensu fidei opus Pastorum, sive consiliis sive applicationibus factis. Omnes insuper magni faciant etiam intellegentiam et prudentiam eorum qui extra Ecclesiae saepta sunt.

Fideles vero ne putent Pastores suos competentes vel vocatos esse, ut sibi ad omnes quaestiones, etiam graves, respondeant quid hic et nunc agendum sit; ceteroquin mirum non est magisterium Ecclesiae in novis difficillimisque quaestionibus, ubi agitur de applicatione principiorum doctrinae vigentis ad condiciones vitae mutatas non statim prompta habere responsa vel solutiones. Quodsi in his rerum adiunctis, cum normae directivae ab auctoritate Ecclesiastica propositae desunt, fideles tamen agere debent, ipsi propria responsabilitate consilium ca-

[15] pere audeant secundum praeceptum suae conscientiae, ducti prudentia christiana, quae veritati Evangelii et doctrinae moralis Ecclesiae inhaeret et individuam condicionem in qua agendum est attendit, et adiuvetur scientiis humanis omnibus ad singula problemata pertinentibus. Dissensiones quidem saepius oriuntur an recte statuerint. Meminerint tamen in doctrina definitive propositam unitatem omnino adesse debere, in multis aliis vero liberam valere investigationem et diversitatem opinionum etiam inter fideles: in omnibus vero caritas atque humilis perscrutatio voluntatis Dei elucescat oportet.

[16] Sicut Christus facere coepit et docere (*Act.* 1, 1), ita et Ecclesia missa est, ut non verbis tantum sed et factis illuminet mundum. Hic vero modus docendi et illuminandi homines munus est totius Populi Dei. Dona Christi Ecclesiae commissa, quorum fecunditatem sanctorum hominum vitae produnt, multos decursu saeculorum christianos excitaverunt, ut, humiles, servitio eorum se devoverent, qui hominum pauperrimi, maxime derelicti et despecti sunt. Quae traditio exemplo fuit plurimis institutis, quibus populi hodie hominibus succurrunt. Porro Ecclesia, quidquid sit de debilitate ac discordiis deplorandis quae in sinu eius inveniuntur, mundo tamen innumera praebet exempla vitae vere fraternae.

[17]

Caput III

DE RATIONE CHRISTIANORUM SE GERENDI IN MUNDO IN QUO VIVUNT

15. [*Introductio*]. Ut christifideles Spiritu ducti magis semper conformes fiant Christo Iesu (*Rom.* 8, 29) ac melius omnibus hominibus testimonium et servitium suum praestent, haec S. Synodus sollicite Ecclesiae filios instruit, quomodo hac nostra aetate fidelitatem Evangelio debitam splendescere faciant generosa cooperatione ad civitatem terrestrem recte aedificandam. Haec est enim voluntas Dei ut unusquisque praesenti tempore salutis sic utatur, ut non solum suam propriam vitam in Christo instauret, sed etiam eodem spiritu suas partes assumat in omnibus communitatibus quarum particeps est; unde etiam in vita familiari et sociali « novus modus sentiendi, volendi et agendi » appareat.[2]

16. [*Primariae condiciones occurrendi mundo christiano modo*]. Caritas, lex suprema nobis a Christo data (*Mt.* 22, 34-40), et amorem tam Dei quam hominum complectens, urget nos, ut agnoscamus proxi-

mum nostrum in omni homine egestate spirituali vel materiali oppresso [17] (*Lc.* 10, 29-37), et efficaciter satisfaciamus, viribus quoque unitis, desiderio promotionis tot hominum et populorum. Novae possibilitates novaque pericula sunt tot causae cur christiani renovato fervore in spiritu servitii munera etiam terrena ita impleant, ut ex fidelitate sua in caritate nationes et homines singuli amorem et praesentiam Christi cognoscant.[3] Quare omnes fideles solemniter monemus, ut officia a caritate et iustitia hodiernis temporibus specialiter imposita a divina Providentia libenter accipiant:

a) Necessarium est, ut christifideles meliorem in dies notitiam et cognitionem acquirant de necessitatibus spiritualibus, moralibus, culturalibus et materialibus omnium hominum, reiecto omni discrimine stirpis, nationis vel condicionis.

b) Haec informatio, cum caritate coniuncta, dilatabit corda fidelium ultra limites familiae, loci vel nationis, et eos coniunget ad actionem iuxta dimensiones universales Ecclesiae et mundi concipiendam.

c) Christiani sicut intra ipsam Ecclesiam ita etiam in mundo in quo vivunt secundum suam competentiam conferre debent ad sanam opinionem publicam formandam, praesertim in rebus quae ad bonum fa- [18] miliae et totius societatis spectant, salutarem influxum etiam exercentes quoad instrumenta communicationis socialis (cf. Decretum de instrumentis communicationis socialis).

d) Christiani, conscii naturae socialis et condicionum sine quibus actio inefficax esset, praesertim in mundo hodierno, libenter partem habebunt in institutionibus necnon actionibus communibus, sociam quoque praestantes operam ad renovandas structuras actionis culturalis, socialis et civilis.

e) Christifideles magni faciant progressum scientiarum et artium liberalium quippe quae suo modo mirabilia hominis et totius operis creationis Dei gradatim melius manifestent. Unusquisque iuxta propriam virtutem ad hunc finem assequendum operam conferat. Germanus spiritus fidei confidit mutuae amicitiae inter fidem et veram scientiam, excluso omni conflictu insolubili.

f) Hominibus nostri temporis tam avidis maioris iustitiae, praesertim iuvenes christiani effusius cooperationem praebeant, suam fidelitatem erga Evangelium comprobantes. Meminerint propterea in eligendo vitae genere omnem vocationem a Deo etiam intuitu proximi et communitatis fieri. Eligant ergo vocationem in plena luce caritatis et responsabilitatis pro bono communi, serio ceteroquin perpendentes num Deus se ad directum Evangelii servitium invitet.

g) Nemo ergo peccet per omissionem, prae oculis habens severa

[18] verba Domini de iis qui ipsum in fratribus nolunt agnoscere (cf. *Mt.* 18, 5; *Mc.* 9, 37; *Lc.* 9, 48). Unusquisque ergo talenta sibi tradita fructificare faciat (cf. *Mt.* 25, 14-30).

17. [*De communione fraterna in spiritu paupertatis aedificanda*]. Quantumvis necessaria sint ista omnia, si quis valide conferre vult ad civitatem fraternam extruendam, christiani memores erunt condicionis primordialis pro fecunda actione in hoc mundo et pro spiritu vere aperto: sequelae Christi crucifixi in spiritu paupertatis. Quicumque spiritu pauperes sunt (*Mt.* 5, 3), cuncta quae sua sunt grato animo a Deo excipiunt; dulcedinem rerum percipiunt, immo et animam suam vere inveniunt, quatenus vires et facultates suas adhibent in servitium fratrum; spiritu pauperes fortiter in fide dolores et inopiam tolerant si a Domino permittuntur, minime tamen desiderant statum miseriae, nec sibi nec aliis, sed aequam omnium participationem in communi familiae humanae patrimonio; vere ditare sciunt alios, quia cum ipsis non solum bona materialia et spiritualia sed etiam ipsum amorem communicant, quo a Deo se ditatos sentiunt; cum omne bonum tum maxime pacem Christi
[19] aliis exoptent, amorem tamen minime ad illos coarctant, qui Evangelium iam acceperunt. Pauperum evangelizatio, quae est praeclarum signum adventus regni Dei (cf. *Mt.* 11, 5), incipit, cum pauperes vere in seipsis propter Deum amantur et ita sublevantur, ut digne excrescant tamquam personae humanae.

Hic spiritus paupertatis, quem exprimant omnes Ecclesiae structurae, regalem demonstrat omnium christianorum viam: habitus fratrum suorum quasi induere, solvendo seipsos a propriis ambitionibus et commodis; pati cum patientibus, flere cum flentibus, pauperes fieri cum pauperibus propter Christum, qui propter nos egenus factus est, ut illius inopia divites essemus (cf. *2 Cor.* 8, 9); uno verbo omnia omnibus fiant, ut omnes Christi praesentiam sentiant. Christiani qui in fratribus Christum agnoscunt, non possunt quiescere in copiis et opulentia dum tot homines egestate et fame vexantur. Quod ceteroquin ipsis pignus erit libertatis filiorum Dei et firmamentum libertatis et pacis in hoc mundo.

18. [*De « dialogo » eiusque condicionibus*].[4] Christiani dialogum prosequantur cum omnibus hominibus bonae voluntatis mutuam cognitionem et aestimationem in communione fraterna promovendo. Firmitas fidei et spiritus fraternitatis nos impellunt, ut amice colloquamur et cooperemur cum omnibus, ubicumque christiana prudentia id permittit. Vera etenim caritas, memor propriae debilitatis, iniuriarum immemor,

semper magis attenta ad ea quae uniunt quam ad ea quae dividunt, [19] perseveranter et in omnibus quaerit unitatem, quam in huius vitae peregrinatione non consequimur nisi gradatim. Sincerus et sine fictione sit talis dialogus qui dona a Deo nobis commissa plene largiatur verbo et exemplo. Dignitas autem aliorum et praeprimis gloria Deo tribuenda qui in eis operatur exposcunt ut christiani illos in dies melius cognoscant, audiendo in simplicitate et studendo condicionibus vitae et culturae eorum, et libenter agnoscant quaecumque sunt vera, quaecumque bona, quaecumque iusta (cf. *Phil.* 4, 8). Sapientiam et prudentiam a Deo exposcant, ut cum cognitione semper altiore fidei suae idonei fiant ad propriam spem cum aliis communicandam et ad discernendum quod est iuxta Christum. Ad hoc multum confert spiritus verae humilitatis et abnegationis in prosequendo vero et bono.

Cum autem valde intersit ut circa varia problemata humana efficax sit hic dialogus, perpendant christiani quanti momenti sit ut sese congregent, numquam spiritu peculiaria appetentes vel pusillanimi, sed prompti ad condiciones huius dialogi implendas, quod hodie saepe per communitates, non per solas personas individuales, evenit.

Ne multiplicentur autem instituta peculiaria temporalia quoties e [20] natura rerum vel ex adiunctis satis constat cooperationem cum aliis hominibus bonae voluntatis, praesertim fratribus seiunctis, proficue fieri posse intra fines unius communis institutionis, quae vel christianae doctrinae principiis conformatur vel saltem naturae legibus ducitur et singulorum de re religiosa ac morali libertatem veretur. In aliis autem institutionibus, christianis propriis et aliquando vere necessariis, ipsi invigilent, ut spiritus caritatis, animus sociae operae studiosus et apertus vigeat; immo ipsae institutiones pateant omnibus, qui eodem spiritu cooperari cupiant.

In institutionibus internationalibus hodie tanto vigore crescentibus operentur christiani pro viribus, singillatim vel coniunctim, libenter et sincere, cum animo servitii praestandi, ut spiritus fraternitatis et iustitiae, ibi et quidem etiam in ipsis structuris, magis magisque floreat.

CAPUT IV [21]

DE PRAECIPUIS MUNERIBUS A CHRISTIANIS NOSTRAE AETATIS IMPLENDIS

19. [*Introductio*]. S. Synodus, postquam delineavit, quo fundamento innixi et qua mente ducti christifideles recte prospereque agant in mundo, omnium animos ad quasdam urgentiores huius aetatis necessi-

[21] tates convertit, ut iis, qui temporum signa perscrutantur, clarescant principia, e luce Christi manantia, quibus tot problematum complexorum solutio dirigitur.

20. [*Dignitas personae fovenda*]. Huius aetatis homines, haesitantes inter spem et anxietatem, id praeprimis desiderant, ut plene et sincere agnoscatur personae humanae dignitas, et quidem ab omnibus et in omnibus, nullo admisso discrimine vel stirpis vel sexus vel condicionis socialis, non blandis tantum verbis, sed re atque factis, praecipue iustis legibus. Desiderant ut ordo quoque rerum socialium et oeconomicarum liberationi a quacumque iniusta servitute faveat veramque promoveat evolutionem moralem, intellectualem, culturalem, necnon securitatem in labore et otio, ita tota vita privata et publica rationem habeat huius dignitatis personae.

Ecclesia agnoscit desideria et studia ista ut germen bonum, immo excitatum ab Illo qui omnia per Verbum creavit ac suo vivificat Spiritu. Quod germen fructus maturos edet, si plena Evangelii luce evolvatur. Cui certe debentur iam plura signa progressus, qui tamen lentior est in re quam in cognitione communi: in dies intentius student multi, ut mancipiorum servitutem penitus tollant; in pluribus mundi regionibus mulieris aequalis dignitas eiusque indoles propria non solum in vita familiari sed etiam sociali et civili paulatim melius agnoscitur; panditur aditus ad studia altioremque culturam, quae antea privilegium paucorum esse videbantur; in pluribus nationibus magis magisque agnoscuntur opificum dignitas atque iura, praesertim ius ad laborem dignasque laboris condiciones, quibus omnes facultates personae humanae proficiant; crescente sensu responsabilitatis personalis dignoscitur in magna parte mundi etiam curam vitae socialis et politicae recte ordinandae ad omnes pertinere, etsi modo diverso. Quae omnia innituntur dignitate personae humanae ad imaginem Dei creatae et in Christo mirabilius in-
[22] stauratae, ex qua dignitate, consideratis quoque signis temporum, explicari possunt iura et officia, quae homini aut absolute conveniunt aut saltem pro rerum statu valde sunt congrua.

Attamen tantum abest ut condiciones vitae hodiernae in omnibus verum incrementum personae humanae promoveant, ut potius dira etiam impedimenta obstruant. Officiunt imprimis errores naturae et dignitati personae oppositi, necnon agendi ratio rerumque condicio ex his erroribus ortae: aut enim negligitur socialis natura personae, quae nonnisi in personarum communitate, verbo et amore, seipsam vere invenit; aut singulorum libertas atque conscientia responsabilitatis opprimuntur eo quod affirmatur et exstruitur dominatio collectiva paene totalis. Ma-

lum aggravatur ab illis, qui recta quidem principia agnoscunt, factis [22] autem eis contradicunt (cf. *Tit.* 1, 16). Ita evenit ut quandoque, libertatis specie tantum servata, perseveret servitus in re politica, sociali et oeconomica, immo in cultura, et praesertim in opinione, quam dicunt, publica. Unde non raro ipsa cultura hodierna, hac opinione a veritate detorta, nova invenit atque diffundit, quibus personae dignitas violatur et vita hominis impeditur quominus evolvatur et perficiatur. Immania nostro saeculo crimina perpetrata sunt vel adhuc perpetrantur: campus « concentrationis », ubi homines sine ullo iudicio non solum libertate sed omnibus fere iuribus personae humanae privantur, deportationes, tortura physica et psychica, infamis mulierum venditio pro luxuria hominum perversorum, et toties laesio iuris ad vitam personarum nondum natarum.

Quare christifideles intrepide non solum libertatem et responsabilitatem personae humanae ipsi quacumque ratione et actione vindicent, maxime renovando condiciones vitae, sed etiam aliorum incepta, quaecumque sunt, hac in re promoveant, omnibus mentis angustiis et pessimismo abdicatis.

21. [*Dignitas matrimonii et familiae*]. Personae societatisque humanae salus arcte coniungitur cum familia. Ordo a Conditore naturae inditus postulat ut omnium viribus in tuto ponatur ius hominis ut non solum possit nasci in sana familia, sed ibi etiam educari et ut persona proficere atque suo tempore familiam condere sub condicionibus spiritualibus, socialibus, oeconomicis ipsi familiae propitiis. Familiaris instituti vis ex eo quoque apparet, quod repentinae immutationes culturae hodiernae id non solum avertere non potuerint sed potius inter varios eventus veram immutabilemque eius naturam multorum conscientiis magis manifestaverint. At non potest negari familiam et matrimonium nostra aetate passim magnis periculis exposita esse.

Christifideles, redimentes praesens tempus (cf. *Eph.* 5, 16; *Col.* 4, [23] 5) atque discernentes aeterna a formis mutabilibus, promoveant valores familiae, tum testimonio vitae, tum concordi actione ad obstacula removenda et nova temporibus apta paranda, quibus necessitudinibus et bonis eius provideatur.

1° Sacra familiae natura, quam homines pii numquam ignoraverunt, omnibus plene illucescat in fide Christi. Deus enim caritatis suae consilio voluit coniugium non solum ad prolis procreationem et educationem ac mutuum viri et mulieris adiutorium in rebus terrestribus sed etiam ad mutuam sanctificationem et communem Dei glorificationem, unde per ipsos filii, immo et proximus et totus ambitus in quo degit

[23] familia, inveniant sanctitatis et salutis viam. Sed cum familia christiana sit imago et participato foederis amoris Christi et Ecclesiae (cf. *Eph.* 5, 32), coniugum amore, generosa fecunditate, unitate atque fidelitate mundo innotescat viva Salvatoris praesentia in mundo atque sincera Ecclesiae natura. Civilis autem societas, quae tunc floret cum floret familia, sanctuarium familiae, omni quo possit modo, revereatur atque inviolatum servet. Parentum ius educandi prolem in sacra religione secundum propriae conscientiae praecepta omnino in tuto ponatur.

2° Cum homines nostrae aetatis libenter exaltent amorem inter virum et mulierem, coniugum christianorum est mundum illuminare de vera natura amoris coniugalis, quo viget non solum communitas maritalis sed tota familia, libenter agnoscentes exempla veri amoris eorum qui fidem christianam nondum profitentur. Verus amor coniugalis, mutuum et liberum sui ipsius donum in uno spiritu et in una carne mutuaque interior conformatio, tener affectu et opere probatus, plane exsuperat labilem inclinationem mere affectivam, quae si egoistice excolitur citius et misere evanescit. Qui amor, fide ratus et in Christi amore sanctus, est indissolubiliter fidelis, inter prosperas et adversas vitae vicissitudines. Ut autem huiusmodi amor in mundo aestimetur et colatur, adlaborent christifideles tum exemplo tum educatione iuventutis tum necessaria renovatione culturali et sociali, praesertim efficiendo propitiam opinionem publicam. Ita providetur bono et felicitati familiae et nationum.

3° Nil sane fecundius amore coniugali fideli atque puro, ad profectum ipsorum coniugum, atque ideo societatis et ipsius Ecclesiae, Christi corporis. Matrimonium non est merum procreationis instrumentum,[5] sed ipsa natura foederis indissolubilis inter personas, et maxime bonum prolis exigit, ut coniuges se vere ament; et si proles deficit, matrimonium suo fundamentali valore suaque indissolubilitate non privatur. Attamen talis est amoris coniugalis indoles, ut matrimonium natura sua ordinetur ad prolis procreationem et educationem. Unde verus amoris
[24] coniugalis cultus totaque vitae familiaris ratio inde oriens eo proditur, ut coniuges generose dispositi sint ad cooperandum amori Creatoris atque Salvatoris, qui per eos Suam familiam dilatat et ditat.

Quod vero ad numerum prolis attinet, sponsi christiani sciunt se non caeco instinctui mancipatos esse, sed vere Deum Creatorem glorificare et seipsos in Christo perficere, si munus procreandi implere satagunt cum plena et conscia responsabilitate secundum Dei dona verique amoris normam. Qua in re non sine precibus et communi conatu iudicium prudentiae sibi efformabunt non semel pro semper, sed suo quoque tempore, dignoscentes condiciones paedagogicas et oeconomicas,

salutem quoque mentis et corporis, et praeter bonum ipsius familiae et [24] Ecclesiae etiam necessitudines societatis.

4° Ad sponsos se convertens S. Synodus sincere agnoscit multis et gravibus ipsos praepediri difficultatibus oeconomicis, sociopsychologicis, civilibus, quibus perdurantibus amoris coniugalis intima vis, fidei servatrix et personarum perfectrix, aegre servari possit, nisi ab iis, qui iam magnis dotibus personalibus ornati sunt. Praesertim agnoscit crebram difficultatem componendi responsabilitatem, vi cuius proles saltem ad tempus augeri nequeat, et tenerum amoris cultum, quo cessante coniuges saepe sibi velut extranei fiunt, unde bonum fidei in discrimen vocatur et ipsum bonum prolis pessumdatur, sive quoad educationem prolis habitae, sive quoad animum vivum et apertum servandum ad prolem in posterum, rebus minus adversis, procreandam.

Agnoscit haec omnia Mater Ecclesia et hortatur sponsos ne animo deficiant, si videantur ministri eius, dum legem Dei inculcant, conflictus non solvere inter legem et difficultates concretas. Difficultates enim saepe oriuntur ex gravibus defectibus socialibus et fragilitate vel malitia hominum. Ceteroquin Ecclesia dum legem Dei homines edocet et castitatis viis agit, simul familiam atque verum coniugum amorem atque felicitatem defendit. Propterea omnes in scientiis anthropologicis, psychologicis, medicis, sociologicis peritos et ipsos sponsos sua experientia et virtute edoctos hortatur, ut cum theologis adlaborent, ut complexus ordo a Providentia naturae inditus altius in dies exploretur; unde solutiones practicae multorum conflictuum partim iam apparent partim adhuc sperari possunt, quae tamen numquam sequelam Christi crucifixi evacuare poterunt.

22. [*De cultura rite promovenda*]. Divinae Providentiae dono, nostra aetate, novae patent viae in humana cultura proficiendi, scientiae nempe, technica ars et communicationis socialis instrumenta. Ita maiori in dies numero hominum via non tantum ad bona materialia patet, sed etiam ad communitatis vitam et spiritualia altioris culturae bona, quae [25] vitae humaniori inserviunt. Porro homines facilius propriam culturam cum aliis huius aetatis et temporis elapsi culturis comparare possunt, non sine mutuo culturarum incremento. Denique, agnita sane distinctione inter religionem et culturam, quantum tamen cohaerent clarius perspicitur. Nemo non videt, quanti sit momenti ut christifideles istas foveant relationes germanamque culturam promoveant, cum aliis hominibus sincera cooperatione uniti.

1° Excolendo terram, etiam ultra vitae necessitatem, homo consilium Dei exsequitur, qui suam gloriam creando manifestat, et terram

[25] tradidit homini, qua imagini suae, ut ipse quoque vestigia spiritus sui rebus imprimat omniaque vertat ad Dei gloriam. Homo, dum secundum indolem sibi inditam perficit mundum in quo vivit, qua persona excrescit et sibi aliisque condiciones parat vitae plene humanae. Offerendo technicas artes eiusque inventa servitio personae humanae, effingendo etiam opera artis, quibus profunda vitae humanae problemata magis animo pateant, et colendo sensum pulchri, homo securius servat libertatem ab illa servitute in quam incidit, qui sola utilia quaerit. Itaque et ipsa religio culturae progressu incrementum non parvum accipit.

2° Insignis verae culturae nota est rectus valorum ordo, quo servato omnia suffulciunt dignitatem humanae personae, quae Dei imago est et adoratrix. Etsi quandoque magis urget labor quo parantur bona materialia vitae necessaria, qui labor etiam respectu culturae humanae iure merito magni aestimatur, tamen promovendae culturae vere humanae id agunt, ut altiores valores in dies magis colantur, ita ut omnibus praesto sint otium atque subsidia illos acquirendi. Quod nostra aetate, evoluta technica arte, sane largius et facilius evadere potest, dummodo valorum ordo agnoscatur.

3° Vera cultura communionem inter singulas personas et communitates exprimit, promovet et confirmat. Cum iam ordo oeconomicus nonnisi aequa bonorum communicatione verae culturae signa demonstret, eo magis cultura altior ingeniorum — sive singulorum hominum, sive coetuum — commercio manifestatur. Progressus humanae culturae pendet e spiritu dialogi in mutua aestimatione culturarum, quae hoc ditantur colloquio, et in eorum legitimae autonomiae agnitione.

4° Ecclesia proprium implendo munus, id est evangelizando, iam eo ipso ad humanum civilemque cultum impellit et confert. Ceterum, historia teste, religio et cultura multimodis inter se connectuntur. Omnes fere artes in ambitu religionis ortae sunt et floruerunt. Etsi finis religionis per se non sit cultura, sed Dei glorificatio et hominis salus aeterna, tamen, religione neglecta, etiam cultura humana dilabitur.

[26] Ecclesia Verbi incarnati, in peculiari ambitu historico et geographico orta, at simul ad omnes populos missa, nulli culturae particulari exclusive alligatur, sed, vivae inhaerens traditioni, cum omnibus culturis communionem init, dando et accipiendo. Qui dialogus, ut fecundus sit pro omni cultura et pro ipsa religione, oportet culturae signiferos fidei divitias intellectu et animo cognoscere, praecones autem Verbi omnium culturarum agnoscere valores. Omnes ergo, sed peculiariter laici, qui, nostra aetate, praecipui sunt culturae promotores, artes et scientias, quas callent, aestiment et colant in Christi lumine. Illi vero, qui speciali modo evangelizationi se devovent, sed praesertim pastores ac theo-

logi, veritatem revelatam verbis et formis illius culturae enuntiare di- [26]
scant, in cuius ambitu Evangelio serviunt, finium propriae culturae bene conscii.

23. [*De vita oeconomica et sociali*]. Inter ea quae evolutionem vitae oeconomicae et socialis nostris temporibus altius informant, tria imprimis, propter summum momentum, consideranda sunt: Crescit et in dies universalior evadit quaedam socialisatio, nempe multiformes mutui influxus mutuaeque dependentiae in omnibus rebus oeconomicis et socialibus et in ipsa earum compositione. — Dum homines res creatas magis semper sibi subiciunt atque vires caecas, propensiones et leges naturae suis finibus inservire iubent, optimi inter illos ad ordinem rerum magis humanum et universalem, aspirant. — Cum activitates oeconomicae et sociales ipsa sua indole et in quovis gradu illuc tendere videantur, ut inserantur culturae in dies universaliori, genus hominum magis conscium fit suae unitatis et consociatae voluntatis, agnita quoque legitima diversitate.

Ob hunc rerum statum sat novum, ex quo aut multa bona aut ingentia mala oboriri possunt, christifideles, sociam suam operam omnibus hominibus bonae voluntatis offerentes, numquam prae oculis habere desinant fundamentalia principia, quae sequuntur:

1° Evolutio oeconomica, ne hominem opprimat, sub ipsius dominio prudentique consilio permanere debet. Fausta autem huius evolutionis ordinatio requirit, ut quam plurimi ex omni societatis gradu et ordine admittantur ad partes actuosas in hoc ordinationis munere suscipiendas, ne pauci, sive periti, sive coetus, sive nationes potentiores eam in proprium commodum et in aliorum detrimentum vertere possint. Ad bonum commune promovendum, sed intra eius fines et limites, locus detur conatibus spontaneis singulorum et compositis inter se consiliis liberarum consociationum.

2° Progressio, quae si ordinate procedit magni facienda est, ita
componatur, ut cunctis hominibus et coetibus prosit, nullo habito [27]
discrimine sive stirpis sive mundi regionis. Nequaquam ergo evolutio oeconomica sibi ipsi relinqui debet, quasi cupido beneficii pecuniarii, ambitionis vel potentiae aut productio quam maxima mercium vera eius lex et finis sit.

3° Evolutio oeconomica est vere humana, si, secundum rerum et temporum adiuncta, necessitatibus cotidianis et praecipuis hominis ita succurrit ut tota persona humana, quae altiora anhelat, inde proficiat, sancte semper servata personarum, familiarum ceterorumque coetuum iusta libertate, ratione habita boni communis.

4° Cum Deus bona terrae commune totius generis humani patrimo-

[27] nium constituerit, modum vero ea distribuendi populorum sapientiae reliquerit, formae et institutiones, quibus appropriatio, productio ac distributio in actum deducitur, valde variare possunt. Ecclesia proinde nulli particulari systemati oeconomico obligatur. Ipsae autem formae et institutiones novis condicionibus continenter prudenter ac fortiter adaptandae sunt, ut semper conformes sint naturae et finibus illorum bonorum, quippe quae verae omnium hominum utilitati et ipsi unitati fovendae destinentur.

5° Cum procul dubio hodie differentiae oeconomicae et sociales multis in rebus graviter contradicunt iustitiae sociali et essentiali unitati generis humani, omnes sane conatus suscipiendi sunt, ut, iuribus personae humanae servatis et ratione habita propriae indolis uniuscuiusque populi, eiusmodi discrimina quam citissime minuantur, et tandem aliquando removeantur.

6° Cum oeconomicus et socialis progressus fontem et vim sumat ex socia hominum actione, irrationabile et iniustum est progressum istum quaerere excludendo operarios, quaecumque est forma laboris eorum, a iusta perceptione fructuum laboris communis, et redigendo eos quodammodo in servitutem sub iugo propriorum operum. Maximi ergo momenti est, ut tota dispositio universi processus productionis et condicionum laboris adaequetur altioribus necessitatibus personae humanae, et non ex contrario; ut operarii universi in vita officinarum vere et efficaciter agnoscantur ut socii in communi opere; ut qua personae qualitates suas in ipso labore evolvere queant; intra et extra officinam partem habeant praesertim per delegatos suos libere electos, in statuendis rebus oeconomicis et socialibus, e quibus sors ipsorum eorumque filiorum valde pendet. Quo fiet, ut sensus responsabilitatis et consociata voluntas quoad commune opus et totam progressionem oeconomicam et socialem in eis in dies excrescat.

7° Christifideles, laici praesertim, memores sint unumquemque mul-
[28] tum valere ad prosperitatem hominum et rectum ordinem societatis instaurandum, si, servatis legibus cuique activitati propriis, partes suas, assumpserint in actione oeconomica et sociali huius temporis. Certe, requiritur ut ad sua munera obeunda etiam bene instructi sint progredientibus scientiis et artibus technicis ad ista pertinentibus; verumtamen ab ipsis, qua christianis, praecipue exspectatur, ut inter ipsas terrenas activitates sint testes fideles Christi, iusto valorum ordini quem alte proclamant vere addicti, imbuti Beatitudinum spiritu, qui totam vitam eorum pervadat et inflammet. Qui Christum secutus primum regnum Dei quaerit, inde etiam firmiorem et puriorem zelum hauriet, ut alia quoque

bona necessaria, quae non directe ad regnum aeternum spectant, nemini [28]
inter fratres desint.

24. [*De « solidarietate » familiae populorum promovenda*]. Christifideles, dum universum hominum genus anxie id annititur, ut populi in re politica, sociali, culturali, oeconomica evolvantur, ipsi hac in re vigiles atque solertes sunto, ne scandalo sint hominibus, qui magis magisque perspiciunt necessitatem mutui auxilii. Dum enim quaedam nationes, quarum saepe maior incolarum pars christianorum nomine censentur, magna fruuntur bonorum copia, aliae privantur rebus vitae necessariis, ac fame et morbis omnigenaque torquentur miseria, praesertim occlusa via debitae institutionis et instructionis. Cui rerum condicioni eo urgentius debet consuli, quo magis gentes his in angustiis constitutae in dies crescunt numero.

1° Hoc in munere implendo omnes semper prae oculis habeant germanam hominis promotionem frustra sperari e solo progressu oeconomico vel ex incremento formationis mere intellectualis et technicae. Tunc enim natio vere evolvitur, si omnes et mente et voluntate, renovatis quoque omnibus societatis institutionibus, eo tendunt, ut vitam sub omni respectu vere humanam degant. Qua in re illi excellant oportet qui maiorem influxum in alios exercent. Evolutio ergo oeconomica, ut iuvet ad verum progressum populorum organice promotioni spirituali, intellectuali, morali inserenda est.

2° Primo sane loco ipsae nationes in rebus oeconomicis minus evolutae officio tenentur faciendi quod est in se, ut ab his malis liberentur, et quidem omnium ordinum socialium et civium singulorum viribus unitis, quin permittatur ut opes ipsis a Deo largitae ambitione singulorum vel nationis dissipentur.

3° Attamen, hoc historiae humanae tempore, omnes gentes efficacius meminerint se unam esse Dei familiam et propterea in re quae tangit universum hominum genus, ad mutuum obligari auxilium: ubi vires unius
membri generis humani non sufficiunt, succurrere debet societas pro- [29]
xima secundum ordinem principii « subsidiarietatis »; omnes autem conatus eo tendere debent, ut ei facultas tribuatur plene fungendi suo munere suasque vires evolvendi.

4° Omnino certum est gravissima iustitiae et caritatis obligatione illas nationes teneri, quae e communi patrimonio large perceperunt et non solum divitiis materialibus abundant, sed etiam subsidiis technicis et scientificis potiuntur, quibus bona parentur hominumque industria creentur, quaeque maxime versatae sunt et potentes in distribuendis et commutandis per totum mundum bonis. Nisi hoc commercium expurgatur

[29] ab inordinato egoismo consociationum, classium, nationum et partium politicarum, a recta arte politica aberrantium, nulla potest inveniri via efficax ad sublevandas gentes quae e miseria liberari percupiunt.[6]

5° Sine hac consociata opitulandi voluntate, quam solidarietatem appellant, nec aliud grave et complexum problema solvetur, quod demographicum dicunt. Ut nempe familiae et gentes sano modo crescere possint, bona terrae necessario in totum hominum genus impendenda sunt. Quod autem ad numerum prolis attinet ultimum iudicium ad ipsos solos coniuges spectat. Caveatur ergo ne solutiones divulgentur neque a potestate civili imponantur quae moralitatis parvam vel nullam rationem habent et incremento populationis vel mundi vel nationis per quaelibet media finem imponere contendunt. Attamen de profectibus scientificis quorum validitas bene probatur et quorum moralitas in nullum dubium vocatur, homines, quoties rerum condiciones id postulant, certiores fiant. Edoceantur coniuges sibi coram Deo, eius lege plene cognita, respondendum esse de bono prolis, habita quoque ratione boni familiae, immo maiorum communitatum ipsiusque nationis.

Manifestum est quoque quanti momenti sit, ut educatio puerorum et adolescentium sensum responsabilitatis in omni re suscitent et roborent.

6° Populorum familia pace atque concordia numquam gaudebit, nisi omnes constantes studeant, ut populi, sicuti desiderant, sui iuris fiant, fruendo quoque sua propria bonorum copia et reali possibilitate eam augendi; ut porro magni aestimentur variae culturae, ita ut populi suum quisque patrimonium materiale et spirituale organice conservare et perficere possint, in vera libertate mutuaque amicitia et cooperatione.[7]

7° In his omnibus, nostra aetate, vere necessariae sunt Institutiones internationales, quae omnes universi orbis nationes amice componere nituntur, ratione habita tum verae libertatis tum commercii necessitatum. Magni igitur interest Institutiones istas perfici, et si casus fert, funditus
[30] renovari, atque roborari, ut gentes in dies magis fraternitate mutuoque regantur auxilio.[8]

8° Nulla mora hoc in munere implendo tolerari potest. Proinde S. Synodus omnes christifideles instanter adhortatur, ut id pro sua parte totis viribus obeant. Ipsorum est, ut fidem in unum Deum Creatorem, in Christum totius generis humani Salvatorem, et in catholicam propriae vocationis naturam etiam hac in re ad actum deducant: tota agendi ratione consociatam opitulandi voluntatem, seu « solidarietatem » testando, illuminando quoque opinionem publicam, influendo in electionem publicae auctoritatis, generoso iurium civilium et politicorum exercitio.

Ne deficiant propter molem operis in dies auctam, sed meminerint se [30] hac actione tam necessaria Christo servire praesenti in fratribus.

25. [*De pace firmanda*]. Inter praecipua signa temporum sane omnibus apparet ingens desiderium verae pacis firmandae, cum genus humanum post tot cruenta bella paene continuis perturbetur conflictibus, et novis perterreatur armis quae totam familiam humanam delere possunt. In prospectu huius extremi discriminis nova omnino luce apparet immanitas belli. Quare Ecclesia, ancilla pacis Christi, cum tota familia gentium quae est Dei familia, maxima sollicitudine adlaborare debet et vult ut illa pax quae transcendit omne desiderium et omne opus huius mundi, fructum quoque afferat inter populos. Haec S. Synodus, respondens supplicibus vocibus undequaque ad se pervenientibus, omnes homines, omnes populos, et praesertim populorum Moderatores coram Deo adiurat ut, memores gravissimae responsabilitatis, unitis viribus, et ratione habita condicionis complexae, adlaborent ad pacem stabiliendam:

1° Pax stabilitur mutua amicitia mutuoque auxilio, efficaciter agnita consociata opitulandi voluntate, seu « solidarietate » quae regere debet familiam populorum. Non est pax vera, si bella potius paritate virium in terrendo quam germano spiritu cooperationis et concordiae retardantur. Ideo diiudicanda sunt ut paci contraria omnia quae infauste dividunt potius quam uniunt et ante omnia verba, doctrinae aut actiones quae odium, contemptum, vindictam aut infundatam suspicionem contra aliquam nationem vel stirpem, vel etiam nimiam aestimationem propriae gentis et ardorem illum nimiam potestatem acquirendi disseminant. Propterea omnes, et praecipue ii qui in opinionem publicam influxum exercent, loqui debent quae pacis sunt, promovendo mutuam aestimationem inter nationes, virtutes aliarum nationum libenter extollendo, de defectibus nonnisi aequo animo loquendo, mutuum respectum inter diversas persuasiones promovendo.

2° Controversiae quae forte inter populos oriantur, non vi et armis [31] sed pactis et conventionibus dirimenda sunt. Quamvis, exhaustis omnibus pacificae tractationis subsidiis, non illicitum esse possit iura iniuste impedita contra iniustam aggressionem vi et coactione defendere, usus tamen armorum, praesertim nuclearium, quorum effectus maiores sunt quam qui aestimari possint ac proinde ab hominibus rationabiliter temperari nequeunt, excedit omnem iustam proportionem ac propterea scelestissimus coram Deo et hominibus iudicandus est. Omnes proinde conatus honesti faciendi sunt, ut non solum bellum nucleare ab omnibus nationibus et coetibus solemniter proscribatur tamquam immane crimen, sed etiam

[31] ut arma nuclearia vel alia similis roboris perniciosi omnino extirpentur et supprimantur.[9]

3° Cum vero terrifica delendi vis, quae bellicis instrumentis in dies magis inest, calamitates atque horrendas ruinas in toto orbe terrarum efficere valeat et cum progressus technici, communicationes ac instituta ad lites pacifice componendas efficaciora in dies evadant, semper magis alienum fit a ratione bellum instrumentum aptum esse ad violata iura sarcienda.

Propterea S. Synodus gravibus verbis ut damnum exitiale cunctae familiae humanae illatum denuntiat ac reprehendit effrenum illum cursum ad arma apparanda, quippe qui veram pacem, concordiam fiduciamque inter nationes laedat et prohibeat, magnam hominum partem in discrimen vitae adducat atque divitias pro melioribus rebus necessarias dissipet.

Civitatum moderatores omnino conscii esse debent grave suum officium esse, ut gentes ab hoc discrimine liberent per conventiones quae iustam pacem efficaciter conforment ac simul adlaborent ut ex animis deponantur hostilitates, odia et diffidentiae. Eligenda sunt subsidia meliora ad bella praecavenda et conflictus pacifice tollendos; inter talia subsidia habentur cohaerens progressus in constitutione communitatis universalis inter nationes quae omnes vere sint liberae et auctoritas internationalis quae gaudeat instrumentis necessariis ad bellum vitandum et pacem promovendam, ita ut vere condiciones praeparentur in quibus bellum quodcumque iam non possit amplius instrumentum legitimum computari, etiam ad defensionem sui iuris.[10]

4° Christifideles, qui credunt in Christum Dominum, Principem pacis, Eius sentiant urgentem amorem et omni alacritate Eum sequuntur, qui per sanguinem crucis suae omnes homines reconciliavit Deo ac restituit omnium unitatem in una familia Dei, et propria sua carne occidit odium. Nullum ergo abhorreant sacrificium, ut, veritatem facientes in
[32] caritate (cf. *Eph.* 4, 15), omnimodo conferant ad firmandam in terris pacem, quae est signum mundi redempti. Ipsa caritate, iustitia et unitate sint nuntii pacis Christi.

CONCLUSIO

Spiritu Sancto duce Synodus investigavit qua via Ecclesiae incedendum esset ut semper Christo magis conformaretur, respondendo signis Spiritus Dei, quae discernit in desideriis hominum, non solum Ecclesiae catholicae filiorum, sed etiam omnium hominum. Hos denique Synodus alloquitur.

Imprimis complectitur animus noster fratres in Christo nondum plene nobiscum coniunctos, quibus tamen iungimur caritatis vinculo ac confessione Patris, Filii et Spiritus Sancti, memores christianorum unitatem hodie a toto genere humano exspectari et desiderari. Quo magis enim haec unitas, signum potissimum actionis Spiritus Sancti, in veritate et caritate perficietur, eo magis universo mundo praesagium unitatis et pacis erit. Quare unitis studeamus viribus, non solum ut Evangelio Christi in dies magis imbuamur, sed etiam, ut cooperemur fraterne serviendo familiae humanae, quae Dei familia est et Christi eius. [32]

Omnes homines bonum quaerentes, ii praesertim, qui unum Deum confitentur, sciant nos prompto animo cum eis cooperaturos ad promovendum bonum totius generis hominum. Ecclesia sane non vult munus a Christo commissum imminuere vel Christi divitias dissimulare. Tamen sperat homines bonae voluntatis hoc Ecclesiae propositum non consideraturos esse tamquam impedimentum sincerae cooperationis, sed potius, in rei veritate, tamquam manifestationem desiderii omnia officia a Christo concredita cum amore hominum implendi.

Ad eos denique, qui Ecclesiam nondum diligunt, aut etiam ei obnituntur, immo quandoque eam persequuntur, convertimur, non solum ut eis ignoscamus, sed etiam ut petamus veniam, si christianorum defectus eis offendiculo fuerint, honorando sane fratres nostros dilectos, qui, propter Dominum patientes, et pro christianorum peccatis satisfaciunt et ipsis persequentibus benedicunt. Cum his eos rogamus ut Ecclesiae attentius studeant, et serio perpendant qua via homines ad plenitudinem suae vocationis accedant. Orare non desinemus, ut sincera et assidua huius vocationis meditatione perducantur ad lucem Evangelii et Personam Christi.[11]

* * *

Haec est spes exsultans Ecclesiae: « Occuramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi » (*Eph.* 4, 13). [33]

« Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem quae operatur in nobis, ipsi gloria in Ecclesia et in Christo Iesu, in omnes generationes saeculi saeculorum. Amen » (*Eph.* 3, 20-21).

NOTAE

[1] Cf. Ioannes XXIII, Const. Ap. *Humanae Salutis,* 25 dec. 1961: *A.A.S.,* 54 (1962), pp. 6, 7.

[2] Cf. Paulus VI, *Allocutio in Bethlehem,* 6 ian. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 175.

[33] [3] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963: *A.A.S.*, 55 (1963), p. 296 sqq.

[4] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963: *A.A.S.*, 55 (1963), p. 299.

[5] Hoc dicitur 1° contra asserta tot hominum in omni fere parte mundi, qui experimentum fecunditatis ante celebrationem matrimonii facere cupiunt, ne habeant sponsam sterilem; 2° magis explicite autem contra mores in plurimis partibus mundi, exempli gratia in Africa et America Latina, ubi matrimonium tamquam inutile et invalidum consideratur propter defectum involuntarium prolis; multi etiam christifideles prius nonnisi matrimonium civile ineunt, ut prole deficiente mulierem abicere possint.

[6] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963: *A.A.S.*, 55 (1963), p. 284 sqq.

[7] *Ibid.,* p. 289 sqq.

[8] *Ibid.,* pp. 292-293.

[9] *Ibid.,* pp. 286-287.

[10] Cf. PAULUS VI, *Allocutio in Bethlehem,* 6 ian. 1964: *A.A.S.*, 56 (1964), p. 179.

[11] *Ibid.,* p. 178.

[39]

2 – RELATIO

CIRCA RATIONEM QUA SCHEMA ELABORATUM EST

Exc.mi P. D. Aemilii Guano, episcopi Liburnensis

I – HISTORIA SCHEMATIS

1. Mense Ianuario anni 1963 Commissio de Concilii laboribus coordinandis commisit Commissionibus « De doctrina fidei et morum » et « De apostolatu laicorum », in Commissione Mixta congregatis, ut praepararent schema conciliare « De praesentia Ecclesiae in mundo hodierno ». Labores incepti sunt mense Februario et de eis Commissio de Concilii laboribus coordinandis certior facta est per epistulam diei 25 Maii 1963, qua transmittebatur schema ab ipsa Commissione Mixta approbatum.

Schema complectebatur sex capita; primum magis doctrinale et introductorium. En tituli capitum:

I. De admirabili vocatione hominis;
II. De persona humana in societate;
III. De matrimonio et familia;
IV. De culturae progressu rite promovendo;
V. De ordine oeconomico et de iustitia sociali;
VI. De communitate gentium et pace.

Relator schematis apud Commissionem de laboribus Concilii coordinandis, die 4 Iulii 1963, fuit Em.mus Card. Suenens, qui, quamvis valorem documenti agnosceret, aliquos tamen defectus significavit. Commissio de Con-

cilii laboribus coordinandis tunc ab ipso Em.mo Relatore petiit ut novum documentum praepararet, quod ex capite I proficiscens elaboraret aspectus doctrinales ad acclaranda cetera problemata; reliqua capita tunc fierent Adnexa ad ipsum Schema. Em.mus Card. Suenens documentum parandum curavit per Peritos Lovanium convocatos; hoc documentum: « Adumbratio Schematis XVII De activa praesentia Ecclesiae in mundo aedificando » Sodalibus Commissionis Mixtae perdurante Secunda Periodo Conciliari distributum est. [39]

2. Commissio Mixta iterum congregata est die 29 Novembris 1963, ut determinaret de laboribus inter sessiones facturis. Disceptatio de duobus documentis (schema Commissionis Mixtae mensis Maii et Adumbratio Em.mi Card. Suenens) protracta est sine decisione concreta; tunc Exc.mus D.nus Pelletier suggessit formationem alicuius Subcommissionis Centralis, cui praeparatio novi textus conciliaris committeretur et etiam coordinatio aliarum Subcommissionum, quorum esset themata quinque Adnexorum denuo elaborare. Propositio haec unanimiter recepta est; Commissio Mixta, per suffragia secreta, designavit sex Episcopos (tres ex Commissione theologica: D.nos Patres Ancel, McGrath, Schröffer, et tres ex Commissione de apo- [40]
stolatu laicorum: D.nos Patres Guano, Hengsbach, Ménager), qui, facultate obtenta, sibi cooptarunt Exc.mos D.nos Wright et Blomjous, et insuper elegerunt D.num Patrem Guano ut praeesset Subcommissionis laboribus; aliqui Periti ad strictiorem collaborationem invitati sunt et R. P. Häring secretarius electus est.

Sodales huius Subcommissionis statim coadunati sunt, et determinaverunt lineas magis generales Schematis; simulque litteras scripserunt aliquibus Episcopis et aliis ecclesiasticis et laicis viris variarum nationum et continentium, eorum opinionem perquirendo.

His opinionibus prae oculis habitis, aliqui ex Peritis (Glorieux, Häring, 'Sigmond, Tucci) pluries coadunati sunt mense Decembri et in prima parte Ianuarii 1964, sub praesidentia D.ni Patris Guano, ut melius determinarent spiritum, finem et destinatarios, descriptionem et lineas generales schematis; eiusdem autem redactio P. 'Sigmond commissa est de eaque ab iisdem Peritis cum Praeside pluries discussum est. Conventum est ut prima redactio lingua gallica fieret.

Textus ille fuit basis conventus trium dierum, mense Februario habiti, apud Zürich (in Helvetia), praesentibus septem Episcopis Sodalibus Subcommissionis Centralis et aliquibus ex Peritis, necnon duobus laicis. Tria priora capita ibi attente perpensa sunt, scilicet: De integra hominis vocatione, Ecclesia Dei hominumque servitio dedita, De ratione christianorum se gerendi in mundo in quo vivunt. Multae emendationes in textum invectae sunt. Orientationes autem statutae sunt quoad caput IV, « De praecipuis muneribus a christianis nostrae aetatis adimplendis », et quoad revisionem Adnexorum.

3. Tria priora capita Schematis, de qua supra, in linguam latinam transla-

[40] ta, distributa sunt Commissioni Mixtae in Sessione mensis Martii 1964, sub praesidentia Em.morum Cardinalium Ottaviani et Cento, congregatae; in duobus conventibus (diebus 4 et 9 Martii) textus ipse approbatus est ut basis discussionis.

Plures suggestiones factae sunt in hac Sessione, praesertim de relatione inter Caput IV schematis et Adnexa: determinatum est ut puncta principaliora Adnexorum iam summarie in ipso Schemate conciliari annuntientur, sed in ipsis Adnexis magis diffuse denuo elaborentur; opportunum quoque visum est versiones Schematis in variis linguis modernis parari, Patribus iam ante disceptationem in Concilio distribuendae, ut magis sensus textus latini appareat.

Subcommissio Centralis deinde revisit et correxit Schema, prae oculis habitis animadversionibus Commissionis Mixtae; coordinationem etiam paravit conatuum Subcommissionum in elaborandis Adnexis. Plurimae emendationes a Patribus Commissionis Mixtae scripto missae sunt: de iis ratio habita est in nova redactione Schematis conciliaris quod quindecim diebus ante sessionem ultimam missum est.

[41] 4. In hac ultima Sessione (diebus 4-6 Iunii), sub praesidentia Em.morum Cardinalium Ottaviani et Cento, Schema Conciliare praesentatum est in Commissione Mixta, lectum et disceptatum. Correctiones sat multae et novae factae sunt, cuius fructus est textus prouti hic iacet et de quo inferius spiritus et lineae generales exponuntur.

Quia insuper duo ex Adnexis iam parata erant, Sodalibus distributa sunt, et exemplis illustrari potuit relatio inter numeros capitis IV et Adnexa. Suggestum quoque est, ut Schema typis edatur, et saltem Summa Argumentorum quae in Adnexis continentur simul cum Schemate Conciliari Patribus iam mittatur.

Textus deinde completus Adnexorum in proxima Periodo Concilii dabitur Patribus, et ab eis petetur ut animadversiones scripto tradant, ita ut emendationes fiant a Subcommissionibus. Quaestio de valore Adnexorum etiam posita est: suggeritur ut ipsa tamquam aliquod Commentarium officiale Schematis in lucem prodeant.

5. In fine conventus, praeses Subcommissionis Centralis petiit a Commissione Mixta ut votum exprimeret de opportunitate praesentandi Schema ad Commissionem de Concilii laboribus coordinandis.

Praeses ipse animadvertit Subcommissionem Centralem consciam esse de possibilitate et necessitate textum adhuc perficiendi, speciatim sub his respectibus:

a) nexus idearum et processus locutionis clarior et simplicior adhuc patere debet;

b) modus locutionis accuratius revisendus erit, ita ut acribia theologica in nullo obscuretur, et simul facilior fiat intelligentia textus hominibus nostrae aetatis, quin tamen obliviscamur semper munus dein Pastorum fore res convenienter populo explicare;

c) clarius apparere debent ea in quibus Ecclesia convenire potest etiam cum non credentibus, ut collaboratio, quantum fas est, statuatur; ex alia vero parte etiam clarius eluceat quae sit positio propria Ecclesiae. [41]

Hac de causa, adhuc notabilem laborem peragendum Subcommissionem Centralem habere, cum qua plurimi Periti, praesertim ex Commissione « De Doctrina fidei et morum », collaborabunt. Ipse praeses Subcommissionis, denique, nomine Subcommissionis ipsius declaravit, omnibus perpensis, tempus advenisse Schema ipsi Concilio proponendi ut ampla discussio a Patribus fiat, et per eorum suggestiones, Deo favente, ad optimam formam pertingatur et sic Constitutio tandem aliquando promulgari possit.

6. Tunc Em.mus Card. Praeses vota Patrum petiit, et Commissio Mixta, unanimi quasi voce, approbavit ut Schema Conciliare transmittatur ad Commissionem de Concilii laboribus coordinandis.

II – Idea et structura Schematis [42]

1. Difficile est synthetice in titulo exprimere quae ab hoc schemate expectantur; proinde analytice quaedam elementa et criteria exponentur.

Agitur, in genere, de habitudine Ecclesiae ad mundum hodiernum, sed:

a) non agitur de evangelisatione mundi, sed potius de habitudine Ecclesiae ad problemata temporalia;

b) non agitur de theologia generali de rebus temporalibus, sed potius de actuali realitate in lumine theologiae: sive theologiae speculativae, quae huius temporis realitatem interpretatur, sive theologiae practicae quae normas praebet ad actionem christianam in hac ipsa situatione. Subcommissio putavit non theses offerendas esse; utique tamen doctrinam, quae, si ex una parte pro nunc peculiariter valet, ex alia parte transcendit aliquod particulare momentum historicum;

c) non agitur de mundo in genere, sed de situatione actuali globaliter sumpta, non in particularibus, de quibus in Adnexis: agitur scilicet de bonis et periculis huius momenti, de problematibus in quibus hodie homines versantur, de eorum anxietatibus, de eorum spe.

Agitur, itaque, de hoc: Sub quo respectu Ecclesia participat et sua facit problemata temporalia nostrae aetatis, cum plenitudine illius amoris ad totum hominem, quem Christus Ecclesiae transmisit. Ecclesia ceteroquin simul scit nos non habere hic manentem civitatem sed futuram inquirere.

2. Fatemur nos in adlaborando textu maximas difficultates habuisse, propter plures rationes:

a) in diiudicanda situatione hodierna difficile est in evidentiam ponere id quod vere maioris et centralis momenti est, eo magis quod situationes et problemata continuo et rapide evolvuntur;

b) ut omnibus compertum est, relationes inter Ecclesiam et mundum, sua ipsa natura, extreme complexae sunt;

c) duae positiones extremae vitandae erant, nempe: ut ex una parte

[42] Ecclesia quasi indifferens appareret circa realitates temporales, ex alia parte ne videretur Ecclesiae munus esse totam sese impendere ad solvenda problemata huius temporis. Non facile erat invenire et exprimere lineam mediam vel potius lineam synthesis inter haec duo, quin optio fieret pro una vel altera parte.

Subcommissio putavit se recte interpretari intentionem eorum qui hanc Constitutionem proposuerunt et Commissionis Mixtae Plenariae, praesertim autem se expectationi Ecclesiae respondere, conficiendo hanc Constitutionem tamquam documentum stricte pastorale (sed non ad modum nuntii, « messaggio »), quo Concilium catholicos alloquatur; tali tamen modo ut per ipsos etiam acatholici, immo et non christiani attingi possint.

[43] Qua de causa conatus redactorum fuit modo loquendi uti qui, quamvis biblice inspiratus et theologice fidelis, maiori facilitate percipi possit ab hominibus nostrorum temporum, in disciplinis theologicis pecullariter non versatis.

3. *Structura Schematis*: Schema ipsum constat prooemio, 4 capitibus, conclusione.

Prooemium recolit necessariam habitudinem Concilii et Ecclesiae ad res huius temporis, ut deinde aliqua innuat de actuali condicione civilisationis et explicet ad quos sermo dirigatur; in ipso, denique, Concilium animum suum aperit, Christum ostendens veluti lumen mundi, cuius mysterium Ecclesia praedicat et in quo Ecclesia omnia contemplatur.

Caput primum « de vocatione hominis » in memoriam revocat valores positivos totius creationis, sed praesertim momentum novi hominis per Christum restituti in harmonica unitate personae christianae.

Caput secundum agit de missione propria Ecclesiae (praesertim de ipsius Hierarchia) et simul de eius habitudine ad res temporales.

Caput tertium tractat de habitudine christianorum relate ad mundum huius aetatis et de ratione in ipso sese gerendi.

Caput quartum loquitur de quibusdam gravioribus problematibus huius temporis et de muneribus quae christifidelibus quoad haec pertinent: de dignitate personae; de familia; de cultura; de vita oeconomica et sociali; de solidarietate familiae populorum; de pace.

Conclusio: appellatio ad homines ut omnes simul occuramus in mensuram aetatis plenitudinis Christi.

Intime cum structura Schematis connectuntur Adnexa. In capite IV Constitutionis puncta principaliora in luce ponuntur, de quibus, postea, fusius et magis ad particularia descendendo, in Adnexis agitur.

Subcommissio Centralis putat omnino oportere Constitutionem et Adnexa simul in lucem edi, etiamsi diversa cum auctoritate, quia invicem illuminantur et complentur et una simul multo efficacius exprimunt quod Concilium intendit quoad hoc argumentum.

3 – ADNEXA * [3]

Adnexum I

DE PERSONA HUMANA IN SOCIETATE

A) De homine eiusque vocatione ut persona humana

1. [*De condicionibus quae personam humanam in discrimine ponunt vel quae ei favent*]. Mundus hodiernus, qui evolvitur coram oculis nostris, quasnam possibilitates personae humanae reservat? Haud pauca sunt signa quae tam ad admirationem quam ad anxietatem suscitandam ansam dare videntur.

Rapidum mundi incolarum incrementum et progrediens industrializatio secumferunt hominum conglobationem in magnis urbibus, ubi singuli in discrimen veniunt ne, perdito sensu responsabilitatis, multitudine absorbeantur. Progressus technicus homines novis instrumentis ornat, ad quorum plenam dominationem obtinendam ipsi saepe impares sunt; et quasi revocata antiqua servitute, homines coactionibus socialibus et artificialibus condicionibus vitae exponuntur. Socializatio accelerata, quae valores traditos et structuras sociales aptiores ad condiciones humanas subvertit, homines haud raro vel ad steriles oppositiones vel ad particulares utilitates quaerendas incitat.

Simul autem genus humanum magisque sibi conscium fit dignitatis personae humanae et solidarietatis radicalis omnium hominum et populorum: quibus exigentiis moralibus adimplendis ipse progressus technicus et oeconomicus in dies maiores facultates praestat. Quis non videt ingentes possibilitates augendae rationis vitae materialis, culturalis, spiritualis, quas tempus nostrum offert? Sed oportet homines ordinent suas activitates secundum veram et plenam notionem dignitatis humanae. Haec est missio Ecclesiae, ut nempe dignitatem hominis iterum et iterum in memoriam revocet.

2. [*De sensu hominis in revelatione Iesu Christi*]. In omni creatura humana, quamvis abiecta sit vel quamvis gloriosa suis oculis appareat, Deus agnoscit suam « imaginem et similitudinem » (*Gen.* 1, 26). Deus hominem amavit eumque amabit semper. Ut ipsi restitueret splendorem originalem et veram dignitatem, Deus misit Filium suum, « factum ex muliere » (*Gal.* 4, 4).

Homo Christus Iesus constituitur persona ipsa sua relatione personali

---

* Adnexa schematis « De Ecclesia in mundo huius temporis » quae in hoc fasciculo continentur, non disceptabuntur in Aula Conciliari; Patres tamen enixe rogantur ut Observationes seu Animadversiones Secretariatui mittant, quarum auxilio dein Commissio Mixta Conciliaris textum emendare valeat.

[*Haec adnexa Patribus distributa fuerunt in congregatione generali 91, die 30 septembris 1964*].

[3] ad Patrem. In ipso Deus perfecto modo revelat mundo, quid sit homo, creatus ad imaginem et similitudinem Dei. Etenim « humana natura in ipsa incarnatione perducta est ad summam perfectionem » (*S. Th. III,* 1, 6). Assumens humanitatem nostram, Iesus Christus constitutus est primogenitus filiorum Dei, particeps factus immensae communitatis hominum, fratrum suorum.

Ideo Christus solus novit hominem, ipse scit quid sit in homine. Non solvit legem, sed extollens eius interiorem praestantiam, perficit omnem le-
[4] gem. Ipse novit intima secreta hominis et ad cor eius loquitur, unde omnis cogitatio et omnes actus voluntatis et amoris procedunt. Ipse etiam nobis revelat omnes homines sibi invicem proximos esse. Agnoscentes in eis nosmetipsos, in ipsis simul agnoscimus Christum.

3. [*De vocatione personali et communitaria hominis*]. Quid est homo lumine Christi consideratus? Corpore positi in mundo, singuli homines sunt personae, ornatae intellectu, conscientia et libertate. Quia vero omnes simul sunt personae, ideo constituunt communitatem humanam, transformandam in communitatem filiorum Dei, congregatorum in Iesu Christo.

Deus dedit mundum hominibus, ut, collaborantes in societate tamquam fratres, ei dominentur eamque perficiant. Hoc modo singuli fructificantes talenta sibi a Deo data, magis in dies propriam personalitatem perficiunt. Dominari viribus naturae, constituere communitates humanas, unitas in iustitia et amore, ecce missio hominum. Hoc facientes singuli respondent vocationi divinae, « testimonium reddente illis conscientia ipsorum », quae est scripta in cordibus ipsorum (*Rom.* 2, 15). Haec vocatio omnes homines responsabiles constituit. Adimplentes in caritate hanc vocationem, homines magis magisque ad libertatem perveniunt: quae crescens libertas ordinatur ad libertatem illam « qua Christus nos liberavit » (*Gal.* 5, 1).

Homo praepeditur obstaculis, tam ab extra quam ab intra. Obstacula externa, ut insufficientes condiciones vitae, laboris, culturae, ab homine superanda et transformanda sunt. Alia obstacula proveniunt ex ipso homine qui, quaerens libertatem, in discrimen venit incidendi in servitutem peccati: « vos enim in libertatem vocati estis, fratres, tantum ne libertatem in occasione detis carnis » (*Gal.* 5, 13). Dominari terrae in libertate, multiplicare ligamina humana et socialia cum illis quos agnoscimus tamquam similes et proximos nostros: haec missio a nobis perfici potest, si toto animo nosmetipsos subiicimus Christo in fide. « Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei » (*1 Cor.* 3, 21).

Tunc homo intelliget oportere sese facere servum aliorum ut fiat dominus sui: « sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam, redemptionem pro multis » (*Mt.* 20, 28). Videbit existentiam suam unitam esse existentiae fratrum suorum: pro quibus paratus est dare animam suam, sicut Christus. Volens « perdere animam suam » (*Mt.* 10, 39), homo inveniet seipsum. Permotus exemplo et doctrina Christi, in medio societatum vere humanarum, homo poterit plene perficere personalitatem suam: testimonio fidei quodammodo anticipare poterit Re-

gnum in quo unusquisque, in fraterna communione cum omnibus hominibus, fruetur libertate perfecta in pleno amore. [4]

4. [*Condiciones necessariae ad incrementum personae humanae*]. Existentia personalis, ergo, semper complectitur aspectum socialem. Non sufficit agnoscere necessitates materiales hominum tantum: illae necessitates possunt obscurare obligationem fundamentalem implendae genuinae vocationis personalis et socialis. Haec vocatio est principium dignitatis cuiusvis hominis, et fundamentum iurium eius. Confirmando iura hominis, affirmamus omnes ho- [5]
mines, individualiter et collective sumptos, illam vocationem uniuscuiusque personae favere debere: ita ut non modo eam ne impediant, sed et positive eius explicationem foveant. In hoc ordine unusquisque responsabilitatem erga omnes sentiat. Ideo societas, quam omnes una constituunt, tales condiciones efficiat necesse est, ut singuli hanc communem obligationem facilius adimplere possint. Societas ad id niti debet, ut omnia iura et iura omnium non tantum theoretice sed practice etiam reapse agnoscantur. Institutiones sociales semper renovandae sunt ut magis magisque operam conferant ad vocationem, qua singuli tenentur personalitatem perficere. Etenim, « cum civium disciplina ad iura officiaque informatur, tunc homines continuo res ad animum mentemque pertinentes deprehendunt, plane quid veritas sit, quid iustitia, quid caritas, quid libertas intellegant, iidemque conscii fiunt se huiusmodi societatis esse membra. Neque id satis; nam huius generis causis commoti homines ad verum Deum melius cognoscendum feruntur, nempe supra humanam naturam positum personaque praeditum. Quam ob rem rationes, quae iis cum Deo intercedunt, quasi fundamentum suae vitae existimant: id est vitae, quam vel intus in animo suo vivunt, vel cum reliquis hominibus consociaverunt » (Litt. Enc. *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55 [1963], pp. 268-269).

5. [*De aequalitate fundamentali hominum*]. Agnitio huius vocationis necesse est conducat ad profundiorem aequalitatem hominum. Singulis hominibus agnoscendum est ius fundamentale sese educandi et recipiendae educationis ut ita perveniant ad genuinam responsabilitatem actuum sive privatorum sive publicorum. Sine hac vera responsabilitate nemo potest esse persona et membrum communitatis. In medio societatis omnes aequo iure activas partes habent, i. e. liberi et conscii auctores sunt vocationis personalis, vitae familialis, socialis, oeconomicae et politicae.

Cum non omnes eodem modo donis naturalibus ornentur, curandum est ut singulis opportunitas praebeatur plene evolvendi sua ipsorum talenta. Omnes sese obligatos sentiant ut responsabilitates collectivas in omnibus campis vitae socialis participent.

In lumine Evangelii et doctrinae christianae de persona humana, quaevis discriminatio, qua violaretur haec fundamentalis aequalitas, tota reici debet. Christianorum, magis quam ceterorum hominum bonae voluntatis, est totis viribus adlaborare ut gignantur condiciones sociales, oeconomicae, culturales quae necessariae sunt ut supra dicta aequalitas hominum in actum deducatur. Quae aequalitas respondet perfectae illi aequalitati vocationis quam omnes

[5] habent in Christo. Coram Deo enim « non est iudaeus neque graecus; non est servus neque liber; non est masculus neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Iesu » (*Gal.* 3, 28).

Quod attinet ad iura et obligationes, mulier in quantum persona est aequalis viro. Haec aequalitas in ordine personae non implicat munerum identitatem. Utrique, viro nempe et mulieri, Creator imposuit missionem sese multiplicandi et dominandi terrae (*Gen.* 1, 28). Mulieri plena oppor-
[6] tunitas detur ut intersit vitae tam privatae quam sociali. Ecclesia gaudet de partibus quae ad mulieres spectant in societate hodierna multaque ex earum incremento expectat. Ipsa tamen silentio praeterire non potest inhumanas condiciones in quibus multae mulieres adhuc degunt, non tantum in nationibus quae progressu technico et culturali vix affectae sunt, sed etiam in nationibus evolutis. Nimis frequenter habentur vitae condiciones humanitati et christianitati contradicentes, eo quod mulierum dignitas pedibus calcatur, uti accidit in prostitutione.

Multa quoque expectat Ecclesia ex ascensu iuventutis. Modernae civilizationis sollicitudo erga iuvenes manifestat progressus conscientiae humanae. Magis autem curandum est ut iuvenes tamquam verae personae habeantur. Caveant parentes ne pueros et iuvenes tamquam obiecta delectationis vel utilitatis habeant, sed potius ad sensum responsabilitatis personalis et collectivae eos educent, memores verbi Domini: « Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit » (*Mt.* 18, 5).

Discriminatio inter homines praetextu « stirpis » nullo modo admitti potest. Sub hoc respectu, conscientia humanitatis nostris diebus multum progreditur. Sed, proh dolor, variis locis contentionum causae adhuc permanent. Agnosci oportet diversitatem culturarum esse necessariam. Communitates humanae enim suam habent historiam, quae quasi patrimonium spirituale constituit. Sicut omnes coetus nationales habent obligationem adiuvandi communem destinationem generis humani, ita etiam peculiares proprietates singulorum populorum respicienda sunt; hae proprietates enim historicam haereditatem populorum exprimunt. Quod praesertim valet, si minor coetus ethnicus et culturalis vitam degit in medio maioris communitatis politicae alius stirpis (cf. Litt. Enc. *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55 [1963], p. 283).

Proprietates culturales variarum nationum locum inveniant necesse est in bono communi universitatis maioris. Gravem autem errorem committunt ii qui differentias unice ad stirpem, i. e. ad elementa ordinis biologici, reducunt. Homogeneitas enim culturalis communitatis humanae non fundatur in fortuito quodam determinismo biologico.

Principium fundamentalis aequalitatis omnium hominum etiam excludit quamcumque notionem coetus, classis, populi vel stirpis electi. Ditiores societates non tantum destruere non debent societates minus divites, sed quantum copiae materiales, culturales et spirituales permittunt, enitantur ut pauperiores nationes collectivi progressus humanitatis magis participes fiant.

6. [*Conclusiones*]. Coram Deo singuli homines vocati sunt ut imaginem

Filii reproducant. Omnes simul vocati sunt ut constituant unum corpus, Corpus Christi in Regno. Nostrum est id efficere ut communitas terrestris magis in dies concordet cum dignitate hominis et consilio Creatoris. Ita faciendo, genus humanum efficit consecrationem mundi Deo, et eo nititur ut praebeat imaginem usque perfectiorem illius communitatis universalis, ubi unusquisque poterit accedere in caritate ad veram libertatem. [6]

B) De homine in societate [7]

7. [*De natura et fine societatis*]. Augentur, nostris diebus, vincula mutuae dependentiae, quibus exprimitur et efficitur solidarietas hominum in societate. Sub diversis formis, societas est universitas structurarum quae communi vitae hominum corpus et existentiam obiectivam praebent. Societas ergo est res non tantum materialis, sed etiam ordinis spiritualis: et quidem propter vocationem spiritualem hominum qui societatem constituunt, et propter genuinum finem societatis qui est bonum commune. Omnis societas est quaedam forma institutionalis vitae communis hominum, et quamvis societates differant inter se quoad originem et finem immediatum, significatio humana omnis vitae in societate transcendit diversas illas modalitates.

Bonum commune est finis totius vitae communis. Magni momenti est circumscribere modo magis definito genuinam naturam boni communis. Nostris diebus enim homines, haesitantes circa directionem evolutioni oeconomicae et sociali dandam, quaerunt dirigere actus suos secundum ideam minus incompletam de homine et de vita communi.

a) Bonum commune ordinatur ad universitatem bonorum omnium membrorum societatis: societas tutari debet tales condiciones oeconomicas, sociales et politicas ut omnes suas dotes evolvere et suam vocationem adimplere possint. Ratione debita habita diversarum vocationum personalium et diversitatis naturalis inter homines, omnibus ergo facultas tribuatur ut plenam evolutionem attingere possint.

Bonum commune ergo quoddam optimum est. Non autem exprimi debet bonorum externorum quantitate tantum. Prosperitas et utilitas generalis, dummodo omnes ea fruuntur, certo elementum necessarium boni communis est. Sed bonum commune haud perfecte definitur prosperitate materiali, individuali et collectiva. Nimis frequenter homines cedunt tentationi considerandi finem vitae socialis simpliciter reduci ad augendum redditum nationalem vel ad crescentem abundantiam bonorum materialium. Quamvis necessarium augmentum oeconomicum sit, tale augmentum est pars tantum provehendarum facultatum omnium et singulorum hominum ad plenam perfectionem.

b) Porro, bonum commune est ordinis iuridici et institutionalis, licet non unice. Bonum commune exigit ut mutua iura et obligationes singularum personarum et coetuum clare et certe determinentur. Iustitia et aequitas, pax et concordia sunt condiciones tranquillitatis ordinis inter omnia membra

[7] societatis. Aptae institutiones ergo tueantur securitatem commercii quo omnes frui possint observando mutua iuria et obligationes.

c) Prae omnibus autem bonum commune ordinis spiritualis est. Plus quam possibilitas exterior communicationis omnium inter se, bonum commune est illa boni perfecta forma, vi cuius omnes, in communione fraterna, prosequuntur valores spirituales qui sunt finis supremus omnium hominum: Veritatem, Iustitiam, Pulchritudinem, Amorem mutuum, Libertatem (cf. Litt. Enc. *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55 [1963], pp. 266-267).

[8] *d*) Bonum commune ergo numquam est completum sed semper perficiendum. Est exigentia semper urgens, finis semper prosequendus. Designat supremam finalitatem omnium societatum. Quapropter ordo socialis non constituitur semel et pro semper, sed « ad aequabilitatem cotidie humaniorem est componendus » (Litt. Enc. *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55 [1963], p. 266). Ad illam maiorem usque boni communis perfectionem efficiendam, omnes et singuli secundum capacitatem et locum suum operam conferre debent. Ad quod attingendum, omnes conducantur regula aurea, quam docet Dominus: « Omnia quaecumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Haec est enim lex et Prophetae » (*Mt.* 7, 12).

8. [*De necessaria pluralitate societatum*]. Libertas exigit ut singuli adhaerere possint variis societatibus, natura et operationibus differentibus. Inter quas duae semper necessariae sunt, utpote condiciones permanentes plenae evolutionis personae. Sunt autem familia et societas politica.

Communitas elementaris humana, quae est familia, necessario nititur in institutione matrimonii. Societas politica vel status potest induere varias formas institutionales. Innititur autem in fundamento permanenti, quod est voluntas hominum coniunctim vivendi ut efficiant communionem fraternam et una determinent communem destinationem in libertate.

Inter familiam et societatem politicam oportet homines condere societates natura et fine immediato diversas. Necesse est tales societates intermedias constitui in sinu societatis universalis. Ita enim omnibus aditus ad veram responsabilitatem collectivam assumendam patet, et participare possunt vitam socialem et politicam totius communitatis. Ad hunc finem attingendum, curandum est ut universa membra non tantum vera libertate gaudeant, sed etiam ut directionis et operationis illarum societatum reapse participes esse possint. Haec duplex condicio urget praesertim nostris diebus, quibus complexitas problematum politicorum, oeconomicorum et socialium exigit peritiam superiorem quam non multi possident. Caveant autem cives ne necessitas adiutorii virorum peritorum ducat ad gubernium hominum in speciali campo peritorum vel ad technocratiam. Determinare qui sint fines principales prosequendi, debet manere communis responsabilitas omnium. Magna ergo et continua contentione educatio et informatio prosequenda est ut, in corporibus intermediis et per ipsa, quam plurimi activam partem habeant in promovendo bono communi.

9. [*De subsidiarii officii principio*]. Dummodo fines societatum interme-

diarum possint subordinari bono communi totius societatis, plena libertas associationis omnibus agnoscenda est. Immo, tales societates intermediae necessariae sunt ne « socializatio » moderna degeneret in multitudinem hominum responsabilitate carentium. Ideo cavendum est ne responsabilitates et operationes societatum inferiorum transferantur ad societates superiores. Determinatis lineis generalibus politicis, auctoritates superiores debent stimulare formationem societatum inferiorum, coordinare earum activitates et eas adiuvare ut negotia propria plene efficiant ita ut exerceant, singulae in suo ordine, veram responsabilitatem. [8] [9]

10. [*De evolutione continua structurarum socialium*]. Quamvis quaedam stabilitas iuris et institutionum sit necessaria, ordo tamen quem vult Deus et particularis ordo historicus, quamvis venerabilis, non sunt confundendi. Continua evolutio structurarum est necessaria. Progressus technicus, progrediens sensus moralis, et praesertim caritas talem evolutionem exigunt. In caritate enim continetur impatientia quaedam, semper quaerens iustitiam magis perfectam: amor enim facit ut « alter homo » fiat « alter ego ». Saepe autem haec evolutio non efficitur nisi per certamina rerum discrimina.

Contentiones sociales sunt permanentes. Oriuntur ex oppositis visionibus et ex oppositis utilitatibus, tam inter nationes quam inter coetus et individua. Quatenus haec contentio intendit non dominationem unius partis vel suppressionem adversarii, potest fieri occasio progressus socialis et conferre ad maiorem perfectionem boni communis. Nemo enim est universalis, nemo habet visionem completam boni communis. Semper prompta est tentatio confundendi propriam utilitatem vel propriam visionem et bonum commune. Nam egoismus obcaecat hominem et auget eius limitationes naturales. Admittenda et approbanda est impugnatio ordinis stabiliti in quantum conducit ad creandum novum ordinem magis iustum, in campo nationali et internationali. Genuinus enim ordo socialis omnibus coetibus et classibus permittit ut semper magis collaborent ad effective promovendum bonum commune societatis.

Pax vera non est possibilis nisi super fundamento iustitiae, amoris mutui et libertatis. Pax non est accipienda neque imponenda quovis pretio, eo vel magis si id secumferat laesionem iustitiae. Pax est fructus positivus conatus humani, quaerentis veram iustitiam: « Opus iustitiae Pax » (*Is.* 32, 17); non patitur passivitatem quae imperatur coactione.

Nec impugnatio potest descendere ad violentiam. Voluntas enim creandi ordinis magis iusti non est opus caritatis nisi observet legem. Nec inter nationes pax incolumis servari potest, si compositio litium viribus et violentiae relinquitur. Impugnatio, ut ad meliorem ordinem conducat, opus commune partium inter adversarum est, in campo tam nationali quam internationali.

Multi proni sunt ad sese defendendas sub tegmine iurium acquisitorum, legaliter agnitorum. Prima autem et principalis cura deberet esse ut iura et privilegia, quibus ipsi gaudent, inserviant bono communi. Parati esse deberent

[9] novo iudicio subiicere illa iura et privilegia, num forte novum aequilibrium inter iura variorum coetuum melius conducere posset ad bonum commune et utilitatem societatis. Solidarietas cum iis qui sunt tenuioris ordinis, superare debent contentiones et utilitates oppositas.

Similiter, illi quorum iura non satis agnoscuntur, curare debent ut sui ipsorum conatus ne noceant sincerae voluntati efficacem operam conferendi ad bonum commune totius communitatis.

[10] Non sine sollicitudine Ecclesia videt actiones illarum organizationum, quae fortes opibus oeconomicis, socialibus et politicis, unice student suam ipsarum utilitatem provehere, nulla ratione habita boni communis et utilitatis legitimae coetuum debiliorum. Facile enim accidit ut sive studia sese defendendi sive vindicatio sui iuris violenta afficiantur illo egoismo quem homines sinceri superare deberent. Etiam in ipsis certaminibus christiani memores sint verae pacis quam dedit nobis Dominus: « Ipse enim est pax nostra » (*Eph.* 2, 14). Christus vero pacem fecit assumens pondus egoismi hominum, « interficiens inimicitias in semetipso » (*Eph.* 2, 16).

Ergo verum fermentum progredientis iustitiae socialis est caritas. Nam et in campo sociali valet dictum: « caritas Christi urget nos » (*2 Cor.* 5, 14). Caritas semper quaerit iustitiam magis perfectam. Non ei satis est ut magis humaniores reddantur relationes sociales intra limites ordinis lege constituti. Sed denuntians iniurias quae forte dissimulantur praetextu ordinis constituti, quaerit structuras iustiores, aequiores, humaniores, et quae magis usque concordent cum vita sociali. Usque in finem temporum mundus offerre debebit imaginem perfectiorem usque iustitiae integrae, quae revelabitur in Regno, ubi « Deus erit omnia in omnibus » (*1 Cor.* 15, 28).

C) De relatione inter hominem et societatem atque potestatem politicam

11. [*De natura et fine potestatis politicae*]. Vita socialis hominum, et variae societates in quibus vita socialis organizatur, necessario postulant societatem superiorem, munitam auctoritate suprema. Haec societas est communitas politica autonoma vel status, qui plerumque adhuc habet characterem nationalem. Sicut ipsa vita socialis ita auctoritas suprema est exigentia ordinis moralis, ideoque derivatur ab auctoritate Dei. Sicuti « singuli homines interiectique coetus suam quisque operam ad omnium commoda conferre tenentur » ... ita « qui potestatem in civitate gerunt, iis actis praecipiant oportet, quae ... vel ad civitatis bonum prorsus spectent, vel eodem adducere possint » (Litt. Enc. *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55 [1963], p. 272).

Auctoritas status non tantum est legitima ob necessitatem defendendae nationis contra iniustas et violentas perturbationes ordinis, quae ab intra forte vel ab extra proficiscantur. In hodiernis condicionibus rapidae evolutionis, auctoritas insuper requiritur ut dirigat hanc evolutionem ad maiorem

utilitatem totius familiae humanae et ipsius nationis. Status nationales revera [10]
collaborare debent ad constituendas societates politicas ampliores, et ad creandam genuinam organizationem mundialem.

Praeterea, status habet responsabilitatem in ordine sociali. Curet ut individuae personae et varii coetus provehantur, ope educationis et culturae quibus omnes frui possint. Insuper, datis gravibus abusibus et periculis, quae ex monopoliis oriuntur, responsabilitas status magis in dies, et quidem legitime, ad ordinem oeconomicum extenditur. Denique, datis periculis materia-
lismi socialis et culturalis, responsabilitas status etiam ordinem spiritualem [11]
attingit. Status ad id operam conferre debet, ut stabiliantur conditiones quae favent communioni personarum in valoribus spiritualibus qui finem verum societatis humanae constituunt.

Cum ratio auctoritatis supremae sit bonum commune promovendum, patet finem ultimum eius activitatis esse libertatem et plenitudinem vitae humanae. Sicut supra diximus, singulis — non minus consciis propriae dignitatis et opinionum quam dignitatis et libertatis aliorum — facultas detur ut contribuant operationibus societatis in omnibus gradibus. In hoc sensu dici potest veram democratiam (abstractione facta a formis institutionalibus talis regiminis) esse magis conformem vocationi sociali hominis (cf. Nuntium radiophonicum Pii XII, die 24 decembris 1944: *A.A.S.,* 37 [1945], pp. 13-14).

Hisce dictis, pariter dicendum est personam habere vocationem transcendentem et, in libertate conscientiae, effugere omnem absorptionem a parte status. Ceterum, homini Deo respondendum est. Persona solummodo, ornata vocatione personali et sociali, est in ordine finis. Status manet in ordine instrumentorum.

Quod non excludit obligationem sese subiiciendi auctoritati status. Auctoritas enim procedit a Deo, et ideo obligat in conscientia. Oboedientia civilis autem, ut revera sit oboedientia, non debet passivo et mechanico modo praestari. Semper debet manere actus humanus, qui supponit personam ornatam intellectu et conscientia morali. Nec in ipsa quidem executione mandati, persona potest abdicare proprium vigorem et responsabilitatem. Persona numquam consideretur (neque ipsa se ita consideret) simplex pars alicuius universitatis, omnino legi exteriori subiecta. Oboedientia numquam eximit personam ab assumenda responsabilitate in propria conscientia. Sive submissio mandatis potestatis requiritur sive oppositio, totus sensus oboedientiae est in submissione praestita Deo tantum: « Oportet oboedire Deo magis quam hominibus » (*Act.* 5, 29). Sola caritas est plenitudo legis; superat ergo omnem legem.

Oboedientia non exhaurit relationes inter cives et potestatem. Cives potius sese unitos potestatibus civilibus sentiant, et sociam cum ipsis operam praestent ad bonum commune provehendum. Removendum est periculum, ne multi, recusantes sese agnoscere ut partes activas in vita politica, eam non active participant, sed responsabilitatem communis destinationis relinquunt

[11] vel viris peritis, vel viris qui vitam politicam exercent. Nam clare patet exteriorem structuram democraticam ex sese non sufficere ad impediendum quominus status in totalitarismum degeneret.

12. [*De relatione cum societate*]. Status civilis non modo directo exercet omnes responsabilitates quas assumit. Necessaria unitas potestatis politicae non negat pluralitatem centrorum ubi vel consilia capiuntur vel executioni mandantur. Si talis pluralitas recusetur via patere possit ad totalitarismum. Quamvis decisiones individuorum, coetuum et associationum intermediarum,
[12] coordinationis causa, semper examini supremae auctoritatis subiectae esse debeant, tamen ii omnes decernant oportet cum plena responsabilitate. Ad auctoritatem pertinet eos animare, eorumque mutuam concordem operam tueri. Status ergo non tantum permittere debet libertatem personarum et associationum intermediarum, sed eam legaliter recognoscere debet, secundum varios gradus qui necessarii sunt ut quis suam responsabilitatem reapse exercere possit.

Societas oeconomica non sese evolvere potest absque relatione cum societate politica, ergo supremae potestati status subiicitur. Sed societas politica non est identica cum societate oeconomica, neque eam absorbere vel eius autonomiam supprimere potest. Rerum oeconomicarum subordinatio sub societate politica, ac simul earundem distinctio, est expressio spiritualis naturae hominis, quippe qui nullo modo considerari possit ut merus auctor vel consumptor bonorum oeconomicorum.

Magis in dies in societate moderna oriuntur centra potestatis moralis, quae movent et mutant opinionem publicam. Talis forma potestatis efficit ut semper plures homines vitam societatis participare possint. Potestates publicae agnoscere debent eorum centrorum independentiam, tuentes et libertatem informationis et faventes eius obiectivitati. Sed, sicut in campo oeconomico, impedire debent ortum monopoliorum privatorum, et associationum particularium quae, moventes opinionem publicam, proprias utilitates prosequantur. Singulae personae autem, quantum possibile est, active sese habeant erga hanc novam formam potestatis socialis. Etiam in hoc campo non debent sese gerere veluti consumptores passivi. Omnes pro viribus enitantur ut moderentur et suo iudicio subiiciant informationes et commentarios qui movent opinionem publicam.

D) De Ecclesia in societate hominum

13. [*Ecclesia et societas civilis*]. Existentia et evolutio societatis civilis, sicut, propter finalitatem eius spiritualem, sollicitudinem Ecclesiae excitant, ita etiam exercitium missionis Ecclesiae afficiunt. Res temporales enim non idem sunt ac materiales. Bonum commune, quod est finis societatis, est universitas condicionum quae singulos ad suam vocationem integre et fideliter implendam impellunt. Societas civilis est sine dubio societas historica. Fines, quos sibi prosequendos proponit, sunt fines particulares, qui pendent e

circumstantiis historicis. Attamen, societas terrestris, quae ita agit, contendit [12] etiam ad finem assequendum, qui transcendit historiam. Quamobrem societas terrestris, si invitat membra ut ex se exeant et accedant ad veram libertatem, id eo consilio facit, ut Dei vocationi obsecundent. Societas, inserviens vocationi personarum, servit ipsi Deo qui eas vocat; adiuvans eas ut transcendant suos limites, eas adiuvat ut limites suos agnoscant et dono Dei sese aperiant.

Ecclesia, praedicans doctrinam suam socialem, et exhortans filios suos ut vitam civitatis terrestris active participent, desiderat « ad humanitatis... et [13]
evangelicae normas progredientis huius aetatis cultum componere. Has vero Ecclesiae partes ipsa nostra aetas advocat, quin etiam flagrantissimis expetere videtur votis, non modo ut celsiora assequatur proposita, verum etiam ut adepta in tuto collocare valeat, sine detrimento » (Litt. Enc. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 [1961], p. 460).

Attamen nulla confusio datur inter societatem terrestrem et Ecclesiam, quae est societas hierarchica, instituta a Iesu Christo. Ecclesia semper desiderat pacificam collaborationem cum auctoritatibus civilibus. Sed qualecumque est regimen politicum, Ecclesia non potest abdicare ius « ut vera cum libertate fidem praedicare et inter homines munus suum expedite exercere possit, omnia et sola media adhibens quae Evangelio et bono omnium secundum temporum et condicionum diversitatem respondeant » (Schema « De Ecclesia in mundo huius temporis », n. 12).

Annuntiare Evangelium hominibus, ecce praecipua missio Ecclesiae. Ultra fines historicos et metas temporales, Ecclesia prosequitur finem vere ultimum humani generis: ut humanum genus salvatum inseratur in Corpus Christi, « donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi » (*Eph.* 4, 13). Ecclesia ergo est societas sui generis, independens, quae a nulla alia societate absorberi ac nullo modo ad aliquam societatem historicam reduci potest.

Ecclesia, nolens ullo modo confundi cum societate terrestri, est signum transcendentiae personae humanae: homo numquam est pars integrans alicuius universitatis temporalis, sed vivens in historia semper conservat vocationem aeternam. Per ipsam suam praesentiam Ecclesia vindicat dignitatem spiritualem et supremam libertatem personae humanae.

Ecclesia est testis salutis, cuius adeptio transcendit vires hominum; etenim donum gratuitum est. Salus a Deo oblata non potest reduci ad conatus collectivos, quamvis nobiles, quibus homines ad solvendas quotidianas terrestris vitae necessitates vires intendunt. Si Ecclesia desiderat ut homines superent seipsos in medio societatis terrestris, eo vel magis exoptat ut eum recipiant qui venturus est et qui repraesentatur ab Ecclesia in hoc mundo.

14. [*Ecclesia et potestas politica*]. Ecclesia ut institutio et status civilis in hoc conveniunt quod ambo inserviunt vocationi personali et sociali hominis, licet diverso modo.

Ecclesia nullo modo sibi vindicat dominationem mundi. Per rectores suos

[13] spirituales et per omnia sua membra ipsa servire mundo desiderat; immo fideles, ut membra civitatis temporalis, servi diligentiores veri boni communis esse debent. Non alia iura sibi asserunt nisi ut sibi liceat adesse et operari ubique, sicut ceteris omnibus hominibus bonae voluntatis licet. Tam sibi quam omnibus aliis hominibus renuunt quamcumque discriminationem, cuiusmodi est exclusio e vita politica vel limitatio iurium civilium, in sola religione fundatam.

Ex altera parte autem, Ecclesia vindicat ius adimplendae vocationis pro-
[14] priae. Exigit ut proferre possit testimonium collectivum et publicum fidei in Christo. Exigit ut omni homini agnoscatur libertas recipiendi Evangelium et ingrediendi in Ecclesiam. Quodcumque est regimen politicum societatis civilis vel modus exercendae auctoritatis supremae, Ecclesia exigit ut institutiones ecclesiasticae, subiectae Ecclesiae hierarchiae, libere sese evolvere et efficere missionem suam possint, tam inter fideles quam inter infideles. Denique, rectores Ecclesiae nullam aliam potestatem sibi vindicant nisi ut exercere possit servitium quod Christus mandavit Apostolis.

[15] ADNEXUM II

DE MATRIMONIO ET FAMILIA

1. [*Signa temporum*].

Mutatis hodiernae vitae condicionibus, quae in vitam matrimonialem et domesticam multimode influunt, coniuges in adimplenda sua vocatione partim iuvantur, partim impediuntur:

— Cum ultimis temporibus et vita socialis et ipsa vita domestica etiam permultis, qui christiano nomine censentur, quasi dissociata videretur a religione, hodie non pauci profundiorem sensum et finem religiosum matrimonii et familiae novo zelo agnoscunt et non raro associatis viribus apostolatum sanctificationis familiae promovent. Quod germen si recte fovetur, magnum sane bonum pro familia, pro Ecclesia et tota societate promittit.

— Aucta aestimatione personae tum viri tum mulieris ac publice magis agnitis personae dignitate et iuribus multi clarius perspiciunt, quanti sit momenti amorem vere personalem in coniugio et familia coli; amissis pluribus functionibus oeconomicis et socialibus familia in cultura moderna continuo experitur suam felicitatem ac stabilitatem praeprimis dependi ab excultis mutuis relationibus personalibus et sensu mutuae membrorum responsabilitatis pro hac et futura vita.

— Quantum valeat absoluta fidelitas, quae tota vitae ratione matrimonii unitatem et indissolubilitatem profitetur, eo clarius apparet, quo saepius ipsa hodie non tam propitiis condicionibus socialibus debeatur quam eximiae virtuti et libertati personali; sed inde quoque elucet nova claritate omnes conscientia teneri ad societatem ita renovandam, ut etiam suis structuris et mo-

ribus, illuminata quoque opinione publica, testificetur fidelitatis aestimationem eamque fulciat. [15]

— Favente scientiarum profanarum et sacrarum progressu profundius investigantur relationes inter virum et feminam, inter parentes et filios aliaque familiae membra, et in dies clarius perspicitur amorem purum, tenerum et fortem in coniugibus eo magis requiri, quo minus nostris temporibus utilitatis finibus et rationibus impellantur, ut huic muneri se devoveant. Non solum propter diversa problemata demographica, quae in familiis suo modo sentiuntur et praeprimis per eas solvuntur, sed etiam propter tot alias mutationes culturae modernae coniuges multo magis quam saeculis praeteritis in mutuo dialogo decernere solent de tempore et numero prolis procreandae.

— Novis imminentibus periculis et paedagogica scientia progressa passim periti et ipsi coniuges intellegunt diligentius praeparandos esse adulescentes ad munera matrimonii et familiae obeunda.

— Porro hodierna transitionis aetate clarius apparet, quantum mutuo
referantur et influant familia et variae partes vitae socialis; unde plures intellegunt non solum familiam ad nova adiuncta oeconomica, culturalia, socialia adaptandam esse, in iis sane, quae secundum legem divinam mutari possunt, sed vel magis condiciones sociales, non exclusa opinione publica, ad valores matrimonio innatos adaequari oportere. [16]

Denique christifideles et omnes homines pii desiderant, ut clarius in his omnibus perspiciant, quomodo distinguantur ea quae in vita matrimoniali et familiari secundum Dei intentionem mutari possunt aliaque quae immutata servari debent.

Quare S. Synodus, dum signa temporum discernit, christifideles edocere intendit, quomodo veritati inhaerentes mundo hodierno per vitam matrimonialem et familiarem Christi virtutem testentur et ita in mundo renovando partes agant. In hac vocatione divinitus constituta primo consideranda est matrimonii sanctitas et sanctificans vis; qua perspecta et ratione habita novarum vitae condicionum de amore coniugali et domestico agetur; dein de notis, quae amoris coniugalis veritatem probant, de fidelitate nempe coniugum et de matrimonii unitate et indissolubilitate, atque de vera et sancta responsabilitate erga prolem concipiendam et educandam; tandem attentionem omnium advertimus ad communem obligationem renovandi structuras et vitae condiciones in mundo, in quo vivit familia.

2. [*Brevis descriptio vocationis coniugalis*].

Videns Deus non esse bonum homini, si sit solus (cf. *Gen.* 2, 18; *Mt.* 19, 4), ab initio masculum et feminam creavit eos, amoris foedere coniunxit eos benedixitque eis: « Crescite et multiplicamini et replete terram » (cf. *Gen.* 1, 18). Qua benedictione vocavit eos, ut « in una carne » (cf. *Gen.* 2, 24; *Eph.* 5, 31), id est consortio indiviso et indissolubili iuncti Ipsiusque in propagando genere humano cooperatores, Eum glorificent.

3. [*De matrimonii et familiae sanctitate et vi sanctificante*].

Matrimonium origine, natura et fine sacrum est. Sensum et finem sacrum

[16] Deus ei misericorditer conservavit etiam post generis humani lapsum, ita ut homines pii, per omnium saeculorum decursum, a matrimonii et familiae sacrario profana arcere satagerent, et cultum Deo ibi offerrent.

Dominus autem noster Iesus Christus matrimonium, restituta eius unitate et indissolubilitate primigeniis, ad sacramenti dignitatem evexit, ita ut inter baptizatos nullum esse possit verum matrimonium, quin sit eo ipso sacramentum. Matrimonium inter christianos contractum non est igitur sacrum tantum, sed etiam signum rei sacrae quatenus sanctificat homines.[1] Sponsi per validum consensum exterius rite manifestatum coniunctim Christo se tradunt, et a Christo sibi invicem iunguntur, ut mutua et libera suorum ipsorum donatione gratiae sacramenti participes — inquantum obicem non ponunt — tota matrimoniali vita novum et aeternum foedus Christi cum Ecclesia testentur et collaudent. Sponsi ergo hoc sacro vinculo iuncti vocantur et devinciuntur ad christianam sanctitatem novo titulo et quidem unitis viribus prosequendam.

[17] Gratia autem huius sacramenti, docente Concilio Tridentino, amor naturalis perficitur, indissolubilis unitas confirmatur, sanctificantur coniunges.[2] Iidem, secundum hanc legem ipsa gratia sibi impositam, in Spiritu Sancto se invicem amando et in via sanctitatis alter alterius onus speciali modo portando (cf. *Gal.* 6, 2), purissimam et fecundissimam Christi cum Ecclesia unionem vere repraesentant et participant, et Salvatoris caritatem sibi invicem et filiis aliisque testantur. Cum autem Christus, sacramentorum institutor atque perfector hanc gratiam sua passione promeruerit,[3] Eum sequentur crucem cotidie ferendo gaudii Resurrectionis Eius participes; ita in gratia et sanctitate crescunt.

Eximium hac gratia coniugibus imponitur munus: participando scilicet animarum curam suarum ac filiorum, tota vitae ratione Divini Pastoris sint cooperatores. Sic implebunt in suo vitae statu verba S. Pauli: « Implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo et Patri, subiecti invicem in timore Domini » (*Eph.* 5, 18-20).

Parentes, qui infantes ad fontem regenerationis praesentarunt, verbi et vitae testimonio fidem eorum fovebunt, interpretando eis bonum nuntium baptismate cordibus eorum inscriptum. Ita totam educationem ad eucharisticam vitae aeternae mensam, centrum vitae et cultus christiani, ordinabunt, ut convivium et consortium familiare, et inde cuncta alia fidei luce illustrata, plene suum sensum et valorem sacrum suamque vim sanctificantem demonstrent. Filios discrete ac paulatim initient, ut, pie de matrimonii sanctitate ac de virginitatis mysterio sentiendo, caste vivere discant. Sic eis cor et intelligentiam aperient, ut suo tempore capere possint, qua vocatione a Deo vocentur.

Familia christiana, quae, nazarethanam illam sanctissimam imitata, com-

muni conatu religiosum suum munus adimplet, immaculatam sese servabit [17]
ab hoc saeculo, et erit in mundo sanctitatis fermentum.

4. [*De amore et caritate in matrimonio*].

Deus, qui caritas est, ita instituit matrimonium indeque familiam, ut propagatio generis humani fiat in intima personarum communitate, qua mirabiliter amor humanus nascitur et crescit, permanans totam vitam, immo florescit caritas christiana, quae, Spiritus Sancti donum, in coniugum corda abundanter diffunditur, et amorem humanum elevat ad ipsum Amorem, unde novas iugiter vires hauriat. Quo vitae consortio, speciali sacramento sanctificato, homines edocentur in regnum amoris Christi, Verbi incarnati, assumi omnem amorem vere humanum, et modo eminente tenerrimum illum amorem, qui inter coniuges ac parentes inter et filios viget.

Per amorem, quem in familia experiuntur, homines, secundum Dei consilium, a prima aetate ita formantur, ut dilectionem fraternam et dein etiam verum amorem coniugalem praestare valeant. Haec amoris schola, iis quoque, qui a Deo propter regnum Suum ad caelibem vitam, et proinde ad arduum
et beatum Dei proximique amorem, vocantur, donum est inaestimabile, sicut [18]
e contra castitas Deo consecrata multum confert ad amorem coniugalem et domesticum firmandum et elevandum. Quo magis homo inde ab initio vitae suae amorem vere personalem recipere et reddere didicerit, eo profundius, secundum ordinariam Dei dispositionem, poterit diligere Deum invisibilem (cf. *1 Io.* 4, 20), et propter Ipsum omnes homines.

Amor coniugalis, quo coniuges libere ac mutuo se ipsos dono dant et mutuo interne conformantur, tener affectu et opere comprobatus, natura sua promptus est ad prolem recipiendam et fovendam secundum christianae prudentiae dictamen. Consensus autem matrimonialis sua essentia intendit huius foederis unitatem, indissolubilitatem et amorem vitae servitio destinatum. Quo purior et firmior est amor coniugalis, eo fortius et constantius coniuges notas specificas coniugii eiusque bona essentialia affirmabunt et exequentur. Validitas vero consensus indeque ipsius matrimonii non dependet a particulari gradu perfectionis istius amoris, dummodo consensus sit liber nec positive excludatur unitas, indissolubilitas vel fecunditas. Neminem tamen fugit, quantum oporteat amorem in ipso consensus actu plene adesse et per totam vitam augeri. Amor enim implebit et implere faciet, quod consensus asserit et promittit.

Amore autem coniugali, secundum Dei voluntatem, elucet viri mulierisque aequalis dignitas, cum ambo tamquam personae ad imaginem Dei creati et ad vitam beatam destinati sint; quare profecto inveniuntur invicem adiutores sibimetipsis similes (cf. *Gen.* 2, 20). Quae dignitas resplendet etiam in distinctis viri mulierisque proprietatibus, quibus referuntur ad invicem et ad Deum. Minime tamen inde vir et mulier ad statum matrimonii coartantur, ac si persona humana extra illud perfecta esse nequeat. In matrimonio autem distinctae viri mulierisque qualitates finem suum eo attingunt, quod inser-

[18] viunt amori, quo coniuges se Deo tamquam cooperatores praestant sibique invicem intimum animi affectum pandunt.

Ex ipsius amoris coniugalis natura, ordinatione et vi sequitur coniugalis castitas. Ideo ibi floret castitas, ubi floret amor coniugalis verus. Ex hoc sacro amoris foedere etiam castitatis solutorum ratio et dignitas elucent. Ipsa reverentia matrimonio debita prohibet, ne quis, extra matrimonii septa, mendax imitetur, quod natura sua solius coniugalis amoris et foederis signum est. Quod igitur Ecclesia, legis Dei interpres, de castitate et pudicitia tum coniugum tum solutorum docet, personam humanam minime coartat, sed potius personae libertatem a periculis protegit viamque sternit amori vere humano.

Amor coniugalis, castitatis fide signatus omnibusque matrimonialis et domesticae vitae officiis insitus,[4] iam naturalis connubii decus est et purissimus fons fecunditatis. In matrimonio christiano novo insuper splendore tenet nobilitatis principatum, cum elevetur et perficiatur caritate supernaturali et sacramento, quod ad foedus amoris inter Christum et Ecclesiam refertur.

Caritate enim coniuges Christum sequuntur, Eius mandatis inhaerent
[19] et omnes Dei intentiones complent, monente Apostolo: « Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam » (cf. *Eph.* 5, 25). Peculiariter de matrimonio valent, quae idem Apostolus de tota vita christiana praedicat: « Caritas patiens est, benigna est: non agit perperam, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, congaudet veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet » (cf. *1 Cor.* 13, 4-8).

Coniuges christiani vocantur, ut verba et vita mundo testes veri amoris coniugalis sint; omnia autem familiae membra verum testentur amorem domesticum; sic confutent errores eorum, qui nobile amoris nomen pro qualibet hedonismi et egoismi specie et vago carnali desiderio usurpant.

5. [*De fide in matrimonio indissolubili servanda*].

Matrimonium, iam secundum primam Dei intentionem indissolubile, ut sacramentum Novae Legis per Christi gratiam fit signum eximium Eius erga Ecclesiam fidelitatis, ita ut coniuges, qui huic vocationi et gratiae cooperantur eiusdem fidelitatis participes fiant et coram mundo eius testes constituantur. Amor coniugalis natura sua fidem intendit irrevocabilem, quam fidem amor a Christo sanctificatus firmiter servare potest in colluctatione non solum « adversus carnem et sanguinem, sed adversus mundi rectores tenebrarum harum » (cf. *Eph.* 6, 12). Amor fide comprobatur, qua non solum adulterium, sed quaevis locutio fidelitati iniuriosa vel desiderium nefandum excludatur, dicente Domino: « Audistis, quia dictum est antiquis: Non moechaberis. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est in corde suo » (*Mt.* 5, 28). Coniuges, ut fidem servent, amorem custodiant, foveant, augeant. Humanae autem fragilitatis conscii, vigilabunt et vitabunt pericula, quae possunt vitari, et orationis et renuntiationis subsidiis se muniant.

Ad protegendum bonum fidei multum iuvat solida humana et religiosa

praeparatio ad matrimonium — per catechumenatum matrimonialem ut [19] aiunt. Selectio futuri consortis fiat etiam intuitu propriae et alterius fidelitatis, ita ut mutua responsabilitas hac in re prudenter suscipi possit. In matrimonio autem coniuges sedulo colant dialogum et amorem, quem multimode et in omnibus vitae matrimonialis et familiaris rebus exprimere discant. Functiones non solum oeconomicam sed etiam culturalem et praeprimis religiosam familiae studiose impleant.

Ecclesiae autem competit munus et officium, ut inter adversa et prospera huius mundi de unitate et indissolubilitate matrimonii vigilet.

Matrimonium inter baptizatos ratum et consummatum nullo modo solvi potest. Nec ipsa Ecclesia habet ius id solvendi. Potest sane Ecclesia, e gravibus rationibus, vinculum matrimonii non-sacramentalis et matrimonii sacramentalis non consummati solvere, sed intra limites tantum potestatis a Christo concessae. Porro solius Ecclesiae est de matrimoniorum validitate inter christianos iudicare. Qua in re certitudo non requiritur absoluta, quae in plurimis hominum condicionem excedit; sed sufficit moralis.

His suffulta principiis Ecclesia illis qui baptizari cupiunt, nisi speciales rationes obstent, permittit, ut perseverent in matrimonio, in quo pacifice [20] et bona conscientia vivunt, etsi dubie validum sit, quia contractum priore contubernio relicto. Visis particularibus condicionibus nostri temporis Ecclesia in pluribus regionibus sufficientes rationes habet concedendi eundem favorem iuris pro matrimonio dubio quidem sed bona fide inito inter baptizatos, qui ad Eam convertuntur, dummodo de invaliditate vel de impossibilitate id convalidandi sat certo non constet.

Matrimonium, quantumvis natura sua vitae servitio destinatum, tamen nullo modo considerari debet tamquam merum instrumentum et medium prolis procreandae et nominis sui perpetuandi; ideoque praeterquam in casu impotentiae antecedentis et perpetuae valet ac dissolvi nequit, propter solam rationem quod coniuges prolem suscitare nequeunt. Matrimonium, etiam prole orbatum, coniugibus, societati et Ecclesiae fons esse potest multiformis fecunditatis spiritualis, si coniuges, cruce suscepta, mundo verum et fidelem testantur amorem, qui nequaquam geminato egoismo limitatus, dilatato potius corde, aliorum etiam necessitatibus succurrit.

Ipsi naturae et dignitati amoris maritalis et personalis graviter contradicit fecunditatem naturalem experimento probare, matrimonio valido in facie Ecclesiae nondum contracto, ut persona naturaliter non fecunda misere dein repudietur. Qui sic agit, personam, quam probata fecunditate, in matrimonium ducet, non qua talem amore prosequetur. Qui autem coniugem non tamquam personam in foedere amoris aestimaverit, fidelitatem iam radicitus in periculum vocat, nec filios qua personas in Domino amabit.

Ecclesia non ignorat fidem matrimonii interdum valde temptari, praesertim alterius coniugis perfidia. Amor tamen magnanimus ignoscet, Deum ipsum imitatus, qui amore fideli hominem peccatorem misericorditer ad fidem revocat et educat. Amor, qui « omnia sperat », non desperabit de coniuge,

[20] indissolubili foedere sibi iuncto nec de implenda propria vocatione erga compartem.

Tamen accidit, ut cohabitatio, sive ad tempus sive definitive, propter grave damnum aut alteri coniugi aut proli imminens, moraliter fiat impossibilis. Quare Ecclesia, e causa proportionate gravi, simplicem separationem — si necesse est etiam coram civili auctoritate probandam — admittit. Ubi vero sequelae civiles, ad protegenda bona essentialia quandoque necessariae, non adstrui possunt nisi forma iuridica divortii civilis, hoc erit licitum, salvo tamen vinculo, et non contradicente auctoritate ecclesiastica.

Qui absque propria culpa separati vivunt, simul ac illi, qui, quamvis propria culpa separati, ad paenitentiam convertuntur, inter adversa in signo crucis egregie fidem testantur indissolutam, si iniuriam acceptam sincere ignoscunt, illatam pro viribus reparant, in cordibus filiorum, si qui sunt, amorem erga consortem separatum fovent, semper parati, ut reconcilientur et connubium reassumant; quod si fieri nequeat, saltem firmiter sibi proponant numquam invalidum inire contubernium. Hoc in consilio facilius permanebunt, cum propinquorum aliorumque fratrum christianorum et ipsius
[21] communitatis ecclesialis sinceram experiuntur benignitatem, remoto quolibet despectu.

Cum fides maritalis insigni modo ad promovendum humanum civileque consortium conferat, singulis hominibus, familiis, communitatibus et ipsi rei publicae officium imponitur creandi illam rerum condicionem, qua ista fides foveatur. Praeprimis sana opinio publica bonique mores promoveantur; operibus artis et instrumentis populorum animos figurantibus extollatur fides, non vero vita illi opposita.

6. [*De fecunditate matrimonii*].

Multiplicibus mutationibus oeconomicis, socialibus, culturalibus in variis regionibus mundi, accedente quadam opinione publica, effectum est ut multi coniuges qui generosa voluntate prolem, etiam numerosiorem, desiderant, premantur a condicionibus vitae et insuper non raro ab iis qui eam omnino limitandam esse proclamant; non pauci insuper coniuges, alii rationibus veris et gravibus moti, alii potius commoditatum aliarumque rerum suarum inordinato amore ducti, novas vias quaerunt et ingrediuntur, easque non semper honestas, difficultates suas solvendi. Ut in re tam gravi lex divina matrimonii, quae non ecclesiastica tantum est, servetur, S. Synodus, quaestionis et difficultatem et complexitatem plene cognoscens et ponderans, quasdam veritates in memoriam revocat.

Imprimis omnes agnoscant procreationem et educationem vere humanam prolis esse ordinationem innatam, maximeque specificam, matrimonialis instituti.[5] Qui in eo ad officium paternitatis et maternitatis vocantur, fideliter et amanter sese associant operi Dei, tamquam cooperatores conscii et responsabiles, purum integrumque conservantes amorem coniugalem, qui est fons rectae fecunditatis. Cum autem hac nostra aetate in plurimis regionibus fines utiles, sive oeconomici, sive sociales, coniuges non iam impellant ut prolem

numerosam desiderent, sed potius saepe seducent ad egoisticam restrictionem [21]
prolis, eo clarius in dies apparet generosam fecunditatis dispositionem praeprimis deberi valido amori coniugali. Quo deficiente vel vacillante etiam educatio prolis iam natae valde in discrimen vocatur. Propterea maximi semper faciendus est rectus huius amoris cultus, et quidem in omnibus vitae matrimonialis et familialis dimensionibus. Etsi secundum naturae ordinationem non omnis et singulus actus coniugalis directe ad procreationem conferre destinatus sit, talis tamen semper debet esse indoles et expressio huius actus et coniugum mens, ut illa generosa dispositio ad prolem procreandam et educandam foveatur.

Quod vero numerus prolis attinet, sponsi christiani sciunt se non caeco instinctui mancipatos esse, sed suae vocationi respondere, si vigili semper animo in plena et conscia responsabilitate agunt humiliter scrutantes Dei voluntatem ex Eius donis et secundum normam veri amoris. Quare officium et ius habent ponderandi sapienter et absque pusillanimitate quid individuales condiciones, quid praevisae possibilitates adaequatae plene humanae et christianae educationis puerorum, attento quoque bono totius familiae et societatis, suadeant. In tota ergo agendi ratione dirigantur dictamine pruden- [22]
tiae christianae, quae sacrificia non aspernatur, sed fide illustrata et caritate firmata fiduciam ponit in divinam providentiam.

Custos vero sanctitatis matrimonii, S. Synodus, omnes homines bonae voluntatis alloquens, monet: Matrimonii naturae et ordinationi contradicunt asserta illorum qui opinantur procreationem et educationem prolis esse aliquid secundarium quod aliis bonis matrimonii postponi vel ab eis radicitus et arbitrarie separari liceat. Legi divinae et ordinationi matrimonii contrarius est etiam omnis deliberatus hominum interventus qui opus personae actui coniugali proprium vitiat; [6] nec convenire potest talis agendi modus integritati amoris coniugalis.

Magno cum affectu autem S. Synodus ad eos coniuges se vertit, qui generose ex donis Dei naturalibus et supernaturalibus cognoscere student, quae sit voluntas Dei relate ad eorum officium procreationis, qui tamen plenam castitatem, ad quam sincere tendunt, nondum attingunt. Ipsi enim, ubi in via deficiunt, hoc potius fragilitate humana quam intemperantiae vitio fieri ostendunt, eo quod humiliter sua peccata deplorant et confitentur, fortiter ita agnoscendo, contradicente quidem publica opinione, « legem Dei sanctam, mandatum sanctum, iustum et bonum » (cf. *Rom.* 7, 12). Audiant verba Sancti Augustini de viro illo vulnerato, quem Samaritanus in diversorio reliquerat: « Non ita potest ad iustitiae culmen ascendere sicut potuit inde descendere; qui etiam si iam in stabulo est, adhuc curatur. Non igitur Deus impossibilia iubet: sed iubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis ».[7]

Agnoscit autem Mater Ecclesia multas difficultates coniugum non oriri ex sola debilitate vel malignitate singulorum, sed magna ex parte etiam ex novis vitae condicionibus, quae tempore praecipis evolutionis nondum aequi-

[22] librium invenerunt et saepe iura et necessitates familiae graviter negligunt et laedunt. Plura problemata sunt omnino nova. Propterea mirum non est, quod magisterium Ecclesiae non semper et primo quodammodo instanti monstrare possit, quomodo principia universaliter valida novis et complexis quaestionibus et conflictibus applicentur. Pluries iam ultimis annis Ecclesia approbavit continentiam periodicam, qua, si recta intentione exercetur, valores spirituales coluntur (cf. *1 Cor.* 7, 5) et in plurimis casibus illa obtineri potest fecunditatis mensura quae christianae prudentiae respondet, etsi non possit asseri difficillimos quosque conflictus hac sola via iam resolvi.

Christifideles ne expectent aliquando solutiones, quae sequelam Christi crucifixi evacuarent. Benigne autem sentiant de ministris Ecclesiae, qui, dum legem Dei inculcant, videntur conflictus solvere non posse inter legem semper validam et difficultates concretas et quandoque vere novas.

Ultima decisio et practica applicatio principiorum universalium competit ipsis coniugibus. Qui tamen ne agant nisi ex conscientia formata secundum doctrinam ab Ecclesia propositam.

Si omnes in scientiis anthropologicis, psychologicis, biologicis, medicis,
[23] sociologicis periti et ipsi sponsi experientia et virtute edocti patienter cum theologis adlaborabunt, ut complexus ordo a Providentia inditus profundius in dies exploretur, sperari potest solutiones practicas multorum conflictuum paulatim clarius apparituras esse.

7. [*Matrimonium in hoc mundo*].

Quoniam matrimonium a Deo Creatore institutum est et a Christo Redemptore sanctificatum, regitur et sustentatur non solum naturae legibus, sed etiam sanante et sanctificante gratia Christi. Debent autem mandata circa matrimonium donis divinis recepta adimpleri in mundo, in quo perversae antiqui saeculi vires operi Creatoris gratiaeque Christi saepe adversantur. Quod bellum spirituale non modo in coniugum cordibus geritur, sed etiam extra in variis partibus et stratis societatis humanae, quo multorum convictu vita singularum familiarum multis modis afficitur, et in quem singula connubia vim et influxum, sive salutarem sive perniciosum, exercent. Verum quidem est primum locum tenere proprii cordis conversionem, attamen haec conversio neque sincera neque constans esse potest nisi illi, qui matrimonio coniuncti sunt, mundum in quo vivunt magis magisque secundum Christi Evangelium conformare student.

Propterea virtus prudentiae christiana postulat sensum attentum pro complexa realitate, ut in luce Christi concretae possibilitates exercendi fecundum influxum et resistendi periculis perspiciantur; ideo coniuges et alii rectum ordinem humanae societatis curantes clare videant multiplices inter familiam christianam universamque societatem relationes mutuosque influxus.

Coniuges christiani, etsi sub condicionibus vitae familiari saepe adversis vivere coguntur, indefesse contendent, ut altae vocationi plene respondeant; nefastis autem viribus mundi in quo vivunt resistere non poterunt, nisi ipsi, instar fermenti in media farinae massa, serio satagunt circumiacentem mun-

dum in spiritu Christi paulatim transformare, idque non solum qua singuli, [23]
sed etiam turmatim et cum aliis multis coniuncti, iuxta varias humanae consortionis formas et circumstantias.

Cum liberorum educatio parentibus primo loco incumbat, hi tali tantoque officio omni cura sese dedicent oportet, quamquam alii quoque in hoc maximi momenti munere suam partem habent, velut schola. Cum ea itaque et cum aliis omnibus institutionibus, quae his in rebus pollent, familiae amice cooperari debent; omnes autem agnoscant ius primarium parentum. Specialis attentio et cura nostris temporibus impendendae sunt periodicis aliisque scriptis, praesertim imaginibus illustratis, radiophonicis et televisivis communicationibus variisque formis et institutionibus recreationis, puerorum et adolescentium sodaliciis et ita porro, propter ingentem vim quam exercent in formanda iuventute.

Familiae valetudo spiritualis et moralis multum quoque dependet a sanitate, ordine et decore habitationis. Propterea omnes civium habitacula curantes eo tendere debent, ut singulae familiae sanam ac decoram habitationem habeant, inquantum fieri potest propriam, tantaeque amplitudinis, ut
crescenti liberorum numero sit locus. Quoties alicubi nova opera industrialia [24]
operariorum copiam attrahunt, quam primum provideatur horum operariorum eorumque familiarum convenienti habitationi, ne familiae dilacerentur. Urbium planificatio veris familiarum necessitatibus adaptanda est, et non ex contrario.

Diversis oeconomiae recentioris systematibus saepe non modo iura singularum personarum sed vel magis iura familiarum, praesertim operariorum, graviter negligebantur vel laedebantur. Evolutio et ordo oeconomiae praeprimis iuribus et necessitatibus familiarum adaequanda sunt. Qua de causa operae humanae retributio aliaque subsidia ita dimetiantur, ut iuvenibus liceat opportuno tempore novam familiam condere; ut familiis conditis rationabile dari queat incrementum; ut uxoribus matribusque servetur tempus necessarium ad domestica officia rite implenda; ut senes quoque lucra oeconomiae progredientis aequo modo participent. In tota provincia oeconomica ab adulescentibus omne nocumentum arceatur.

Procul dubio inter summa auctoritatis civilis officia recensetur, ut sanitas incolumitasque familiae quam maxime etiam condicionibus iuridicis in tuto collocetur: melius protegenda sunt unitas et vinculum indissolubile matrimonii; libertas coniugum fungendi propria responsabilitate fecunditatis et educationis munere nec legibus nec administratione nec structuris oeconomicis restringenda est, sed potius promovenda. Id autem illi qui leges condunt et civitatem gubernant, efficaciter praestare nequeunt, nisi iuventur ab opinione publica.

Propter has et multas alias rationes sapientes in eo conveniunt maximam hodie curam tribuendam esse formandae opinioni publicae eiusmodi, quae sanae familiae faveat. Christifideles igitur omnes, praesertim illi, qui auctoritate vel specialibus dotibus eminent, magis magisque addiscant artem in-

[24] formandi opinionem publicam in diversis coetibus et in tota societate ita, ut matrimonium christianum et familia christiana inde nullum nocumentum, sed potius validum adiumentum recipiant.

Nostris temporibus, maximi momenti est, ut ipsae familiae christianae ad hos salutares fines amice concurrant liberis suis unionibus et consociationibus.

[25]

NOTAE

[1] Cf. S. THOMAS, *S. Th.* III, q. 60, a. 2.

[2] Cf. CONC. TRID., sess. XIV, DENZ. 1799; PIUS XI, Litt. Enc. *Casti connubii,* 31-12-1930, DENZ. 3713.

[3] Cf. CONC. TRID., sess. XIV, DENZ. 1799.

[4] Cf. Litt. Enc. *Casti connubii,* DENZ. 3707.

[5] Cf. DECR. S. OFFICII, 29-3-(1-4)-1944, *A.A.S.,* 36 (1944), p. 103; DENZ. 3838.

[6] Cf. Litt. Enc. *Casti connubii,* DENZ. 3717.

[7] S. AUGUSTINUS, *De natura et gratia,* c. XLII, *PL* 44, p. 271.

(Citationes ex DENZINGER sequuntur novissimam editionem paratam a Schönmetzer).

[26]

ADNEXUM III

DE CULTURAE PROGRESSU RITE PROMOVENDO

1. [*Condiciones culturae in mundo hodierno describuntur*]. Inter proprietates nostrae aetatis maximi momenti est diffusio instrumentorum culturae et progressio in dies crescens scientiarum — praesertim in re mathematica, physica, biologica, psychologica, anthropologica, sociologica — et technicarum artium, quae arcte cum his scientiis connectuntur. Alia ex parte, hae scientiae et technicae artes in dies magis habent momentum in aditu ad culturam iuvenibus patefaciendo.

Sed adhuc maioris ponderis illud est quod homines cuiusvis coetus et nationis magis in dies conscii fiunt se idoneos et dignos esse qui suo ipsorum consilio et libertate propriam culturam promoveant, vi cuius melius ipsi participes fieri possint bonorum oeconomicorum et vitae communitatis, ac praesertim ipsorum persona ingeniumque plenius explicentur et vita humanior evadat.

Huiusmodi animi cultura, qua humaniore modo vivere datum est, non solum litterarum studiis promovetur, sed etiam scientiarum investigatione, artibus technicis et fabrilibus, historiae inquisitione atque actuosa participatione munerum societatis; exprimitur autem peculiaribus populi moribus atque tandem ingenuis et liberalibus artibus, quae simul hominum animos in mundo hodierno penitus afficiunt.

Nationes autem quas appellant antiquas, et novae communitates politicae, quae saepe antiquissima excultaque humanitate gloriantur, ex una parte suas a maioribus traditas culturas profundius detegunt et magis con-

sciae fiunt sui momenti in historia humana, altera ex parte inter se commercium ineunt, et praesertim, saepe improviso et rapide, maxime per instrumenta communicationis socialis, ad scientias et technicorum artes accedunt. Quod item evenit intra fines singularum nationum, ad quosdam civium coetus quod attinet qui vitam oeconomicam et publicam suae nationis hoc tempore primum ingrediuntur. [26]

Per hanc autem diffusionem, nunc primo facultas patet universalem quandam culturam efformandi, quae, per se, apta est ad fraternam humani generis necessitudinem fovendam, quin tamen divitiis variarum culturarum necessario obstet.

Hodiernis denique temporum adiunctis frequentiores praebentur hominibus animi relaxandi opportunitates et auctae socialium necessitudinum occasiones, quae, dum animos intime alliciunt atque novas vivendi condiciones et modos inducunt, multum ad humanum cultum conferre possunt.

Quare, haec Sacrosancta Synodus, cum probe noverit sive bona sive mala quae ex his vitae commutationibus proficisci possint in civilem hominis cultum, principia, quae culturae progressum rite promovendum respiciunt, speciali modo recolere cupit. [27]

2. [*Cultura et persona*]. Numquam obliviscendum est, ad integram perfectionem personae humanae, tamquam ad normam et finem supremum omnia quae in mundo sunt referenda esse. Quae perfectio amplectitur diversos aspectus vitae humanae in sua multiplicitate et unitate, praesertim ad efformationem iudicii, ad sensum moralem et socialem, atque ad rectos animi affectus quod attinet. Sic homo, mediis culturae copiose vel minus abunde instructus, mentem suam animumque ita excolere potest et debet, ut gradiatur tandem ad veram sapientiam, in qua omnia bona vitae humanae suum ordinem assequuntur. Hinc Ecclesia, magni faciens progressum sive in ingenuis disciplinis sive in scientiis et technicis artibus, hoc praecipue intendit, ut persona humana suum finem facilius attingere valeat. Quare oportet disciplinas omnes atque artes ita ad mentis animique cultum ordinari et ad unum reduci, ut maximi progressus huius aetatis non solum non impediant, sed potius promoveant verum integrae personae et humanae societatis bonum.

3. [*Cultura et communitas*]. Cultura quoque ad bonum conferat oportet communitatis et unitatis populorum. Reapse cultura condicio necessaria censenda est ad formationem communitatis eiusque vita, immo est expressio ipsius vitae communitatis. Quare instrumenta illa technica, quae ope scientiae mirabiliorem in dies perfectionem assequatur, et quibus pluriformes culturae significationes per mundum propagantur, non debent esse patrimonium unius partis societatis vel privilegium aliquarum nationum; at contra ius ad ea accedendi omnibus libere pateat, qui sincere volunt ad plenam personae humanae perfectionem adiutricem operam conferre. Divitiae illae spirituales, quibus culturae inter se distinguuntur, non divisioni inserviant, sed potius mutuo progressui, complemento et aedificationi. Cultura denique, cum immediate fluat ex hominis indole spirituali ac libera, cumque libertate ac legi-

[27] tima, secundum propria principia, autonomia frui debeat, eo ipso praecedit publicam auctoritatem, ac propterea ius habet ad reverentiam et quadam gaudet inviolabilitate; quod quidem cedit, in bonum quoque ipsius reipublicae, cum omnis vexatio et suppressio culturae fons latens sit discordiae.

4. [*Cultura et gloria Dei*]. Quamvis germana cultura natura sua ad hoc tendat ut limites condicionis terrestris quodammodo transcendantur, desiderium quoddam infiniti pandens, timendum periculum est, ne homo, praesertim scientiis et technicorum inventis huius nostrae aetatis nimis confidens, ad omnia aenigmata vitae solvenda et ad omnes miserias atque calamitates auferendas, suas ipsius vires sufficere aestimet, neve amplius altiora quaerat.[1] Contra, tantum abest ut hoc a progressu scientiarum et technicarum artium necessario dimanet, ut potius agnoscendum sit huiusmodi disciplinarum et artium culturam, si recte pertractetur, ad Deum, iuvante eius gratia, perducere.[2] Nam hominis mens ingeniumque, quae in iis versantur, aliud non sunt nisi quaedam participatio intellectus divini et quaedam imitatio bonitatis divinae, ita ut quo magis rerum universitas et homo grandescunt, sive
[28] quia investigantur secreta creaturae Dei, sive quia homo naturae vires in suam redigit potestatem, eo magis Deus ipse qui illa creavit maior appareat, et propterea homo, « ad imaginem et similitudinem » Dei factus (*Gen.* 1, 26), suam vocationem adimpleat creationis opus perficiendi secundum illud: « Replete terram et subiicite eam » (*Gen.* 1, 28; cf. *Ps.* 8, 2-8). Proinde etiam huius aetatis cultura ad gloriam Dei agnoscendam et manifestandam vias pandere valet.

5. [*Ecclesia et cultura*]. Ecclesia, quae omnia fovet ac provehit, quae re vera ad ornandos ditandosque animos pertinent, inde ab initio humanarum disciplinarum ingenuarumque artium patrona et altrix exstitit.

Iuvat insuper recolere, olim apud Europae populos, qui ad Christi fidem se converterant et magnam populi christiani partem tunc temporis efficiebant, humanum civilemque cultum, ad litterarum studia praecipue pertinentem, cum cultura ipsius Ecclesiae, imo saepe clericis propria, tam intime consociatum viguisse ut quandoque bonum civitatis christianae commune evaderet.

At decursu temporum, variis de causis, infeliciter evenit ut separatio, imo oppositio inter quaedam culturae genera et Ecclesiam facta sit, quae utrisque valde noxia fuit. Inter praecipuas causas recensendi sunt ingentes progressus scientiarum, rebus ipsis innixarum, et mathematicae disciplinae, quae propriam autonomiam assecutae sunt et quodammodo extra Ecclesiam profecerunt, ita ut nova quaedam culturae forma exsurgeret, ab usitata cultura Ecclesiae sat aliena; quare apud plures persuasio invaluit internam oppositionem adesse inter ea quae fide tenentur et conclusiones scientiarum. Unde ingens illa difficultas profecta est, quae apud nonnullos nostrae aetatis homines, huiusmodi scientiis studentes, late viget, qui hiatum quemdam antiquam inter et novam culturam ubique gentium tam late diffusam, sentiunt.

Sacra Synodus ergo, libenter recolens ea quae Concilium Vaticanum Primum docuit, declarat « duplicem esse ordinem cognitionis distinctum »,

nempe fidei et rationis; nec vetat quominus humanarum artium et disciplinarum culturae « in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo »; quare « iustam hanc libertatem agnoscens »,[3] scientiarum totiusque culturae legitimam autonomiam proclamat. [28]

Insuper Ecclesia cum gaudio agnoscit momentum culturae, sive antiquae sive novae, quae, si sapientia humana illuminetur, ad revelationem Christi, Verbi incarnati, panditur, per quem et in quo iam omnia creata sunt et in quo omnia constant (cf. *Col.* 1, 16-17; *Io.* 1, 3, 10).

At simul plurimorum anxietudinem participans ob mala quae hac in re ex abusu oriri possint, sollicita est Ecclesia ne cultura a sapientia et religione aliena fiat; ne nimis ad solam praxim bonaque exteriora restringatur,[4] bonorum magis interiorum oblita et contemplationis iam incapax; ne hiatus fiat inter culturam, cui tribuenda sunt scientiarum promerita et utilitates technicarum artium et illum profundiorem cultum humanum qui altioribus optatis ac necessitatibus innititur atque in rectis nationum moribus antiquitus traditis.

6. [*Ecclesia et culturae diversae*]. Sancta Synodus aperte et firmiter declarat nuntium evangelicum, quem Ecclesia religiose custodit ac sollerter praedicat, nulli stirpi vel nationi, nulli particulari culturae morumve rationi, nullique antiquae consuetudini exclusive alligari posse, cum omnibus ac singulis hominibus omnibusque gentibus patere debeat, ita ut divinum revelationis et gratiae donum ad multiplicem populorum accommodetur indolem ingeniumque, ad mores atque civilem cultum, salvis virtute universalis veritatis atque integritate doctrinae fidei et bonorum morum. Non enim Evangelium Christi in ruinam sed in aedificationem praedicandum est, ita nempe ut errorem ac malum removeat, at simul animi ornamenta ac dotes cuiuscumque populi, divitiis supernaturalibus in illos insertis, tueatur et compleat. Ita varietates humanae naturae, quae ad ordinem creationis pertinent, in ordinem christianum assumuntur.[5] [29]

7. [*Quid Ecclesia ad culturam conferre possit*]. Evangelica praedicatione itemque actione liturgica ac pastorali actione maxime ad humanae culturae progressum atque incrementum Ecclesia confert. Nam evangelicum praeconium non solum hominum mentibus inquisitionis spatium dilatat atque producit, sed etiam eas incitat eisque vires addit ut profundius Dei et hominis mysterium investigent. Ita efficitur ut humanus intellectus quodammodo ultra suas vires naturales elevetur; quod quidem mirandum non est, siquidem mens humana ad Deum facie ad faciem conspiciendum vocata, radicaliter capax Dei est. Divina autem revelatio, quam Ecclesia proclamat, instar fermenti humanam culturam permeando, eam ditat et auget; eadem enim hominis atque humanae societatis, necnon rerum universitatis ad transfigurationem in Christo destinatae, visionem integram praebet.

Actione autem liturgica et pastorali Ecclesia insuper homines excolit atque ad interiorem libertatem educat: quo fit ut eorum animus promptior evadat atque expeditior ad veram culturam suscipiendam.

[29] Itaque Ecclesia, suum munus adimplendo per evangelicam praedicationem et mysteriorum Dei dispensationem, homines eo ipso ad humanum civilemque cultum iam vocat atque perducit.[6] Quod luculenter apparet in nonnullis christifidelibus qui, variis de causis praesertim cum societatis condicionibus connexis, disciplinis humanis imbuti, humaniore modo se gerere valent.

Attamen, cum cultura humana, non secus ac omnes aliae humanae res, cuidam ambiguitati sit obnoxia, utpote quae non solum erroribus indulgere possit sed etiam intra suos fines saepe manere contendat, ita ut Deum atque supernaturalem hominis vocationem excludat vel saltem neglegat, Ecclesia per evangelicum praeconium et actionem pastoralem eam ab erroribus liberat, siquidem Christus Veritas est, atque impedit quominus cultura intra seipsam comprimatur atque coangustetur ac proinde sterilis evadat.

8. [*Quid cultura ad vitam Ecclesiae conferre possit*]. Animi cultus atque disciplinarum artiumque studium homines ad evangelicam praedicationem rite suscipiendam disponere atque aptiores reddere valent; etenim animus ac mens quo excultiores fiunt, eo facilius atque profundius doctrinam Christi
[30] ab Ecclesia propositam percipiunt ac magis ea delectantur. Hinc fit ut Ecclesia, nedum cogitet culturam obstare fidei, ei potius quantum potest favet. Si enim levis ac parum exquisita cultura quandoque fidei impedimento esse potest, homo vere ac profunde excultus promptior est ad Deum inveniendum eiusque vocem percipiendam.

Insuper, humana cultura Ecclesiam maxime iuvat in suo munere adimplendo, quia ei media atque instrumenta praebet, quibus ipsa certae cuiusdam aetatis homines ad evangelicam veritatem perducere valeat: etenim, propositio Evangelii sive ad singulos homines sive ad cunctum quemdam populum eo efficacior atque clarior evadit, quo magis illius populi culturae indolem atque modos induit atque assumit. Proinde tenendum est, sinceram culturam humanam variaque disciplinarum atque artium genera perutilem adiutricem operam praebere posse ad sacrae doctrinae aedificium exstruendum, ad fidem intellectum quaerentem iuvandam, ad evangelii praedicationem faciliorem atque fructuosiorem reddendam, et ad Dei cultum aptius ditiusque exprimendum.

Tandem, homo excultus multum conferre potest ad apostolicos Ecclesiae labores efficaciores reddendos, non tantum quia validius suam operam ad Ecclesiae ministerium praestare potest, sed etiam quia, auctoritate qua gaudet, plurimum valet ad rectam opinionem publicam efformandam: quod quidem requirit ut ei agnoscatur et relinquatur illa filiorum Dei libertas sive cogitandi sive suam mentem aperiendi circa ea quae ad ecclesiasticae communitatis bonum pertinent, quae christianum in fide adultum decet, dummodo ipse christiana prudentia, veracitate, humilitate, fortitudine et caritate ducatur. Proinde, cum de doctrinae quaestionibus vel de rebus in Ecclesia agendis habeantur variae opiniones, quae sua gaudent probabilitate, necdum a competenti auctoritate decisio facta sit, nemo scientiae cultor impediendus est, quominus id quod sentit libere exponat; in huiusmodi tamen contro-

versiis praeluceant christianae prudentiae normae atque maxime regnet caritas. [30]

9. [*Sollicitudo Ecclesiae ad culturam fovendam*]. Ecclesia iterum iterumque affirmat ius omnium hominum ad culturam, sine discrimine stirpis, sexus, nationis vel condicionis socialis. Proinde enixe hortatur omnes, qui influxum exercent in societatis coetus, ut hoc ius agnoscant et mutuam conferant operam ut hoc ius ad rem deducatur. Iidem insuper adlaborent ut omnes conscii fiant huius officii, quod sibi incumbit, cum cultura ad ipsam dignitatem hominis pertineat.

Hinc Ecclesia, quae maxime sollicita est ut humana cultura non solum hominis progressus non impediat et vitam christianam in periculum, ut saepe pro dolor evenit, non inducat, sed etiam ad hominem elevandum conducat atque ad viam salutis ei patefaciendam conferat, christifideles omnes hortatur ut, pro sua quisque condicione, culturam magni faciant atque, quantum fieri potest, impense studeant eximia peritia praestare in variis culturae campis, in quibus versantur. Quod quidem, dum humanae culturae novam vim novumque robur spirituale tribuit, magnae simul utilitatis est pro ipsa [31]
Ecclesia, quae, cum per suos fideles coniunctissime cum suae aetatis hominibus vivat et perfecte eorum cogitandi atque sentiendi modos, qui per culturam exprimuntur, noverit, aptior et promptior ad ipsum evangelizationis munus perficiendum evadit. Quapropter fideles, qui in variis humanae culturae campis praesentes sunt atque vere eximii esse conantur, non solum hominibus insigne commodum, suae utilitatis immemores, praestant atque mundum hodiernum ad humanitatem informant et quodammodo in eius consecrationem incumbunt, sed etiam Ecclesiam in eius munere adimplendo iuvant, eo quod perniciosam divisionem inter Ecclesiam et modernam culturam removent, atque efficiunt ut praedicatio evangelica semper condicionibus et necessitatibus hominum sit accommodata eisque facilis intellectu atque perspicua evadat.

Ii praesertim qui, ex mandato Ecclesiae, theologicis vel philosophicis disciplinis student apud seminaria et catholicas universitates, debent theologicam et philosophicam inquisitionem in spiritu proprii temporis ita perficere et cum cultura profana, praesertim in scientiis et technicis artibus, ita coniungere, ut ea quae de homine et de mundo doctrina Ecclesiae docet, ab hominibus nostrae aetatis facilius intellegantur et libentius suscipiantur; nam cum quaestionibus quas sibi ipsi ponunt respondendum sit, adhibendus non est dicendi modus qui mentem praeteritarum aetatum prorsus redoleat. Quod quidem effici nequit, nisi theologi atque christiani philosophi cum hominibus scientiarum studiosis simul, collatis viribus atque consiliis, adlaborare curent. Ita fiet ut penitus auferatur suspicio eorum qui vel doctrinae et scientiae investigationem cum fidei professione componi non posse autumant, vel visionem mundi, ut aiunt, quam hodiernus scientiarum progressus praebet, christianae revelationi contradicere existimant. Insimul, haec socia opera plurimum proderit institutioni sacrorum ministrorum, qui homines

[31] sui temporis spiritu « scientifico » imbutos nec intelligere nec fructuose alloqui poterunt, nisi et ipsi sano huiusmodi spiritu imbuantur.

Proinde Ecclesia filios suos hortatur ut, iuxta rerum condiciones ac peculiares ingenii dotes, animo vere christiano scientiarum investigationibus dent operam: meminerint tamen necesse esse ut frequenter mens et animus ad Deum scientiarum Dominum attollantur, nec sinant se intra scientiarum fines contineri, siquidem humanae scientiae omnes vitae et mundi quaestiones, ut quidam perperam autumant, solvere nequeunt.

Artes quoque liberales, quae inter praestantissimas vitae humanae significationes numerantur, christifideles magni aestiment et colant. Huiusmodi enim artes vitam humanam, multiplicibus formis singulorum temporum singularumque nationum propriis expressam, explicare necnon elevare valent, ita ut aliquam imaginem splendoris Infiniti prae se ferant. Perficiendo mundum, in quo vivit, eumque ad humanitatem conformando, homo, secundum indolem sibi a Deo inditam, celsiora semper appetit, illo veri, boni et pulchri amore compulsus, quo persona evolvitur et sibi aliisque vitae plene huma-
[32] nae condiciones parat. Quo fit ut ipsa vita religiosa a culturae operibus incrementum non parvum accipiat, atque libertas hominis efficacius in tuto ponatur adversus illam servitutem in quam incidit, qui sola bona utilia quaerit.

Neque christifideles ullomodo negligant commoda, quae ad humanae culturae progressum praebere possunt condiciones nostri temporis, cum homines, imminuto laboris spatio, non parum temporis a labore vacui habeant ad animum relaxandum atque expoliendum, ad mentis sanitatem et bonam valetudinem per ludicra certamina et in dissitas regiones itinera colendam atque augendam, ad mutuam denique cognitionem fovendam, dummodo ad haec commoda rite adhibenda ipsi apta institutione iuventur.

At christifideles, singulas culturae provincias excolentes, suum hoc esse officium recolant, ut aequo modo scientiam et doctrinam necnon novissimorum inventorum notitiam cum christianis moribus christianaeque doctrinae institutione coniungant, ita ut religionis rerum cultus animique probitas apud ipsos pari gressu procedant cum scientiarum cognitione et cotidie progredientibus technicorum artibus, et ideo ipsi valeant res omnes integro christiano sensu diiudicare atque interpretari;[7] ita scilicet ut ipsi non modo aeternae suae saluti minime officiant (cf. *Mt.* 16, 20), sed etiam deserviant.

NOTAE

[1] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 apr. 1961, *A.A.S.,* 53 (1961), pp. 452-453: « Verumtamen nulla stultitia magis esse nostrae aetatis propria videtur, quam velle rerum terrestris huius vitae firmum utilemque ordinem statuere, necessario non subdito fundamento, hoc est, summo Deo posthabito; itemque hominis velle magnitudinem efferre, exsiccato fonte, unde illa emanat aliturque magnitudo: hoc est, retardato atque, si fieri posset, fracto animorum ad Deum impetu... ».

[2] Cf. CONC. VATICANUM I, *Constitutio Dei Filius*: DENZ. 1799 (novissima [32]
editio: 3019).

[3] CONC. VATICANUM I, *Constitutio Dei Filius*: DENZ. 1795, 1799 (noviss. editio: 3015, 3019). Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo Anno*: *A.A.S.*, 23 (1931), p. 190.

[4] Cf. PIUS XII, *Nuntium Radiophonicum in Pervigilio Nativitatis D.N.I.C.* (24 dec. 1953): *A.A.S.*, 46 (1954), pp. 6-12.

[5] Cf. Litt. Encycl. PII XII, *Summi Pontificatus* (20 oct. 1939): *A.A.S.*, 31 (1939), pp. 428-429. - Litt. Encycl. *Evangelii Praecones* (2 iun. 1951): *A.A.S.*, 43 (1951), pp. 521-524. - Allocutionem PII XII iis qui interfuerunt Conventui Quinto nationali Italico Unionis Iurisconsultorum catholicorum (6 dec. 1953): *A.A.S.*, 45 (1953), p. 800. - Allocutionem PII XII iis qui interfuerunt Conventui X internationali de Scientiis Historicis, Romae habito (7 sept. 1955): *A.A.S.*, 47 (1955), pp. 680-681. - Allocutionem PII XII cultoribus, docentibus et dirigentibus Unionis Internationalis ex magnis institutis atque Lyceis de Archaeologia, de Historia ac de Artis Historia in Urbe decem abhinc annos conditae (9 mart. 1956): *A.A.S.*, 48 (1956), pp. 211-212.

Cf. Litt. Encycl. IOANNIS XXIII *Princeps Pastorum* (28 nov. 1959): *A.A.S.*, [33]
51 (1959), p. 844.

[6] Cf. verba a Pio XI Exc. Domino Roland-Gosselin, episcopo versaliensi, dicta: « Il ne faut jamais perdre de vue que l'objectif de l'Eglise est d'évangéliser et non de civiliser. Si elle civilise, c'est par l'évangélisation » (Semaines Sociales de France, Versailles 1936: *Les conflits de civilisation,* Lyon 1936, pp. 461-462).

[7] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris* (11 apr. 1963): *A.A.S.*, 55 (1963), pp. 296-297.

ADNEXUM IV [34]

DE VITA OECONOMICA ET SOCIALI

INTRODUCTIO

1. [*Cur Concilium de his quaestionibus loquitur*]. Nemo ignorare potest momentum et asperitatem problematum oeconomicorum et socialium, quae hodie humano generi proponuntur. Ab eorum harmonica solutione pendent magnopere non tantum felicitas hominum, verum etiam humani generis futura et procul dubio pax mundi.

Sequens vestigia dilecti sui Magistri et Domini, qui humanae condicionis et laboris hominum particeps esse voluit, Ecclesia active interest ascensui humanitatis, cuius iter certis punctis signat et illuminat. Quidquid ad hominem et ad societatum vitam attinet, in eius corde alte resonat eamque afficit. Nihil ergo mirum, si, labentibus saeculis, ipsa saepe de his rebus locuta est Summorum Pontificum et Episcoporum ore, praesertim modernis temporibus, a Leonis XIII Pontificatu.

Plane conscia propriae responsabilitatis coram Deo et coram humano genere, desiderio adducta serviendi et gratuito amandi nec autem dominatus cupiditate, quaerensque fideliter haerere sermoni Christi, qui uno verbo:

[34] « Diliges » universam legem et prophetas complexus est, haec Sancta Synodus christiani dogmatis moralisque doctrinae luce evolutionem oeconomicam et socialem nostri temporis collustrare et ipsa intendit. Quare universitatem generis humani alloquens, hoc agit praesertim sub universaliori respectu. Verumtamen principia, quae revocat, possunt sine dubio omnibus situationibus socialibus sub quibuscumque circumstantiis applicari. Persuasum habet, se, hoc modo, posse opem ferre humanitati, ut scopulos in via arrectos devitet, ut exigentiis eius vocationis humanae et divinae melius respondeat, ut in veritate, iustitia, libertate ac pace crescat, atque ad gloriam Dei, ita conferat.

A) De incremento generis humani

2. [*Aliqua signa temporum*]. Oportet notare imprimis quaedam signa, quae ad nostra tempora peculiari modo insignire et futura praenuntiare videntur.

Dominium generis humani in res creatas continuo crescit et incipit ea etiam quae intimius personam attingunt sua actione afficere.

Sub influxu convergente factorum scientificorum, technicorum, oecono-
[35] micorum, progressionisque mediorum communicationis socialis et altioris gradus conscientiae humanae, socialisatio, incrementum nempe rationum socialium inter homines et multiplicatio nexuum mutuae dependentiae, nunc ad mundum universum extenditur.

Humanitas, simul ac maiorem semper varietatem gestat et magis conscia propriae diversitatis fit, simul suam unitatem et legem suae solidarietatis gradatim detegit. Singularum nationum cives ad hoc vocari videntur, ut mundi cives evadant. Speciei humanae firma persuasio crescit, non solum se posse et debere in vires naturae dominari et suam rerum potentiam perficere, verum etiam se posse et debere ordinem politicum, oeconomicum et socialem instituere, qui semper magis humanus exsistat et singulis hominibus, singulis coetibus, facultatem praebeat stabiliendi propriam dignitatem et sese evolvendi iuxta propriam uniuscuiusque personalitatem. Homines, coetusque humani, gravius in dies sentiunt quamcumque condicionem oppressionis et quodcumque signum despectus: exigunt, se non solum verbis, verum etiam opere debita reverentia tractari.

Interea humanitas non desinit numero augeri, et, iuvantibus imprimis medicinae progressu et curationum socialium incremento, spatium vitae valde augetur.

Huic rerum condicioni ut occurratur, aliqui conatus produntur, etsi valde insufficientes, ut res, ministeria, complexus institutionum cum his novis factis et optatis componantur. Necessitas praesentitur profundiorum transformationum, quae universitatem vitae oeconomicae et socialis nationum, singulos coetus sociales et singulos cives attingant. Activitas oeconomica, etsi productionem bonorum et ministeriorum utilium, subsistentiam laborantium eorumque familiarum, personalitatis cuiusque progressum fines immediatos

habeat, simul ad hoc tendit, ut ipsa inseratur ampliori in dies consilio civilisationem promovendi, quod quidem consilium aptum sit crastina aetate ad universum mundum extendi. Multa tentando, conflictibus procul dubio inevitabilibus signata, humanitas in nova civilisatione exquirenda versatur, quae solidarietate regatur. [35]

3. [*De causis inquietudinis et angoris*]. Hanc increscentem humanitatis condicionem multae rationes inquietudinis et angoris comitantur. Dum hodie vitae oeconomicae incrementum, humaniter ductum, differentiarum mitigationem permittere poterat, nimis saepe vertitur in earum exasperationem, in oppressionem maxime debilium et in despectum pauperum. Interea, ex eo quod conscii fiunt de discriminibus socialibus, varii coetus nationesque sentiunt hodie suum detrimentum, suam miseriam, et condicionem, quam olim quasi normalem existimabant, hodie graviter ferunt.

Quod iam elapso saeculo acciderat in terris tunc temporis ad industrialisationem accedentibus, in regionibus hodie hoc punctum attingentibus gravissimae sociales iniustitiae conspiciuntur, eo intolerabiliores, quo maior est sensus, rem aliter esse posse et debere.

Dum plus quam dimidia pars hominum stricte necessariis caret, alii
— etiam in regionibus minus evolutis — in opulentia vivunt.[1] Luxus iuxta [36]
miseriam accubat. Aliqui dissipant divitias neque computant. In multis regionibus, maior pars agrorum vel nullo modo vel male colitur, dum plurimi incolae insufficiente vel malo nutrimento aluntur, tecto carent et horrida condicione languent. Apta temperatione deficiente, accidit ut bona destruantur, vel eorum productio consulto minuatur, ne merces vilescant. Potest homo atomum resolvere, attamen plura millies centena millia hominum litteras nesciunt. Maior quam credi potest pecunia armis comparandis tribuitur, sed integri populi rebus maxime necessariis carent.

Coram patentibus his contradictionibus, quae graviter paci minantur, potens et sapientes saepius indifferentes, insensibiles, incuriosi manent. Quinimmo, quandoque, reformationibus plane necessariis et urgentibus obstant, neque verentur malitiam proprii cordis sub velamine libertatis tegere, vel etiam sub falsa specie religionis — quod quidem, certo certius, plane scandalosum est[2] — dum e contra quaedam systemata socialia, sub influxu falsarum doctrinarum, libertatem et iura fundamentalia personae ipsi organisationi productionis postponunt.

E mutuis denique contactibus diversarum oeconomicarum rerum et civilisationum, graves conflictus, in damnum minus evolutarum nationum oriuntur. Hae quidem nationes, cum eam condicionem vitae attingere desiderant, qua nationes oeconomice evolutae gaudent, subeunt periculum amittendi elementa bona, quae in suis traditionibus exstant, et sinendi se imbui materialistico diagrammate valorum alieno a cuiusque propria indole.

4. [*Ecclesia haec signa scrutatur*]. Intime permixta historiae humanitatis, cuius originem et finem novit, cui etiam fermentum divinum esse vult, Ecclesia haec « signa temporum », in quibus quandam inquisitionem Dei

[36] praesentit et Spiritum advocantem agnoscit, attente cum reverentia et amore quandoque etiam cum angore, scrutatur. Spectatis conatibus hominum ad crescens imperium supra naturam obtinendum, verbi Dei meminit: « Crescite, et multiplicamini, et replete terram, et subiicite eam ».[3] Doctrinam Scripturae meditatur: « Et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius... »;[4] « Dedit illi potestatem eorum quae sunt super terram ».[5] Longe abest, ut Ecclesia, iuxta vetus mythum, inventiones hominis potentiae Dei inimicas habeat. Scit enim Deum ad imaginem suam hunc creasse, videtque in his victoriis hominis eius vocationis signum: quippe qui non solum magnalia Dei contemplari, sed ea proprio labore perficere debeat, quo quasi socius divini operis evadat. Sicut pater in suis filiis glorificatur, Deus gaudet de operibus filiorum suorum, quos, in Verbo Incarnato contemplans, ad hoc vocat, ut per gratiam Spiritus Sancti participes fiant propriae Suae vitae.

Verumtamen Ecclesia bene etiam novit hanc evolutionem, quae nostram potentiam et inde nostram responsabilitatem multum auget, tam ad nostram veram progressionem et ad Dei gloriam, quam ad nostram ruinam et ad despectum divinae vocationis conferre posse. Non enim praetermittit terre-
[37] nam condicionem hominis, qui errori et ignorantiae obnoxius, ad superbiam et egoismum proclivis, peccato vulneratus et ipse peccator exsistit. Etiam in sublimioribus hominis operibus, notat Ecclesia vestigia peccati et timet ne humanum genus suis successibus elatum, in oblivionem Dei Creatoris ac Patris veniat, causa sit suae miseriae atque servus suorum operum evadat.

B) De natura et fine doctrinae socialis Ecclesiae

5. [*De vera natura doctrinae socialis Ecclesiae*]. Quapropter haec Sancta Synodus existimat se humanum genus iuvare debere ad minantes scopulos vitandos et ad progrediendum in Veritate, iustitia, solidarietate et pace.

Haec autem agens, aperte graviterque proclamat, se nullo pacto intendere iustam autonomiam detrahere societatibus, neque propriis hominum conatibus, se quoque reverentia et admiratione contemplari quidquid boni, veri, iusti est in diversissimis institutis, quae humani coetus sibi constituerunt. Re quidem vera, divinus conditor Ecclesiae ei nullum mandatum commisit, nullumque finem statuit oeconomicum et socialem. Finis Ecclesiae assignatus stricte religiosus est,[6] dum scilicet apertum est, quidquid a christianis agitur iuxta spiritum Christi agendum esse, Deo offerendum, valorem religiosum induere debere. Quo fit, ut Ecclesia nullo systemati oeconomico et sociali sit ligata. Evolvi enim potest sub quocumque regimine quod suam missionem, iura fundamentalia personae et familiae vereatur, et exigentiis boni communis subiiciatur.

Attamen Ecclesia ignorare non potest consuetudinem vitae et instituta certum influxum, saepe magni ponderis, in vitam moralem, spiritualem, et religiosam exercere; doctrinam Christi, si a filiis suis in praxim vitae dedu-

catur, profundos et felicissimos effectus in rationibus socialibus habituram; [37]
has denique sociales rationes, ad bonum ipsum individuorum et communitatum, iustitiae aequitatisque exigentiis subiiciendas esse. In Revelatione et in humana ratione fide illuminata, Ecclesia invenit elementa doctrinae, morales exigentias et quasdam indicationes, quorum luce de sensu et de intimo valore cuiusvis realitatis et humanae actionis cum auctoritate iudicare potest. Hominem et mundum in Spiritu Dei Creatoris contemplans, rerum omnium instaurationem in Christo indesinenter intendit.

Ecclesia demum, cui responsabilitas incumbit de vita christiana suorum filiorum et de Evangelio propagando, omnibus subministrare debet lumina illa, quibus ipsi indigent, ut inter ipsas huius terrae activitates secundum spiritum Christi vivant. Quod si hoc Ecclesia non praestaret, a sua pastorali missione gravi ex parte deficeret. Sacerdotes praesertim conferre debent ad laicorum formationem, conscientiam eorum ad exigentias sociales fidei erigere, eosque ad proprias responsabilitates assumendas excitare.

Quibus omnibus perspectis, sequitur ex una parte, Ecclesiam necessario doctrinam habere, quae realitates sociales, non minus quam humanae vitae complexum, attingit, ex alia vero parte, suam doctrinam his de rebus sitam [38]
non esse in eodem plano ac scientiae et systemata oeconomica et socialia, et cum his non connumerari: doctrina Ecclesiae etenim fluit ab ipsius religioso munere, homines scilicet ad Deum ducendi. Pro sua natura doctrina haec nequit sibi sufficere nec apta est ad universa problemata solvenda; sed ea omnia sub luce fidei et moralis christianae illuminat. Leges autem et normas cuique disciplinae proprias observat, atque amplum spatium investigationi et studiis tribuit. Sicut Evangelium ipsum, doctrina Ecclesiae diversis institutionibus se accommodare potest, diversis applicationibus explicari, quarum nulla eam in praxim perfecte deducit. Non tamen exinde momentum eius minuitur, et quisquis eam vel ignorat vel praesertim despicit, societates in gravia pericula vocat. Veluti vivens fermentum, doctrina Ecclesiae indesinenter concitare debet incepta laicorum christianorum, quorum quotidiana officia his rebus oeconomicis et socialibus inscribuntur. Oportet igitur eos — illos praesertim qui responsabilitates ferunt et in omnibus testes et apostolos Christi se habere volunt — ad dialogum mutua fiducia insignitum cum sacerdotibus et episcopis invitare, quo socias vires conferre possint, magis adhuc quam prius mos erat, ad exaranda opportuna orientamenta et directiones; tales nempe, quae rationem habeant de factis et de possibilitatibus concretis, de mente diversorum coetuum, et praesertim de valoribus humanis fundamentalibus atque de Evangelii exigentiis.

Quapropter haec Sancta Synodus, de suis responsabilitatibus conscia, postquam laicos idoneos audivit, non dubitat in omnium christianorum memoriam revocare atque omnibus hominibus amore iustitiae flagrantibus aliqua fundamentalia principia et aliquas indicationes proponere, quarum observantia pro praesente evolutione mundi peculiaris ponderis esse videtur.

[38] C) DE PRINCIPIIS GENERALIBUS ET ORIENTATIONIBUS PRO NOSTRO TEMPORE

6. [*De condicionibus incrementi harmonici et humani*]. Non poterit velox incrementum vitae oeconomicae hodiernae ad bonum et non ad ruinam humanae speciei conferre, ut Deus voluit, nisi hae veritates fundamentales numquam desinant ob oculos versari.

Quamquam multiplici determinismo provocatum et alitum, hoc incrementum dominio hominis subiici ab eoque dirigi debet. Requirit, ut in omnibus una vel alia ratione potentiam vel influxum participantibus evigilans conscientia suscitetur. Supponit patientes investigationes, mentium profundas mutationes, constantem rationem providendi, strenuum laborem organizationis.

Hoc generale incrementum effici debet ad iustam conceptionem naturae hominis, qui simul ac personalitate inalienabili praeditus, sui compos, liber et intelligens exsistit, simul est ens sociale, nihil fere valens nisi ope societatis, atque ab aliis, tam viventibus quam mortuis, plus adhuc, quam quod
[39] reddere potest, accipit, cuius denique sors magis in dies cum sorte universae speciei humanae nectitur.

Incrementum hoc proinde omnibus inservire debet, non aliquibus tantum privilegiariis hominum coetibus vel nationibus. Communitates oeconomice evolutae et divites memores esse debent, immoderatum appetitum possidendi, quae est avaritia,[7] esse defectum non minus societatum quam singulorum. Suum commune bonum manet sane res et finis immediatus uniuscuiusque coetus, sed ita disponi debet, ut ratio habeatur ampliorum coniunctionum et etiam totius humani generis.

Hoc incrementum permittere debet, ut necessitatibus essentialibus omnium hominum satis fiat, et ut aptius illorum desideratis, non tantum materialibus, sed et intellectualibus, moralibus et spiritualibus, responsum detur. Valor nempe hominis ab eo quod « est », non ab eo quod « habet », dimetiendus est; copia autem bonorum externorum favere debet evolutioni nobilissimarum eius facultatum.

Hic liceat nobis, inter multas perturbationes hodiernae vitae oeconomicae, lugere eam immoderatam propagandam commercialem, quae nempe, in quibusdam rationibus vitae oeconomicae, sanam autonomiam humanae personae observare desinit, ordinem necessitatum explendarum subvertit, necessitates artificiales vel inordinatas excitat vel creat. Tales agendi modi saepissime ab immoderato desiderio lucri vel a voluntate potentiae famaeque oriuntur. Sic non modo homini non attenditur, verum etiam ipse homo subiicitur servitio finium exteriorum, et tamquam merum obiectum tractatur.

Ex allatis principiis elucet, vitam oeconomicam non habere sui rationem neque in semetipsa, neque in lucro, quamvis ad stimulandum utili, neque in productione quam copiosissima, etsi haec copia valde desideranda videri possit, neque in redditu, fama, voluntate potentiae, sed in satisfactione necessitatum et iustorum desideriorum hominis et in florente evolutione persona-

rum et societatum. Oeconomicus progressus ad socialem progressum totus ordinatus est, socialis autem progressus iustae hierarchiae valorum respondere debet. [39]

7. [*Cuiusque civis participatio*]. Ne cives, in processu productionis magis et magis complicato, merae rotulae sine personalitate evadant, oportet quam maxime, omni ratione quae possibilis appareat et in omnibus gradibus, eos participes fieri electionum et optionum, quae futuram suam condicionem suorumque filiorum determinant. Ideo ius habent ad adaequatam et sinceram informationem. Necesse est, ut ipsi cives profari possint, praesertim per repraesentantes propriorum coetuum, ita ut audiri debeant. Quod ni fiat, sensum haberent, se subiectos esse viribus exterioribus impersonalibus, vel parvo cuidam numero privilegiariorum vel secreta scientium: unde se frustratos sentirent et incitarentur sive ad rebellandum, sive ad tradendum se machinationi societatis anima carentis, nihil aliud ab hac exspectantes, quam materialium necessitatum semetipsos immediate attingentium satisfactionem.

Volumus hic praesertim omnes attentos facere ad ius, quod opificibus competit, fundandi consociationes autonomas, quae eos possint valide coram societate et publica potestate repraesentare et quae capaces sint eorum iura et iusta desideria mediis aptis promovendi. Hoc ius inter iura fundamentalia personae humanae connumerandum est. Quare eius observantia est elementum essentiale communis boni. [40]

Utinam sit crastina civilisatio non mera civilisatio consumentium vel etiam producentium, praesertim si per hoc intelligatur productio maxima bonorum tantum materialium; sed esse possit civilisatio hominum conscientia praeditorum, qui liberi sint, sui compotes, ad perfectionem creationis conferentes.

8. [*Communis destinatio bonorum et dominii acquisitio*]. Quod attinet ad officia societatum et humanitatis relate ad dominii acquisitionem, usum et iustam distributionem bonorum, haec Sancta Synodus aestimat opportunum esse, sequentia memorare:

Credentium nemo ignorare potest, Deum terram et quidquid in ea continetur humano generi dedisse, ut homines ea utantur et fruantur; nullam autem partem singulari homini attribuisse, et distributionem bonorum sapientiae hominum et populorum institutis reliquisse.[8] Itidem, quidquid sit de rationibus dominii acquirendi, Ecclesia existimat cum Sancto Thoma, hominem res externas, quoad usum earum, non tamquam privatas, sed tamquam communes habere debere, ut omnibus prosint.[9] Quare omnibus hominibus strictum ius competit habendi partem bonorum sibi suisque familiis sufficientem. Ex alia vero parte bona et instrumenta produci, humano generi deferri, inter populos distribui debent, ita ut, omni ratione quae possibilis appareat, veris necessitatibus et desideriis essentialibus omnium hominum et coetuum socialium, sine discrimine, satis fiat.

9. [*De servitiis et officiis a societate praestitis*]. Sicut saeculorum expe-

[40] rientia testatur, et futurae res iterum probare non desinent, haec communis destinatio bonorum potest sine dubio diversis rationibus attingi.

Ita in quibusdam societatibus oeconomice minus evolutis, non raro accidit, ut complexus morum, traditionum antiquarum, legum non scriptarum, unicuique membro bona magis necessaria ad propriam evolutionem praebeant. In rationibus oeconomicis magis evolutis, notare licet, reticulum quoddam, magis in dies complicatum, institutionum, cautionum, securitatum socialium, unicuique civium, quandoque sine directa dependentia ab eius labore, commoda multa tueri, iuxta gradum evolutionis obtentum, sub ratione sic dictarum praestationum vel « iurium socialium ». Hae omnes sunt rationes laudabiles quibus destinationi communi bonorum respondetur. Cavendum tamen erit, ne hoc modo cives, relate ad societatem, ad quendam statum passivitatis, abdicationis, irresponsabilitatis et ad repudiandum servitium inducantur: huiusmodi enim status vero bono uniuscuiusque et ipsius societatis contradiceret.

[41] Loquentibus de utilitatibus socialibus, liceat nobis ardentius desiderare incrementum ministeriorum pro familiis, atque omnis modi bonorum ad culturam et educationem spectantium; horum incrementum si deficiat, societas crastina magna pericula subiret. Hae bonorum collocationes, quae ex solo spontaneo initio oriri nequeunt, quandam virium conspirationem requirunt, ubi amor perquam gratuitus manifestari potest.

Universalius loquendo, momentum actuale collocationum oeconomicarum et socialium bonorum, quae evidentissime quandam ordinationem intellectu ductam vitae oeconomicae requirunt, aequo minus nemo aestimare debet. Haec oeconomica rationalisatio, quam vocant, ut humana maneat, prae oculis habere debet condiciones concretas, rerum futurarum exspectationes, multiplicem naturam hominis et rectam hierarchiam valorum. Optabilius est tecta convenientia, ministeria pro familiis, instituta technica, professionalia, universitaria, aptaque media ad culturam, quam immensam varietatem illorum bonorum, quae immediate consumantur, prae manibus habere.

In dirigendis bonorum collocationibus, iis, qui responsabilitatem gerunt, cordi erit, laborem tueri non solum populo laboranti hodierno, sed etiam generationi futurae: etenim, ex una parte, ius ad laborem inter iura fundamentalia personae connumerandum est, ex alia vero parte parentes nihil carius habent, et iure quidem, quam suorum filiorum futuram sortem. Sicuti ergo non oportet generationem hanc cuidam futuro sub quacumque hypothesi incerto postponere, ita etiam futurum praesenti inconsulte postponere non licet.

10. [*Commune bonum non identificatur cum « statu quo »*]. Scientifici progressus et technicae innovationis causa, nostris diebus, oeconomica evolutio celeres mutationes in industria, agricultura, commercio et universa vita oeconomica, secum ferre solet. Adaequate consideratum, commune bonum nullo modo cum *statu quo* identificatur, immo potius continuas adaptationes et saepe profundas transformationes exigit. Hae tamen, ratione ipsius boni

communis, semper humano modo fieri debent, ratione habita condicionis [41] personalis et familiaris uniuscuiusque operarii, ita ut ei pro casu possibilitas concreta tribuatur se conferendi ad alias activitates, eique permittat per proprium laborem sese perficere. Sic fiet, ut oeconomicum incrementum, constanter hominis dominio subiectum, feliciter deduci possit, pro commodo ipsorum operariorum, numquam vero cum eorum essentialium iurium detrimento.

11. [*De praestantia laboris humani et de eius obliteratione*]. In hoc oeconomico incremento, nihil nobilius quam labor. Per eum Deus hominem quasi socium adiungit ad perfectionem creationis et ad eius recapitulationem in Christo; homo autem Deo honorem de omnibus bonis acceptis reddere potest. Labor est activitas ipsius hominis, naturam suo quasi sigillo signantis et eam propriis consiliis subiicientis. In productionis processu, primas partes habet, tam ex suis fructibus, quam ex relatione intima et immediata, quam habet, ad humanam personam. Laboris nobilitas haudquaquam minuitur ex praesentia instrumentorum in dies potentiorum, cum haec ipsa instrumenta socia homi- [42] num activitate sint producta et ipsis hominibus perfectius dominium in naturam tutari possint.

Labor autem, proh dolor, a suis finibus saepius detorquetur. Permittere debebat, ut homo cum sua familia decenter viveret, cum saepe huiusmodi mercedes solvantur, quae ad hoc minime sufficiunt. Insuper necessaria consideratio qualitatis laboris, technicae peritiae et diversitatis contributorum, retributionum scalam nimis amplam reddere non debebat, quod tamen saepe accidit. Lugendum est etiam, quod opifices alienigeni, qui suam opem rationibus oeconomicis conferunt, iniuste et etiam inhumaniter tractentur. Non tantum quodvis discrimen erga eos in condicione laboris et remunerationis vitandum est, sed insuper tota societas, imprimisque publicae potestates, faciliorem reddere debent eorum insertionem in vitam socialem, eosque vere ut personas recipere, non pure ut manum operi admovendam, utilem tantum ad productionem.

Universalius loquendo, dum possibilitas adest poenam hominis minuendi, saepius tamen accidit, ut nimia cupiditas lucri, inhumana redditus et maximi effectus cura vitaeque oeconomicae mala temperatio, operarios ad servitutem rythmi machinarum redigant, eosque submittant legibus cuiusdam nimis celeris solutionis expensarum nummariarum, posthabeant eorum personalem collationem, spontaneitatem et responsabilitatis sensum. Quo fit, ut, ingente progressu technico non obstante, accidat etiam hodie, et quidem in ipsis nationibus oeconomice evolutis, ut inanimata materia ex officinis nobilitata exeat, dum opifices ibi deformantur.[10]

Oportet media illa usurpare, quae ars technica in praesentia praebet, ut productionis instrumenta et condiciones reales laboris rythmo hominis eiusque vitae familiaris exigentiis fundamentalibus aptentur. In organisatione officinarum ad hoc attendatur ut capacitas creationis et responsabilitatis unius-

[42] cuiusque concitetur et excitetur. Maxime etiam interest observare ius ad quietem et ad liberas gratuitasque activitates.

12. [*De regimine bonorum productionis*]. Quod ad media productionis attinet, praesertim dum de magnis officinis vel inceptibus productionis agitur, eorum regimen proprietatis diversum esse potest, ut docet Ioannes XXIII.[11] Quod quidem a temporibus, locis, circumstantiis et concretis exigentiis communis boni pendet. Semper tamen, quoquo modo res se habeat, proprietarius (homo singulus, sive coetus, sive communitas, sive Status) numquam se gerere debet tamquam dominum absolutum inceptuum vel officinarum productionis; nam intendendum est, ut huiusmodi inceptus, quantum fieri poterit, communitates evadant personarum: subiectorum nempe qui liberi sunt et sui compotes, ad imaginem Dei creati, vocati ut ratione activa et solidaria, peropportunis modis, participes fiant universae vitae inceptus, eiusque gestionis et fructus; quin immo participes universitatis oeconomicae evolutionis.

13. [*De potestate oeconomica*]. Notandum autem est hac de re, multis
[43] in casibus inter praecipuos quidem, potestatem decidendi in re oeconomica non iam ligatam esse, sicut adhuc recentiore tempore mos erat, soli proprietati bonorum productionis. Immo quandoque accidit, ut plane ab ea distinguatur, si non iam de iure, saltem de facto. Saepe fit, ut qui hac potestate gaudent, magnam potentiam oeconomicam prae manibus habeant, cuius tractatio multiplices effectus inducit in existentiam eorum, qui diversis rationibus productioni intersunt: proprietarii sortis, laborantes cuiusvis generis, consumentes. Ex sua parte, publicae potestates, directe vel indirecte, crescentem et saepe decretorium influxum in praecipuas electiones vitae oeconomicae et socialis exercent. Ex motu denique rationum mutuae dependentiae, non raro accidit, ut potentia oeconomica limites nationis transcendat et characterem regionalem vel internationalem sumat.

Haec rerum condicio nova et gravia ponit problemata, quae collatas vires omnium hominum bonae voluntatis requirunt. Necesse certo est, non praeterire exercitium auctoritatis, neque eam dilabi sinere in coetus anonymos, ubi nemo vere responsabilitatem gerat. Sed interest praesertim, in omnibus gradibus, ne ii, ad quos res spectat, ab elaboratione decretorum, quae magna ex parte in condicionem suae exsistentiae influunt, detineantur. Ut potentia oeconomica magis humana evadat et alicui normae subiiciatur, necessarium erit reticula mutuae informationis et instrumenta consultationis multiplicare, atque, semper ac fieri poterit, activae participationi favere eorum, quibus interest, in electionibus et optionibus, quae eos tangunt. Regulariter haec participatio fiet per eorum repraesentantes ad hoc constitutos, qui activas partes habeant in variis decisionis centris, in omnibus gradibus. Si opportunum videbitur, utilia colloquia, praesertim regionalia et internationalia, inter eos qui responsabilitatem de his rebus ferunt, institui poterunt, ut collatis viribus christianorum, una cum omnibus hominibus bonae voluntatis,

solutiones simul humaniores et spiritui Evangelii magis accommodatae inveniantur. [43]

14. [*Relationes inter coetus diversi ordinis*]. Sive de regimine bonorum, sive de potentia oeconomica, sive de relationibus inter diversa centra decisionis agatur, utilissimum semper erit, hanc auream regulam, quae pro universa vita sociali valet, observare: ex una parte, coetus superior non debet intendere, sufficere se in sanam activitatem inferioris coetus. Ex alia vero parte, ubi inferiores coetus capaces exspectatum servitium reddendi vel non exsistant, vel non agant iuxta indicationes communis boni, spectat ad superiorem coetum, et praesertim ad publicas potestates, praeter suas proprias functiones, iis condicionibus providere: sive obstringendo coetus exsistentes exigentiis boni communis; sive agendo, ut creentur et evolvantur coetus, qui, superioribus iuvantibus, optatos fines attingere valeant; sive adimplendo per se ipsos activitates et ministeria huiusmodi, si hoc re vera adiuncta exigant.

15. [*De iure bona privatim possidendi; de abusibus*]. Ut efficaciter et humaniter communi destinationi bonorum satis fiat, interest, ut faveatur accessioni omnium, sive singulorum, sive libere consociatorum, ad quoddam privati iuris in bona sufficientia dominium. Hae proprietatis privatae rationes, [44]
quarum diversitas nostris diebus fortiter augetur, manent, una cum sortibus, iuribus et ministeriis, de quibus societas cavet, fons securitatis non parvi pendendus. Eadem aream plane necessariam personalis et familiaris autonomiae unicuique confirmant, et sunt quasi necessaria extensio libertatis humanae. Constituunt denique condicionem quandam essentialem libertatis politicae.

Legitima in semetipsa, proprietas privata manet tamen communi destinationi bonorum, cuius est particularis actuatio, subordinata, et secum gerit functionem socialem sibi intrinsecam. Quae quidem ubi negligitur, oblivioni datur, denegatur, proprietas privata occasio multarum tentationum cupiditatis et gravium perturbationum evadit, quae, per reactionem, proprietati ipsi periculo sunt.

Inter abusus hodie frequentiores, memorare necesse est negotiationes circa areas terrae, ex phaenomeno urbanisationis praesertim concitatas. Hae scandalosae exercitationes aguntur in damnum eorum, qui urgente necessitate habitationis premuntur, vel in damnum evolutionis bonorum omnis generis quae ad harmonicum progressum communitatum requiruntur. Commune bonum exigit, ut frenum apponatur redditibus situationis, et ut accumulatio incrementorum valoris, ex negotiatione provenientium, graviter coerceatur.

In pluribus regionibus minus evolutis, fundi rurales magnae et etiam maximae extensionis exsistunt, mediocriter exculti vel sine cultura reservati, dum maior pars populi terris caret vel minima tantum extensione gaudet, et ex alia parte incrementum productionis agricolae evidenter urgens apparet. Non raro ii, qui a dominis horum magnorum fundorum ad laborem adhibentur, mercedem hominis indignam recipiunt, et manent sub quadam

[44] personali dependentia, quae illis omnem spontaneitatem, omnem responsabilitatem, omnem evolutionem prohibeat. Igitur agrariae reformationes omnino necessariae sunt, quae, pro diversis casibus, vel emendationem mercedis et conditionis laborantium et spontaneam eorum actionem intendant, vel distributionem fundorum, qui satis fructuosi non sunt. Distributio haec in commodum eorum, qui terram reddere valentem et re vera fructuosam arte sua possint, perfici debet; attamen huiusmodi hominibus procul dubio ministeria ad desideratum effectum plane necessaria suppetere debent.

Si bonum commune expropriationem bonorum privatorum exigat, indemnitas solvenda aestimanda erit non iuxta valorem venalem tantum, sed animum attendendo praesertim, ad possibilitates communitatis, ad necessitatem reformationum, ad contributum reale, quod personali activitati proprietarii respondet, et ad huius personales et familiares necessitates.

16. [*Relationes cum populis in via evolutionis*]. Si necesse est providere nimiis defectibus aequilibritatis, qui nostris diebus inter diversos ramos activitatis oeconomicae vel inter diversas regiones unius eiusdemque nationis manifesti fiunt, graviora adhuc problemata ponuntur, ubi de relationibus
[45] agitur, quae inter populos oeconomice evolutos et populos adhuc sese evolventes intercedunt. Discrimina oeconomica et socialia, quae ad hoc reapse tendunt, ut graviora in dies evadant, trahunt secum condicionem inaequalis potentiae, nationibus minus pollentibus noxiosam. Certis temporibus, accidit, ut auxilium his nationibus concessum inferius sit detrimento commerciali iisdem ex inordinato exercitio mercatus internationalis promanante. Huiusmodi nationes subsunt arbitratui pactionum, quae libere contractae videntur, sed re vera impositae sunt. Iustitia et aequitas requirunt, ut huic rerum condicioni quam primum remedium apponatur, aptis normis dispositis et internationalibus institutis, quae sufficiente auctoritate polleant. Itidem, necesse est ad hoc tendere, ut populis in via evolutionis praebeatur possibilitas realis providendi suo harmonico incremento oeconomico, illis permittendo exitum mercatorium proficuum pro suis productis invenire.

Universalius loquendo, auxilium his nationibus allatum, quocumque modo fiat, rationem habere debet genuinae cooperationis, fraternae, observantia plenae, ab omni egoismo alienae. Officium conferendi propria media huic auxilio eo fortius urget, quo nationes divitiores sunt.

Utinam haec efficax cooperatio et hic dialogus inter aequales cito ad totum universum extendatur, quo consequenter apte temperari possit: ex hoc pendet solidarietas populorum et procul dubio pax mundi.

Conclusio

17. [*Necessariae conversiones*]. Principia et indicationes, quae haec Sancta Synodus hucusque memoravit, generalissima sunt, et hoc quidem consulto. Pertinet enim ad Episcopatum uniuscuiusque nationis vel regionis, ad clerum et ad peritos laicos, ea explicare, evolvere, et praesertim iuxta

indolem propriam uniuscuiusque populi exprimere, ratione habita circumstantiarum. Pertinet autem ad omnes, pro sua quisque facultate, generosam eorum applicationem ad omnes vitae civilis campos et, a fortiori, intra ipsam christianorum communitatem, tueri. Profluentia a sano hominis et societatis conceptu et a simplice hac persuasione, integram evolutionem oeconomicam subiiciendam esse progressui sociali, hunc autem vero hominis ascensui, indicationes et principia illa valent, mutatis mutandis, semper et ubique: ita, ut pro omnibus hominibus bonae voluntatis communem basim constituere possint. [45]

Hodie, primum quidem in sua historia, humanum genus fit conscium de immenso suo dominio in res et in semetipsum, atque suam primigeniam vocationem hanc esse considerat, gerere se ad decreta suae propriae liberae electionis. Utinam ne suorum somniorum et suae propriae potentiae servus evadat, ne idola manuum suarum adoret: « Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies ».[12] Utinam ne, sibi subiiciens universum, se perdat: « Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum: et detrimentum animae suae faciat? »,[13] aut « quam dabit homo commutationem pro anima sua? ».[14] Utinam ne Illius obliviscatur, a quo proprium esse vitamque habet; [46]
memor autem sit Apostoli doctrinae: « Omnia enim vestra sunt... vos autem Christi, Christus autem Dei ».[15]

Hodie, primum sane in sua historia, omnis homo omnisque humanus coetus sine discrimine socialis condicionis, stirpis, nationis, continentis, potest evadere « proximus » cuiuscumque hominis vel humani coetus. Utinam se gerat homo semper tamquam membrum totius humanitatis, tamquam frater nempe universalis.

Hodie, magis sane quam alio quovis historiae humanae tempore, celeres et profundae mutationes eveniunt, ubique omnique ratione, in omni populo. Utinam ne homines caeci vel passivi, tamquam spectatores et non actores, remaneant. Sunt in mundo, vivunt ex mundo: cur non essent, pro sua quisque parte, historiae mundi participes?

Re quidem vera, coram celeritate et amplitudine transformationum, saepe mentes manent sive incuriosae sive stupore perculsae et quasi impeditae. Mentes et conscientiae ad novam rerum condicionem aptatae non sunt. Dum distantiae delentur et sors uniuscuiusque coetus socialis, et etiam uniuscuiusque individui, aliqua ex parte iam a sorte omnium dependet, moderni hominis cor et moralis conscientia difficulter angusta illa limina transcendit intra quae non nisi membris familiae, tribus, convictus, ordinis socialis, nationis, locus est. Etiam inter eos, qui ideas amplas et generosas profitentur, accidit, ut quidam in vita concreta, et quidem in omnibus vitae socialis statibus, ita se gerant, quasi nihil curae illis de solidarietatibus socialibus esset.

Si aliqua particularia devenire liceat, haec in memoriam revocare absque re non erit. Diversis tergiversationibus quaerit quis se subtrahere iustis contributis, quae civis societati debet. Regulae circulationis et sanitatis publicae negliguntur, neque conscii fiunt sic alterius vitam in periculum vocari. Abest

[46] timor incidendi relate ad societatem in iniustitias, quibus quis eruberesceret, si privatas personas afficerent.

Maximi momenti est, ut omnes homines iniustitiae amore flagrantes, ubicumque sint, non iam contenti sint ethica quadam individualistica, quae ipsam realitatem socialem nimis ignorat et, cum agatur non iam de mutuis relationibus inter privatas personas, sed de relationibus inter personam et societatem, sese accommodat moribus maxime reprehendendis, quas quandoque etiam iustificare intendit. Quisque conscius fieri debet, in societate semper maioris mutuae dependentiae, solidarietates sociales locum in dies ampliorem obtinere; huiusmodi solidarietates, qua tales, observandas esse; officia obligationesque — sicuti etiam iura fundamentalia personae — consequenter necessario transcendere campum restrictorum coetuum, ita ut iam mundum universum attingant.

Laetum nobis est hoc cogitare, inter eos nempe, qui nostram vocem audire optabunt, filios nostros, fraterne coniunctos omnibus Christum invocantibus, perquam alacres esse futuros. Ipsi enim sciunt, in Corpore Christi, membra omnia, per universum et per saecula conspersa, intime com-
[47] municari et in una eademque Historia partem habere: quare de his amplis prospectibus mirarentur? Beatitudinum spiritus, spiritus nempe libertatis a sollicitudinibus, abnegationis, paupertatis, totalis et fiducialis deditionis divino beneplacito, eorum lex esto: utinam ab hoc fonte, in humilitate et spe, ad animosas conversiones vim necessariam hauriant.

Caveant etiam, ne primatum religionis oblivioni dent, ne adorationem laudisque officium negligant, ne in semetipsis sensum Dei dilabi sinant; memoresque sint, sine divina intimitate, pulcherrimas sociales constructiones impares esse, quominus cordi hominis satis faciant, cum impares quoque sint, quominus eum introducere valeant in mysteria Dei sui.

Hunc animum religiosum in semetipsis foventes, in vivente magisterio Ecclesiae nitentes, Eucharistia refecti, instructi erunt ad hoc immensum opus una cum omnibus hominibus bonae voluntatis aggrediendum: humanum et christianum inflexum modernae civilisationi conferre.[16] Sic suum amorem erga homines ostendent et gloriam Deo reddent: soli Deo gloria.

NOTAE

[1] IOANNES XXIII, *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53 (1961), p. 418.

[2] PIUS XI, *Quadragesimo anno*: *A.A.S.*, 23 (1931), p. 217.

[3] *Gen.* 1, 28.

[4] *Psalmus* 8, 7-8.

[5] *Eccl.* 17, 2.

[6] Allocutio PII XII Unioni Internationali Institutorum Archaeologiae, historiae et historiae artis, etc. 9 martii 1956.

[7] S. THOMAS, *Summa theologica,* II-II, qu. CXVIII, art. 1; I, qu. LXIII, art. 2.

[8] LEO XIII, *Rerum Novarum.*

[9] S. THOMAS, *Summa theologica,* II-II, qu. LXVI, art. 2. [47]
[10] PIUS XI, *Quadragesimo anno,* 1931: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 222.
[11] IOANNES XXIII, *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 429.
[12] *Mt.* 4, 10.
[13] *Mc.* 8, 36.
[14] *Mt.* 16, 26.
[15] *1 Cor.* 3, 22-23.
[16] IOANNES XXIII, *Mater et magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 460.

ADNEXUM V [48]

DE COMMUNITATE GENTIUM ET PACE

PROOEMIUM

1. [*Signa temporum*]. Universalis hominum inter se coniunctio ad obtinendum ordinem quemdam politicum, oeconomicum et socialem, qui diutius pacem parandi ac stabiliendi capax sit, numquam ita necessaria visa est sicut in nostrae aetatis rerum adiunctis, cum hodie orbis universus ob progressum praesertim artium technicarum, singulari quodam modo in unum redactus inveniatur, in campis tum mutuae cognitionis, tum communicationum et actionis. Technicarum enim artium profectus permagnas attulit immutationes, quibus homo tale super naturam dominium adeptus est, quale hucusque impossibile putabatur, cum subsidia omnino nova ad eius profectum sint suppeditata. Pari modo aequalitas hominum populorumque omnium inter se in dies roboratur, ita ut hodiernae societatis singulare munus hoc esse videatur ut omnes nationes ad politicam libertatem perducat ac propterea discrimen tollat inter subiectos populos atque dominatores. At simul, huic societati quae subsidiis maioribus ditatur, quaeque magis libera ac iusta in suis legitimis expectationibus et desideriis invenitur, perantiquum illud incumbit periculum belli, quod, si contingat, hac atomica aetate calamitates immanes secumferre possit.

In his rerum adiunctis, tum propter acerbos bellorum eventus cum propter mutuae cognitionis profectum, organizationes nonnullae ortae sunt, quarum est consociare conatus populorum omniumque hominum ad unitatem quandam universalem efficiendum. Suae intimae necessitudinis sibi conscii, fatentur populi omnes necessitatem firmis et ordinatis conatibus miseriam et ignorantiam, ubicumque vigent, abolendi, necnon fundamentalia iura singulorum hominum clare et firmiter statuendi.

Huic autem humanitatis profectui graves profecto obstant condiciones adversae: etenim pax imprimis mutuo potius timore quam in vero fraternitatis affectu innititur; discrimen inter divites et pauperes, sive de populis sive de singulis hominibus agitur, magis in dies augescit; rationes quibus humana societas evolvitur materialismo saepe saepius inficiuntur; ideologici conflictus exacerbantur et concordiam dissolvunt; populi denique anxietu-

[48] dine afficiuntur ob tale demographicum incrementum, quale numquam eos expertos esse constat.

Maxime ergo necessitas urget opus aggrediendi, quod spectat sive singulos homines eorumque iura, sive ipsas nationes veram orbis universi consociationem prosequentes.

[49] Ecclesiae, quippe quae verba Veritatis et Vitae possidet, ius est praecipua principia et normas huiusmodi operis filiis suis imprimis, sed et omnibus hominibus, tradere; nonnisi enim Ecclesia capax est hominibus omnibus, ac praesertim iunioribus, eam salutis viam ostendere, quam eis nec materialismus nec merus humanismus ullo pacto aperire possunt.

Praeterea Ecclesiae magisterium erit invitamentum ad communem, magnanimam rerumque adiunctis aptatam actionem, quae arctiorem voluntatum consociationem pariat, ac propterea homines universos ad plenam caritatis expansionem perducat, secundum fundamentale Christi praeceptum.

2. [*Christus princeps pacis*]. Cum Christus Dominus sit princeps pacis (cf. *Is.* 9, 4-6), veniens in plenitudine temporum (cf. *Eph.* 1, 10) ut animam suam daret redemptionem pro multis (cf. *Mt.* 20, 28) secundum beneplacitum Patris qui misit Eum (cf. *Io.* 6, 38; *Eph.* 1, 5), Ipse est pax nostra, qui per crucem suam omnes homines Deo reconcilians ac restituens omnium unitatem in uno populo et in uno corpore, in propria sua carne occidit odium (*Eph.* 2, 14-16). Sic omnibus hominibus et nationibus pacem evangelizavit (cf. *Eph.* 2, 17; *Is.* 57, 19; *Zach.* 9, 10). Ad hanc Christi pacem plenius in dies instaurandam omnes christiani, immo omnes homines vocantur, cum per Christi adventum simus iam in tempore salutis (cf. *2 Cor.* 6, 2) et in hora novissima (cf. *1 Io.* 2, 18).

Huius pacis figura et effectus est pax terrena illa, quae ex dilectione proximi promanat, quae malum non operatur et est plenitudo legis (cf. *Rom.* 13, 10). Omnes igitur christiani obligantur, ut veritatem facientes in caritate (cf. *Eph.* 4, 15), illam pacem quae donum Dei est implorent et suam operam conferant ad condiciones iustitiae et amoris in universo mundo creandas, sine quibus pax vera consistere non potest.

A) De pace construenda

3. [*Fraternitas universalis gentium*]. Communitas Gentium in fraternitate universali hominum fundatur; haec vero fraternitas ita intelligi debet ut necessario referatur ad unicum Patrem et Christum principem pacis. Quapropter huic unitati generis humani apte compositus ordo nationum populorumque respondere debet, qui ordini morali, seu ordini hominis ad Deum, in omnibus subicitur et ad unitatem et pacem universalem tendit.[1]

4. [*Communitatis internationalis fundamentum et finis*]. Communitatis internationalis finis in hoc consistit, ut omnes populi in pacifico consortio accedere possint ad patrimonium humanum commune, et natura humana, com-

munis apud omnes homines, totam suam vim et virtutem explicare valeat per [49]
concordem et fructuosam omnium operam.

Ut communitas internationalis suum bonum commune attingere queat, primum agnoscenda sunt, infra communitatis nationalis, iura personalia ac socialia, cum omnis ordo in consortio humano sine illis pacifice constitui nequeat. Deinde requiritur iusta agnitio iurium inter nationes ac recta aestimatio valorum populis propriorum. Pax, quae ex utroque fonte oritur, est [50]
consequenter opus veritatis, iustitiae, caritatis et libertatis; quae virtutes ad effectum deduci debent in omnibus gradibus vitae socialis.[2]

Hae sunt principia quae animare debent etiam illas Institutiones Internationales, quae communitatis gentium hodiernae propria organa constituunt et ad eam corroborandam inserviunt. Etenim, cum constet illas Institutiones ad pacem servandam et ad prosperitatem gentium promovendam valde conferre, inde optandum est ut eadem Institutiones magis magisque idoneae reddantur ad munus suum explendum.

5. [*De praecipuis personae humanae iuribus in Communitate Internationali promovendis*]. Iuridica et socialis structura Communitatis Internationalis ita conformanda est, ut in ea plenum exercitium iurium humanae personae tam in communitate internationali quam in propria natione vel in ea in qua libera electione unusquisque degit, ab omnibus agnoscatur atque nullo habito discrimine sexus, linguae, stirpis, condicionis socialis, necnon religionis servetur et promoveantur.[3]

6. [*Praecipua communitatum politicarum iura in communitate internationali*]. Ad rectam notionem communitatis politicae nationalis eiusque muneris in communitate internationali haec iura pertinent: ius ad aequaliter fruendum iure gentium, ita ut voluntas vivendi unius populi, nequeat damnum afferre alteri; ius ad legitimum progressum et ad culturam propriam; ius habendi congruam partem bonorum omnibus hominibus destinatorum, adhibitis recentioribus inventis ad omnium prosperitatem pacemque fovendam, necnon aptis remediis, quibus causae famis in regionibus sic dictis « progredientibus » tollantur.

7. [*Praecipua communitatum politicarum officia in communitate internationali*]. Exigentiae boni communis et necessitas servandi iura personarum ac nationum ordinant et aliquando limitant exercitium potestatis singularum communitatum politicarum.[4]

Ut mutuae singularum communitatum politicarum relationes in sinu communitatis internationalis bonum et progressum omnium efficaciter promoveant et efficiant, necesse omnino est ut eaedem singulae communitates agnoscant et observent principia, quae exigunt ut praecipua iura omnium gentium — minoritatibus diversis inclusis — non laedantur immo promoveantur in iis quae spectant propriam culturam, linguam, integritatem et libertatem. Et inter communitates politicas activa instauretur, firmetur et extendatur cooperatio tum mundialis, cum regionalis in re oeconomica, sociali, culturali necnon in re politica.[5] Ad normam istorum principiorum incessanter

[50] elaborandum est ius internationale, quod relationes populorum iuxta diversas condiciones temporum promoveat et regat.

8. [*De amore patriae*]. Laudandus est amor erga propriam gentem, culturam et patriam, cum hic amor sit forma quaedam pietatis filialis. Attamen, sicut ordo inter homines graviter laeditur propter extollentiam vel superbiam singulorum, in immodico sui amore radicatam, ita etiam inter nationes
[51] hoc contingere potest; quare strenue obsistendum est nimio propriae utilitatis studio et pernicioso nationalismo, qui mutuam benevolentiam et debita officia erga nationum familiam respuit et dissolutionem communitatis internationalis parat. Nam homines magis inter se uniuntur ratione communis naturae, quam separantur ratione particularis historiae et culturae.

9. [*Cooperatio inter nationes « progressas » et « progredientes »*]. Exoptat S. Synodus ut culturalis, scientifica, technica, oeconomica et socialis cooperatio inter nationes, quae hodie in tam multis campis viget, in dies augeatur. Quae cooperatio, sicut inter personas singulas, ita etiam inter nationes secundum praecepta iustitiae et caritatis praestanda est, ita ut omnes sibi mutuo opem conferant; nullo vero modo intelligenda est ut mera assistentia technica et oeconomica ab aliis qui iam opibus praediti sunt, ad alios omnino opibus destitutos collata.[6]

Plenum incrementum insuper non fiet nisi lucide et ordinate procedatur, et cura habeatur de toto homine et de omnibus hominibus promovendis, itemque de apta coordinatione omnium inceptorum intra ambitu eiusdem nationis, necnon ampliorum regionum et totius orbis. Ideo:

a) Valde cordi habeant gentes sic dictae « progredientes » ut finis progressus expresse et firmiter tamquam plena perfectio humana suorum incolarum assignetur, hoc est ut progressus ille minime fine oeconomico circumscribatur, sed etiam ad elevationem spiritualem, moralem, culturalem et socialem omnium incolarum spectet. Meminerint, progressum ante omnia ex labore et ingenio ipsarum gentium oriri et crescere, eo vel magis quod non in solis alienis opibus, sed praesertim in propriis plene actuandis necnon in cultura et traditione propria inniti debet.

b) Gentibus sic dictis progressis hoc officium gravissimum incumbit, ut, omni studio dominationis vel inordinatae competitionis seposito, omnibus populis in obeundis muneribus supradictis adiuvent, eisque instrumenta procurent ut in plena dignitate ad statum meliorem perveniant. Quapropter gentes « progressae » accommodationes spirituales et materiales in propria structura requisitas libenter perficiant, ita ut haec universalis conspiratio in bonum omnium redundet.[7]

c) Communitatis Internationalis est incrementum coordinare et stimulare ita tamen ut opes ad hoc ordinatae quam maxime efficaciter et plena cum aequitate disponantur. Immo ad eam pertinet rationes oeconomicas in toto mundo ita ordinare ut ad normam iustitiae internationalis evolvantur.

In his actionibus Communitas Internationalis in tuto positis valoribus spiritualibus et moralibus procedat. Ad rem quod attinet, meminisse iuva-

bit religioni non parvum inesse valorem socialem; quod hodie magis magisque manifesto patet. [51]

10. [*De cooperatione internationali quoad incrementum terrae incolarum*].[8] Deus qua bonitate est et sapientia, pariter rerum naturae inexhaustam fere inseruit producendi facultatem, pariter hominem tanta ingenii ditavit acie ut, aptis instrumentis adhibitis, is productae res ad suae vitae usum necessitatesque vertere possint. Quod numquam ita evidenter patuit sicut [52]
hodiernis temporibus, quibus progressus scientiarum et technicarum artium effecit ut dominium hominis super opes terrae quasi inexhauribiles in dies magis affirmetur et extendatur. Cum autem eodem tempore numerus incolarum, saltem in nonnullis partibus orbis, modo sat rapido crescat, urget necessitas ut omnes facultates subsistendi et condicionem hominum perficiendi plene explorentur, eaedemque toti communitati humanae per plenam et impensam cooperationem praesto sint; terra etenim a Creatore omnibus hominibus ut proprium habitaculum et dominium data est. Haec cooperatio utique iam in campo nationali vigere debet, cum legislatio et publica potestas ad hoc invigilent oporteat, ut familiae cuiusvis condicionis socialis illis subsidiis ditentur, quae ad vitam familiarem prorsus homine dignam et ad educationem prolis omnino congruam necessaria sunt.

Nullum dubium tamen adest quin ardua condicio nationum numero civium abundantiorum, quae persaepe pauperiores simul sunt, nonnisi cooperatione internationali, maxime auxilio et opera nationum quae minorem civium numerum sed ingentibus opibus sunt praeditae, solvere possit. Cooperatio internationalis ergo impensa esse debet tam in campis educationis, alimoniae, collocationis pecuniae (investissements), ordinis oeconomici et socialis, et, si casus ferat, emigrationis, quam in investigationibus scientificis. Caveatur ne nationes divitiores expensas suas ad fines inutiles vel commoda sua unice spectantes dirigant, cum fames et indigentia magnae multitudinis ad caelum clament. Ad emigrationem quod attinet, oportet nulla fiat iniusta discriminatio secundum stirpes diversas.

Cum a multis affirmetur incrementum incolarum orbis, praesertim in regionibus pauperibus, omnibus mediis et quovis interventu auctoritatis publicae radicaliter minuendum esse, declarat S. Synodus, constanti doctrinae catholicae de matrimonio innixa, numerum hominum in mundo ultimatim a recto iudicio morali parentum pendere, ac nullo modo arbitrio potestatis publicae remitti posse. Quod iudicium, spiritu confidentiae in Divina Providentia imbutus, tum educationis prolis concipiendae, tum boni totius familiae ac, si casus ferat, etiam boni communis societatis prudenter rationem habere debet. Cum autem tale iudicium claram conscientiam supponat, patet nullam adesse potiorem solutionem quaestionis sic dictae demographicae, quam omnibus aditum praebere ad recte et vere humanum sensum responsabilitatis in omni campo exercendum, quod persaepe condiciones educationis et societatis in melius redactas praesupponit, sed, in primis, formationem religiosam vel saltem moralem plenam exigit.

[52] De progressibus scientificis quorum validitas bene probata est et de quorum moralitate adest plena securitas, homines, si res id postulet, certiores fiant. Optandum est ut investigatores scientifici bene periti, una cum theologis, de re tam magni momenti laborem peragant, et ut cura pastoralis ad fructus istius laboris moraliter aestimandos necnon in praxim deducendos, sedulo simul ac cum cautela attenta sit.[9]

[53] Tandem monet S. Synodus contra tendentias illorum, qui, publice vel privatim, solutionem promovent et quandoque imponunt, quae moralitatis nullam rationem habent et incremento incolarum orbis per omnimoda media finem imponere contendunt. Valde timendum est ne usus ubique diffusus talium mediorum non tantum sensui morali sed etiam sanitati spirituali gentium noceat, quia ordo moralis ita in ordine rerum fundatur, ut violatio unius laesionem alterius secum ferat.[10]

B) De pace servanda

11. [*Condiciones essentiales pacis*]. Ut ordo internationalis constituendus in consortio pacifico omnium gentium in dies crescat necesse est ut pax, innixa in firma determinatione iurium singularum communitatum politicarum, ab organis communitatis internationalis efficaciter defendatur. Sed insuper, cum evidenter nonnisi Spiritu Sancto operante vera pax effici possit, eadem animetur oportet caritate, quae sola defectus iustitiae humanae superare potest. Haec caritas, quae iam singulos homines inter se coniungit, omnia informare debet, familiam nempe, ordinem laboris, vitam politicam et socialem ac denique totam nationem. Quare inter alia maxime iuvat ad pacem stabiliendam et promovendam formatio sic dictae opinionis publicae, praesertim destruendo praeiudicatas opiniones et odia, quae causa sunt cur tam saepe classes, gentes et homines diversae stirpis inter se opponantur.

12. [*De mediis ad pacem firmandam*]. Inter praecipua signa temporum sane omnibus apparet ingens desiderium verae pacis firmandae, cum genus humanum post tot atrocia bella paene continuis perturbetur conflictibus, et novis perterreatur armis, quae totam familiam humanam destruere possint. His periculis mature perpensis, nova omnino luce apparet immanitas belli. Quare Ecclesia, ancilla pacis Christi, cum tota familia gentium, quae est familia Dei, maxima sollicitudine adlaborare debet et vult, ut illa pax quae transcendit omne desiderium et omne opus huius mundi, fructum afferat etiam inter populos. Haec S. Synodus, respondens supplicibus vocibus undique ad se pervenientibus, omnes homines, omnes populos, et praesertim populorum Moderatores coram Deo adiurat ut, memores gravissimae responsabilitatis, unitis viribus, et ratione habita condicionis arduae et complexae, adlaborent ad pacem stabiliendam:

1) Pax stabilitur mutua amicitia mutuoque auxilio, efficaciter agnita solidarietate quae regere debet familiam populorum. Non est vera pax, si bella, ob paritatem virium, terrore potius quam germano spiritu cooperatio-

nis et concordiae removentur. Ideo diiudicanda sunt tamquem paci contraria [53] ea omnia quae iniuste dividunt potius quam uniunt animos et imprimis verba, doctrinae aut actiones quae odium, contemptum, vindictam aut infundatam suspicionem contra aliquam nationem vel stirpem, ac etiam exaggeratam aestimationem propriae gentis et studia nimiae potestatis assequendae disseminant. Violentiae eius modi quae oriri possunt sive e ducibus scelestis dominii extendendi cupidis, sive e populis qui propriam libertatem vel digni- [54] tatem tueri intendunt, minime, removebuntur solis declarationibus neque etiam Institutionibus, quantumvis bene ordinatis. Ad quam violentiam cohibendam, limitandam, moderandam, omnino necessaria est constans vigilantia, cura conatusque omnium tum moderatorum civitatum, tum civium pro sua quisque responsabilitate, tum praesertim Institutionum ordinis internationalis, ita ut gravissima violentiae consectaria rationi appareant prorsus contraria ac difficiliora immo impossibilia. Propterea omnes et praecipue illi qui in opinione publica influxum exercent loqui debent quae pacis sunt, promovendo mutuam aestimationem inter nationes, virtutes aliarum nationum libenter extollendo, ac de defectibus nonnisi aequo animo loquendo.

2) Controversiae quae forte inter populos oriuntur, non vi et armis sed pactis et conventis dirimendae sunt. Quamvis exhaustis omnibus pacifice tractationis mediis, non illicitum esse possit iura iniuste impedita vi et coactione defendere, usus tamen armorum, praesertim nuclearium, quorum effectus nullo modo praevideri ac proinde ab hominibus rationabiliter temperari non possunt, excedit omnem iustam proportionem ac propterea tanquam scelestissimus coram Deo et hominibus iudicandus est. Omnes proinde conatus honesti faciendi sunt, ut non solum bellum nucleare ab omnibus nationibus et coetibus sollemniter proscribatur tamquam immane crimen, sed etiam ut arma nuclearia vel alia id genus vis destructiva omnino tollantur et supprimantur.

3) Cum vero terrifica delendi vis, quae cum bellicis instrumentis in dies magis coniungitur, calamitates horrendarum ruinarum in toto orbe terrarum afferre valeat, et cum progressus technici, communicationes ac instituta ad lites pacifice componendas in dies magis efficaciam habeant, semper magis alienum fit a ratione, bellum iam aptum esse ad violata iura sarcienda.[11]

Propterea S. Synodus gravibus verbis ut damnum exitiale cunctae familiae humanae illatum denuntiat ac reprehendit effrenum cursum ad arma apparanda; quae res veram pacem, concordiam fiduciamque inter nationes laedit et prohibet, magnamque hominum partem et divitiarum in discrimen vitae et ruinae adducit. Civitatum Moderatores instanter monentur grave suum officium esse, ut gentes ab hoc ruinae discrimine liberent per conventiones, quae iustam pacem efficaciter confirment, ac simul allaborent ut ex animis deponantur hostilitates, odia et diffidentiae. Eligenda sunt media meliora ad bella praecavenda et conflictationes pacifice tollendas; inter huiusmodi media recensentur cohaerens progressus in organizatione communitatis mundialis inter nationes, quae omnes vere sint liberae, et auctoritas internationalis, quae

[54] gaudeat instrumentis necessariis ad bellum vitandum et pacem promovendam, ita ut vere condiciones praeparentur, in quibus bellum quodcumque iam non possit amplius ut medium legitimum considerari, etiam ad defensionem sui iuris.

4) Meminerint autem omnes nemini licitum esse dare et exequi mandata quae evidenter legi Dei adversentur, ut sunt occisio innocentium et
[55] tormenta captivorum. Ubi autem violatio legis Dei non manifesto pateat, praesumptio iuris auctoritati competenti agnoscenda est, eiusque iussium est parendum. Illi ergo qui iussa impertiunt et rei publicae politicam rationem moderantur, atque media etiam ad eius tuitionem statuunt ut aggressiones forte evenientes propulsentur, multo magis obligatione adstringuntur summa cum prudentia decernendi et secundum legem moralem agendi. Insuper in hodiernis adiunctis sat conveniens videtur ut leges eos respiciant, qui, vel propter testimonium lenitatis christianae vel propter reverentiam quamdam erga vitam humanam, ex conscientia servitium militare in bello recusent.

5) In bello gerendo, observandae sunt regulae humanitatis quae a naturali iure oriuntur ac definitae sunt pactis conventis internationalibus; hae sunt praesertim: servare neutralitatem nationum; parcere vitae militum sauciorum et captivorum; integros servare inermes cives; gentium deportationes et castra ad captivos compellendos et occidendos destinata prohibere; reos non apprehendere neque damnare indicta causa. Denique existimanda sunt tanquam intrinsece perversa media quae, etiam ad propriam defensionem, ad hoc pertinent, ut adversarius in sua persona psychologica vel morali vel spirituali destruatur, ope tormentorum corpori vel animo adhibitorum.

6) Cum autem, armis bellorumque mediis in dies progredientibus, quaestiones magis magisque arduae oriantur, et in his rerum adiunctis magis quam anteactis temporibus intersit recte determinare quaenam bona afferat pax et quaenam pericula bellum, peropportunum videtur ut theologi illique omnes qui similes disciplinas excolunt, has quaestiones altius perscrutare satagant, ut aptae tandem solutiones, fidelibus imprimis atque etiam omnibus hominibus bonae voluntatis, indicentur, qui persaepe in huiusmodi rebus decernendis gravi anxietudine afficiuntur.

C) Missio Ecclesiae et christianorum

13. [*Missio Ecclesiae erga Communitatem Internationalem*]. Ecclesia vi suae missionis divinae praedicandi Evangelium omni creaturae et elargiendi thesauros supernae gratiae, pacem ubique terrarum promovere studet atque unica solida fundamenta consortii pacifici populorum, agnitionem nempe legis divinae et naturalis, omnes docet: quapropter, quod attinet ad Communitatem Internationalem, hodie magis magisque sese efformantem, Ecclesia suae vocationi universali fidelis, proprio munere fungi et ut « Mater et Magistra gentium » proprium locum habere et implere debet. Sic in tam arduis vicissitudinibus hodiernis populorum, et doctrina et actione partes sibi a di-

vino Magistro concreditas plene exercere valebit, et ad pacem aedificandam [55]
ab omnibus hominibus bonae voluntatis praeeuntibus luce veritatis et igne caritatis praestantissimum auxilium praebebit.

14. [*De praesentia activa Ecclesiae in Communitate Internationali*]. Ad fovendam ergo et stimulandam cooperationem inter omnes homines bonae voluntatis in sinu Communitatis gentium firmetur in ea et extendatur prae-
sentia Ecclesiae tam per suas Institutiones officiales, quam per plenam coope- [56]
rationem omnium christianorum, directam vel indirectam, collectivam vel individualem. Insuper continuetur et augeatur actio omnium inceptorum, quibus caritas Ecclesiae in tot campis et inde a tot saeculis verum et integrum progressum fovet et promovet. Cura specialis impendatur ut munus, educandae iuventutis et formandi homines cuiusvis aetatis impleatur, extendatur ac magis magisque perficiatur, quippe quod, si plene et apte oblatur, praecipuum locum in progressu generali obtineat.

15. [*De partibus christianorum in Institutionibus internationalibus*]. Exhortatur S. Synodus ut christiani singuli in Communitate gentium plene suas partes assumant. Quod efficacius contingit, si ipsi primum, de responsabilitate sua conscii, influxum iam in campo nationali exerceant, ita ut gens sua cum Communitate internationali plene cooperetur. Laudandi sunt praeterea omnes illi christiani qui, spiritu caritatis roborati et in suo quisque navitatis campo peritia pollentes, labori cooperationis internationalis tum publico cum privato directe intersunt.

Excellentior forma cooperationis internationalis profecto ea est quam christiani praestant in consociationibus ordinis internationalis necnon in Institutis ad cooperationem internationalem fovendam creatis vel creandis. Valde laudanda sunt ergo tentamina huiusmodi quae, inde ab aliquot annis existunt et sat bonos fructus afferunt. Optandum est ut, auxilio et participatione totius populi christiani, tales consociationes necnon Instituta roborentur, subsidiis necessariis ditentur, moderatione plene efficaci fruantur, et aptius usque coordinentur et roborentur. Catholici viri ad munus suum adimplendum, ne recusent collaborationem sive fratrum christianorum seiunctorum, qui caritatem evangelicam profiteantur, sive hominum bonae voluntatis, qui principiis legis naturalis adhaereant et, ut haec in rem deducantur, omnibus viribus dant operam.

Conclusio

Cum ordo internationalis nondum plene constitutum sit, atque ob condicionem vitae humanae in gravibus difficultatibus et periculis semper versetur, christifideles, qui pacem ut quoddam supernum donum acceperunt, impensam dare operam ne intermittant, ut hic ordo perfectior usque evadat, atque ad pacem in universo terrarum orbe restaurandam et firmiter stabiliendam feliciter conducat.

[57]

NOTAE

[1] PIUS XII, Exhortatio Apostolica *Conflictatio bonorum,* 11 febr. 1949: *A.A.S.,* 41 (1949), pp. 59-60: « Experientia et usu hoc verissime constat homines non sentire se invicem fratres, nisi ii sentiant se omnes eodem prognatos esse Patre. Dempta reverentia Summo legifero et iudici Numinis fas et nefas nuda sunt verba ».

Item PIUS XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: *A.A.S.,* 31 (1939), p. 428: « Si hanc iure ac reapse datam totius humani generis unitatem intente consideramus, non seiuncti nobis singuli cives, quasi arenarum grana, videntur, sed inter se potius apto compositoque ordine ac mutua variaque ob temporum diversitatem necessitudine congregati ex naturali ac superna impulsione destinationeque. Et cum gentes ad humaniorem cultum evehantur, et pro rerum vitaeque condicionibus inter se dissimiles fiant, non idcirco debent humanae familiae unitatem infringere, sed eamdem potius familiam, suis ipsarum communitatis dotibus animique ornamentis, itemque mutuo illo bonorum commercio quod tum solummodo efficienterque haberi potest, cum vivida ac flagrans caritas omnes eiusdem Patris filios omnesque eodem divino cruore redemptos homines fraterno foedere coagmentat ».

[2] Huius muneris actualitatem hodie nemo est qui non videat, cum discrepantias in campis sociali, oeconomico et culturali inter gentes divites et gentes pauperes omnes prae oculis habeant et cum vix sit aliquis qui nesciat legitimam autonomiam politicam gentium, si autonomiae oeconomico-sociali non consociatur, suum valorem non consequi et ad pacem universalem servandam magis obesse quam prodesse. Ad quod adiungitur quod status nonnullarum gentium, et quidem maximo numero incolarum dotarum non tantum immerita paupertate sed quasi absoluta miseria signetur ». Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 440.

[3] IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: « Porro in quovis humano convictu, quem bene compositum et commodum esse velimus, illud principium pro fundamento ponendum est, omnes homines personae induere proprietatem; hoc est, naturam esse, intelligentia et voluntatis libertate praeditam; atque adeo ipsum per se iura et officia habere a sua ipsius natura directo et una simul profluentia. Quae propterea, ut generalia et inviolabilia sunt; ita mancipari nullo modo possunt ».

[4] PIUS XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: *A.A.S.,* 31 (1939), p. 433: « Quisquis rem publicam quasi finem considerat, ad quem omnia confluant, cuique omnia obtemperent, facere is non potest quin mansuris verique nominis nationum incrementis noceat, officiat. Quod profecto contingit, sive infinitus eiusmodi dominatus ex nationis, vel populi, vel ex alicuius civium ordinis mandato, rei publicae attribuatur, sive ipsamet eandem imperandi rationem sibi sumat civitas, utpote dominatrix absolutissima, nulli prorsus obnoxia ».

[5] PIUS XII, Nuntius Radiophonicus, die 1 iunii 1941: *A.A.S.,* 33 (1941), p. 103: « Più di una volta è inevitabile che alcune famiglie di qua o di là emigrando si cerchino altrove una nuova patria. Allora secondo l'insegnamento della *Rerum Novarum,* va rispettato il diritto della famiglia ad uno spazio vitale. Dove questo accadrà l'emigrazione raggiungerà il suo scopo naturale, che spesso convalida l'esperienza, vogliamo dire la distribuzione più favorevole degli uomini sulla

superficie terrestre, acconcia a colonie di agricoltori; superficie che Dio creò e preparò per uso di tutti ». [58]

[6] IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53 (1961), p. 431: « Rerum temporumque progressio magis magisque illud ostendit, ad iustitiae aequitatisque normas revocandas esse non solum necessitudines inter opifices et moderatores societatum bonis pariendis, verum etiam rationes, quibus inter se coniungantur oportet simul varia rerum oeconomicarum genera, variaeque regiones aliae aliter ditatae, in una eademque natione; simul in universa hominum communitate, plures variaeque nationes, quae in rebus oeconomicis et socialibus non uno modo profecerunt ».

[7] IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53 (1961), pp. 442-443: « Civitates in re oeconomica progressae illud nominatim caveant necesse est, ne civitatibus egentioribus praestantes operam, eo spectent, ut publicarum rerum statum in suam ibi vertant utilitatem, in exsequendumque dominandi consilium... Magna igitur necessitas itemque iustitia postulant, ut quae civitates cum ad artes tum ad negotia provehenda operam conferant, eadem, quovis posthabito dominandi consilio, ita nationibus parum in re oeconomica progressis conferant, ut hae possint aliquando in rationibus qua oeconomicis qua socialibus per se ipsae proficere ».

[8] Commissioni peropportunum visum est ut ad momentum istius subiecti attentio Patrum abtrahatur. Certum est etenim praesentem statum incrementi populationis humanae causam inquietudinis et incertitudinis pro nonnullis gentibus, maxime inter pauperrimas mundi, constituere. Cum iam progressus artis medicinalis mortalitatem inter infantes ad infimum numerum reduxerit, populatio multarum nationum modo usque adhuc incognito de die in diem crescit, ita ut duplicatio populationis in sat brevi tempore aliquibus in locis eveniat. Bene notum est intensam actionem ex parte multorum vigere ut tali incremento drasticus finis imponatur: quae actio iam hunc exitum habuit ut in aliquibus gentibus legislationes de reducenda prole introductae sint, quae legislationes quasi numquam de recta norma morali hac in re servanda rationem tenent. Insuper semper intensior fit pressio ut in campo internationali omnimodae actiones huiusmodi via officiali promoveantur. Contra omnes illos conatus Ecclesia catholica quasi sola se opposuit et saepe cum pleno successo: attamen a populo christiano valde desideratur ut clare et firmiter ab Ecclesia statuantur normae quae, cum exigentiis divini iuris plene consonantes, aptae sint ad difficultates omnimodas e tali incremento populationis humanae ortas solvendas. Propterea Commissioni melius visum est textum sat completum de hac re proponere et non ad alia capita (v. g. De matrimonio) simpliciter referre: ita in quaestione sat complexa sed maximae urgentiae quasi maiora elementa doctrinalia et pastoralia simul praebentur.

[9] Cf. Allocutiones PII XII dierum 29 oct. 1951 necnon 26 nov. eiusdem anni.

[10] Mota est in Commissione quaestio de aetate matrimonii quae cum isto problemate nonnullas connexiones habeat. Plures senserunt materiam esse dignam considerationis sed hic proprium locum suum non habere. Etiam de polygamia relate ad hoc thema dictum est, sed cum apud peritos de connexione inter polygamiam et incrementum demographicum non constet, melius visum est de hoc nihil dicere in textu.

[11] IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*, Pars III: « Magis magisque

[59] nostris temporibus hominum animos persuasio pervasit, controversias, quae forte inter populos oriantur, non armis, sed pactis et conventis dirimendas esse. Persuasio haec, fatemur quidem, plerumque a terrifica delendi vi, quae cum hodiernis bellicis instrumentis coniuncta est, atque a timore calamitatum et horrendarum ruinarum, quas arma id genus ederent, initium ducit. Quare aetate hac nostra, quae vi atomica gloriatur, alienum est a ratione bellum iam aptum esse ad violata iura sarcienda ».

Pius XII, Alloc. II qui XVI Conventui Officiali Internationalis inquisitionis de medicina inter milites exercenda interfuerunt, 19 oct. 1953: *A.A.S.*, 45 (1953), pp. 748-749: « La bonne volonté réciproque permet toujours d'éviter la guerre comme ultime moyen de régler les différents entre les Etats. (...) Que l'on punisse sur le plan international toute guerre, qui n'est pas exigée par la nécessité absolue de se défendre contre une injustice très grave atteignant la communauté, lorsqu'on ne peut l'empêcher par d'autres moyens et qu'il faut le faire cependant, sous peine d'accorder libre champ dans les relations internationales à la violence brutale et au manque de conscience. Il ne suffit donc pas d'avoir à se défendre contre n'importe quelle injustice pour utiliser la méthode violente de la guerre. Lorsque les dommages entraînés par celle-ci ne sont pas comparables à ceux de l' "injustice tolérée", on peut avoir l'obligation de "subir l'injustice" ».

4 – DIRECTIONES PRO FUTURA ELABORATIONE TEXTUS *

In mente habitis animadversionibus quae iam ad Subcommissionem pervenerunt a quibusdam Patribus et Peritis, Subcommissio ipsa, in sua coadunatione, diebus 10-12 Septembris, Romae habita, nonnulla criteria iam sibi proposuit pro textu denuo elaborando, dum interim alias animadversiones vel scripto vel per disceptationem in Aula pervenient expectat:

1) Quoad stylum et modum procedendi: maior claritas in expressione et in processu idearum requirenda erit et etiam nonnumquam breviatio facienda, speciatim trium priorum capitum; repetitiones inutiles vitandae erunt.

2) Inde ab initio Schematis clariori modo loquendum erit, sive de obiecto ipsius Schematis, sive de relationibus cum materia in aliis Schematibus Conciliaribus pertractata.

3) Clarificatio fiat de sensu theologico quo « mundus » intelligitur in Schemate; de relationibus inter Ecclesiam et mundum; de distinctione et mutua habitudine inter ordinem Creationis et ordinem Redemptionis; de notione et valore signorum temporum.

---

* Hoc folium Patribus distributum fuit in congregatione generali 82, die 17 septembris 1964.

4) Cap. 2° et 3° ita immutanda erunt, ut in Capite 2° potius agatur de Ecclesia in toto sumpta, relate ad vitam humanam et ad opus civilisationis, et consequenter de speciali munere Hierarchiae; dum, in Capite 3°, de muneribus singulorum Christifidelium sub aspectu generali agatur, antequam, in Capite 4°, ad singula quaedam principaliora problemata huius nostri temporis transitus fiat.

Omnia autem haec non sub aspectu stricte doctrinali, quod ad hoc Schema non pertinet, sed in relatione ad hodiernam mundi situationem.

5 – Em.mus P. D. FERDINANDUS card. CENTO

Introductio

Venerabiles Patres,

Nomine etiam Eminentissimi Domini Cardinalis Ottaviani, honori mihi duco huic generali Congregationi Concilii Oecumenici Vaticani II schema offerre « De Ecclesia in mundo huius temporis », cuius elaboratio, ab Eminentissimis Moderatoribus, Commissioni Mixtae, quae ex membris et peritis utriusque Theologicae ac De Apostolatu Laicorum Commissionis, concredita est.

Commissio haec Mixta, in plenaria sua sessione, Subcommissionem cum munere apparandi textum constituit, ex membris et peritis efformatam perinsignibus, sive acie ingenii, sive divitia scientiarum, quae sibimet Praesidentem elegit Excellentissimum Dominum Aemilium Guano, Episcopum Liburnensem, qui relator schematis erit, Secretarium vero Reverendissimum Patrem Bernardum Haering, e Congregatione SS. Redemptoris. Relatio vero adprobata fuit a Sodalibus Commissionis Mixtae, tribus tantum exceptis.

Schema ipsum, Venerabiles Patres, trepidanti animo subicitur examini vestro, incoeptum nostrum enim reapse formidandae gravitatis necnon responsabilitatis existimavimus ac de facto est: expectationem nullum aliud insuper neque aequalem, neque universaliorem suscitavit.

Colloquium illud prorsus, seu « dialogum », inire intendit cum hominibus huius temporis, de quo tam alta edixerunt et Summus Pontifex Paulus VI, in primis Litteris Encyclicis *Ecclesiam Suam,* et iam pridem Ioannes Papa XXIII, sanctae memoriae, qui, pregnanti expressione illa: « Ecclesia Christi, lumen gentium » usus est, quacum visionem quodammodo generalem Concilii ab eo inditi prospiciebat.

Nostri schematis paginas fidelem echum esse confidimus vocis Ecclesiae Catholicae, quae, tribus in sessionibus huius amplissimi consessus, funditus seipsam introspexit et adhuc introspicit, ad hoc ut, iuxta Regnantis Pontificis in citatis Litteris Encyclicis dicta, « ipsa de se, de veritatis thesauro, cuius heres et custos constituta est, ac de munere his in terris sibi demandato, clariorem plenioremque conscientiam adipisci contendat ».

Porro his ultimis volventibus annis, a tempore scilicet in quo haec Sacra Synodus celebrari coepta est, supernaturalem quamdam eamque abundantiorem ac vividiorem lympham, ut ita dicam, in venis suis Ecclesia circumfluere persensit. Conscia profecto est se nullimode senescentem neque, sit venia verbo, « anchilosatum » organismum esse, sed perenni e contra iuvenili agilitate praeditum, ideo quia in ipsa vivit Divinus Fundator, qui « heri et hodie, Ipse et in saecula » (*Hebr.* 13, 8).

Scit itidem ac sentit Mater nostra se posse ac debere nuntium suum exhibere huic mundo, qui tanto moerore et amaritudine afficitur, qui acerbas nimis ac tragicas vicissitudines passus est, in quem iugiter incumbit terror apocalypticae conflagrationis, cui, uno verbo, tot ac tam gravia imponuntur problemata.

Et, cum sibi persuasum sit « omnium difficultatum solutionem Christum esse », supra omnium humanarum stirpium politicarumque partium divisionem sese elevans, ...[1] Illius verbum ut resonet percupit, quia, prout categorice primus Petrus affirmavit: « non est in aliquo alio salus » (*Act.* 4, 12).

Attamen praecise ob onerosum hoc nobis commissum officium, dum vobis, Venerabiles Patres, summam patefacimus diuturnarum nostrarum meditationum ac discussionum, anxia quadam dubitatione noster percutitur animus.

Num nobis datum fuit necne, ex una parte, intima penetralia hodiernae humanitatis pertingere, eius desiderata dignoscere ac optata interpretari? Et, alia ex parte, etsi non exhaustive, sufficienter tamen fiduciae in nobis repositae respondere, propositiones ac solutiones nostras immensitati necessitatum et remediorum quae mundus exigit coaequare licuit, ita ut, post tanta certamina, felix tandem ac permanens inter universas gentes aequilibrium regnare incipiat?

Vestrum est, Venerabiles Patres, responsum dare.

In laboribus nostris perficiendis impigras impendimus *voluntates*[2] et operam: hoc nobis, ad vestram benevolentiam comparandam, satis esto.

De imperfectionibus, insufficientiis ac lacunis, ne miremini, sereno animo considerantes gravitatem ponderis nostri.

Ceterum, laetissimi erimus, si studiosa iudicia vestra et sapientes vestrae animadversiones ad schema ulterius perficiendum ita conferre valeant ut tandem ipsum ad universitatem hominum mitti possit, sive christiani sint, sive non, sive credentes sive athei, tamquam firmae spei nuntium de futuro feliciori tempore parando, in quo, Deo misericorditer opitulante, non amplius ius violentiae, sed vis iuris dominetur, non odium sed amor, non bellum sed auspicatissima in aevum pax Christi in Regno Christi!

In oratione: [1] Ecclesia. [2] voluntatem.

6 – Exc.mus P. D. AEMILIUS GUANO
Episcopus Liburnensis

RELATIO

Venerabiles et dilectissimi Patres et Fratres,

Velitis benigne quae sequuntur audire, ut mens pateat Commissionis, quae hoc schema vobis proponit...[1]

I - *De urgentibus rationibus ex quibus huius schematis propositio orta est*

1. Dum nos, Episcopi ...[2] ex toto orbe terrarum, huc voce divina coadunati, renovationi Ecclesiae incumbimus, ut impleatur consilium Dei de mundo; homines, fratres nostri, in hac ipsa Urbe Roma, in patria uniuscuiusque nostrum, per totum denique orbem, suas prosequuntur vias: vias scilicet hodiernae civilisationis, de qua iure meritoque pluribus sub aspectibus gloriantur, eodem tamen tempore de pane quotidiano et de sua dignitate, de pace et unitate mundi anxii. Iam vero saepe de Ecclesia ipsi homines curam non habere videntur, erga eam indifferentes si non inimicos sese praebent; alia autem ex parte eam magis magisque praesentem animadvertunt; magis magisque, animo benevolo aut non, Ecclesiam humanis rebus permixtam perspiciunt; sentiunt eam, *etsi nonnisi ex sua saeculari experientia, sed praesertim quia aliquid praeter et ultra humanum Ecclesia prae se fert,*[3] aliquod verbum non parvi momenti de rebus, quae ipsorum quam maxime intersunt, proferre posse.

2. Proinde, dum plurimi indifferentes et muti manent, multi tamen homines hodie ad Ecclesiam animum vertunt, ipsam interrogant, ab ipsa

anxie expectant ut dicat quid ipsa de homine sentiat, de temporum nostrorum cultura et civilisatione, de eorum sollicitudinibus et studio; scire cupiunt utrum Ecclesia operam suam praestare velit et *possit* [4] ad mundi spem adimplendam.

3. Haec interrogatio et expectatio cum renovatione consonat, qua christiani ultimis his temporibus magis magisque conscii facti sunt mysterii Ecclesiae, et ad quam ...[5] prosequendam Summus Pontifex et Pater amatissimus Paulus VI nos instanter Encyclicis Litteris *Ecclesiam Suam* invitavit.

4. Hac renovatione ducti, christiani, inter alia, clarius in dies perspiciunt Ecclesiam numquam posse, praesertim autem his nostris diebus, in semetipsa clausam manere tamquam in arce, ab aliis separatam et ad hoc solum intentam ut suos valores suaque membra defendat. Sicut enim Dominus eius venit in mundum et habitavit in nobis, humanitatis nostrae particeps factus ut divinitatis suae nos consortes efficeret, — similiter Ecclesia se scit in mundo viventem, vitam hominum participantem ut ipsis vitam Dei communicet, ex hominibus propter homines constitutam.

5. Hoc Summus Pontifex nervose expressit initio huius sessionis: « Inter Christum et hominum societatem Ecclesia media consistit, mimine contenta sui, minime quasi opacum quiddam visum impediens, minime sibi ipsi finis, sed contra idcirco constanter sollicita, ut tota sit Christi, in Christo, pro Christo, ut tota sit hominum, inter homines, pro hominibus ».

6. *Ecclesia magis hodie conscia fit mundi cui immersa est, mundi hodierni eiusque mirae evolutionis, necnon valorum qui ei proprii sunt; ast etiam periculorum, quae ei minantur, sollicitudinum et problematum, quibus vexatur; mundi huius, qui Ecclesiam vel negligit et ignorat, vel aspicit et expectat.*

7. *Hoc sane prae oculis habendum est*: *mundus de quo agitur et illis constituitur hominibus qui extra Ecclesiam sunt, et iis qui intra eam vivunt, qui ergo eodem tempore ad Ecclesiam et ad mundum pertinent.*[6]

8. Hoc inter grandia munera Ecclesiae nostri temporis specialiter urgere videtur: ut Ecclesia suam vivat vitam summa fidelitate versus omnia quae Dominus eius ei concredidit, simul autem, ex illa ipsa fidelitate, conscio respectu hominis imbuta, tota in eo sit, ut homines, eorumque reales condiciones, difficultates, problemata vigili animo comprehendat; semper prompta, ut eis occurrat. Ecclesia cupit homines alloqui, interrogantibus respondere, animos eorum qui longe et indifferentes manent attingere et suscitare.

9. Ipsum Concilium Vaticanum II est signum et vehiculum huius dialogi inter Ecclesiam et homines, cuius progressui sine dubio plurimum contulit Papa Ioannes XXIII piissimae memoriae; qui occursus tamen iam per plures annos pullulabat, quique caeteroquin numquam totaliter deerat, alias Ecclesia non iam extitisset. *Magnae hac in re sunt expectationes quoad Concilium, quas decipere non licet.*[7]

II - *Quid sibi velit hoc schema*

10. Ex attenta consideratione harum necessitatum harumque expectationum, inde a prima sessione Concilii poscebatur, ut tale schema conficeretur.

11. Liceat differentiam, immo novitatem, significare huius schematis, si cum aliis constitutionibus conciliaribus comparetur.

12. Non agitur enim de proclamando christifidelibus vel mundo quid Ecclesia de Revelatione divina vel de se ipsa sentiat, quid in genere et theoretice de mundo et de propriis relationibus ad mundum; neque directe agitur de mediis, quibus vita eius interior corroboretur vel quomodo praedicatio, catechesis, vita sacramentalis et liturgica digniores et efficaciores reddantur. Ab his quaestionibus, in aliis constitutionibus iam tractatis vel tractandis, in hoc schemate logice transitus fit ad res et problemata, quae maxime animos hodie movent. Agitur enim de semper magis promovendo colloquio cum omnibus hominibus, ut homines de eorum mente et de eorum condicionibus et problematibus audiantur, et ut vicissim ipsi norint ...[8] quae sit mens Ecclesiae circa significantiores condiciones et directiones (*orientamenti*) et circa maiora problemata nostri temporis; quonam sensu et quonam modo Ecclesia processus huius temporis partem habeat, quid christiani contribuere valeant et debeant solutioni grandium problematum, quae hominibus in hac hora historiae ponuntur.

13. Ne ansa ...[9] praebeatur erroris vel falsae interpretationis, clare apparere debet, Ecclesiam loqui de his omnibus nonnisi in luce ei propria, inquantum scilicet referuntur ad suam propriam missionem, nempe Christum annuntiare, homines ad Deum per Christum reducere. *Quamvis enim finis huius schematis non sit proponere doctrinam generalem et theoreticam de relationibus mutuis inter Ecclesiam et mundum, lux tamen Evangelii de ista mutua relatione in schemate semper prae oculis habenda erit.*[10]

14. Quod tandem ad stylum et linguam attinet, ad hoc tendendum est, ut maxime accommodata sint modo sentiendi et loquendi hominum nostri temporis, quin diminuatur puritas et plenitudo nuntii evangelici.

15. *Hoc est munus, sane arduum, quod Commissioni mixtae (constanti scilicet ex Commissione doctrinali et ex Commissione de Apostolatu Laicorum) concreditum est. Ipsa suum servitium Concilio obtulit et nunc denuo offert.*[11]

III - Difficultates [12]

16. Difficultates concipiendi et componendi hoc schema paene eamdem originem eamdemque rationem habent ac urgens eius utilitas. Prima difficultas oritur ex ipsa complexitate problematis doctrinalis quoad relationes inter Ecclesiam et mundum, *at simul ex multiplici sensu quorundam verborum, praesertim autem conceptus « mundus ». Accedit quod argumenta ipsa sumi et considerari possunt sub diversis aspectibus et visionibus theologicis.*[13]

17. Difficile insuper est invenire iustum aequilibrium inter revocationem *grandium principiorum Evangelii — qua certe nos carere non posse videmur — et descriptionem* [14] et enodationem praesentium condicionum, *quae in luce horum principiorum tractandae sunt.*[15]

18. Alia ex parte difficile est in lucem ponere condiciones vitae et tendentias, quae maxime typicae sunt pro nostro tempore, quin indulgeatur expositioni casuisticae nimis particulari, vel ...[16] descriptio restringatur ad phaenomena nimis generica. Nec deest periculum insistendi in aspectibus situationis actualis, qui forsitan citissime obsoleti erunt.

19. Difficultas etiam ex hoc oritur, quod multi nimis expectant ab hoc schemate, ac si responsum ad omnia problemata in promptu habere debeat. Utique verbum, quod reapse viam demonstret et iustis expectationibus mundi respondeat, dici debet, sed honestas, humilitas, discretio limites agnoscunt et servant quae ab ipsa rerum natura et a circumstantiis historicis ponuntur.

20. Tandem non parvam parat difficultatem modus loquendi. *Utique omnibus perspicuum est sensum Constitutionis finaliter non communicari posse omnibus hominibus, nisi episcopi et clerus et, praesertim hac in re, laici, qui bono Ecclesiae et mundi speciali modo sese devovent, suam partem assumant in eius praesentatione et explicatione. Nihilosecius stylus et lingua huius documenti tales esse debent, ut homines contemporanei extraneum ipsum non sentiant, etsi Constitutio loquatur sub supernaturali luce Evangelii, quae experientiam eorum simul penetrat et excedit.*

21. *Aequum erit prae oculis habere aliam quoque difficultatem practicam et etiam psychologicam in componendo hoc schemate adfuisse: alia schemata, quae Patribus transmissa sunt, maturescere potuerunt labore Commissionum antepraeparatoriarum, praeparatoriarum et, inde*

ab initio Concilii, Commissionum conciliarium, necnon meditatione Patrum; pro hoc autem schemate labores initium sumpserunt nonnisi post primam sessionem Concilii.[17]

IV - *Historia schematis*

22. *Historia huius schematis enarratur in Relatione, quae habetur in Appendice textus pp. 39-41.* Pauca addenda sunt.*

23. *Versus finem Sessionis Commissionis Mixtae habitae diebus 4-6 mensis iunii plures novi Periti, praesertim ex Commissione doctrinali, ad laborem pro hoc schemate adsciti sunt, et reapse ipsi speciali cura et studio collaboraverunt in emendatione textus. Ipsi partem habuerunt in sessione Subcommissionis Centralis diebus 10-12 mensis septembris habita, in qua primae animadversiones Patrum Concilii et Peritorum consideratae et plures emendationes propositae sunt. Post statutum illius sessionis Patribus in Aula distributa sunt folia ** cum delineamentis aliquarum emendationum textus schematis.*[18]

...[19] 24. Nec omnino omittendum est laboris sive Subcommissionis Centralis, sive aliarum Subcommissionum quae Annexa exaraverunt, partem habuisse plures laicos, *cuius*[20] scientiam et prudentiam placet hic recolere.

V - *De praecipuis animadversionibus quae iam pervenerunt*

25. *a) Sunt qui putant praemissa theologica totaliter delenda esse, vel saltem ad minimum reducenda; alii e contrario iudicant sufficere solummodo principia communiora doctrinae Ecclesiae de mundo proponere, quin verbum habeatur de condicionibus concretis mundi hodierni.*

— Commissio inclinata est in talem revisionem, qua, una ex parte, praemissa theologica ex doctrina Evangelii desumpta melius in lucem ponantur, ea brevius nervosiusque exprimendo, altera ex parte relatio horum principiorum cum hodierno rerum statu magis eluceat.

Mens vero Commissionis est quod non sit possibile negligere situationem concretam, nam proprius scopus huius schematis est delineare relationes doctrinae Ecclesiae ad praesentem rerum statum. Sed una aliave omitti possunt, ita ut ea quae maioris et significantioris momenti esse videntur dilucidius et fortius exprimantur.

26. *b) Aliquae propositiones particulares doctrinas theologicas extollerent, si reciperentur. E contrario ab aliis quaeritur an non textus ipse Commissionis doctrinas particulares alicuius scholae theologicae nimium sapiat.*

---

* *Cf. pp. 143-145.*
** *Cf. pp. 200-201.*

— *Commissio non intendit proponere doctrinam particularem alicuius scholae theologicae. Itaque textus ad trutinam revocetur, ut obiurgationes huius generis effugiat, si forsitan aliquod fundamentum habent.*

27. *c*) *Secundum aliquos textus magis attendere deberet ad requisita quae ex lege naturali oriuntur; alii autem textui proposito obiiciunt quod non semper sufficienter in lucem ponit ea quae Verbi Dei Revelatione afferuntur.*

— *Ambae animadversiones considerationis dignae sunt. Duplici petitioni Commissio satisfacere conabitur, ita ut aequilibrium et synthesis aptiora evadant.*

28. *d*) *Attendatur oportet et aliis quibusdam punctis quae in animadversionibus in lucem ponuntur.*

A pluribus petitur quod explicationes afferantur de usu vocis « mundus »; simul accuratior elucidatio quaeritur de sensu theologico « signorum temporum ».

Alii putant theologicum dicendi modum magis doctrinalem adhibendum esse, quin nimiis exhortationibus indulgeatur.

Magis sensui historiae et notioni progressus attendatur.

« Signa temporum » ne nimis sub aspectu europaeo et occidentali considerentur, universaliori aspectu aliquantulum neglecto.

29. *e*) *Quoad formam litterariam, adhuc insudandum erit, ut textus attente recognoscatur, speciatim in his quae ad tria prima capitula pertinent, ut progressus logicus idearum magis appareat; facilior verborum consecutio evadat; in breviorem formam textus contrahatur, repetitiones praesertim vitando; attente corrigatur dicendi modus, ita ut facile intelligatur ab hominibus nostri temporis, quin ullo modo authentica doctrina Ecclesiae minus clara evadat.*

30. *Animadversiones particulares de sequentibus quaestionibus agunt: quomodo Ecclesia responsum det quaestionibus urgentioribus quae hodie ponuntur; de matrimonio et familia; de privilegiis Ecclesiae; de confusione aliqua Ecclesiam inter et Hierarchiam; de necessaria distinctione afferenda inter relationes quas habet Ecclesia cum societate et civilisatione in genere et relationes quas habet cum potestate civili.*[21]

VI - *Quaedam perspectivae quae in componendo schemate prae oculis habitae sunt:*

a) Quoad « mundum ».

31. Agitur de universo et hominum familia in sua unitate et diversitate.

In mente habeamus aspectus diversos quibus mundus considerari potest: 1) ut creatus scilicet a Deo; 2) ut in peccato positus; 3) ut salvatus et sanctificatus a Christo, et in gemitu expectationis exsistens. Atqui hi aspectus certe inter se distinguuntur, sed de facto, existentialiter, ut ita dicamus, intermixti sunt.

32. *Quando vero de mundo in hoc schemate loquimur, profundiori interpretatione theologica vocis omissa, loqui intendimus praeprimis de integro universo et familia humana, qua in terris degit ut finem suum attingat secundum consilium praefinitum a Deo.*

33. *Adhuc notandum est quod in mundo elementa et momenta inveniuntur, quae, quanquam ordinentur ad ordinem supernaturalem, indolem tamen et leges proprias habent. De hoc terreno rerum ordine directe in hoc schemate agitur.*[22]

34. Semper mundus in se fert signum praesentiae et amoris Dei, sed etiam, proh dolor, signa negationis Dei; *quin etiam homines saepe a Deo absentes quasi Deum repellunt et eius praesentiae agnitionem difficiliorem reddunt. Unoquoque autem momento historiae haec signa notam peculiarem accipiunt.*[23]

35. In mundo hodierno, tam rapida evolutione signato, facta et spirituum motus intricatissima et etiam contradictoria permiscentur: agnitio dignitatis personae humanae quamplurimum expectatur, dum sensus communitatis magis magisque probatur, et pax in una familia populorum summopere desideratur, necessitatem Dei vel saltem alicuius absoluti homines experiuntur; sed insimul ipsi a seipsis et a Deo fugiunt ...[24] exaequatione (*livellamento*) multitudinis et collectivismi, quaestu commoditatis vitae mere materialis, indifferentismo, atheismo practico vel etiam aperte declarato, nihilismo.

b) Ecclesia relate ad mundum.

36. *Ex natura sua Ecclesia in mundo praesens adest et vivit, sicut Christus, in seipsa reapse mundum fert; ex altera autem parte aliquomodo a mundo distinguitur et separatur, quatenus nonnisi in spiritu paupertatis, abnegationis, humilitatis Ecclesia implet missionem suam in mundo.*[25]

37. Ad hoc schema non pertinet de relatione intricatissima inter Ecclesiam et mundum disserere; sed necessario in memoriam revocandum est quod Ecclesia diligit mundum, Patrem imitata, qui « sic dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret ».

38. Ratione ergo huius amoris divini, Ecclesia de mundo curat, *de mundo qui prae se fert signa et praesentiam Dei, signa quoque et praesentiam peccati; qui est mundus hominum qui, quamvis peccatores, fratres Christi tamen sunt, filii Dei.*[26]

39. *Hac dilectione divina Ecclesia*[27] amat omnes res positivas huius mundi, peccatum damnat, mundum liberare intendit a peccato, omnesque res ad Deum ordinare.

40. *Inde praesentia Ecclesiae in mundo non est aliqua exaequatio Ecclesiae ad res mundi. E contrario per suam praesentiam Ecclesia mundum elevat eumque Deo offert.*

41. *Propter hoc ipsa petit ut a mundo audiatur, ita ut homines vigiles sint et ad spiritualia attendant. Propter hoc Ecclesia homines audire expetit, quia vox eorum est vox filiorum, immo saepe vox quoque Dei; Ecclesia indiget hac voce, ut homines bene intelligat, in ipsa ditescat experientiis eorum, atque eas Deo offerat.*[28]

42. Clare autem dicendum est, quod quando in hoc schemate, verbum habetur de Ecclesia, non solum agitur de hierarchia sed de toto populo Dei. *Evidentissime, in quaestionibus quae hic tractantur laici propriam partem et responsabilitatem maximi momenti habent, sicuti propriam partem habet hierarchia, uti patet.*[29]

VII - *Ordo schematis*

43. *Aliquid etiam de titulo dicendum est.*

Titulus qui nunc proponitur, est sat amplus et forsitan plus dicit quam id quod Constitutio intendit. Aliunde non omnibus omnino placet. Etiam de hac quaestione propositiones Patrum expectantur.

44. *Prooemium enunciat quid schema sibi velit, ad quos dirigatur, et in quo lumine omnia considerentur, nempe in luce Christi.*[30]

Caput I.

45. Quidnam Ecclesia cogitat de homine, eiusque fine et vocatione? Quomodo et qua via homo finem suum attingit? In hanc quaestionem centralem de homine, quae semper maximi momenti manet, confluunt problemata *humana*[31] nostri temporis. Ecclesia, a Magistro suo instructa, scit homini condicionem terrestrem *pertinere*[32] et munera terrestria ei concredita esse; altera autem ex parte eum divinitus vocari, ut participet ipsam vitam divinam; scit Ecclesia hos duos aspectus non sibi opponi nec se invicem excludere, sed potius profunda harmonia et unitate connecti in ipsa unitate humanae personae et vocationis, in illa unitate quae summam perfectionem attinet in unitate personae et vocationis christianae.

46. At, proh dolor, peccatum hominem devellit ab amicitia Dei, maleficum influxum exercendo in totum hominem et per eum in mundum circumiacentem.

Propter hoc homo indiget Christo Salvatore mundi.

47. *Hae quaestiones ob triplicem praeprimis rationem in I capite tractantur*:

1° *quaestio de mundo huius temporis est essentialiter quaestio de homine;*

2° *securius in capitibus sequentibus distinctio inter religiosam missionem competentiamque Ecclesiae et realitates competentiasque societatum temporalium inculcari potest, si prius homo in unitate suae personae apparet, qui totus Dei dominio subest et totus amicitiae cum Deo destinatur;* [33]

3° agitur ...[34] de principalioribus quaestionibus, quae a materialismo, praesertim a materialismo dialectico seu communismo atheistico moventur (quin obliviscatur atheismum non reduci ad atheismum communisticum); problemata sic tractantur, ut illa systemata modo constructivo per sensum et vitam christianam superentur, et ut ipsi christiani immunes et fortes reddantur.

Capita II et III.

48. *Ecclesia, populus Dei et Corpus Christi mysticum, mundo intime et multiplicibus relationibus coniungitur. Ipsa destinata est hominum servitio ad salutem aeternam, quo insuper includitur servitium quod ipsa reddit ad dignitatem et bonum hominis in provincia etiam rerum terrestrium fovenda.*

49. *Ecclesia iuvatur a mundo, id est Ecclesia suo modo participat experientias et culturam hominum et quidquid validum inest vitae humanae. Sine tali participatione Ecclesia nec esset, quod est; nec posset implere suam missionem versus eos, quos ad Deum conducere debet.*[35]

50. Hic suum locum habent sive munus et habitus (*atteggiamento*) Pastorum *inquantum praesunt Ecclesiae,*[36] sive munus et habitus omnium christifidelium, praesertim laicorum, *inquantum referuntur ad mundum et sunt in mundo*; [37] hic in lucem ponuntur principales condiciones colloquendi cum mundo *et occurrendi mundo modo christiano.*

51. *Secundum animadversiones iam receptas forsitan in reelaboratione maiore subtilitate et cura tractanda est prius relatio totius populi Dei ad mundum et dein Pastorum et omnium christifidelium singillatim et in communitatibus.*[38]

Caput IV.

52. *Tria priora capita voluerunt proponere imaginem quodammodo generalem doctrinae Ecclesiae « in mundo et non de hoc mundo », etsi semper sub aspectu interrogationum et condicionum mundi huius temporis.*[39] In IV capite vero in specie tractantur urgentiora themata et pro-

blemata, quae hominibus hodie imponuntur et ad quae ipsi verbum illuminans ab Ecclesia expectant, dum Ecclesia ex sua parte obligationem sentit *hac de re loquendi.*[40]

53. *In hac generali relatione non videtur agendum esse de ratione et momento singulorum thematum. Quae themata in mentem revocare liceat. Agitur:* [41]

1) (in n. 20) de persona humana eiusque dignitate et vita in societate;

2) (in n. 21) de matrimonio et familia;

3) (in n. 22) de cultura;

4) (in n. 23) de vita oeconomica et sociali;

5) (in n. 24) de solidarietate familiae populorum;

6) (in n. 25) de pace.

Singula puncta respondent singulis Annexis. De his continuo verbum fiet. Puncta tamen 5) et 6) in uno Annexo simul tractantur.[42]

54. Liceat nunc breviter de Annexis rationem reddere.

Annexa fuerunt prima redactio schematis elaborata a specialibus Subcommissionibus mixtis, quae hoc mandatum habuerant a Commissione mixta plenaria.

Quando autem alia brevior redactio schematis decreta est, Subcommissionibus mandatum est suum laborem pergere, cuius fructus adiumentum esset ad schema ipsum.[43]

Tandem Commissio mixta plenaria in sua coadunatione die 13 huius mensis habita, iterans ea quae iam in sessionibus praecedentibus statuerat, praesertim mense iunio praeterito, haec declaravit et edixit:

a) Annexa prouti iacent exarata sunt, de mandato ipsius Commissionis, a Subcommissionibus mixtis pro unoquoque Annexo statutis;

b) ipsa Annexa sub responsabilitate uniuscuiusque Subcommissionis prostant;

c) Annexa non proponuntur discussioni et deliberationi Concilii;

d) sed a Commissione Patribus praebentur tamquam adiumenta (instrumenta laboris) pro studio nostri schematis;

e) Commissio iterum sibi proponit quod iam in votis fuerat, scilicet de textu Annexorum, quando fieri poterit, disserere et deliberare.

Patres proinde enixe rogantur, ut, quin de iis in aula disputent, suas animadversiones, etiam quod Annexa, scripto dent.*

---

* In Annexis ipsis, verba « Sancta Synodus declarat » vel his similia, quae aliquando occurrunt, e textu expungenda sunt. Haec, sicuti forsan alia pauca, sunt reliquiae ex primitiva redactione quae inadvertentia (*per forza d'inerzia,* ut quidam in Commissione dixit) remanserunt. Parcere velint Patres.

* * *

55. Textus, quem vobis, Patres Conciliares, exhibemus certe nec ipsis nostris desideriis plene satisfacit; sperantur numerosae emendationes et ulteriores progressus, et quoad efficaciorem expositionem theologicam, et quoad universaliorem perscrutationem et iudicium signorum temporum, et quoad ...[44] intellegibilitatem claritatemque styli et linguae. Difficultates, de quibus supra locuti sumus, redactionem textus sat arduam fecerunt.

56. His non obstantibus, nobis videtur retinenda esse et generatim argumenta ac structuram quae proponuntur, et spiritum quo totum schema animatur; propterea textum servire posse ut basim discussionis conciliaris. In hoc sensu Commissio mixta approbavit textum, et Commissio pro coordinandis laboribus censuit eum Congregationi generali proponendum esse. Hoc proinde Schema vestro iudicio proponimus ...[45]; insistenter tamen rogantes, ut ipsum amplae discussioni subiciatur, quae, defectibus corrigendis minime parcendo, in spiritu constructivo exhibeat propositiones et emendationes, et ita textus, Deo favente, finaliter instrumentum efficax fiat occursus et dialogi inter Ecclesiam et homines huius temporis.

57. Omnibus compertum est hanc Constitutionem, a multis, intra Ecclesiam et extra Ecclesiam, erecta expectatione exoptari. Plures episcopi, plures laici, immo etiam plures homines qui extranei sunt rebus Ecclesiae hoc patefecerunt. Forsitan nimis expectatur.

Nobis autem non licet hanc spem et expectationem effugere.

Spiritus Patris et Filii, Matre Christi et nostra intercedente, nobis abundanter lucem et amorem infundat, ut, Dei consilium assequentes, fraterno consilio *et dilectione*[46] collaborantes, fratribus nostris occurramus.

In oratione: [1] Ne timeatis, Patres: non omnia legentur quae in his foliis prostant. Parcatis tamen si aliquantulum lectio protrahenda erit, ita ut mereamini ut adhuc de vobis dicatur: patientissimi Patres! [2] et Conciliares. [3] deest. [4] valeat. [5] renovationem. [6] deest. [7] deest. [8] — bene attendatis, hic est scopus constitutionis —, ut homines norint. [9] autem. [10] dum eodem tempore Ecclesia agnoscit in unico consilio divino valores et leges proprias ordinis, ut dicunt, naturalis, et sic facilius cum omnibus hominibus etiam non credentibus colloquium promovere valet. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] doctrinae. [15] deest. [16] quin. [17] deest. [18] deest. [19] Rogantur Patres ut ipsam legant in Appendice textus, pag. 39-41. Sinite unum addatur. [20] quorum. [21] Transeamus ad pag. 10, in medio. [22] deest. [23] deest. [24] et alienantur. [25] deest. [26] deest. [27] deest. [28] deest.

[29] deest. [30] deest. [31] deest. [32] insitam esse. [33] deest. [34] hic. [35] deest. [36] deest. [37] deest. [38] deest. [39] deest. [40] suam mentem proferre. [41] deest. [42] deest. [43] deest. [44] brevitatem. [45] — nos ipsi approbamus evidenter —. [46] deest.

Moderator: Gratias maximas agimus em.mo et exc.mo relatoribus pro copiosa relatione atque omnibus commissionis competentis membris et peritis etiam laicis, qui in hoc schemate prae ceteris difficili et momentoso praeparando strenue sudaverunt et laboraverunt.

Nunc loquatur exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationis praeliminaris circa schema *de Ecclesiis Orientalibus*:

Suffragati sunt Patres	2.180
Dixerunt *placet*	1.911
non placet	265
placet iuxta modum	1
Et suffragia nulla	3

Ergo transitus fieri potest ad singula puncta suffraganda, quod fiet crastina; et puncta, Patres venerabiles, sunt haec: (videatis ipsum decretum *De Ecclesiis Orientalibus*): I, suffragatio fiet circa n. 1, nempe circa prooemium; II, fiet super titulo *de ecclesiis particularibus*; III, super titulo *de spirituali Ecclesiarum Orientalium patrimonio servando*; IV, *de patriarchis orientalibus*; V, *de disciplina Sacramentorum*; VI, *de cultu divino*; VII et ultima, *de conversatione ecclesiastica cum fratribus separatis*.

Hae suffragationes, Patres amplissimi, fient per triplicem formulam, nempe *placet, non placet, placet iuxta modum*. Ergo rogamini vehementer ut iam paretis modos, si forte hac ratione suffragari velitis. Gratias.

Moderator: Incipere velit disceptationem de schemate, modo proposito, em.mus D. card. Achilles Liénart, ep. Insulensis in Gallia.

PATRUM ORATIONES
(*De Ecclesia in mundo huius temporis*)

4

EM.MUS P. D. ACHILLES CARD. LIÉNART
Episcopus Insulensis

Venerabiles et carissimi Fratres,

Gratias primum offeram commissioni conciliari quae elaboravit schema *de Ecclesia in mundo huius temporis.* Agebatur de quaestione nunquam adhuc in sua plenitudine ex professo tractata; de qua et christiani et non christiani aeque Ecclesiam saepe saepius interrogant. Successit autem in coadunando, in paucis paginis, omnia fere elementa essentialia huius auxilii quod afferre potest et debet Ecclesia mundo in quo vivit, optimamque de his synthesim praebendo in capitulis secundo, tertio et quarto.

Mihi tamen videntur duo esse corrigenda, si velimus quod ultra christianos ad quos immediate dirigitur, hoc schema exspectationi mundi respondeat viamque praebeat dialogo cum ipso, iuxta votum a Summo Pontifice Paulo VI tam aperte expressum in sua Encyclica *Ecclesiam suam.*

Oporteret primo ut generalis forma recognoscatur. Praebetur enim schema per modum continuae exhortationis. Mundus autem aliud vult ac homiliam. Scire vult quid de ipso sentiat Ecclesia, utrum illum magni habeat an despiciat; scire etiam utrum modo efficaci illum adiuvare valeat ad solvenda problemata illa humana gravia, urgentiori quidem modo occurrentia huic generationi, in media evolutione positae. Exspectat *plenam* [1] et apertam expositionem nostrorum principiorum ut sic iudicare valeat utrum possit Ecclesia sibi alicuius utilitatis esse, an ipsam pure ac simpliciter praetermittere debeat.

Oporteret etiam secundo ut melius distinguatur ordo naturalis ab ordine supernaturali.

Sane in Dei proposito inseparabiliter uniuntur, et homo supra dignitatem creaturae rationalis ad gloriam filiorum Dei elevatus, in Christo Iesu, Verbo Dei incarnato, ad plenitudinem adducitur. Attamen gratia non tollit naturam sed perficit, neque ordinis supernaturalis existentia ordinem naturalem extinguit. Uterque opus Dei est et proprium valorem servat, ita ut distincte de ordine naturali disserere liceat. Textus

autem schematis continuo ab uno in alterum transit. Quod si ad hoc assueti sunt christiani, non ita est de mundo.

Vita autem hominum inter medias terrenas realitates inseritur; in creationis regno sese evolvit, in quo pulcherrimos reportat triumphos, sed et constantes curas agnoscit: triumphum scientiae ac technicae, quae hominem magis ac magis dominum universi quotidie efficiunt, ac de ipso maximam opinionem recte ingerunt; curas vero quotidianas, pro se et familia sua, semper in procinctu positis cum fame, bello, sociali iniustitia, nationalibus ac internationalibus tensionibus.

Magni ergo momenti est ut in schemate isto, statim nosmetipsos in gradu illo naturali ponentes, dicamus mundo quomodo dignitatem hominis probe agnoscimus, quomodo legitimas omnino suas ambitiones approbamus, immo et suo labori adesse cupimus, in dominiis scientiae ac technicae, utpote Dei intentioni conformes qui creaturae suae rationali plenum contulit regimen mundi huius creati. « Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum »...[2]

Quin ideo intendat Concilium completum tractatum de anthropologia edere, multa tamen dicere habet, non quasi opinionem opportunam proponens, sed ut doctrinam a Deo per revelationem acceptam: de hominis nempe natura ac valore, de sua libertate ac personali dignitate; de consistentia huius mundi visibilis in quo stat et de eius propria finalitate, ad quam prosequendam aptis praeditus est homo mediis ac facultatibus, sub propria sua responsabilitate excolendis.

Omnia haec agnoscit et docet Ecclesia. Et cum mutua aestimatio prima sit conditio dialogi ineundi, ideo non superfluum erit hanc doctrinam explicite exponere in prima parte cap. I « De integra hominis vocatione ».

Non tamen inde oblivisci possumus quod ...[3] mundus totus in peccato ...[4] est, et redemptione indiget ...[5]. Quapropter mundo secum quaerenti quomodo sibi possit Ecclesia auxilium praebere, dicemus, sicut in sequentibus tribus capitulis optime factum est, quomodo peccato remedium praebendo, eo ipso tum per doctrinam suam et Dei gratiam, tum per filiorum suorum actuositatem, remedium efficax affert passionibus humanis, quae progressui iustitiae et pacis inter homines tam vehementer optato semper obstant. Elevando enim hominem ad dignitatem filii Dei, Ecclesia eum magis hominem reddit, et ad vocationem suam integram, naturalem et supernaturalem, feliciter ducit, redemptioni universae creationis simul cooperans quia, iuxta apostoli verba, « et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriae filiorum Dei »...[6]

Commissioni conciliari, pro prooemio et primo capitulo textum in scriptis transmisi hac mente conceptum, votumque emitto quod ad novam redactionem faciendam inservire valeat. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] planam. [2] (*Ps.* 8, v. 6). [3] si quotidie in Missa doceat nos liturgia dicere: « Deus qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti », statim addit: « et mirabilius reformasti ». [4] vel in maligno. [5] Et hoc peculiari modo perspicuum est in ordine morali in quo praecipue homo implicatur. [6] (*Rom.* 8, 21).

5

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Venerabiles Fratres,

Non dubium est quin schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* illud esse quod spem fundamentalem Concilii Vaticani II secumfert. Ideoque, esto affirmatio optima, perlucida sincerissimaque de positione quam Ecclesia ut sua videt in hoc saeculo. In textu praesenti praeparando, commissio admirabile egit. Textus non debilitandus est. Opus nostrum est providere quamdam qualitatem seu modum expressionis omnino clare significantem quod hoc schema docet. Est rededicatio publica, solemnis et officialis — simulque simplex, candida et humilis — catholicae Ecclesiae ad humanitatis servitium. Propositum habet clare proponendi omnibus hominibus ubique ut, sicut Dominus noster, nosmetipsos semper in ministerio eorum videamus. Desiderium habemus ut in dialogum ineamus, ut audiamus et audiamur, ut rogemur exponere, etiam repraesentare, sententias nostras. Imprimis optamus ut sinamur auxilium ita ferre toti generi humano ut omnes in vitam abundantiorem afferri possint.

Ad gloriam perpetuam Concilii Vaticani II stat ut iam hactenus progreditur in declarando aperte animadversiones eius de dono libertatis quod Deus conscientiam cuiusque hominis largitur. Item signum candoris huic Concilio propriae est pignus libertatis quod datum est exegetibus prudentibus ut assequerentur intelligentiam verissimam Verbi Dei.

Recte et iuste in praesenti schemate omnes fideles ita vocantur ad plenam maturitatem filiorum Dei ut in spiritu caritatis dialogum seu colloquium prosequantur cum omnibus hominibus bonae voluntatis.

Peropportune in n. 14 agitur de officio a pastoribus Ecclesiae reliquisque fidelibus exercendo in explorandis gressibus versus finem perfectum caritatis in iustitia et iustitiae in caritate. Certo certius, in novis difficillimisque quaestionibus, cum normae directivae ab auctoritate ecclesiastica propositae desunt, fideles agere debent, ipsi propria responsabilitate consilium capere audentes secundum praeceptum suae conscientiae, ducti prudentia christiana.

Attamen, in omnibus dialogis, absint « liberiores spiritus, invidae obtrectiones, contumacia et arrogantia quae ab ea prorsus dissident caritate, quae nimirum in Ecclesia mutuam coniunctionem, concordiam ac pacem alit fovetque ». Unum est dicere nos non habere solutionem definitivam pro omnibus problematibus humanis; aliud est carentia illa in seipsa accipere ut solutio positiva et operativa.

Quare, valde optandum est ut verba Sancti Patris Pauli VI in fine litterarum encyclicarum *Ecclesiam suam* de necessitate virtutis oboedientiae includantur in schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis*. Essentialis condicio cuiusvis dialogi a parte christifidelium est spiritus virtusque oboedientiae erga potestatem quae in Ecclesia « a Christo est constituta, ipsius vice fungitur, est eius verbi veluti publicum instrumentum, tantique Pastoris repraesentat amorem ». Valde necessarium mihi videtur, et filiorum Ecclesiae et omnium fratrum nostrorum gratia, ut substantiam significationemque filialis oboedientiae christianae, liberrime datae, explicemus. Saepe saepius aliquibus videtur ut Ecclesia catholica maxime foveat oboedientiam mere iudicialem, indeliberatam ac fundatam, fortasse, in auctoritarianismo immoderato. Oboedientia christiana cum libertate christifidelium perfecte consonat et ordinatur ad efficientiam ministerii nostri servitutis humano generi.

Omnes nos, cum Sancto Patre, « cupimus vehementer, ut colloquium illud, quod iamdiu in ipso Ecclesiae gremio seritur, novo ardore inflammetur, nova sumat argumenta tractanda, novos evocet colloquentes; ut videlicet vigor et sanctimonia augeantur mystici Corporis Christi, hisce in terris viventis » ...[1]. Opus nostrum hoc in schemate ad hunc dialogum salutiferum fovendum erit magis efficax si modo vere pastorali agemus de necessitate tum virtutis oboedientiae tum spiritus verae libertatis christianae in omnibus fidelibus qui in spiritu caritatis humilitatisque in hunc dialogum venient.

Schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* cogitationes spemque nostram suppliciter in futurum remotum dirigat. Videmus non necessarium esse ut Concilium tractare conetur adamussim omne aspectum colloquii Ecclesiae cum mundo huius saeculi. Quod est necessarium, tamen, est ut Concilium et hoc schema qualitatem colloquii huius ver-

bis lucidis aperte manifestent. In memoriam veniunt verba praeclara Pii Papae XII, allocuta abhinc annis viginti: « Palpitat caritas supernaturalis pro animarum salute, pro salute eorum aeterna, pro sanctificatione eorum desuper; sed etiam pro caritate universali quae, ex parte nostri, omnes fratres nostros amplectenda est: Fratres nostri sunt omnes per orbem terrarum sine condicione reservationeque ulla »...[2]

Est *praeclara* [3] haec caritas, hic spiritus, hoc ministerium amoris erga omnes homines quod hoc schema in nobis omnibus instaurare proficiscitur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (Litt. Enc. *Ecclesiam suam*). [2] (To Retreatants in the Vatican, Dec. 5, 1942). [3] praecise.

Animadversiones scripto additae:

Hoc in schemate recte et iuste omnes fideles ita vocantur ad plenam maturitatem filiorum Dei ut in spiritu caritatis dialogum seu colloquium in mundo huius temporis prosequantur cum omnibus hominibus bonae voluntatis.

Optime in n. 14 dictum est de officio a pastoribus Ecclesiae reliquisque fidelibus exercendo in explorandis gressibus versus finem perfectum caritatis in iustitia et iustitiae in caritate. Certe certius, in novis difficillimisque quaestionibus, cum normae directivae ab auctoritate ecclesiastica propositae desunt, fideles agere debent, ipsi propria responsabilitate consilium capere audentes secundum praeceptum suae conscientiae, ducti prudentia christiana.

In omnibus dialogis, etiam quando aguntur de huiusmodi quaestionibus, absint « liberiores spiritus, invidae obtrectationes, contumacia et arrogantia quae ab ea prorsus dissident caritate, quae nimirum in Ecclesia mutuam coniunctionem, concordiam ac pacem alit fovetque ».

Essentialis condicio cuiusvis dialogi a parte christifidelium est spiritus virtusque oboedientiae erga potestatem quae in Ecclesia « a Christo est constituta, ipsius vice fungitur, est eius verbi veluti publicum instrumentum, tantique Pastoris repraesentat amorem ». Valde optandum est ut verba Sancti Patris Pauli VI in fine litterarum encyclicarum *Ecclesiam suam* de necessitate virtutis oboedientiae includantur in schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis*.

Omnes nos, cum Sancto Patre, « cupimus vehementer, ut colloquium illud, quod iamdiu in ipso Ecclesiae gremio seritur, novo ardore inflammetur, nova sumat argumenta tractanda, novos evocet colloquentes; ut videlicet vigor et sanctimonia augeantur mystici Corporis Christi, hisce in terris viventis ». Opus nostrum hoc in schemate ad hunc salutiferum dialogum fovendum erit magis efficax si modo vere pastorali agemus de necessitate et virtutis oboedientiae et spiritus verae libertatis christianae in omnibus fidelibus qui in spiritu caritatis humilitatisque in hunc dialogum venient.

6

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Venerabiles Patres,

Titulus qui schemati praesenti inscribitur magnum eiusdem momentum ostendit. Reapse pertractantur in eo quaestiones quae Ecclesiae ministerium seu missionem pro nostra aetate non parum illustrant; quapropter — quantum ex me est — meritam debitamque gratiam etiam ipse refero omnibus viris praeclaris qui satis negotii habuerunt in schemate conficiendo. At cum in relatione ...[1] dicatur adhuc insudandum esse, ut textus attente recognoscatur, mihi propono in istud novum opus aliquid humiliter conferre...[2]

I. Frequentes repetitiones, quae inveniuntur — ut relator ipse agnoscit — longius producunt sermonem. E. g. frequenter asseritur Iesum Christum esse lucem et Salvatorem mundi ...[3]; dignitas personae humanae septies celebratur ...[4] (etiamsi peculiare ornamentum emanans ex pretioso Christi Sanguine quo omnes homines redempti sunt taceatur); ter in prooemio et novies in cap. I memoratur *hominis vocatio* ...[5], quin unquam ea clare pleneque definiatur, immo non semper in eandem sententiam accipiatur. Nam discernitur hominis vocatio in universum ...[6] ab integra eiusdem vocatione ...[7], item hominum vocatio ...[8] distinguitur ab altiore vocatione, cuius participes facti sunt a Christo Iesu ...[9]; demum in pag. 18 ...[10] sermo est non de una, sed multiplici vocatione his verbis: « Meminerint homines in eligendo vitae genere omnem vocationem a Deo etiam intuitu proximi et communitatis fieri ».

Pluries declaratur cunctos homines unam familiam constituere et pluries succurrendum esse fratribus in egestate versantibus.
Porro continuo impugnatur iniustitia et commendatur iustitia, adeo ut in sesquipagina (*vel melius in pagina et dimidio* [11]) quinquies illa nomina oculis nostris occurrant.

Proinde schema speciem praesefert potius sermonis quam constitutionis conciliaris, quemadmodum ante me subtiliter animadvertit em.mus card. Liénart.

II. In schemate asseruntur sententiae quae aut non sunt rectae aut ipse non intellego. En pauca exempla:

1. In pag. 10, linn. 3-5, legimus: « Natura enim humana operum creationis visibilis fastigium, ad quod secundum Dei consilium intendebat terrae per innumeros annos evolutio etc. ». Quorsum haec verba

spectant? Natura humana dicitur, recte quidem, fastigium operum creationis visibilis; sed, perperam, adiicitur ad tale fastigium — ex Dei consilio — intendisse terrae per innumeros annos evolutionem. Potestne admitti, servata doctrina catholica, naturam humanam — ex Dei sane consilio — ortam esse per longam terrae evolutionem?

2. Deinde in pag. 15, linn. 27 ss., scriptum invenimus: « Mirum non est magisterium Ecclesiae in novis difficillimis quaestionibus, ubi agitur de applicatione principiorum doctrinae vigentis ad condiciones vitae mutatas non statim prompte habere responsa et solutiones. Quod si in his rerum adiunctis, cum normae directivae ab auctoritate Ecclesiastica propositae desunt, fideles tamen agere debent, ipsi *propria responsabilitate consilium capere audeant secundum praeceptum suae conscientiae, ducti prudentia christiana* ... ».

Ergo quod nescit interdum decernere Ecclesia, decernere possunt singuli fideles secundum praeceptum suae conscientiae!

Hoc principium dum dedecorat Ecclesiam, quae est Mater et Magistra a Christo nobis data, nimia auctoritas ad difficillimas quaestiones, in peculiaribus adiunctis, solvendas tribuitur iudicio ac intimo lumini cuiuscumque hominis; quod — ut mihi videtur — aliquomodo redolet falsum systema ethicum, nomine Ethicae Situationis, nuper vulgatum...[12]

Eadem, plus minusve perniciosa norma innuitur in pag. 24, linn. 27-36, ubi sermo est de familia et coniugum amore: « Mater Ecclesia — legimus — hortatur sponsos ne animo deficiant, si videantur ministri eius — *nempe Ecclesiae* [13] —, dum legem Dei inculcant, conflictus non solvere inter legem et difficultates concretas... Solutiones practicae multorum conflictuum partim iam apparent, partim adhuc sperari possunt ex subtiliore scientiarum pervestigatione ex rerum usu ».

Interea, si agendum est, unusquisque consilium capere debet a suo ipsius animo. Quod quidem, si aliquando recte intelligi possit, abusibus multis, prout in textu ponitur, facile causam praeberet, praesertim ad filiorum generationem quod attinet. De qua re, maximae sane gravitatis, ambigua et incerta sunt etiam verba quae habentur in pag. 29, linn. 18-27...[14]

Moderator: Em.me Domine, forsan haec singularia potius in discussione de particularibus dicenda essent.

Orator: Intelligo, sed ordo disputationis, disceptationis, solummodo auditus est hoc mane. Et nos iam praeparavimus disceptationem nostram. Propterea veniam peto; nescio quid referatur nunc ad schema in universum et ad singula puncta.

3. Pag. 9 ...[15]: « Labor quo homines terram sibi subiciunt » dicitur

« fons, etsi non unicus, perfectionis ipsius hominis ». Quod ut vere asseri possit, necesse est adiiciatur post vocabulum « perfectionis » vox « naturalis ». Perfectio enim, si christiana est, pertinet ad sanctitatem, cui sine dubio inservire potest etiam labor, quando cum Dei gratia et recta intentione efficitur, sed tantum ut adiumentum quoddam, non ut fons.

Deinde in pag. 23 ...[16]: familia christiana dicitur « imago et participatio foederis amoris Christi et Ecclesiae ». Id vero non congruit cum doctrina S. Pauli, qui in Epistula ad Ephesios ...[17] aperte monet foedus amoris quo Christus coniungitur cum Ecclesia significari non a familia christiana, sed a matrimonii sacramento, ex qua efficaci significatione ambae fluunt matrimonii christiani proprietates substantiales nimirum *unitas et indissolubilitas.*

4. Deinde in pag. 25 ...[18], de artis operibus legimus: « ... effingendo etiam opera artis, quibus profunda vitae humanae problemata magis animo pateant, et colendo *sensum pulchri,* homo securius servat libertatem ab illa servitute in quam incidit, qui sola utilia quaerit ». Cum ars hoc loco opportune commendetur, oportet omnino ut praeter *sensum pulchri,* non minus inculcetur probitatis seu honestatis observantia, quae hodie saepissime desideratur.

III. Opinor nonnulla omittenda esse, quia molesta et inopportuna.

1. E. g. pag. 14 ...[19], dicitur « Ecclesia simplici animo audire eos qui obiciunt peccata defectumque spiritus evangelici membrorum eius etc. ». Aegre plures Ecclesiae filii ferrent quod culpae ab aliquot malis fratribus contra hominum consortionem et familiam Dei patratae memorentur, cum vix attingantur opera, innumera et mirabilia, quae sacerdotes, religiosi, religiosae, nec non laici, caritate christiana perfusi, pro operariis, pro pauperibus, pro infirmis, pupillis, senibus ab initio Ecclesiae usque ad hunc diem in mundo universo largiti sunt et largiuntur.

Profecto veritatis limites non excederentur si affirmaretur instituta fere omnia in bonum generis humani, quibus cultus quoque civilis constat, nata esse in sinu Ecclesiae per Sanctos suos et ab ipsa, per fideles filios quos genuit, incrementa etiam nunc in dies accipere.

2. Huc accedit incauta — ut opinor — adhortatio quae in pag. 20 ...[20] reperitur. Ibi enim catholici monentur « ne Instituta peculiaria temporalia condant quoties satis constat cooperationem cum aliis hominibus bonae voluntatis fieri posse intra fines unius communis institutionis quae... saltem naturae legibus ducitur et singulorum de re religiosa ac morali libertatem veretur ». Perinde ac idem esset animos catholicorum qui excipiuntur formare in Instituto catholico et in Instituto etiam solis naturae legibus consentaneo, in quo libertas religiosa servetur!

Fateor me oecumenismo non repugnare; sed, quaeso, ne quid nimis!

IV. Demum missio praecipua Ecclesiae in hoc mundo, quae est in primis spiritualis, nempe salutiferi operis Christi continuatio, parum in schemate illustratur, dum maxime extollitur auxilium ab ipsa praebendum ut res vitae praesentis secundiores fiant.

Venerabiles Patres, finem faciens loquendi, proponere audeo ut schema funditus reficiatur et simul consideretur an melius sit colligere quae in schemate bona sunt et utilia eaque perficere optima hauriendo ex Litteris — de re sociali — Encyclicis et Apostolicis Summorum Pontificum, praesertim Leonis XIII, Pii XI, Pii XII, Ioannis XXIII et Pauli VI feliciter regnantis, ut obtineatur solemne documentum, quasi Concilii nostri conclusio pro omnibus terrae populis, unam familiam constituentibus; quibus iam nunc veritatem, iustitiam, libertatem toto corde simul adprecamur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (pag. 10). [2] Lego quae iam praeparaveram antequam ordo disceptationum a secretario generali annuntiaretur. [3] (pag. 6, lin. 34; pag. 9, linn. 11 et 14). [4] (pag. 13, lin. 15; pag. 21, linn. 9, 15 et 32; pag. 22, linn. 6 s. et 17; pag. 23, lin. 21). [5] (pag. 13, lin. 15; pag. 21, linn. 9, 15, 32; pag. 22, linn. 6 s. et 17; pag. 25, lin. 21). [6] (pag. 8, lin. 4). [7] (pag. 8, lin. 11). [8] (pag. 6, lin. 27). [9] (pag. 8, lin. 32). [10] (linn. 18-22). [11] (nn. 8-9). [12] (cf. S. S. C. S. Officii, Instructio 2 febr. 1952: *A.A.S.*, 44 [1952], pp. 270 s. et 413 s.). [13] deest. [14] « Quod autem ad numerum prolis attinet — ita textus schematis — ultimum iudicium ad ipsos solos coniuges spectat etc. ». [15] linn. 8 s. [16] linn. 22 s. [17] (5, 22-23). [18] (linn. 15-18). [19] linn. 15 ss. [20] linn. 1-6.

Moderator: Patres, qui in hac discussione loqui petiverunt, in mente habeant hanc discussionem de schemate in genere, quae abhinc iam diversis diebus fuit ut in genere annuntiata, in id tendere ut Patres mentem suam aperiant de accipiendo in genere pro ulteriori discussione, et propterea melius est omittere nunc singularia et singulares emendationes.

7

Em.mus P. D. IACOBUS card. LERCARO
Archiepiscopus Bononiensis

Venerabiles Patres et Fratres,

Interventio mea de hoc schemate globatim ...[1] est tantum praeiudicialis: nempe loquor pro necessitate disceptationis schematis faciendae profundiori modo, sine dilatione et sine nimia festinatione.

Arduus et tam diligens quam fructuosus fuit labor commissionis: tamen multae animadversiones et contradictiones a permultis Patribus praevideri possunt. Propterea opportunum censeo audientiae vestrae, venerabiles Fratres, quae sequuntur praebere.

1. Difficultates omnino singulares horum problematum nos deterrere non debent neque dissuadere hoc thema. Cui Concilium nostrum ab initio adstrictum est memorandis verbis Ioannis XXIII sanctae recordationis in allocutione inaugurali primae sessionis; quinimmo Concilium nostrum adstrictum est *huic themati* [2] nostro primo actu, i. e. nostro nuntio ad omnes homines. S. P. Paulus VI, feliciter regnans, obligationem solemniter novavit in inauguratione secundae sessionis et nuperrime in Encyclica *Ecclesiam suam*. Ideo schema necessario tractandum est.

2. Nunc ipsum *tractandum est,* [3] nempe in hac tertia sessione, tractatio incipienda est, sine dilatione. Schema istud saltem basim et lineamenta praebere potest, sufficientia ad stimulandas utiles interventiones nostras.

Ceterum si nos hodie textum ad commissionem festine remitteremus, sine congrua disceptatione, commissio — maximo studio non obstante — progressus substantiales facere non posset.

Experientia — in casu *ad exemplum* [4] constitutionis *de Ecclesia* et constitutionis *de revelatione* — nos docet, ut textus substantialiter progredi possit post multas commissionis elaborationes, necessariam esse disceptationem in congregatione generali.

...[5] Multa demonstrant disceptationes nostras plerumque fuisse proficuas, quin etiam *disceptationes* [6] in congregatione generali non tantum expolitiones singulas tulisse, sed saepe totius schematis rationem et altiora principia feliciter detexisse.

Pari modo de hoc textu — qui sane multa merita habet sed nondum speciem suam veriorem neque profundius aequilibrium inter oppositas tensiones invenit, sicut ipse exc.mus relator egregie dixit ...[7] — de hoc textu dico, plus quam de aliis magis doctrinalibus et minus historicis, necessaria est disceptatio generalis, in quam confluere possint experientiae et iudicia multorum Patrum, ex omnibus regionibus terrae, ex omnibus gentibus et culturis (ita ut, inter cetera, possit compensari ille prospectus potius europaeus et occidentalis quem relatio commissionis admittit tamquam periculum schematis).

3. Videtur tamen difficile — quasi impossibile — schematis novam elaborationem et finalem adprobationem in hac sessione fieri.

Commissio mixta quidem schema multum expolivit, nihilominus illud quandam acerbitatem adhuc sapit. Cum ad singulorum problema-

tum et capitum examen veniemus, facile videbimus schema hoc longioris elaborationis indigere ...[8]. In hoc schemate ...[9], permultae et mente et forma valde dissimiles erunt propositiones et necessaria erit ampla retractatio uniuscuiusque partis et globatim totius textus. Valde difficilis erit expensio interventionum quae profecto numerosae et forte dissonantes praevidentur: auderem dicere *dubitari posse num sufficiens sit* [10] tempus intercedens post hanc sessionem, si quarta sessio habebitur anno proximo.

Experientia enim iam demonstravit paucissimos esse menses utiles laboris in intervallo unius anni tantum. *Et* [11] manifestum est huius schematis tractationem tam necessariam esse quam sine nimia festinatione faciendam: aliqua, *uti dicant,*[12] decantatione opus habet.

4. Tandem cavendum est ne nos operam demus ad universalem exspectationem augendam huius schematis, quod — quamvis vero magni ponderis pro omnibus hominibus nostri temporis — iam (sicut ipsa relatio commissionis ...[13] concedit) « forsitan nimis exspectatur ».

In ephemeridibus et in omnium opinione magis magisque crescit quaedam spes nimis simplex, quasi exspectatio prodigii in virtute huius schematis: quae spes a nobis alenda et divulganda non est.

Etiamsi schema — sicut est in votis — maxime perficiatur, tamen sicut iure monet exc.mus relator ...[14], ob naturam ipsam materiae tractandae, « non deest periculum insistendi in aspectibus situationis, qui forsitan citissime obsoleti erunt ».

Praeterea non possumus neque credere neque sinere *ut credatur* [15] hoc schema esse maximam et validissimam responsionem Ecclesiae et illius egregissimum adiumentum mundo huius temporis.

Certe illud, sicut diximus, necessarium et perutile est, sed etiam amplius necessarium generationi nostrae est ut Ecclesia acquirat novam cognitionem sui ipsius (quod iam fecit in constitutione *de Ecclesia*) et ad effectum adducat suarum institutionum animosam reformationem (quod ...[16] Concilium nostrum hucusque tantum incepit et forsitan timide).

Atqui Sancta Synodus schema hoc aggrediens et hominibus proponens Ecclesiam uti lumen gentium, denuo se adstringit ad Ecclesiae renovationem internam efficaciorem et lucidiorem: quasi fidem et iusiurandum dat de illa reformatione morum et omnium ordinum et officiorum ecclesiasticorum quam *multi, inter quos et* [17] ego, *ominati sumus* [18] ac iam a fine primae sessionis, praecipue sub aspectu simplicitatis et paupertatis evangelicae.

Hoc imperiosa exigunt signa temporis quae in hoc schemate detegere et intelligere volumus...[19]

Itaque alia schemata quae adhuc discutienda vel retractanda sunt — i. e. schema ipsum de sacerdotibus, schema de seminariis, de religiosis, de missionibus et alia — tali spiritu vi et gravitate esse debebunt, ut ad effectum adducant illam Ecclesiae institutorum et methodorum renovationem, quam implicite sed solemniter hoc schemate spondemus. Tunc tantum Ecclesia erit lumen gentium. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] nunc. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] Contra censuras ab aliquibus factas. [6] disceptationem. [7] (pag. 7-8 relationis). [8] quam antea e. g. schema *de Ecclesia.* In constitutione dogmatica quaestio tantum erat circa quasdam enuntiationes praecisas et circa paucas optiones definitas. [9] contra. [10] nimis breve fore. [11] Itaque prudenter et mature cogitandum erit de Kalendario Concilii in futurum. Interea. [12] ut ita dicam. [13] pag. 15. [14] (pag. 8). [15] credi. [16] contra. [17] inter multos. [18] ominatus sum. [19] ipsa Concilio nostro indicant adhuc iter nec facile neque breve, demonstrant strictam relationem et cohaerentiam omnium partium nostri operis, proclamant mutuam necessariam connexionem omnium problematum *ad intra et ad extra* (uti dicam) quae Ecclesia hodie pari fortitudine et tempestivitate aggredi debet.

8

Em.mus P. D. PAULUS AEMILIUS card. LÉGER

Archiepiscopus Marianopolitanus

Venerabiles Patres,

Schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* placet in genere et nobis praebet optimum fundamentum pro fructuosa disceptatione in hac aula. Etenim pluria optima in schemate inveniuntur:

1. Materia schematis idonee distribuitur. ...[1] Primo formulantur principia potiora quae respiciunt ordinem vitae terrestris ad caelestem, postea illa principia ad urgentiores quaestiones particulares applicantur. Praeterea materia uniuscuiusque capitis mihi videtur sat clare definita et ab aliis distincta.

Quae perspicua distributio materiae mihi apparet summi momenti ut ordinate procedat discussio de amplissimo subiecto de quo agitur in schemate...[2]

2. In schemate praecipua tractantur themata terrestria circa quae hodie desideratur conscia implicatio christianorum et exspectantur declarationes Concilii. Etenim familia et matrimonium, cultura humana,

vita oeconomica et socialis, solidarietas populorum in pace provinciae sunt maiores ubi operatur hodierna mutatio humanitatis. Ibi ideo requiritur christianorum praesentia secundum Evangelium Christi. Mihi ergo non videtur possibile unam vel aliam ex illis quaestionibus excludere a munere doctrinali et pastorali Concilii. Circa illas quaestiones, non exclusis illis de familia et pace, occasionem habeant Patres Concilii exprimendi — uno vel alio modo — quid sentiunt, quid desiderant. Agitur enim de gravioribus problematibus quae homines et singulariter fideles et pastores perturbant. Sine dubio pastoralis experientia Patrum multum conferre poterit ad illas quaestiones recte ponendas et illuminandas.

3. In schemate opportune manifestatur cura procedendi a realitate mundi hodierni. Etenim « signa temporum » nostrae considerationi proponuntur non tantum ut homines eorumque necessitates melius cognoscantur, sed etiam ut per illa signa ipsius Dei vox et voluntas detegantur.

Ut autem modus ille procedendi adhuc plenius observetur, nonne consentaneum et opportunum esset ut ipsa disceptatio in aula *procedatur* [3] a descriptione factorum de unoquoque subiecto exposito in cap. IV? Credo propositionem iam factam esse in illo sensu: nempe ut quidam periti, viri vel mulieres, facta ostendant de fame in mundo, de familia, de pace ...[4]. Si schema nostrum respondere vult quaestionibus hodierni temporis, nonne oportet sensum et statum quaestionum ab his qui inter res profanas vivunt primum audire?

4. Steriles damnationes vitando, schema sinceram benevolentiam hominibus manifestat, modo positivo mundi problemata respicit et sic sola lingua utitur quae audiri possit.

Cum autem problemata in schemate agitata difficultates non parvas praebent, nil mirandum doctrinam propositam compleri et perfici debere. Modo peculiari desidero ut textus adhuc clarius et plenius relationes indicet inter vocationem caelestem et vocationem terrestrem. Vellem etiam ut fortius affirmentur requisita legis evangelicae in rebus profanis.

Oportet ut fidelibus appareat opus aedificationis mundi peculiari titulo opus esse christianorum, cum in ipso Christo condita sunt universa et omnia in ipso constant ...[5]. Clare etiam eis pateat necessariam eorum sollicitudinem de terrestribus operibus radicandam esse in spiritu ipsius Evangelii. Si renovationem vere christianam promovere volumus aperte affirmare debemus praesentiam christianorum in mundo esse quid requisitum ab eorum fide in Christo et conformari debere cum omnibus Evangelii exigentiis. Scopum primum habet renovatio a Con-

cilio proposita christianorum conversionem, nempe pleniorem cognitionem Evangelii et maiorem fidelitatem mandatis Christi. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Proceditur enim a generalioribus ad particularia. [2] Ut autem disceptatio de cap. IV adhuc fructuosior sit, propono ut discussio de illo capite fiat in sex partes secundum numerum argumentorum quae in eo examini subiiciuntur. [3] praecedatur. [4] etc. [5] (*Col.* 1, 16-17).

9

EM.MUS P. D. IULIUS CARD. DÖPFNER
Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis

Venerabiles et dilectissimi Patres et Fratres,

Nomine 83 Patrum linguae germanicae et scandiae licet proferre sequentia.[1]

I. Placet, quod in Concilio de materia huius schematis ...[2] discussio habeatur, *ex rationibus quas iam diversimode audivimus.*[3]

II. Placet etiam schema propositum ut basis discussionis.

1. Nam spiritus, quo exaratum est, plene correspondet illi spiritui, quo constitutio *de Ecclesia* imbuitur. Quod occasione plurium aliorum thematum in hoc Concilio tractatorum dictum est, eo vel magis hic valet et valere debet: Ecclesia *passus audaces quidem, sed felices facit in explenda sua missione in nostris temporibus.*[4]

2. Praeterea schema praeiacens non solum agit de dialogo illo ...[5] sed ...[6] eundem ipsum, ut ita dicam, ingreditur. Etenim quaestiones ponit, quae hodie homines revera premunt; lingua uti conatur, *etsi in multis perficienda,*[7] quae etiam ab illis, qui in terminologia theologorum minus versati sunt, intelligi potest...[8]

Quapropter approbo textum schematis ut basim discussionis.

III. Non negare velimus textum schematis in aliquibus punctis adhuc esse sat imperfectum, *ut iam Relator dixit in genere et quoad particularia. Nolo repetere quae iam audivimus. Hoc tantum adiungere velim*[9]:

In tractandis certis quibusdam quaestionibus ulteriores distinctiones et discretiones adhuc applicari debent, e. g. in tractanda relatione Ecclesiae ad auctoritatem civilem; vel in loquendo de spiritu paupertatis; vel in describenda ratione catholicorum sese consociandi cum aliis. Haec et similia ita enuntianda *sunt,*[10] ut non falsae interpretationi submitti vel abusive in praxim deduci possint.

...[11] Quaerendum adhuc mihi videtur, an illorum magnorum proble-

matum, quae ponit atheismus modernus in omnibus suis formis, praesertim *autem* [12] in forma materialismi dialectici, in nostro schemate sufficienter ratio habita sit. *Inveniendus est locus ubi hoc profusius et distinctius fiat.*[13]

Sed [14] propter hos defectus neminem *vituperare possumus* [15]; nam bene *scimus* [16] theologiam quae de his quaestionibus tractat non tam diu esse iam elaboratam, quam e. g. theologia Ecclesiae vel episcopatus. *Insuper schema nostrum quodammodo ortum est et gradatim crescebat ex labore ipso et fructibus Concilii nostri. Et nunc* [17] certe sperare licet fore ut *Patres et theologi* [18] cum primum labor in *aliis fundamentalibus* [19] schematibus perfectus erit, sua peritia magis adhuc cooperabuntur ad difficiles quaestiones theologicas nostri schematis profundius enucleandas.

Iam audivimus quanti momenti, praesertim in hoc nostro schemate, sit discussio inter Patres, hic in aula.[20]

IV. Fortasse aliqui Patres obicient: Quaedam themata esse inopportuna, quae publice in Concilio tractentur, vel creare pericula haud parva, ut puta quaestiones spinosas de responsabilitate coniugum in familia, ...[21] vel de pace in mundo fovenda.

Quibus respondendum esse videtur sic: Certissime dantur quaedam quaestiones concretissimae et in particularissima descendentes, quarum disceptatio Conciliaris ipsa earundem natura et spectatis rerum adiunctis vetatur ...[22]. *Sed nullo* [23] modo dubito, quin Patres has quaestiones pro sua prudentia et discretione — *ut ad alias iam fecerunt* [24] — in suis interventibus de facto evitent, *et viam unitis viribus inveniemus ut hae quaestiones profunde tractentur, sed non in discussione quae fit ad damnum Ecclesiae.*[25]

Sed ex altera parte retinendum est, quod Conciliaris tractatio illorum thematum attentionem mundi maiori cum vi ad eadem trahit eaque profundius radicat in conscientia et vita totius Ecclesiae. Unde normae — saltem generaliores *et sat praecisae* [26] — a nobis in Concilio dandae sunt, ut pro gravissimo earum momento declarentur coram mundo et sustineantur atque fulciantur auctoritate et responsabilitate totius collegii episcopalis, i. e. omnium Pastorum cum Petro coadunatorum. Quare haec *difficillima* [27] themata cum nostris fidelibus et pro eis aggredientes verum aliquod officium nostrum adimplemus.

V. Ampla illa perfectio atque completio schematis, quam desideramus, certe non peragi poterit in quinque nunc sequentibus hebdomadis, *et propterea assentio plene illis quae de tempore huius operis em.mus card. Lercaro dixit.*[28]

Concludo. Approbo schema ut basim discussionis et opto, ut ei, sicut etiam schemati, quod arctissime cum eo coniunctum est, scil. schemati *de apostolatu laicorum,* tantum tempus tribuatur, quantum ad perfectionem eius necessarium est, ut ipsum operis huius Concilii considerari possit vera corona. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] i. e. de praesentia efficaci Ecclesiae in mundo huius temporis. [3] et constitutio conciliaris conficiatur. Hoc correspondet multorum Patrum votis; hoc explet desideria permultorum fidelium et etiam aliorum hominum; imprimis vero requiritur, ne ea quae Ecclesia hodie de seipsa testificanda habet, in Concilio imperfecta relinquantur. Nam Ecclesia lumen sit gentium etiam relate ad eas vitae humanae provincias, quae non immediate ad religionem pertinent. Accedit quod agendo de his materiis in Concilio, speciatim v. g. de dialogo Ecclesiae cum mundo, obviam imus exspectationibus ipsius Summi Pontificis, quas in Encyclica sua *Ecclesiam suam* pluries verbis clarissimis expressit. Haec sunt verba ipsius Summi Pontificis: « Exsistit igitur hoc loco Ecclesiae quaestio de colloquio serendo cum huius aetatis hominibus. Cuius quaestionis erit Concilii definire, quae sit amplitudo et implicatio, eamque, quantum poterit, melioribus expedire modis. Sed huius quaestionis solvendae necessitas in animum Nostrum eiusmodi onus, stimulum, intimamque veluti proclivitatem infert, quae Nobismetipsis et vobis, venerabiles Fratres, eadem non minus anxie quam Nos expertis, quodammodo declarare par esse censeamus; ut scil. magis efficiamur idonei ad eas disputationes deliberationesque aggrediendas, quas de tam gravi re tamque multiplici in Concilio una vobiscum proponendas iudicaverimus » (Enc. *Ecclesiam suam*: *A.A.S.*, 56, pag. 613). « Iamvero Ecclesiae in colloquium veniendum est cum hominum societate, in qua vivit; ex quo fit, ut eadem velut speciem et verbi, et nuntii, et colloquii induat. Cum futurum sit ut, quemadmodum pro explorato habetur, Concilium ad hanc Ecclesiae particularem praecipuamque agendi rationem intendat cogitationes suas et studia, nolumus propterea huius generis argumentis parem dare operam, ne Concilii Patribus non sit integrum eadem distincte pertractare » (Enc. *Ecclesiam suam*: *A.A.S.*, 56, pag. 639 s.). [4] fenestras ianuasque suas late aperit, modo audaci quidem, sed felici. [5] qui ab intrinseca et essentiali Ecclesiae ad mundum relatione expostulatur. [6] etiam. [7] deest. [8] Ita documentum conciliare sui generis et novi quidem generis est. Quo ipso fit ut schema etiam iis correspondeat, quae Concilium praestitit in re oecumenica et in declaratione de relatione christianorum ad non-christianos. [9] Liceat mihi significare imprimis defectus sequentes: 1. Desideratur amplius fundamentum theologicum; simul ideae theologicae distinctius et praecisius exarandae esse videntur. Ita imprimis ulterius examinandum erit, quid exacte comprehendatur sub idea « mundi », influxu peccati originalis in mundo, consecratione mundi vel sub natura illius dialogi Ecclesiae cum mundo. 2. Quaerendum iterum quoque erit in describendis lineis mundi praesentis, quaenam earum sint ita characteristicae ut revera attentionem totius Concilii mereantur et in decreto conciliari ponendae sint; i. e. quaenam sint et in quibusnam praecise consistant hodie illa « signa temporum ». [10] erunt. [11] 4. [12] etiam. [13] deest. [14] Tamen. [15] vitupero. [16] scio.

[17] satis quoque mihi perspectum est in praeparatione huius textus magnam partem peritorum sat occupatam fuisse in praeparandis schematibus *de Ecclesia* et *de divina revelatione.* [18] iidem. [19] illis. [20] Cum autem schema nostrum propter naturam suam super amplissimum et latissimum fundamentum experientiae pastoralis Ecclesiae universae construendum sit, ultimum et efficacissimum auxilium in hoc schemate perficiendo — et quidem magis quam in quolibet alio schemate — exspectandum non est nisi ab ipsis disceptationibus nostris in congregationibus generalibus habendis. [21] vel de atheismo. [22] quaeque melius relinquendae sunt, prout casus fert, magisterio Summi Pontificis vel magisterio episcoporum ordinario, vel etiam responsabili iudicio fidelium. [23] Neque ullo. [24] deest. [25] deest. [26] deest. [27] difficilia. [28] Si eam serio appetimus, requiretur meo humili iudicio quarta sessio Concilii. Scio quam durum hoc sit pro multis Patribus et ego ipse libentius hodie per pedes apostolorum in meam dioecesim reverterer quam ut unum diem ultra necessitatem pergerem in Concilio. Sed persuasum mihi est consummationem huius schematis non solum exspectari in mundo, fidelium nempe et aliorum hominum, sed etiam et praeprimis vere nobis iniunctam esse tanquam opus pastorale praeclarissimum huius Concilii.

[*Adhaeserunt etiam*] Exc.mi DD. Angerhausen, ep. aux. Essendien.; Aufderbeck, ep. aux. Fulden.; Baaken, ep. aux. Monasterien.; Bengsch, arch. ep. Berolinien.; Bliestle, sup. gen. M.S.F.; Bokenhofer, ep. Kimberleyen.; Bolte, ep. Fulden.; Braunstorfer, abb. praes. Congr. S. S. Cordis Iesu; Buchholz, praef. ap. Shihtsienen.; Buchkremer, ep. aux. Aquisgranen.; Cleven, ep. aux. Colonien.; Bühl, ep. tit. Methonen.; Cobben, ep. Helsinkien.; Duschak, vic. ap. Calapanen.; Elchinger, ep. coad. Argentoraten.; Emanuel, ep. Spiren.; Etspüler, prael. null. Bangueden.; Ferche, ep. aux. Colonien.; Frings, arch. Colonien.; Frotz, ep. aux. Colonien.; Fürstenberg, ep. Abercornen.; Gnädinger, ep. aux. Friburgen.; Gran, ep. coad. Osloen.; Grimm, ep. Zinceuven. et adm. ap. Sibolgaen.; Haering, ep. Scioceuven.; Hasler, ep. S. Galli; Hiltl, ep. aux. Ratisbonen.; Hintringer, praef. ap. Khiamuszen.; Hoeck, abb. praes. Congr. Bavaricae O.S.B.; Höhne, vic. ap. Rabaulen.; Höffner, ep. Monasterien.; Jäger, arch. Paderbornen.; Kaiser, prael. null. Caravelien.; Kampe, ep. aux. Limburgen.; Kelleter, ep. Bethlehemn.; Kemerer, ep. Posaden.; Kempf, ep. aux. Herbipolen.; Klein, ep. tit. Echinen., vic. apost. Insulae Yule; Koberger, sup. gen. Congr. Lat. Austria Klosterneuburg Vindobonen.; Könner, ep. tit. Modrenus; Köstner, ep. Gurcen.; Koppmann, vic. ap. Vindhoeken.; Landersdorfer, ep. Passavien.; László, ep. Sideropolitan.; Lueck, ep. Alivalen.; Lucas, ep. tit. Adulitan.; Macheiner, ep. aux. Salisburgen.; Nierhoff, ep. Floresta; Mangers, ep. Osloen.; Pachowiak, ep. aux. Hildesheien.; Pietsch, ep. aux. Secovien.; Pohlschneider, ep. Aquisgranen.; Przyklenk, ep. Januarien.; Reuss, ep. aux. Moguntin.; Rohracher, arch. Salisburgen.; Rosenhammer, vic. ap. Chiquitosen.; Rüth, vic. ap. Norvegiae Centralis; Schaffran, ep. aux. Vratislavien.; Schäufele, arch. Friburgen.; Schick, ep. aux. Fulden.; Schmitt, ep. Bulanaien.; Schräder, ep. aux. Osnabrugen.; Schneider, arch. Bambergen.; Schoiswohl, ep. Secovien.; Schweizer, sup. gen. S.D.S.; Sedlmeier, ep. aux. Osnabrugen.; Simons, ep. Indoren.; Stangl. ep. Herbipolen.; Stimpfle, ep. Augustan. Vindel.; von Streng, ep. Basileen.; Tenhumberg, ep. aux. Monasterien.; Verschu-

ren, ep. coad. Helsinkien.; Verwoort, ep. tit. Baricen.; Vonderach, ep. Curien.; Wechner, ep. aux. Oenipontan.; Wehr, ep. Treviren.; Weigl, ep. Ikelaën.; Wember, vic. ap. Norvegiae Septemtr.; Westermann, ep. Sambalpuren.; Zak, ep. S. Hippolyti; Zimmermann, ep. aux. Augustan. Vindel.; Taylor, ep. Lomiae.

10

Em.mus P. D. ALBERTUS GREGORIUS card. MEYER
Archiepiscopus Chicagiensis

Venerabiles Fratres,

1. Vellem imprimis adhaerere votis eorum qui iudicant hoc schema profunde discutiendum esse; et *non est necesse ut hic rationes iam a relatoribus et ab oratoribus qui hoc mane locuti sunt repetam.*[1]

2. Cum materia schematis occasionem praebeat multarum varii generis interventionum, uti indicabatur in ordine determinato pro disceptationibus, praesens mea haec relatio ...[2] restringitur ad considerationem thematis, quod videtur omnibus numeris schematis centrale, nempe ad ipsos terminos schematis, Ecclesiam et mundum, et quidem unice sub respectu eiusdem fundamenti theologico-biblici, praesertim ex doctrina S. Pauli.

Schema diversimode explicat quare christianus in mundo degens adlaborare debeat ut ordo rerum temporalium progrediatur. Tamen non adaequate explicat cur labor hominis quotidianus constituat partem integralem oeconomiae salutis. Non debemus oblivisci Deum spem gloriae offerre non animae humanae soli, sed homini integro et mundo universo. Nemo certo negabit hominem, in statu viae et effectibus peccati originalis obnoxium, saepius abuti mundo et bonis ex quibus constitutus est. Sed schema nimis praeoccupatum videtur de hoc periculo, nimis contagium mundanum timet, nimis christianum urget ut vitam « tamquam migrans et transiturus » degat. Haec praeoccupatio quae mihi excessiva videtur, debetur, ni fallor, omissioni cuidam schematis non levi. Nam nullibi schema proponit explicite illud elementum revelationis christianae, quod omne genus falsi dualismi removet, nempe: mundus universus non tantum est medium quo homo redemptus se perficit sed, sicuti corpora nostra, est et ipse obiectum redemptionis.

Ut hanc partialem tractationem compensemus, recursus faciendus videtur ad S. Pauli de oeconomia salutis doctrinam. Iterum atque iterum apostolus docet Deum Patrem Filio suo munus cosmicum tradidisse quod non absolvetur ante finalem glorificationem mundi, nempe:

1. Per Filium dilectionis suae Deus creavit et hominem et mundum

universum; ut dicit S. Paulus in epistola ad Colossenses: « quoniam in ipso condita sunt universa, in caelis et in terra. visibilia et invisibilia... omnia per Ipsum et in Ipso creata sunt » ...[3]. Ita Filius dat universo eius significationem, valorem et inde, quodam vero modo, eius realitatem.

2. Idem Filius et hominem et mundum universum sustentat: « Omnia in Ipso constant »...[4]

3. Pater per Filium redemit non solum genus humanum sed totum universum: « Quia, *ut dicit S. Paulus,*[5] complacuit Patri per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris, sive quae in caelis sunt » ...[6]. Posterior traditio semper recolebat hanc veritatem: Christum omnia in mundo sua cruce signavisse, uti patet ex hymno quem recitamus in tempore Passionis: Terra, pontus, astra, mundus - Quo lavantur flumine.

Attamen totalem extensionem *huius*[7] muneris cosmici Christi non intelligemus donec videbimus ultimam scenam huius divinae comoediae. In fine temporis Christus redibit victor. Uti ait apostolus: « Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis » ...[8]. « Cum autem subiecta fuerint illi omnia ...[9] tradet regnum Patri ...[10] ut sit Deus omnia in omnibus ...[11] ».

Haec autem omnium rerum subiectio secumfert plura alia praeter salutem animarum nostrarum. Profecto per gratiam Christi animas nostras salvabimus. Sed praeter hoc salus christiana includit primum resurrectionem corporum nostrorum, dein, illam transformationem mysteriosam totius universi materialis ad quem pertinent corpora nostra. Ita effert S. Paulus hanc veritatem ut non haesitet loqui de certa quadam spe mundi, *ut dicit in epistola ad Romanos*[12]: « Exspectatio creaturae revelationem filiorum Dei exspectat... quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei »...[13]

Debemus notare terminos quibus Paulus describat hanc salutem christianam, praesertim in epistola ad Romanos. Proponit nobis « Spiritum qui habitat in nobis », ita vita abundantem « ut vivificet corpora nostra ». Hac de causa « conglorificabimur », i. e. glorificabimur cum Christo; erimus sicut ille iam est in corpore suscitato. Eadem igitur gloria quae, die Paschatis, revelata est non tantum in anima sed etiam in corpore Christi, « revelabitur quoque in nobis ». Quapropter appellavit apostolus salutem christianam « redemptionem corporis nostri ». Paulus igitur non urget christianos ut corpus animae sacrificent; debent potius liberare et corpus et animam e servitute peccati et ita, dum in vivis sunt, praeparare glorificationem amborum.

Sed corpus est pars amplioris universi. Secundum apostolum et

totam traditionem christianam ille quoque universus destinatur ut suo modo particeps fiat « libertatis gloriae filiorum Dei ». Nam in die Parousiae, uti docuit S. Thomas, « quia homines a corruptione liberabuntur et gloria induentur, oportebit quod etiam *creaturas corporales* [14] quandam *claritatem* [15] gloriam suo modo consequatur » ...[16]. Conditionem illius mundi transformati imaginari non possumus; factum autem in dubium vocare non possumus. Sicut corpus, universus etiam sub fine temporis non destruetur, sed potius renovabitur, clarificabitur. Nam sicut corpus, ipse universus est obiectum redemptionis.

Haec autem veritas revelationis [17] hic et nunc nostra maxime interest. Nam si res ita se habent, labor quo homo istum universum ad perfectionem suam a Deo intentam adducit, non pertinet ad ordinem mere temporalem, profanum, contingentem, sed ad ordinem perennem. Suo enim circa res temporales labore homo vere quodammodo praeparat illam consummationem qua Deus transformabit nostrum mundum in novum caelum et novam terram.

In hac luce omnes nostri conatus atque successus in campo culturali, scientifico, oeconomico, sociali, intelliguntur positive contribuere ad actuandum consilium illud quo Deus « omnia in Christo instaurabit » ...[18]. Aliis verbis: quoniam mundus etiam materialis habeat destinationem quae excedit ordinem mere contingentem, omnis labor, quo perfectio illius mundi promovetur, conducit ad impletionem consilii divini, quod consilium manebit in aeternum.

Concludo.[19] Si igitur schema nostrum hanc veritatem magis explicite respiciet, melius etiam explicabit veram quasi compenetrationem quae existit inter Ecclesiam et mundum, qui sunt termini principales eiusdem schematis. Et ita varia puncta in schemate considerata maiorem lucem et intellectum obtinebunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] quidem praecipue propter has rationes, iam optime ab em.mo relatore card. Cento et ab exc.mo Guano indicatas: 1. Schema hoc est verum complementum schematis *de Ecclesia.* Hoc patet inter alia, ut mihi videtur, quam clarissime ex Litt. Enc. Summi Pontificis Pauli VI *Ecclesiam suam.* Non est necesse ut hic repetam quae Summus Pontifex tam lucide et tam positive in his litteris expressit. 2. Schema prae se fert momentum maximum propter rationes tum pastorales tum oecumenicas. 3. Schema respondet exspectationibus mundi. [2] in hac priore disceptatione generali. [3] (*Col.* 1, 16-17). [4] (*Col.* 1, 18). [5] ... [6] (*Col.* 1, 20). [7] deest. [8] (*1 Cor.* 15, 25). [9] (v. 28). [10] (v. 24). [11] (v. 28). [12] deest. [13] (*Rom.* 8, 19-21). [14] creatura corporalis. [15] claritatis. [16] (*Contra Gentiles,* ultima verba). [17] Hoc autem. [18] (*Eph.* 1, 10). [19] deest.

11

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Venerabiles Patres,

Schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* placet ut basis disceptationis. Ex diuturna experientia scimus disceptationem semper ditare schema, ipsum complendo et perficiendo, etsi interdum profunde reformando.

Momentum huius schematis. Opinamur momentum huius schematis maximum esse, praesertim si prae oculis habemus ita notam esse eius exsistentiam apud opinionem publicam...[1]

Quadruplicem rationem offerimus ad indicandum tantum momentum ...[2]:

1. *Ex ipsa missione Ecclesiae.* Si Ecclesia in hac Synodo vult responsum dare huic quaestioni: « Quid dicis de teipsa? », debet necessario loqui de homine in mundo, quia Ecclesia existit propter homines in mundo et homines in mundo existunt propter Ecclesiam.

In Ecclesia, enim, duplex aspectus distinguendus est: primus, Ecclesia ut « Institutio salutis », et sic Ecclesia est in servitium hominis in mundo ut ministra et sacramentum redemptionis; secundus, Ecclesia ut « Nova Creatio », seu Regnum Dei in terris inchoatum, et sic Ecclesia est veluti patria hominum ad quam tendunt omnes populi et in qua humanitas ipsa invenit plenitudinem suae concretae vocationis.

Si igitur Ecclesia profundius nunc considerat vocationem suam, necesse est ut se ad homines et ad mundum plene convertat, quia in ipsis invenitur tota ratio suae existentiae et sui amoris. Ceteroquin tota vis amoris, praesertim si supernaturalis, impellit amantem erga amatum: « sic enim Deus dilexit *mundum* ut Filium suum unigenitum daret ».

Si Concilium non ageret de hoc schemate, hierarchia Ecclesiae accusari posset de aliqua unilateralitate ac partialitate in favorem suiipsius.

2. *Ex indole saeculari laicorum.* Nostra Synodus, cum agat specialiter de Ecclesia in tota sua realitate, pluries de theologia laicorum ac de eorum apostolatu locuta est.

Nunc autem: doctrina et orientationes pastorales circa laicos omnino imperfectae apparerent si non adesset aliqua tractatio de missione temporali hominis in mundo. Schema *de Ecclesia,* in par. 31, dicit: « Laicis indoles saecularis propria et peculiaris est... Laici tota ratione vitae pe-

culiariter, etsi non exclusive, ad res temporales gerendas et secundum Deum ordinandas, vocantur. ... In saeculo vivunt, scil. in omnibus et singulis mundi officiis et operibus... quibus eorum existentia quasi contexitur. ... Laici... ut fermenti instar ad mundi sanctificationem velut *ab intra* conferunt ».

Deest ergo, usque adhuc, enucleatio quaedam ipsius ordinis temporalis et vocationis hominis in mundo. Schema hoc, bene recognitum, debet inservire ad talem enucleationem faciendam.

3. *Ex urgentia demonstrandi efficacitatem doctrinae christianae.* Pluries auditur accusatio adversus christianismum ob suam abalienationem a mundo quia praedicaret tantummodo vitam venturi saeculi et nutriret spem extraneam historiae et problematibus civilizationis humanae.

E contra scimus eschatologiam Ecclesiae non esse fugam a realitate historica, sed potius eius transfigurationem in Christo resurrecto. Uti iam diximus in par. 13 schematis *de Ecclesia*: « Catholica Ecclesia efficaciter et perpetuo tendit ad recapitulandam totam humanitatem cum omnibus bonis eius, sub Capite Christo, in unitate Spiritus eius ».

Proponenda est ergo a Concilio quaedam « cosmologia » christiana, in qua incorporatio ad Christum et lucta adversus peccatum non implicent denegationem valorum temporalium, sed potius eorum assumptionem et sanationem et elevationem. Nova creatura in Christo non est destructio veteris hominis; optime scholastici aiebant « annihilatio mundi repugnat ». Ista visio mundi fundanda esset, et quidem perspicue, in christocentrismo exposito a S. Paulo praesertim in epistolis ad Ephesios et ad Colossenses: « Omnia per Ipsum et *ad Ipsum* creata sunt, et Ipse est ante omnes et omnia in Ipso constant »...[3]

4. *Ex necessitate dialogi cum hodierno humanismo.* Inter argumenta quae urgentiam enucleationis munerum temporalium specialiter manifestant, adnumerandus venit dialogus cum hodierno humanismo atheo instaurandus.

De atheismo loquens, Summus Pontifex Paulus VI, feliciter regnans, in suis Litteris Encyclicis *Ecclesiam suam* ait: « Haec res profecto gravissima est earum quae nostris contingunt temporibus »...[4]

Profecto, satis notum est Ecclesiam atheismum reprobare, et optime quidem; sed ulterius progrediendum est. « In mente enim atheorum huius aetatis, ait Paulus VI, abditas causas oportet deprehendamus, ob quas conturbantur, Deumque esse negant » ...[5]. Debet itaque Ecclesia conari comprehendere atheismum, et perscrutari quibus veritatibus hic error alatur, hisque exigentiis sua doctrina et vita quantum fieri potest respondere.

Iamvero hodiernus atheismus ex affirmatione valorum temporalium

suam iustificationem et rationes sui influxus in multitudines, magna ex parte haurit. Ipse saepe concrete apparet ut capax efficaciter agendi.

Responsum autem magni momenti, quamvis non unicum, quod Ecclesia huiusmodi humanismo tradere debet est sincera et efficax actio, qua eius membra, praesertim laici, ad civitatem terrenam construendam, ad structuras reformandas, ad humanitatem novam parandam, exercent vel exercere debent.

Aliis verbis, responsum ab Ecclesia humanismo atheo tradendum est homo novus, in cuius personalitate harmonice componantur dimensio eschatologica et dimensio terrestris eius vocationis, scil. vera anthropologia christiana.

Homo nostri temporis vult scire quid ipse, secundum Dei consilium, revera sit. Divina enim revelatio non solum manifestat quid sit Deus sed etiam quid plene sit homo. Mysterium Christi non est solum epiphania Dei, sed etiam, ut ita dicam, epiphania plenitudinis hominis. Christus est secundus Adam, novus homo, verus rex mundi; et Maria, eius Mater et adiutrix, est secunda Eva et regina mundi. In sacerdotio, in prophetia et in regalitate Christi, profundius manifestatur quid sit vocatio hominis ad gloriam Dei in liturgia cosmica, ad sapientiam spiritus in scientia rerum et ad collaborationem creationis in dominio terrae.

Propter istas rationes, schema placet ut basis disceptationis...[6] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ut ubique terrarum orta sit magna exspectatio circa eius disceptationem et approbationem. [2] vocatio Ecclesiae; indoles saecularis laicorum; urgentia efficacitatis doctrinae pastoralis; necessitas dialogi cum hodierno humanismo. [3] (*Col.* 1, 16-17). [4] (*A.A.S.*, 56 [1964], p. 651). [5] (p. 652). [6] Aliquid tamen animadvertendum censemus circa eius obiectum et circa eius, ut ita dicam, genus litterarium. 1. Circa obiectum schematis vitanda esset ambiguitas quaedam: utrum scil. schema ordinetur ad visionem doctrinalem missionis temporalis, seu ad anthropologiam et cosmologiam christianam, an potius ad considerationem pastoralem civilizationis hodiernae secundum sua praecipua problemata. Nobis videtur quod schema deberet substantialiter ad primum se referre, tangendo consequentialiter problemata civilizationis. 2. Circa genus litterarium eius, censemus illud debere esse revera doctrinale. Doctrina tamen exponenda esset secundum stylum et modum specialiter aptatum ad mentem laicorum huius temporis, bene iam ab initio explanando quid intelligatur pro terminis « mundus », « signa temporum », « ordo temporalis » etc. Denique gratias agimus omnibus iis qui ad conficiendum schema adlaboraverunt.

[*Adhaeserunt etiam*] *Ex Argentina*: Hieronymus Podestá, ep. Avellaneden.; Antonius M. Aguirre, ep. S. Isidori; Albertus Devoto, ep. Goyanen.; *ex Chilia*: Albertus Rencoret, arch. Portus Montt; Emmanuel Sánchez, arch. Ss.mae Conceptionis; Franciscus Fresno, ep. Copiapen.; Henricus Alvear, ep. aux. Talcen.; Fran-

ciscus Valenzuela, ep. Antofagasten.; Helladius Vicuña, ep. Chillanen.; Vladimirus Borić, ep. Puntarenen.; Franciscus Gillmore, ep. Vic. Castrensis; Augustus Salinas, ep. Linaren.; Alexander Menchaca, ep. tit. Pinaren.; Carolus Oviedo, ep. aux. Ss.mae Conceptionis; Ioseph A. Castro, ep. S. Philippi; Franciscus Valdés, ep. Osornen.; Ioseph Valle, ep. aux. Iquiquen.; Ioseph Emmanuel Santos, ep. Valdivien.; *ex Colombia*: Raphael Sarmiento, ep. Ocanen.; Angelus Ocampo, arch. Tunien.; *ex Aequatoria*: Benignus Chiriboga, ep. Latacungen.; Candidus Rada, ep. Guaranden.; *ex Uruguay*: Orestes Nutti, ep. Canelonen.; Alafridus Viola, ep. Salten.; Marcellus Mendiharat, ep. coad. Salten.; Robertus Cáceres, ep. Melen.; Carolus Partelli, ep. Tacuaremben.; *ex Mexico*: Sergius Méndez, ep. Cuernavacen.; *item ex Chilia*: Raimundus Salas, prael. null. Aricen.

Secretarius generalis: Patres patientissimi, habeatis patientiam! Sed multi Patres dixerunt se non intellexisse quomodo facienda sit suffragatio circa schema *de Ecclesiis orientalibus*. Ergo necesse est ut repetam:

Crastina fiet suffragatio super singula puncta schematis *de Ecclesiis orientalibus,* et suffragationes ita dividentur... [*cf. pag. 214*].

Et suffragationes, prout statutum est, fient per triplicem formulam: *placet, non placet* et *placet iuxta modum*. Haec dixeram, et nunc dixi, et spero perspicue. Gratias.

Moderator: Proxima congregatio generalis erit crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DECRETI DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE *

QUOAD SCHEMA DECRETI DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS

1

EXC.MUS P. D. GARABED AMADOUNI
Episcopus tit. Amathusii in Cypro

Exc.mus D. relator exponens iter huius schematis *De Ecclesiis Orientalibus* affirmavit: commissionem fecisse « non multa, sed multum ».

Cum cognoscam pondus difficultatum commissionis, animadversiones meas vellem limitare *de solis factis a commissione, quam de faciendis.*

I. Adhaereo libenter substitutioni propositae, ad calcem schematis, a commissione, de matrimoniis sic dictis *mixtis,* adiuncta parva correctione, tamen essentiali seu substantiali: loco « ministri sacri » ponere « sacerdotis ».

In oriente solus sacerdos benedicit matrimonia. Minister sacer est terminus qui ansam dat aequivocationi. Est ambiguus.

Matrimonium seu *Corona* prouti solent appellare orientales, si non est benedicta a sacerdote, tenetur pro invalido. Ita traditio saecularis quae, censeo, meretur respectum. Theologi et canonistae possunt investigare ut melius illustrent hanc quaestionem. Puto quod millennaria traditio praebeat ipsis solutionem meliorem problematis formae matrimonii apud orientales. Talis convictio fidelium consideranda est.

Benedictus XIV, postquam annullaverat aliquod responsum S. C. de Prop. Fide, declarando ut nulla matrimonia armenorum contracta coram iudice mahometano, asseveravit per decretum Congregationis Particularis 27 febr. 1749, apud Armenos *esse valida ea matrimonia quae sunt benedicta a sacerdote,* etiamsi ipse sacerdos fuerit schismaticus. Illo tempore fere omnia matrimonia armenorum catholicorum benedicta erant ab ipsis.

Per talem resolutionem meliori modo interpretabatur traditionem quae valet pro omnibus Ecclesiis Orientalibus.

Iuxta hanc persuasionem et consuetudinem, per se, etiam pro catholicis orientalibus omnibus, forma matrimonii *Crebrae allatae,* deberet declarari *ad liceitatem.* Aliunde, ad praeveniendum abusus, lex deberet urgere sanctiones severas contra sacerdotes qui, absque facultate a iure vel per delegationem obtenta, benedicerent Coronam catholicorum. Nam, nimis grave est punire nupturientes *poena invaliditatis matrimonii contracti.* Adhaereo libenter dictis de hoc puncto ab em.mo card. König.

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt, vel disceptatio interrupta est.

II. Placet formula schematis sub n. 4, pag. 6, linn. 6-10, sapienter ordinans disciplinam rituum in Oriente, sive pro fidelibus natis catholicis sive pro baptizatis acatholicis orientalibus qui optant pro redintegratione in unitate Ecclesiae catholicae.

Placet quia progressum indiscutibilem denotat super antiquam formulam canonis II, Motus Proprii *Cleri sanctitati.* Hoc vellem in lucem ponere, propter suum aspectum peculiarem oecumenismi et pastoralis.

Postquam inconsuntibilis Christi vestis scissa est, tres formae dialogi, ceu ex historia constat, extiterunt ad instaurandam Ecclesiae unitatem.

Prima est quae a catholica hierarchia initium sumens attingit usque ad supremas dignitates communitatis ecclesiasticae separatae, ad instituendum dialogum qui coronari queat integratione in unitate, partis seiunctae.

Huiusmodi forma usi sunt sive RR. Pontifices, sive quandoque Patriarchae Byzantini erga alias Ecclesias particulares (iam inde a Concilio Calcedonensi), mutuas relationes litteris, delegationibus, conventibus vel Conciliis localibus et Oecumenicis, uti Lugdunensi ac Florentino, instituentes. Forma haec hodie synthetizata est quodammodo sub variis incoeptis motus oecumenici, ad sternendam viam, diversis gradibus interpositis, in commodum unitatis.

Obiecta istius methodi sunt: ut maturetur unitas a vertice ita ut extendatur subinde in totum corpus.

Forma haec dignitate praestat et obsequio fulcitur erga structuras ecclesiasticas fratrum separatorum. Orationes, testimonia de Evangelio vivendo, dialogis: omnia media sunt ad alteram partem alliciendam in voluntatem fundatoris divini Ecclesiae.

Gaudio nobis omnibus est diebus istis talem formam salutare, quam Ioannes XXIII pro viribus auxit et Conc. Vaticanum II incoepit, ducibus magisterio, doctrina et exemplo Pauli VI fel. regnantis.

Inter commoda huius formae praecipuum est fovere, pro posse, incrementum christianae vitae iuxta Evangelium in communitate cum qua dialogus instauratur. Nihil enim invenitur quod suspicionem provocet, quod eorum traditionis patrimonio deroget: immo magis atque magis fraternitati favebit quae oblivioni data fuerat.

Itaque in praxim deducitur profetia quam Christus Dominus Petro eiusque successoribus praedixerat: « Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos » (*Lc.* 22, 32).

Cunctus episcopatus catholicus, una cum Capite suo, talem anxietatem condividere debet.

Altera forma, gradu inferior atque primae formae subordinata, ea est qua praesertim usi sunt episcopi dioecesium orientalium qui decursu saeculorum schismate convoluti non sunt vel ei restiterunt. Eorum officium fuit Ecclesiae unitati testimonium praebere inter fratres suos, eosque in unitatem recipere sive singillatim sive collective, sedulo obsequium servantes

erga eorum ritum, disciplinam, spiritualitatem et culturam: praetiosae res in quibus communicabant cum fratribus suis seiunctis.

Iuxta huiusmodi consilium, Apostolica Sedes ipsis novum catholicum Patriarchatum erexit, ut fideles isti fermento ceteris essent et centrum « catalizatore » illos attrahens. Quibus auxilio plus minusve efficaci fuerunt quoque missionarii latini.

Secunda haec forma, etsi in obsequio habeat patrimonia spiritualia totius communitatis, necessario tamen nonnullis fratribus separatis invisa fuit, praecise quia timebant processum suae propriae desintegrationis. Arduum sane erat pro catholicis orientalibus conciliare duo: integrationem eorum qui problemate personali conscientiae moti obviam ibant unitati, cum consectario naturali lentae desintegrationis originariae communitatis.

Huiusmodi forma tamen minus provocatrix in dies evadere potest, si magis patrimonium commune ecclesiale integrum servabitur, neque proditioni obnoxium fiet; et insimul efficax evadebit « Motus Oecumenicus ».

Tertia et ultima forma praedicationis unitatis ea est quae characterem sumit ab adhaesione individuorum vel communitatis in unitatem, cui annectitur definitiva demissio ritus, seu totius patrimonii spiritualis originariae communitatis.

Talis forma huc illuc adhibita fuit in oriente a saec. VI ad saec. XI mediantibus conatibus byzantinizationis; inde a saec. XIV, latinizationis, cuius exempla in Medio Oriente et in regione Balcanorum adhuc non desunt; vel etiam mediantibus rivalitatibus proselytismi ritualis inter ipsos catholicos orientales in regionibus ubi coexistunt communitates plurium rituum.

Haec tertia forma infelicissima videtur: *a*) Nam saepe origo eius torbida est: ignorantia, mali animi aut discordiae personales, complexus, morales pressiones missionarii, et ut vulgo loquar « snobismus » etc. quae omnia motiva ab Ecclesia tolerantur, minime vero canonizari debent a Concilio, ope concessionis facultatum generalium.

b) Infelix insuper quia effectus psychologicus in animo percussus talis unionis, fratribus separatis funesta evadit. Catholica unitas prae oculis eorum degradatur.

c) Infelix etiam quia ante oculos communitatis seiunctae dignitatem communitatis catholicae orientalis despicit, eiusque operae efficaciam neutram reddit. Iure merito haec forma damnatur etiam a communitatibus catholicis orientalibus quae rem apte considerent.

d) Infelix demum videtur quia in aperta antithesi ponitur contra « Motum Oecumenicum » a Concilio admissum.

Igitur canonizari nequit formula quae a nonnullis proponitur in substitutionem textus sub n. 4 schematis, si nolumus contradicere toti operae usque nunc coeptae.

Pro casibus particularibus « Recursus ad S. Sedem » remanet unicum medium quod reconciliari possit cum principiis et normis admissis a Concilio, una cum respectu ad individui libertatem.

Venerabiles Patres, velint attendere: *a*) A nemine poni in dubium principium prioritatis fidei super ritum; nec illud: suprema lex, salus animarum.

Sed oportet etiam conciliare cum hoc principio, alia principia et praxim generalem Ecclesiae. Progressus legislationis residet in hac conciliatione. Schema hoc facit, dando prius *normam generalem* de retentione ritus pro eo qui vellet redintegrari in unitate Ecclesiae, ex criterio baptismatis proprii ritus.

Sic textus in sua concisione lapidari fidelis interpres constituitur traditionis, mentis Documentorum RR. Pontificum de hac re tractantium, qui praecipue praeoccupati erant ut evellerent timorem fratrum seiunctorum, qui timor abinde a saeculis obstaculum non minus constitutum est.

Textus cohaeret etiam normis et principiis Oecumenismi nuper ab hoc sacrosancto Concilio admissis. Eadem inveniunt suam concretam applicationem in relationibus interritualibus et inter-Ecclesialibus.

b) Nullomodo contradicitur praxi anteriori, dummodo haec praxis intelligatur ad mentem RR. Pontificum et pro casu Leonis XIII f. m., auctoris documenti *Orientalium dignitas,* cui recursus fit.

Absonum esset putare, applicationem factam in concreto a quibusdam missionariis, notae formulae qua usa erat documentum praecitatum (mutationem scil. ritus interpositam ut conditio necessaria pro unione), genuinam mentem fuisse tanti Pontificis qui nonnisi aliquam exceptionem contemplabatur legi generali. Dum illa formula, in quotidiana praxi, extensa fuit pro omnibus casibus unionis. Inde incommodum grave: ianua unitatis identificabatur cum ianua proselytismi ritualis.

In textu sub n. 4 schematis haec confusio radicitus supprimitur: Evangelium unitatis, divinitus commendatum omnibus et mutatio ritus. Haec ultima quando evadit sequela primae, adulterat illam: degradatio inevitabilis doctrinae unitatis.

Pergrati sumus commissioni propter remedium allatum huic malo.

Finis imponitur rivalitatibus interritualibus, causa, proh dolor, tot scissionum inter Ecclesias particulares.

c) Iniuste accusatur schema detrahere libertati religiosae convenientium ad unitatem, si libertas non aequiparatur absentiae cuiuscumque legis moderantis quaestiones ritus inter Ecclesias particulares. Secus fatendum quod etiam lex vigens pro catholicis retinendi proprium ritum nonne dicenda erit tanquam violatio libertatis religiosae? Cur nullibi asseritur haec libertas pro catholicis, salvo casu coniugum diversorum rituum?

Recursus ad discretionem S. Sedis, pro regulandis casibus particularibus, viam apertam ducit pro tuitione libertatis. Ceterum, communio ecclesiastica praebet pro catholicis omnia media communicationis vitae spiritualis inter Ecclesias, absque mutatione ritus.

Nec obiciatur recursum ad S. Sedem tanquam effugium esse. Nam suapte natura, sola Sedes Apostolica remanet et est auctoritas competens in quaestionibus interritualibus. Eius vigilantia sola potest in hoc campo instaurare

bonum ordinem, inculcare adamussim sensum genuinum unitatis catholicae, liberare convenientes ad unitatem a pressione morali, inspirare sensum communitarium ipsis et solidarietatis erga fratres seiunctos, ne anteponant commodum proprium bono communi. Dixi.

2

EXC.MUS P. D. AEMILIANUS ČEKADA

Episcopus Scopiensis

Schema decreti *de Ecclesiis Orientalibus,* uti iacet coram nobis, iam pluries redactum et emendatum, in genere placet. In genere dico, quia non est opus humanum quantumvis perfectum, ut ei obtrectari non possit.

Quod in schemate primo aspectu elucet, est magna sollicitudo Ecclesiae universalis pro Ecclesiis orientalibus, quae — licet Ecclesiae universalis sint partes organicae — propter suam specificam constitutionem in hoc schemate separatim tamen tractantur.

Nihil certe Ecclesia universalis tam vehementer desiderat quam ut Ecclesiae orientales, in quibus primigenae Ecclesiae vestigia sacra refulgent, vivant, crescant, floreant. Universalis Ecclesia, in Sancta Sede repraesentata, huius curae maternae suique continui amoris, his praesertim temporibus, innumera necnon praeclara dedit signa. Revera, si « cui mater blandiatur » — ut utamur verbis Prophetae (*Is.* 66, 12) — Sancta Sedes consolatur Ecclesias suas orientales easque ad ubera sua portat. Unum tantum sciant carissimae nobis Ecclesiae orientales: nulla cura ab extrinsecus veniens non est capax omnia problemata ex se solvere omnibusque malis mederi. Nulla sollicitudo externa potest supplere immanentem vim, quae omni structurae Dei inesse debet, quae autem etiam a nostra libera cooperatione non parum pendet atque ad eam adaequate commensuratur. Omnibus nobis, occidentalibus et orientalibus, ad omnem progressum vitalem in regno Dei necessarii sunt fructus Spiritus: « caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas » (*Gal.* 5, 22). Adversus huiusmodi non est lex, non sunt ulla obstacula.

Hisce in genere praemissis ad *singula transeo.* Quoad art. 4 pag. 6, linn. 6-10, assentior propositioni patriarchae Hierosolymitani Latinorum necnon patriarchae Coptorum in Alexandria, ut acatholicis baptizatis ad Ecclesiam convenientibus fas sit eligendi quemcumque voluerint ritum Ecclesiae catholicae. Ratio, cui haec propositio innititur, in plano est: consistit enim non solum in momento libertatis personalis, quae in materia conscientiae sane respectari debet, sed etiam in practicis difficultatibus, quae legi de ritu proprio incondicionate retinendo obstare possent. Puta casum, ubi conversus in densa massa latinorum se invenerit. Postulare ab eo, ut omni pacto debeat in suo ritu remanere, idem est ac spernere ea, quae bono

eius animae certo servirent. Media coercitiva nec nunc sunt nec usquam fuerunt apta, quibus fines religiosi stabiles obtinerentur.

Ecclesia catholica universalis sine dubio etiam pro futuro omni caritate et sollicitudine prosequetur Ecclesias orientales maximaque cura custodiet earum ritus et consuetudines ut « hortum » quemdam « conclusum » (*Cat.* 4, 12), pulcherrimis floribus plenum. Attamen, omnibus hominibus acie ac perspicuitate mentis praeditis persuasum est, evolutionem societatis humanae nostro tempore dirigi erga formas universales, non particulares. Hoc valet pro omni campo vitae: politico, culturali, oeconomico, religioso quoque non exempto. Qualem locum occupabunt in hoc mundo universali ecclesiae particulares earumque ritus, hoc pendet magis ab eorum dynamismo interno et habilitate sese accommodandi novae vitae condicionibus quam ab externis privilegiis et sanctionibus legis.

Ad art. 26. Communicatio in sacris, quae novo schemate active et passive praevidetur concedenda — i. e. catholicis, ut in sacris orthodoxorum partes sumant et viceversa — res est periculis plena. Non potest e. g. negari factum historicum, catholicos in regionibus Slavorum Meridionalium in contactu cum orthodoxis usque ad tempora novissima semper iacturam passos esse. Possumus sine exaggeratione coram venerabili coetu Patrum conciliarium asseverare, in Regno olim Jugoslaviae, infra primum et secundum bellum universale, plus quam ducenta millia catholicorum a fide defecisse. Ex magna parte hi apostatae ad orthodoxiam transierunt ex causis, quas hic taxative referre non iuvat. Tamen unam causam magis obviam liceat nobis proferre. Severa doctrina Ecclesiae catholicae de indissolubilitate matrimonii occasionem praebebat fidelibus catholicis, qui in matrimonio naufragium fecerunt, ut propria religione derelicta in Ecclesia orthodoxa solutionem matrimonii obtinerent.

Res itaque communicationis in sacris non est tam simplex quam ingenuitati quorumdam apparet. Omnibus perpensis puto, hanc communicationem posse permitti solum optimi intuitu finis, ad quem tendimus, i. e. unionis Ecclesiarum, quaeque in exspectatione omnium nostrum est.

Attamen, Ordinarii locorum graviter onerata eorum conscientia debent invigilare, ne haec praxis scandali vel indifferentismi causa fiat vel catholicos in periculum perversionis fidei adducat. Ideo Ordinarii omnes, unusquisque pro suo territorio, singulis trienniis Sanctam Sedem certiorem reddant de fructibus et effectibus huius communicationis in sacris stentque eius, i. e. Sanctae Sedis, consiliis et mandatis.

Modo attigimus *quaestionem matrimonii.* In schemate sermo fit tantum de validitate vel de liceitate matrimonii, quod ad catholicos spectat. Hic autem potest poni quaestio, quomodo res se habeat cum matrimoniis, quae inter ipsos orthodoxos contracta sunt. Si in Ecclesia orthodoxa inita sunt, certe sunt valida, immo et sacramenta. Sed, suntne valida et habentne ipsa valorem sacramentalem, si extra Ecclesiam orthodoxam et contra eius praescripta canonica, puta coram solo foro civili, contracta sint. Ecclesia ortho-

doxa haec matrimonia invalida putat; ea tamquam invalida, respective tantum civiliter valida, etiam omnes fideles orthodoxi considerant. At contra, Ecclesia catholica eadem valida tenet, valorem sacramenti etiam in hoc casu eis agnoscit, et consequenter ipsa prorsus indissolubilia proclamat: fideles enim orthodoxos Ecclesia catholica ad nullam formam canonicam obligare vult. Unde non parvae difficultates pro pastorali cura animarum oriuntur. Fideles orthodoxi, tantum civili matrimonio iuncti, non raro vellent, obtento divortio coram foro civili, novum matrimonium cum persona catholica, et quidem in Ecclesia catholica, contrahere. Facile est capere, quanto stupore sint attoniti, cum certiores fiant hoc in Ecclesia catholica prorsus impossibile esse. Tunc, per se intelligitur, aliam solutionem quaerunt: contrahunt matrimonium, quod iam inire statuerunt, vel in Ecclesia orthodoxa vel iterum civiliter tantum. Ecce, nova iactura pro Ecclesia catholica.

Estne hoc, quaeso, logicus et unice rectus modus agendi? Nos catholici agnoscimus in Ecclesia orthodoxa vera esse sacramenta, inter quae etiam matrimonium adnumeramus; agnoscimus, saltem implicite, iurisdictionem hierarchiae orthodoxae super proprios fideles, attamen hanc iurisdictionem ei denegamus in disciplina matrimoniali. Nonne iam est tempus, ut nostram rationem agendi in hac re recognoscamus et ad normas iuridicas magis consentaneas spiritui oecumenico reducamus? Hoc, duco, facere possemus sine ullo praeiudicio doctrinae catholicae, immo ad emolumentum rei catholicae. Ceterum, de hac re videant consules, i. e. iuris canonici periti et doctores.

3

Exc.mus P. D. FRANCISCUS COGONI
Episcopus Octeriensis

N. 4, pag. 6, linn. 6-10, praesentem textum ita immutandum propono: « Omnes denique et singuli fideles proprium ubique terrarum retineant ritum eumque colant et pro viribus observent, salvo iure pro acatholicis baptizatis ad Ecclesiam convenientibus, eligendi alium ritum, si hoc ab eis ut conditio necessaria interponatur ».

Ratio est: libertas rectae conscientiae non deneganda.

4

Exc.mus P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER
Episcopus Camposinus

Cum ego inter Patres inveniar qui subscripserunt postulationi exc.mi ac rev.mi Archiepiscopi Agrae, in India, ut ipse loqui possit post disceptationem super schema *de Ecclesiis Orientalibus,* animadvertere volo me illi

consentire tantum, in petitione ut in unaquaque civitate ubi fideles diversi sunt ritus, nonnisi una sit auctoritas ecclesiastica a qua omnes aliae dependeant. *Minime autem adhaereo propositioni qua exc.mus D.nus postulavit ut in Ecclesia Patriarchae eadem iura habeant* quae em.mi Cardinales possident.

5

Exc.mus P. D. ARMANDUS FARES

Archiepiscopus Catacensis, episcopus Squillacensis

Audivimus in hac aula, venerabiles Fratres, introductionem ad schema *de Ecclesiis Orientalibus,* necnon relationem quae illustrat vicissitudines ipsius schematis sive *in* ipso apparando sive *in* particularibus difficultatibus enodandis: et revera propter laborem diuturnum susceptum, gratum animum exprimere debemus commissioni eiusque em.mo praesidi.

Si quaedam mihi dicere licet de ipso schematis decreto, quod brevitate et concinnitate qua confectum est respondet stylo et dignitati documenti conciliaris, duo adnotare desidero: in sensu generali et in quibusdam peculiaribus.

I. In sensu generali. In prooemio bene dicuntur illa omnia de momento et aestimatione qua Ecclesia catholica permagni facere consuevit instituta orientalium Ecclesiarum.

Optarem tamen ut in ipso prooemio documenti conciliaris clare et aperte proclamaretur ab ipsa Ecclesia catholica *semper* agnita fuisse, et *etiam nunc* agnosci omnia privilegia et praerogativae quibus Ecclesiae ipsae orientales decursu saeculorum cumulatae sunt, quaeque absque ullo timore intacta conservabuntur *in futurum.*

Huiusmodi declaratio, cuius exemplum praeclarum habemus etiam in Concilio Oecumenico Lateranensi IV sub Innocentio III felicissimae memoriae (cf. *Enchir.* D. B. n. 436) duos effectus producere potest:

1) *animum addere catholicis,* qui tanto fervore suis ecclesiis adhaerent et tanta vi fidei et traditionis in ipsis gloriantur, alte persentientes *et* originem suarum ecclesiarum inde a primis Ecclesiae temporibus ab his « qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis » (*Lc.* 1, 2), *et* vinculum quo colligantur cum Ecclesia Romana, quae semper agnoscitur omnium Ecclesiarum Mater et Caput;

2) *fratribus ipsis a nobis seiunctis* demonstrare Ecclesiam catholicam unice intendere his quae a Domino sunt constituta, praecipue in ordine ad primatum Romani Pontificis; in aliis omnibus, non solum nil detrahere traditionibus rectae fidei et consuetudinibus Ecclesiarum; sed e contra ipsas — i. e. traditiones et consuetudines — et velle, et aestimari, et conservari, si aliquando fiet — uti omnes desideramus — ut ad Sanctam Matrem Ecclesiam catholicam et apostolicam redeant: filii Dei sunt; fratres in Christo

sunt; maximo honore et gaudio ipsos recipiemus in osculo pacis et fraternitatis in Ecclesia Christi.

II. In quibusdam peculiaribus. In quibusdam peculiaribus animadversiones facturus, in primis, venerabiles Fratres, mihi fas sit recolere in Calabria — in qua mihi a Summo Pontifice commissae sunt archidioecesis Catacensis et pervetusta dioecesis Squillacensis — per plura saecula inde a saec. VIII *viguisse* ritum byzantinum: in dioecesi Squillacensi usque ad finem saec. XI, et in quibusdam aliis locis usque ad saec. XV, uti in archidioecesi Rossanensi, ex qua processit S. Nilus, famosissimus propter Monasterium Cryptaeferratae ad ipsas portas Urbis aedificatum: adhuc hodie in civitate Rossanensi asservatur documentum, quod est simul monumentum fidei pulcherrimum, i. e. *Codex Purpureus Rossanensis* Sacrae Scripturae, ex saec. VIII, qui zelo et cura exc.mi Patris conciliaris Ioannis Rizzo in domo episcopali magno decore custoditur. Sed etiam *hodie* in Calabria habemus dioecesim Lungrensem, amore et cura Summi Pontificis Benedicti XV immortalis memoriae institutam, quam ab eodem Pontifice nominatus regit exc.mus Pater conciliaris Ioannes Mele. Non desunt ergo in nostra regione Calabra relationes cum fratribus catholicis graecis, quae semper sincerae et amore refertae fuerunt et sunt. Hinc rationem habetis circa observationes seu animadversiones quas propono, et quidem brevissime.

1. Ad n. 4: quaestio de ritu conservando aut novo eligendo ab acatholicis baptizatis ad Ecclesiam convenientibus melius erit ut iterum tractetur a commissione cum patriarchis et archiepiscopis maioribus interesse habentibus antequam conciliariter definiatur.

2. Ad n. 14: de presbyteris orientalibus Confirmationis sacramentum conferentibus: melius in lucem ponatur (pag. 8, linn. 2-3) necessitas consensus Ordinarii loci *latini* in regionibus, uti apud nos in Italia, in quibus ritus latinus est communis.

3. Ad n. 15: facultas anticipandi praeceptum Sacrum audiendi ad vesperas vigiliae festi vel dominicae, *in locis* mixti ritus, etiam ad latinos eiusdem loci extendatur.

4. Ad n. 18: circa matrimonia mixta, determinatio definitiva forsan melius fiet postquam Patres conciliares suam mentem aperient circa votum de matrimonio.

5. Ad n. 21: placet quod ad fovendam caritatem et disciplinam practicam facultas detur singulis fidelibus extra propria loca versantibus ut *plene* se conforment disciplinae vigenti in loco.

6. Ad n. 26 sq.: de communicatione in sacris, iam notaveram ut opportunae instructiones dentur fidelibus in re: quod tamen iam factum clare et diserte vidi in textu renovato per quasdam additiones, uti in Relatione nunc apparet.

6

Rev.mus P. D. ATHANASIUS HAGE

Superior gen. Ord. Basiliani S. Ioannis B.

Schema *de Ecclesiis Orientalibus,* non obstantibus variis obiectionibus contra illud motis, retinendum est. Nonnullas enim continet dispositiones utique optimas. Retinendum sed perficiendum. Multae emendationes propositae sunt. Mihi liceat sequentes vestro iudicio submittere:

I animadversio. Prooemium decreti quod ex abrupto ad laudes statim procedit aliquo principio generali potius incipere deberet sicut in paragrapho prima factum est. Ex altera parte, ut orientales in modo loquendi schematis aliquid paternalismi erga ipsos non videant, primum prooemii membrum aliquam mutationem ferre debet. Forsan sic enuntiari poterit: Orientalium Ecclesiarum instituta, ritus, traditiones ecclesiasticae atque vitae christianae disciplina semper ad bonum Ecclesiae universalis adiuvaverunt. In eis enim...

II animadversio. Ad aequivocationes et controversias praecavendas in modo loquendi, quando loquitur de Ecclesiis particularibus specificandum est quod ille terminus ad Ecclesiam latinam et Ecclesias orientales indiscriminatim applicatur. Ad hoc obtinendum in praesenti schemate propono ut: 1) titulo qui, par. 2, pag. 1, sic sonat « De Ecclesiis Particularibus » addantur verba « occidentalibus atque orientalibus »; 2) etiam in lin. 15, in eadem paragrapho, verbis « particulares Ecclesiae » addantur verba « latinam scil. et orientales ».

III animadversio. De Patriarchis. Disputatio de iuribus et privilegiis patriarcharum a Concilio saltem Florentino usque ad Vaticanum II aperta manet, et quidem, sive inter aliquos patriarchas et episcopos, sive inter patriarchas vel Synodos patriarchales et Dicasteria Romana: Archivia Congregationis de Propaganda Fide ac Congregationis Orientalis ampla documenta de his disputationibus continet. Nodus problematis numquam solutionem habuit.

Nunc quaeritur utrum patriarchae, sicut in prioribus temporibus Ecclesiae, iure autonomiae polleant regendi fideles ritus ubique terrarum vel non. Et si affirmative, iterum quaeritur in quibusnam casibus ad Sedem Apostolicam recurrere debeant. A. v., definiendum est quod Primatui Romano reservari debeat et non quod patriarchae facere possent, sicut fit in M. P. *Cleri Sanctitati.* Illae reservationes Sedi Apostolicae faciendae et taxative enuntiandae, una ex parte Primatum Romanum super totam Ecclesiam etiam orientalem, altera ex parte, dignitatem patriarchalem et autonomiam disciplinarem Ecclesiae orientalis servare debent.

Quaeritur etiam utrum Concilium Vaticanum II agnoscere et confirmare velit ordinem praecedentiae sedium patriarcharum apostolicarum ab antiquis Conciliis Oecumenicis stabilitum.

Quaeritur tandem utrum patriarchis agnoscatur aliqua pars singularis in sollicitudine et regimine collegiali episcoporum super Ecclesiam universalem?

De his rebus maximi momenti in campis irenismi et oecumenismi verbum in schemate dicendum est.

IV animadversio. De matrimoniis mixtis. Ad praecavenda detrimenta ex nova disciplina de matrimoniis mixtis consecuta una ex quattuor solutionibus sequentibus selegi potest:

a) Forma canonica in matrimoniis mixtis ad liceitatem et non ad validitatem urgenda est sicut in antiqua disciplina providebatur.

b) Vel facultas a iure mulieri catholicae concedatur benedictionem nuptialem a sacerdote acatholico accipiendi sicut concessum est catholicis ut sacramenta paenitentiae, eucharistiae et unctionis infirmorum a sacerdote acatholico in aliquibus casibus accipere possent.

Notandum est quod in casu matrimonii sacerdos est mere testis et non minister sacramenti.

c) Facultas concedatur omnibus hierarchis a forma canonica dispensandi.

d) Vel facultas ab hierarcha vel parocho catholico mulieri concedatur ad matrimonium ineundum coram sacerdote acatholico ut ad hoc rite delegato.

Prima solutio secundum quam forma canonica ad liceitatem et non ad validitatem urgetur a plurimis Patribus ut disciplina antea vigens vindicatur. Attamen canonistis neque occidentalibus neque orientalibus placere videtur: latinis, eo quod formam canonicam in iure anteriore orientali nunquam viguisse affirmant. Orientalibus canonistis non placet, quia talia matrimonia sic inita vigilantiae auctoritatis catholicae omnino subtrahuntur et cautelae a iure requisitae negliguntur.

Idem dicendum de solutione secundum quam facultas a iure conceditur mulieri benedictionem nuptialem a sacerdote acatholico accipiendi quando sacerdos catholicus intervenire nequit.

Tertia solutio, secundum quam facultas a forma canonica dispensandi omnibus hierarchis conceditur, securior prudentiorque videtur, siquidem aliquam vigilantiam et aliquod patrocinium hierarchis catholicis super talia matrimonia providet.

Idem dicendum de 4 solutione secundum quam facultas ab hierarcha vel parocho catholico mulieri conceditur ad matrimonium ineundum coram tali sacerdote acatholico ut ad hoc rite delegato.

In his duabus ultimis solutionibus matrimonium esset validum et licitum dum in aliis matrimonium manet illicitum et pars catholica excommunionem facile incurrit (cf. Synodos variarum Ecclesiarum orientalium).

V animadversio. In par. 16 ubi agitur de ministro paenitentiae, facultas confessiones excipiendi presbytero cuiusque ritus a proprio hierarcha rite

et sine ulla restrictione concessa ad totum territorium extenditur concedentis necnon ad loca et fideles cuiuscumque ritus in eodem territorio, nisi hierarcha loci, quoad loca sui ritus expresse renuerit.

Haec extensio facultatis ad *loca* alieni ritus sine permissione expressa vel saltem rationabiliter praesumpta parochi vel hierarchae ritus magnam confusionem creare potest. Propterea, loco verborum « nisi hierarcha loci quoad loca sui ritus expresse renuerit », dici debet « annuente parocho vel hierarcha loci ritus ».

VI animadversio. In n. 27, pag. 10, orientalibus separatis sacramenta paenitentiae, eucharistiae et unctionis infirmorum conferri posse dicitur si sponte petant...

Puto verbum « si sponte » tollendum esse siquidem casus non desunt in quibus sacerdos catholicus initiativam debet sumere et fratres separatos a sacerdote proprio privatos hortari ad sacramenta ab ipso excipienda praesertim si agitur de aegrotis.

[*Subscripserunt etiam*] Athanase Chao; Paul Achkar, arch. Laodicea; Elias Farah, arch. Cypro; Ath. Tutungy; Jean Bassoul, Homs; François Ayoub, arch. Alep; Augustus Farah, ép. Tripolit. Melkitarum; Ioseph Tawil; Eftimius Youakim, arch. Zahlé; Joseph Cheikho, arch. chald. Sehna; Michel Doumith, ep. Sarba; Hilarion Capucci, sup. gen.; Theodore Foley C. P., sup. gen.; William Slattery C. M., sup. gen.; Vincenzo Tomek, Sch. P.; Leonardo Carrieri M.SS.CC.; Giovanni M. Bernasconi; Gaetano Briani F.S.C.I.; Giacomo Alberione, sup. gen. P. Soc. S. Pauli Ap.; Stephane Bello, ep. Alepp. Chald.; Ioseph Buckley S. M. sup. gen.; Bonaventura Schweizer, sup. gen. S.D.S.; P. Schweiger C.M.F.; William Gaudreau C.SS.R.; Giuseppe De Palma S.C.J.; Hemaiagh Ghedoghian; Elias Zoghby, arch. tit. Nubie; E. Hakim, Akka Melkit.; Ioseph Malouf, arch. Baalbek; Basilius Cristea, ep. tit. Lebedo; Saba Youakim, sup. gen. S. Salv.; Gregorius B. Varghese Thangalattil, arch. Trivandrensis Syr. Malank.; Matthew Kavukatt, arch. Changanacherry; Ioseph Parecattil, arch. Ernakulam.

7

EXC.MUS P. D. IOSEPH MARTENETZ
Episcopus tit. Soldaiensis

Ad n. 18 (De matrimoniis mixtis). A ponderabili maiore parte orientalium matrimonia contracta coram sacerdote acatholico invalida considerabantur et considerantur etiam hodie et recte quidem. Non video igitur quo iure *exigua minoritas* audeat imponere modum suum agendi immensae maioritati orientalium, praebendo ansam non tantum scandalo fidelibus sed et defectioni a fide partis catholicae matrimonium contrahentis in casu matrimonii mixti coram ministro acatholico? Accedit etiam periculum educationis prolis in fide acatholica. Si autem propter adiuncta particularia in quibusdam regionibus pro bono pacis validitatem matrimonii coram sacer-

dote acatholico admittere expediat, sufficit providere in iure canonico et quidem particulari, non autem in Concilio pro tota Ecclesia.

Si admittitur talis validitas matrimoniorum apud orientales, non video qua ratione tunc invalidum debet considerari, si una partium est ritus latini et altera ritus orientalis acatholica. Nonne in eisdem regionibus partes contrahentes in identicis circumstantiis versantur? Ideo nulla est ratio vi imponendi ius particulare quorundam omnibus catholicis cum discrimine fidei. Ergo disciplina Motus Proprii *Crebrae allatae* tenenda est. Regionibus particularibus per dispensationem ab Apostolica Sede providere sufficeret.

8

Exc.mus P. D. PETRUS ROUGÉ

Episcopus Nemausensis

Intentio schematis decreti *de Oecumenismo* ante paucos dies suffragati cum intentione schematis decreti *de Ecclesiis Orientalibus* perfecte concordare mihi non videtur. Quapropter aliquas animadversiones praesentare vellem, ad causam oecumenicam melius inserviendam.

I. Quibus hoc schema destinatur? Textus semper loquitur de Ecclesiis orientalibus. Quaenam sunt? Evidenter agitur de catholicis orientis communitatibus. Ut dixit rev.mus D. Carolus de Provenchères melius esset si schema intitularetur: « De quibusdam quaestionibus ad orientales Sedi Romano communicantes Ecclesias pertinentibus ».

Si textum attente legimus, immediate in mente venit haec quaestio: Quare tantum tractat de individuis orthodoxis et nunquam de orthodoxis Ecclesiis? Loco « de Conversatione cum fratribus seiunctis » melius fuisset dicere: « De conversatione cum fratribus ecclesiarum seiunctarum ». Illa expressio naturalis esse debuisset. In hac paragrapho casus non tantum singularum personarum, ut dicitur, sed communitatum tractandi erant. Oportet illum defectum corrigere.

II. Schema considerationes ad matrimonia mixta et ad communicationem in sacris facit, quae progressus in conscientia catholica manifestant. Sed nonne hae decisiones oecumenico spiritu careant, cum non post dialogum cum Orthodoxis Ecclesiis statutae sunt?

III. Schema tantum in emendationibus a commissione examinatis et probatis loquitur de communione, dicens: « Inter eas mirabilis communio viget... ». Hic ecclesiologicus aspectus debuisset fusius evolvi, quia centralem significationem in orientali conceptione habet.

Ex hoc defectu facile intelligitur quare paragraphus de Patriarchatibus insufficiens est. Si enim abest communionis conceptio, impossibile est sapienter loqui de Patriarchis. Ideoque, etsi in nn. 2-4, 7-11 loquitur de

orientalibus patriarchis et de particularibus ecclesiis, in conceptione iuridica manet, implicationes theologicas non comprehendens.

Paragraphus in schemate *de Ecclesia* inserta, cap. III, n. 23, pag. 66, linn. 20-34 maiorem sensum pro dialogo cum orthodoxis Ecclesiis habet quam propositiones *de Ecclesiis Orientalibus.* In eodem contextu schema *de Oecumenismo* de fraternis relationibus cum Ecclesiis sororibus loquitur.

Manifestum est dialogum inter orthodoxas Ecclesias et catholicam Ecclesiam instaurari non posse, si conceptio communionis Ecclesiarum magis praesens non sit. Non agitur hic, ut multi opinantur, tantum de canonicis vel liturgicis et disciplinaribus dispositionibus sed agitur de vita ecclesiali in sensu theologico.

Sine hac theologica conceptione, schema graviter insufficiens manet. Ideoque optarem ut clarius illae lineae theologicae in schemate appareant, ad renovationem catholicarum orientis communitatum inserviendam et ad catholicitatis plenitudinem melius manifestandam.

9

Exc.mus P. D. IESUS SERRANO PASTOR

Episcopus tit. Hypselitanus, vic. ap. Dariensis

In hac circa decretum *de Ecclesiis Orientalibus* discussione, volumus duabus de causis et nostram operam dare. Primum, quia agitur de his venerabilibus Ecclesiis qui testimonium unitati catholicae in oriente praebent, ideoque res ventilatur quae magnopere episcopos omnes, etiam longe viventes, interest. Res nostra agitur! Deinde, ut testimonium amoris fraterni erga fratres orthodoxos demus. In terris enim nostris Americae, adsunt non parvae coloniae orientalium separatorum. In mea circumscriptione paroecia quaedam Graecorum orthodoxorum adest qui vivide Spiritu Dei aguntur ut unionem in Christo petant, sicut mihi saepe asseruerunt. Iam vero decretum hoc, si apte redigatur, potest unionem efficaciter praeparare.

Plura in hoc schemate inveniuntur quae progressum in relationibus Ecclesiarum orientalium catholicarum cum ceteris partibus Ecclesiae constituunt, immo et aliqua laudanda, v. g. solemnis affirmatio legitimitatis diversorum rituum ac institutionum, mitior ratio communicationis in sacris cum non catholicis, etc.

Aliqua tamen adhuc desiderantur et alia perficienda videntur. Et imprimis factum ipsum quod decretum particulare pro Ecclesiis Orientalibus conficiatur, respondet certe hodiernae situationi, iuxta quam, propter separationem maximae partis Ecclesiae Orientalis, Ecclesiae Orientales catholicae apparent tamquam exceptio quaedam in praevalenti contextu latino. Sed certe non respondet naturae rerum nec doctrinae catholicae.

Et quidem Synodus Oecumenica (et praesertim ea Synodus quae unio-

nem cum non catholicis praeparare intendit) nequit, ad merum criterium quantitatis attendendo, praevalenter in latinis versari, deinde decretum quoddam particulare pro orientalibus promulgare; sed debet imprimis agere de principiis universalibus regiminis ac iuris quae pro omnibus catholicis valent, deinde partes diversas eiusdem decreti, vel, si necessarium videtur, decreta particularia consacrare et latinis et orientalibus. Aliter, *a*) a mentalitate nostra latina vinci videremur; *b*) difficultates magnae exorirentur in via unionis cum fratribus orthodoxis ex hac nova confirmatione aspectus latini Ecclesiae catholicae.

Idem evenit, recordamini, in praeparatione constitutionis *de sacra Liturgia.* Initio textum habuimus qui Liturgiam potius mente latina considerabat, loquebatur de lingua latina tamquam de lingua Ecclesiae simpliciter, etc. Postea tamen post animadversiones plurium oratorum, Commissio de re liturgica egregie rem subsanavit.

Exemplum afferam: de patriarchis orientalibus. Antiquae Synodi Oecumenicae, Nicaena I, can. 6, Constantinopolitana I, can. 3, Constantinopolitana IV, can. 21, agnoverunt praeeminentem dignitatem quinque sedium patriarchalium et earum ordinem praecedentiae: Romae, scil., quae simul Primatialis pro tota Ecclesia, in sensu definito, et patriarchalis pro latinis est; deinde Constantinopoleos, Alexandriae, Antiochiae ac Hierosolymis. Talibus decretis recognoscebatur antiquissima structura Ecclesiae in quinque patriarchatibus. Quae decreta iterum a Synodis Oecumenicis Lateranensi IV et Florentina confirmata sunt.

Patet agi de iure mere ecclesiastico (non vero de iure divino, sicut est Primatus Romani Pontificis) sed nescio utrum multa alia de iure mere ecclesiastico tantam vim habeant, propter antiquitatem et iteratam Conciliorum confirmationem.

Iam vero, in decreto *de pastorali episcoporum munere* cum de regimine totius Ecclesiae locuti sumus, silentium de his patriarchalibus sedibus tenuimus. Nec dici potest ibi nos egisse tantummodo de regimine Ecclesiae iuxta ius divinum, cum de Metropolitis immo et de Vicariis Castrensibus mentionem fecimus.

Nunc autem de patriarchis agit decretum pro orientalibus:

a) asserendo patriarchatum vigere in Ecclesia orientali, quod saltem inexactum est, cum haec institutio ad universalem Ecclesiam pertineat, ita ut Roma primum locum inter sedes patriarchales obtineat. Adhuc hodie Romanus Pontifex Patriarcha Occidentis vocatur.

b) Statuendo omnes patriarchas eadem pollere dignitate et tamquam exceptionem affirmando « salva inter eos praecedentia honoris legitime statuta ».

c) Mentionem faciendo Conciliorum supra allatorum circa dignitatem eminentem quinque sedium patriarchalium tantummodo in notula quae in definitiva redactione textus amplius non invenietur.

Sacrosancta haec Oecumenica Synodus debet de hac quaestione agere,

nec potest posteriori commissioni relinquere, cum agatur de re a pluribus Conciliis Oecumenicis statuta et sit maximi momenti pro unione cum fratribus orthodoxis. Nec ad silentium tenemur eo quod aliqua ex his sedibus nobiscum perfectam communionem non habeat, quia agitur de principio iuris stabiliendo vel confirmando, non vero de realitate hodierna examinanda. Ceterum Synodus quae praeparare intendit vias unioni, non potest ad actualem situationem coarctari, sed debet tempora praevenire. Sed et de hoc habemus exemplum praeclarum; propheticum certe, Beatissimi nostri Papae Pauli VI Patriarcham Athenagoram fraterna caritate amplectentis.

Conclusiones has benevolentiae vestrae submitto:

a) Caput vel saltem paragraphum de dignitate, praecedentia et iurisdictione sedium patriarchalium in decreto *de pastorali episcoporum munere* includere.

b) Saltem, praesens decretum iuxta haec principia corrigere:

1) Confirmentur expresse decreta allata Synodorum circa eminentem dignitatem sedium, post Romam, Constantinopoleos, Alexandrinae, Antiochenae, Hierosolymitanae.

2) Praeter iures earum traditionales, sint etiam prima membra Consilii Centralis (de quibus in paragrapho quinta *de pastorali munere episcoporum*) et inter electores Romani Pontificis adnumerentur.

3) Haec valent tantum pro his patriarchis qui perfectam communionem cum Sede Apostolica habent.

4) Romana Sedes opportune providebit ut in unaquaque ex his Sedibus, unus tantum titularis sit, iurisdictionem territorialem habens.

5) Patriarchae alii minores aequiparentur honore et privilegiis Patribus cardinalibus, retenta iurisdictione super Ecclesias suas.

Ita, credo, quaestio modo aequo et prudenti solvetur.

Adsunt et alia minoris momenti in schemate perficienda:

1. Ad n. 3. Inopportune, loquendo praesertim orientalibus, fit tantum mentio Romani Pontificis, exponendo motivum aequalis dignitatis Ecclesiarum.

Melius diceretur: « Aequali tamen modo ab episcopis, Apostolorum successoribus, reguntur et supremae pastorali curae Romani Pontificis concreduntur ».

2. Ad n. 27. Expressio « Orientales bona fide ab Ecclesia catholica separati », videtur corrigenda.

a) De bona fide melius non loquendum, cum ordinarie supponatur.

b) In decreto quo communicatio in sacris cum orthodoxis permittitur non est adhibenda expressio quae eos laedat.

c) Expressio « separati ab Ecclesia catholica », si theologice sumatur inexacta est, cum agatur de episcopis ac sacerdotibus valide sacramenta administrantibus, Eucharistiam celebrantibus (sacramentum unitatis Eccle-

siae) ac fidem orthodoxam Patrum profitentibus, quae omnia, abs dubio, ad elementa essentialia Ecclesiae pertinent.

Paulus VI expressionem magis adaequatam saepe adhibet eos vocantes « Fratres qui nobiscum perfectam communionem non habent », vel ut dicitur in schemate *de Oecumenismo,* « separati ab Apostolica Sede ».

10

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS SIMONS
Episcopus Indorensis

Pag. 5-6, n. 4. Ut gradatim ad statum normalem unius iurisdictionis et ritus territorialis via praeparetur:

1. Iurisdictio latina removeatur ab omnibus terris traditionaliter orientalibus (Palaestina, Graecia, etc.), et ritus latinus iis tantum in istis terris permittatur qui originem ducunt ex terris latini ritus et tantum in quantum nondum in populis orientalibus integrati sunt. Haec est conditio praevia sine qua haec quaestio psychologice difficillima omnino solvi nequit.

2. In terris in quibus immigrantes maiori numero inveniuntur eorum infantes tertiae generationis omnino cum populatione maiori indigena mergi cupiunt, etiam quoad usus religiosos et ritum. Haec integratio generatim et utilis est pro ipsis et laudanda. Proinde iurisdictiones separatae et ritus generatim tamdiu praeserventur quamdiu immigrantes id velint vel ut entitas ethnica separata seu non integrata perseverent. Non expedit homines *vi* ad alicui ritui adhaerendum cogere qua faciliter ab ipsa Ecclesia alienantur. Recursus ad S. Sedem in casibus particularibus integrationem nimis difficilem reddit. Pro immigrantium et Ecclesiae bono integratio non opponenda est. Salus animarum suprema lex esto!

Ad n. 4, p. 6, linn. 7-9. Loco textus praesentis schematis ponantur sequentia vel similia verba: « In terris traditionaliter orientalis ritus (incl. Aegypto, Abyssinia...) fideles ritus latini optionem habeant libere adoptandi ritum orientalem localem, immo, si sunt originis indigenae, ad id faciendum suaviter adducantur; dum omnes alii adoptent ritum orientalem localem tantum, salvo iure, in casibus particularibus, recurrendi ad S. Sedem. In terris autem latini ritus fideles et reuniendi ritus orientalis liberi sint ad adoptandum ritum latinum, dum omnes alii pertineant ad ritum latinum tantum, nisi propter matrimonium cum parte orientali ritum orientalem adoptare velint ». *Rationes*:

1. Generatim ii, qui in terris orientalibus permanenter degunt, non rationabiliter petunt veniam adoptandi ritum latinum, proinde optio generalis iis non dandum est. In iis terris sacerdotes et missionarii ritus latini sint bi-rituales et conversos ad ritum localem orientalem tantum convertant.

2. Tum in terris orientalis ritus tum in terris ritus latini *integratio* omnium hominum, etiam immigrantium, in unum populum eundemque ritum

localem *optanda* et proinde positive fovenda et facilior reddenda est. Integratio in unum populum est magnum bonum, quippe quod multas tensiones et obstacula contra progressum oeconomicum, culturalem et politicum tollit, et generatim ab ipsa progenie immigrantium, saltem in tertia vel quarta generatione, valde desideratur.

Non rationabiliter obstaculum tali integrationi et desiderio opponitur (sicut fit in textu praesentis schematis).

3. Sic etiam via sternitur ad unicitatem iurisdictionis et ritus in eodem territorio. Talis unicitas, quae est traditionalis et quae evitat frictiones et invidias, optanda et proinde facilior reddenda est. Lex quae ei obstaculum opponit et difficiliorem reddit, non est rationi consona, sed nocet Ecclesiae et hominibus.

4. In novo textu conceditur maior libertas quam in schemate praesenti, sed est libertas quae favet integrationi. Si maior libertas conceditur orientalibus in terris latini ritus quam latinis in terris orientalis ritus id est propter maiorem numerum orientalium in terris latini ritus, quibus tempus longius et maior libertas ad integrationem consequendam concedenda sunt.

P. S. Supra dicta non valent pro Kerala in India, ubi conditiones sunt omnino diversae, nam 1. fideles ritus orientalis et ritus latini sunt fere aeque numerosi (1.000.000 : 800.000); 2. etiam ritus orientalis non est vere indigenus, sed exterus a Syria importatus; 3. integratio nondum possibilis est propter diversitatem « castarum » quae adhuc longe distant una ab altera.

11

EXC.MUS P. D. GREGORIUS VARGHESE THANGALATHIL

Archiepiscopus Trivandrensis Syrorum Malankarensium

Loquor de n. 4 et praesertim in quantum respicit conditiones in India et speciali modo conditiones Ecclesiae Malankarensis.

Constitutio paroeciarum et hierarchiae propriae de qua in hoc numero sermo est, omnino necessaria est, ubi numerus christianorum sat magnum est.

Rationes: a) *necessaria est ex iustitia.* Loquimur de libertate religiosa omnium filiorum Dei. Cur negamus catholicis Ecclesiarum orientalium ius exercendi suum ritum et conservandi suum patrimonium? Iudaeis et Musulmanis vindicamus, et recte quidem, iura propria. Numquid christiani rituum orientalium debent esse in conditione peiore?

b) *Necessaria ad existentiam Ecclesiarum orientalium.* Ut notum est, Ecclesiae orientales in adiunctis praesentibus variis limitationibus subiacent, praesertim quoad numerum fidelium. Si illi orientales, qui extra proprium territorium degunt, et eorum numerus quotidie augetur, non habeant organisationes proprias, lapsu temporis a ritu proprio omnino alienabuntur.

c) *Necessaria ad unionem restaurandam fratrum seiunctorum.* Liceat

mihi cum dolore fateri quod divisio in Ecclesia in India primum ex immoderato zelo latinizationis provenit. Fratres seiuncti omnimodam libertatem habent paroecias et hierarchias ubique constituendi. Hodie in India, extra sic dictum territorium orientalium, sunt permulti christiani orientales, fere 70 paroeciae et duo hierarchae. Ipsi fratres seiuncti fere numquam adeunt Ecclesias ritus latini, quia ritus latinus eis omnino extraneus videtur. Libenter tamen adeunt ecclesias catholicas proprii ritus. Inde patet quod sine huiusmodi paroeciis et eparchiis dialogus inter Ecclesiam catholicam et fratres seiunctos impossibilis fit.

d) *Necessaria ad annuntiandum bonum nuntium salutis* inter innumeros milliones hominum in India, hominum scil. qui profunde religiosi sunt, qui, licet ad sextam partem totius generis humani attingant, 98% Christo adhuc alieni existunt.

Structura hodierna Ecclesiae catholicae in India realitati minime correspondet neque Evangelium nuntiandi rationem habet. Dividitur totum territorium Indiae inter varias iurisdictiones ritus latini. Constituuntur dioeceses et archidioeceses cum territorio immenso ubi aliquando sunt tantum circiter 2000 catholici qui minores sunt quam unus inter mille habitantes. Huiusmodi divisio nominalis dicenda est potius quam realis.

E contra, catholici rituum orientalium, qui aliquando soli habuerunt iurisdictionem in tota India, nunc severissime restringuntur intra angustum territorium. Extra hoc territorium etiam in magnis civitatibus ubi catholici rituum orientalium numerosi sunt et aliquando plusquam decem milia ut in Bombay, ne unum quidem sacerdotem sui ritus habere permittuntur. Vocationes Apostolicae quae numerosae sunt aut coguntur ritum latinum accipere si in aliis dioecesibus Indiae laborare volunt aut extra Indiam abeunt.

Solutio optima erit tum constituere paroecias et eparchias ritus orientalis ubi fideles eius ritus numerosi sunt tum concedere orientalibus territoria ecclesiastica sui iuris.

Patres carissimi, stamus ante auroram novi aevi vitae apostolicae et historiae salutis. Per nos Christus et sua Ecclesia ubique praesentes sint oportet. Per hoc magnum Concilium Ecclesia Christi de novo apparebit ut in tempore primaevo, vere catholica, universalis, non alligata ad aliquam formam vel culturam particularem, sed sibi assimilans omnem culturam omnemque valorem. Coram illa mirabili fecunditate Evangelii Dei non simus timidi et homines modicae fidei. Assuescamur videre Ecclesiam ut thesaurum in quo sunt nova et vetera, Ecclesiam ut communitatem in qua sunt varii ritus, variae linguae, variae formae vitae. Non alligamus Verbum Dei ad aliquam unicam culturam quamvis in se eximiam. Tunc Christus, Verbum Dei loquetur omnibus hominibus, unicuique in sua lingua et suo idiomate. Tunc erit Novum Pentecostes et tunc curret sermo Dei.

II. In eodem numero, pag. 6, linn. 6-10. Acatholici ad Ecclesiam catholicam convenientes libentissime proprium ritum retinebunt. Intelligi

potest quod propter speciales conditiones et specialia adiuncta quidam ad alium ritum transire vellent. Hoc in casu recursus ad Sanctam Sedem, de quo in articulo sermo est, haberi potest. Huiusmodi recursus, uti experientia patet, non est difficilis nec implicatus.

Acatholici plerumque inducuntur ad transeundum ad alium ritum per motiva extrinseca per aliquam formam proselytismi quem semper reprobaverunt Pontifices Romani. Hic non est quaestio de libertate religiosa, secus etiam omni catholico suum ritum ad libitum mutare semper liceret. Quaestio magis est de fidelitate ad patrimonium spirituale proprium. Quo magis, convenientes ad Ecclesiae unitatem remanent huic patrimonio fideles, eo facilius fiet illa optata reconciliatio omnium christianorum.

Bonum Ecclesiae commune praevalere debet cuivis beneficio particulari et hoc bonum commune consistit in providendo tuitioni atque incremento omnium Ecclesiarum particularium.

Conclusio. Verba articuli retineantur uti sunt.

12

EXC.MUS P. D. IGNATIUS ZIADÉ

Archiepiscopus Berytensis Maronitarum

Liceat mihi aliquas animadversiones facere circa schema *de Ecclesiis Orientalibus,* primo in genere, secundo in specie:

I. In genere schema recognoscendum est. Laborat paternalismo. Ecclesiae orientales sunt, sicut Ecclesia latina, Ecclesia catholica; quapropter illa quae dicuntur affectu paternalistico delenda sunt: i. e. prooemium et nn. 1-3.

Illa quae dicuntur de patriarchis et de Synodo Patriarchali debent esse in schemate *de munere pastorali episcoporum*: patriarchae sunt veri pastores. Quae de communicatione in sacris locum habent in *de oecumenismo.*

Alia quae de sacramentis et de ritibus, poni debent in Codice Iuris, qui post reformationem unicus esse debet, in duabus partibus; in prima generaliora pro tota Ecclesia catholica, in secunda specialia pro Ecclesia latina et pro ecclesiis orientalibus.

II. In specie: liceat mihi proponere quasdam animadversiones de communicatione in sacris pag. 10 in schemate decreti *de Ecclesiis Orientalibus.*

1. Inopportunum est loqui de eadem materia in pluribus schematibus. Principia generalia de communicatione in sacris iam lata sunt in schemate decreti *de Oecumenismo* sub n. 8, pag. 15 et etiam sub n. 15, pag. 20 et quidem de orientalibus. Necesse est ut, quae dicuntur in nostro schemate decreti *de Ecclesiis Orientalibus* dicantur semel pro semper in schemate decreti *de Oecumenismo* post eorum emendationes, et sint pro Ecclesia catholica uti principia generaliora pro omnibus catholicis. Ob adiuncta

diversa in diversis locis, relinquantur particularia ad episcopos vel ad episcoporum collegium, ubi sunt plures in eodem territorio, ut, collatis consiliis et omnibus consentientibus, uniatur agendi modus in eodem loco.

2. In determinatis adiunctis, et positis memoratis principiis sub n. 26, non tantum orientalibus, sicut declaratur in n. 27, sed etiam omnibus baptisatis qui bona fide separati inveniuntur ab Ecclesia catholica, si sponte petant et rite sint dispositi, sacramenta poenitentiae, Eucharistiae et unctionis infirmorum conferri possunt. Nam in toto « Medio Oriente » sunt Protestantes vere baptisati et secundum ius hodiernum apud Sanctam Sedem, quidam dicuntur orientales, ratione originis, alii vero occidentales. Possumusne nos gerere diverso modo in eodem loco cum fidelibus eiusdem communitatis. Venerabiles Patres, cur restringere debemus illas dispositiones solis orientalibus? Nonne porta aperta debet esse non tantum orientalibus sed et omnibus baptisatis, si sunt bene dispositi, et in bona fide. Forsitan dicitur illos non credere in praesentia reali in Eucharistia vel in effectu sacramentorum. Respondetur: ergo illos non esse bene dispositos. In istis circumstantiis, ad episcopum residentialem pertinet declarare communicationem in sacris, in illo loco, non licere. Ipse enim est iudex in propria ecclesia de periculo aberrationis in fide, scandali et indifferentismi vel malae dispositionis subiectorum.

3. In communicatione in sacris, porta amplior aperta est pro omnibus fratribus seiunctis, sed non remanere debet tam aperta pro catholicis ut sacramenta illa petere possint a ministris acatholicis, ubi solum vera spiritualis utilitas suadet, uti dicitur in textu (lin. 26). Etenim semper adest illa spiritualis utilitas. Neque sufficit ut accessus ad sacerdotem catholicum sit moraliter impossibilis. Volumusne Patres conciliares, portam patere ut intercommunio instauretur et Ecclesia catholica non amplius distinguatur. Nonne pericula scandali et aberrationis in fide et speciatim indifferentismi erumpuntur inter christifideles. Non negamus licitum esse petere illa sacramenta, ubi sunt valida, a ministro acatholico in vera necessitate et ubi accessus ad sacerdotem catholicum physice impossibilis evadit. Optime declarat schema decreti *de Oecumenismo* in n. 8, pag. 15, lin. 31 ubi legitur: « Communicatio a duobus principiis praecipue pendet: ab unitate Ecclesiae significanda et a participatione in mediis gratiae. Significatio unitatis plerumque vetat communicationem. Gratia procuranda quandoque illam commendat. De modo concreto agendi, decernat auctoritas episcopalis, attentis omnibus circumstantiis temporum, locorum et personarum ».

4. Ecclesiae Christi interest, ut modus agendi Pastorum unicus maneat ne scandalum eveniat. Quapropter dicitur in n. 29, lin. 34 « collatis inter se consiliis »; sed etiam hoc non sufficit si sunt plures episcopi in eadem urbe, sicut in fere omnibus dioecesibus in oriente; debemus addere « et omnibus consentientibus ». Ratio evidens est: ne unus episcopus, diverso modo ab aliis in eadem urbe cum fratribus seiunctis se gerat.

Concludo: exopto ut 1. illae sparsae dispositiones de communicatione

in sacris in unico textu collocentur nempe in schemate decreti *de Oecumenismo* (n. 8 aut 15).

2. In lin. 21 loco verbi « orientalibus » ponatur verbum « baptisatis ».

3. In lin. 26 mutentur verba « necessitas aut vera spiritualis utilitas » per verba « vera necessitas ».

4. In lin. 27 deleantur verba « vel moraliter ».

5. Tandem in lin. 34, post verba « collatis inter se consiliis » addatur « et consentientibus ».

CONGREGATIO GENERALIS CVI

21 octobris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CVI

21 octobris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Hodiernam congregationem generalem centesimam sextam moderatur em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

In hac congregatione, Patres venerabiles, vobis distribuetur fasciculus continens relationem super schema propositionum — non « propositium », ut typographi scripserunt — *de activitate missionali Ecclesiae.* Hoc schema — bene attendatis — discutietur postquam discussum fuerit schema *de Ecclesia in mundo huius temporis. De activitate missionali Ecclesiae* suo tempore, uti patet, discutietur.

Pariter in hac congregatione generali incipient suffragationes circa schema decreti *de Ecclesiis orientalibus,* prouti dictum fuit. Hodie non possunt fieri omnes septem suffragationes. Fient quinque; ceterae fient crastina.

Interea lego nomina eorum, qui verbum facere petierunt super schema *de Ecclesia in mundo huius temporis.* Hi sunt: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ioannes Landázuri, arch. Limanus in Peruvia; Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis in Belgio; Augustinus Bea; beat.mus D. Paulus Petrus Meouchi, Patriarcha Antiochenus et totius Orientis Maronitarum; exc.mi DD. Alfonsus Mathias, ep. Chikmagalurensis in India; Ioseph Vairo, ep. Graviensis et Montis Pelusii in Italia; Casimirus Morcillo, arch. Matritensis-Complutensis in Hispania; Villelmus Conway, arch. Armachanus in Hibernia; Leo Elchinger, ep. coad. Argentinensis in Gallia; Elias Zoghby, arch. vic. patr. Antiochenus Melchitarum; Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis pro Ucrainis in Canada; Carolus Wojtyla, arch. Cracoviensis in Polonia; Angelus Jelmini, ep. adm. ap. Luganensis in Helvetia; Ioannes Heenan, arch. Vestmonasteriensis in Anglia; Mauritius Roy, arch. Quebecensis in Canada; Ioseph Stimpfle, ep. Augustanus Vindelicorum in Germania; Sebastianus Soares, ep. Beirensis in Mozambico; Franciscus Franić, ep. Spalatensis et Macarscensis in Jugoslavia; Paulus Muñoz-Vega, ep. coad. Quitensis in Aequatore; Antonius de Castro, ep. Camposinus in Brasilia; Dionysius Hurley, arch. Durbanianus in Africa Meridionali; An-

dreas Hamvas, arch. Colocensis in Hungaria; Andreas Charue, ep. Namurcensis in Belgio; Laurentius Shehan, arch. Baltimorensis in Stat. Foed. Americae Sept.; Anicetus Fernandez, sup. gen. O.P.; Leo-Stephanus Duval, arch. Algeriensis in Algeria.

Et nunc propono, Patres venerabiles, I suffragationem de schemate *de Ecclesiis Orientalibus*.

Animadvertatis, Patres, in calce relationis super hoc schema habentur aliquae emendationes quae iam sunt introductae in textu. Quapropter dum lego, lego textum cum his emendationibus, et eas notare faciam voce parumper elata, ita ut omnes possint animadvertere aliquam immutationem esse introductam. Sed immutationes habentur, uti dixi, in calce relationis, sub hoc titulo: « Emendationes a commissione examinatae et probatae » [*cf. vol. III, pars IV, pag. 527*].

En igitur textus primae suffragationis: « Orientalium Ecclesiarum instituta, ritus, traditiones ecclesiasticas atque vitae christianae disciplinam Ecclesia catholica semper magni fecit. In eis enim, utpote veneranda antiquitate praeclaris, elucet ea quae ab Apostolis et ea quae a Patribus est traditio, quaeque partem constituit divinitus traditi atque indivisi universae Ecclesiae patrimonii. Ecclesiarum igitur Orientalium, quae huius traditionis testes sunt vivi, sollicitudinem gerens, haec Sancta et Oecumenica Synodus id spectans ut eaedem floreant et novo robore apostolico concreditum sibi munus absolvant, praeter ea, quae ad universam spectant Ecclesiam, capita quaedam statuere decrevit, ceteris ad providentiam Synodorum orientalium nec non Sedis Apostolicae remissis ».

Placetne hic textus, *non placet,* an *placet iuxta modum?* Qui suffragium ferunt *iuxta modum,* tradent etiam modos. Attamen moderatores concedunt ut hi modi possint tradi etiam crastina, ex benigna concessione tamen. Ergo, respondeatis, Patres.

1

Em.mus P. D. IOANNES card. LANDÁZURI RICKETTS

Archiepiscopus Limanus

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,

Placet omnino, post schema doctrinale *de Ecclesia,* etiam *de Ecclesia in mundo huius temporis* sermonem esse. Nam ex una parte eius ministerii est omnibus quidem hominibus, nulla distinctione interposita, Evangelium lucis et pacis, a suo Conditore acceptum, transmittere, hisce

praesertim temporibus, in quibus humanum genus verbo spei et elevationis magis indiget. Altera ex parte homines diversarum latitudinum, occasione huius Oecumenici Concilii, oculos suos ad Ecclesiam convertunt, et ab ea lucem, et, per lucem, pacem exspectant quoad quaestiones quae eorum animum excruciant. Proindeque Ecclesia minime potest talia ac tanta problemata, de quibus interrogatur, praeterire, etiamsi forsan nonnulla ad eius dominium directe non pertineant. Adiuncta enim materialia et moralia, socialia et oeconomica, scientifica et technica nostri temporis omnes homines anxios et ancipites tenent, et omnes, etiam qui e gremio Ecclesiae non sunt nec fidem christianam confitentur, quid Ecclesia de iis sentiat sollicite quaerunt. Mundus interrogationibus suis dialogum cum Ecclesia instituit; Ecclesiae igitur est in hoc dialogo respondere. En proinde finis huius schematis.

Quanti momenti et difficilis solutionis sit huiusmodi finis, nemo est qui non videat. Quaestiones enim quae tractantur intimos hominum sensus affectusque saepius tangunt, quibus a nobis est respondendum. Ecclesia quidem principia aeterna atque immutabilia possidet, sed eorum applicatio ad hodierni temporis adiuncta aliquando non sine magna difficultate fieri potest; etenim Ecclesia mutatis conditionibus ita sese accommodare debet, ut propria principia deserere aut mutare minime videatur.

Iamvero, quod attinet ad nostrum schema, etsi non in omnibus punctis nobis placeat, ipsum tamen velut utile instrumentum aut basim ulterioris disceptationis inservire putamus.

Quo melius autem ad perfectiorem formam emendari possit, liceat mihi sequentes proponere animadversiones:

1. Omnino curandum est ut schema claras notiones proponat eisque eodem semper sensu utatur. In hoc praesertim schema deficere videtur et accurata indiget revisione.

Ita, e. g. clare dicendum est quid voce « mundus » intelligatur. Definitio praesertim verbalis proferenda est, a qua schema nunquam discedere debet, nisi id expresse notetur. In relatione, n. 32, dicitur quid sub hac voce intendatur, sed additur « praeprimis », ita ut aequivocatio nondum tollatur. De cetero, illa determinatio terminologica non tantum in relatione, sed etiam in ipso schemate est exprimenda.

Vox quoque « Ecclesia » semper eodem sensu est adhibenda. In schemate enim quandoque pro populo Dei, quandoque pro hierarchia ecclesiastica sumitur; quandoque etiam principia fidei et morum christiana comparantur principiis mundi, quandoque hierarchiae seu societatis Ecclesiae habitudo describitur ad rectores gentium civiles. Quod non absque utilitate in cap. II et III rigidius distingui deberet.

2. *Animadversio.*[1] Clara etiam principia proponenda sunt ubi agitur de tensione inter spirituale et temporale. Hoc enim binomium « spirituale-temporale » decursu temporum diversimode fuit interpretatum multisque controversiis locum dedit, et etiam in schemate nostro indistincte et confuse adhibetur. Habitudo elementi spiritualis ad elementum temporale in vita hominum non semper in Ecclesia eodem modo est iudicata. Nullum est dubium quin Ecclesia, temporibus transactis, per suos magistros spirituales et auctores asceticos quamdam fugam mundi, quamdam aversionem a negotiis et praeoccupationibus temporalibus praedicaverit, dum hodie fideles ad intensiorem partem in temporalem societatis compositionem habendam enixe invitantur; immo ipsa vita religiosa, quae antea non raro tanquam fuga a mundo considerabatur, hodie recte veluti summum servitium mundo et animabus describitur. Proinde curandum est ut schema principia quae decursu temporum ex diversis interpretationibus binomii « spirituale-temporale » emerserunt, clare exponat.

3 *Animadversio et ultima.*[2] Vellem tandem breve addere verbum de aliqua re, quae non videtur ea quam meretur insistentia tractari. Est velut lacuna maioris momenti in schemate de dialogo cum mundo moderno. Problema enim de fame in mundo oblivioni minime tradendum nec perfunctorie aut uno verbo considerandum est. Necessarium videtur hac occasione Concilii, in praesenti schemate, Ecclesiam aliquid de hac re ad homines universos proclamare. Profecto, iuxta recentiores statisticas, octoginta quinque ex centum partes reddituum mundi ab una tertia parte humanitatis possidentur; altera tertia pars solum decem ex centum partes, ultima demum pars solum quinque partes possidet; si hoc *etiam*[3] prae oculis tenemus quod ex quinquaginta millia millium hominum, qui singulis annis moriuntur, triginta quinque millia millium ex fame vel insufficienti nutritione pereunt, non potest hic solemnis Consessus, nomine Illius coadunatus qui super turbam fame laborantem miserebatur, hoc problema praeterire. Si miraculum Domini, quo ipse quinque panibus quinque millia hominum satiavit, renovare nobis datum non est, tamen possumus ac debemus homines exhortari ut qui habent sentiant officium satiandi illos qui non habent. Quapropter opportunum est hanc Sacrosanctam Synodum vocem extollere ut omnes, et imprimis Christi sequaces, fratrem suum fame pereuntem adiuvent. Certe multa a pluribus guberniis laudabiliter iam fiunt, atque laude dignae sunt actiones quae, impulsu persaepe episcoporum, in multis nationibus a diversis associationibus suscipiuntur, sed

Concilii vox silere non potest donec omnis homo intellexerit neminem satiari debere quamdiu frater eius esurit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest.

Secretarius generalis: Lego textum II suffragationis: « De Ecclesiis particularibus. Sancta et catholica Ecclesia, quae est Corpus Christi mysticum, constat ex fidelibus, qui eadem fide, iisdem sacramentis et eodem regimine in Spiritu Sancto organice uniuntur, quique in varios coetus hierarchia iunctos coalescentes, particulares Ecclesias constituunt. Inter eas mirabilis communio viget, ita ut varietas in Ecclesia nedum eiusdem noceat unitati, eam potius declarat; Ecclesiae enim catholicae hoc propositum est, ut salvae et integrae maneant legitimae uniuscuiusque particularis Ecclesiae traditiones, eademque pariter vult suam vitae rationem aptare variis temporum locorumque necessitatibus.

« Huiusmodi particulares Ecclesiae, tum Orientis tum Occidentis, licet ritibus, ut aiunt, nempe liturgia, ecclesiastica disciplina et patrimonio spirituali partim inter se differant, aequali tamen modo concreduntur pastorali gubernio Romani Pontificis, qui Beato Petro in primatu super universam Ecclesiam divinitus succedit. Eaedem proinde pari pollent dignitate ita ut nulla earum ceteris praestet ratione ritus, atque iisdem fruuntur iuribus et tenentur obligationibus, etiam quod attinet ad Evangelium praedicandum in universum mundum sub moderamine Romani Pontificis.

« Provideatur igitur ubique terrarum tuitioni atque incremento omnium Ecclesiarum particularium, ac propterea constituantur paroeciae atque propria cuiusque hierarchia, ubi id postulat bonum spirituale fidelium; hierarchae vero variarum Ecclesiarum particularium in eodem territorio iurisdictionem obtinentes, curent, collatis consiliis in periodicis conferentiis, unitatem actionis fovere, et, viribus unitis, communia adiuvare opera, ad bonum religionis expeditius promovendum et cleri disciplinam efficacius tuendam. Omnes denique et singuli fideles, necnon baptizati acatholici ad Ecclesiam catholicam convenientes, proprium ubique terrarum retineant ritum, salvo iure, in casibus particularibus, recurrendi ad Sedem Apostolicam, eumque colant et pro viribus observent ». *Placet, non placet* an *placet iuxta modum?*

2

Em.mus P. D. LEO IOSEPH card. SUENENS
Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis

Venerabiles Patres,

Etiam mihi placet schema propositum, propter omnes rationes heri tam diserte expositas, speciatim a co-moderatoribus meis, quibuscum consentio — *ut decet* [1] — in spiritu fraternae collegialitatis.

Ideo statim venio ad animadversiones quas propono ad textum perficiendum. Inter multa dicenda, super quaedam insistere vellem:

1. Magni momenti est quod schema fortius et explicitius insistat super sequens principium. In necessario colloquio cum mundo, responsio quam affert Ecclesia quaestionibus hominum est responsio « ecclesialis », i. e. procedens ex natura ac missione sibi propriis et prolata in campo competentiae suae. Ecclesia enim *de thesauro suo* profert nova et vetera.

De thesauro suo, dicimus. Nam Ecclesia considerat problemata v. g. culturae, pacis et belli, non directe per aspectus technicos, sed per religiosam et moralem perspectivam, supponendo evidenter quod ista bene intelligatur cum suis dimensionibus individualibus, socialibus et internationalibus.

In dialogo ergo cum mundo, Ecclesia, ut lingua moderna dicam, nequit uti nisi partim « de la longueur d'onde propre au monde », sed sua propria utitur. Ecclesia v. g. est et remanet inaestimabile instrumentum pacis pro mundo, non directe tamen in campo diplomatico sed ipsa natura et fine sua. Tota sua doctrina, intendit homines mutuo avvicinare ad seipsos; pacem mundi fovet per activitatem suam oecumenicam, quae aspirat ad unitatem visibilem restabiliendam inter christianos; eamdem pacem praeparat per colloquium cum non-christianis et ...[2] hominibus bonae voluntatis. Summatim, pretiosissimum est instrumentum pacis pro mundo, afferens hominibus fundamentum suum supremum, Dominum Nostrum Iesum Christum, principem pacis.

Ut illusiones vitentur et ne decipiatur exspectatio falsa et indiscreta, et ut ratio habeatur legitimae autonomiae mundi in campo suo, mihi maximi momenti videtur hoc sublineare: Ecclesia contributionem suam offert per responsionem quae profertur « non univoce et formaliter in ipsa perspectiva mundi » sed « analogice et eminenter » in linea ipsius Ecclesiae.

2. Maxime etiam interest ut explicite evolvatur relatio inter humanizationem et evangelizationem mundi.

Aliqui olim dixerunt, et theoria illa adhuc influxum exercet, quod per prius adlaborari debet ad humanizationem, ut dicunt, mundi et postea tantum via patebit ad evangelizationem. Certe, numquam satis opem feremus ut mundus humanior eveniat, sed aequivocationem dissipemus oportet. Secundum verba S. Papae Pii X, Ecclesia civilizat evangelizando et non evangelizat civilizando. At evangelium authenticum non est si animam tantum penetret et non totum hominem, et hominem dico non tantum individualem sed cum omnibus suis relationibus ad fratres ac societatem, hominem in suis omnibus activitatibus oeconomicis et culturalibus, *et sic porro.*[3] Evangelium fermentum est quod totum maturare valet. Magnum periculum adesset si opus evangelizationis sub modio retineretur donec perficiatur opus humanizationis. Etsi non confunduntur, ambo tamen intime connectuntur et simul procedere debent.

Relatio ergo mutua inter evangelizationem et humanizationem bene elucidetur. Nemo est qui non videat quod renovatio pastoralis talem elucidationem supponit et exigit.

3. Schema non satis loquitur de phaenomeno illo tam amplo et characteristico mundi hodierni: nempe aperta professio atheismi militantis sub omnibus suis formis. Atheismus certe est error nefandus sed nimis facile esset illum simpliciter damnare: examinare oportet cur tot homines se esse atheos profiteantur et quisnam revera sit ille Deus quem tam acriter impugnant. Etiam cum ipsis dialogus instituatur ut quaerant et recognoscant imaginem veram Dei quae forsan absconditur sub caricaturis quas reiiciunt. Ex parte nostra autem examen instituatur de nostro interdum loquendi modo de Deo ac fidem vivendi ne sol Dei viventis eis obscuretur.

4. Optandum est ex annexis quaedam transferri in schemate ipso siquidem optima ibi inveniuntur et quidem necessaria ad textum intelligendum. V. g. ea quae dicuntur de collaboratione filiorum Ecclesiae in campo internationali necnon de amore coniugali et de familia ex quibus denique tandem *matrimonium christianum plene amorem integrari apparet, et sic trans eius aspectum iuridicum totam suam complexitatem vitalem servat.*[4]

Concludendo ergo dicam: ad examen procedamus. Schema sit demonstratio concreta de amore Ecclesiae erga mundum, de immensa

collaboratione quam Ecclesia offert hominibus, ad pacem et aedificationem civitatis terrestris. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] omnibus. [3] etc. [4] amor in matrimonio plene integrari apparet.

Secretarius generalis: Lego textum III suffragationis. « Historia, traditiones et plurima ecclesiastica instituta praeclare testantur quantopere de universa Ecclesia Orientales Ecclesiae meritae sint. Quapropter Sancta Synodus patrimonium hoc ecclesiasticum et spirituale non solum aestimatione debita et iusta laude prosequitur, sed etiam tamquam patrimonium universae Christi Ecclesiae firmiter considerat. Quamobrem sollemniter declarat, Ecclesias Orientis sicut et Occidentis iure pollere et officio teneri se secundum proprias disciplinas peculiares regendi, utpote quae veneranda antiquitate commendentur, moribus suorum fidelium magis sint congruae atque ad bonum animarum consulendum aptiores videantur.

« Sciant ac pro certo habeant omnes orientales, se suos legitimos ritus liturgicos suamque disciplinam semper servare posse et debere, ac nonnisi ratione proprii et organici progressus mutationes inducendas esse. Haec omnia, igitur, maxima fidelitate ab ipsis orientalibus observanda sunt; qui quidem harum rerum cognitionem in dies maiorem usumque perfectiorem acquirere debent, et si ab iis ob temporum vel personarum adiuncta indebite defecerint, ad avitas traditiones redire satagant. Illi vero qui ratione sive muneris, sive apostolici ministerii frequens cum Orientalibus Ecclesiis aut cum earum fidelibus habeant commercium, in cognitione et cultu rituum, disciplinae, doctrinae, historiae atque indolis orientalium accurate, pro gravitate officii quod gerunt, instituantur. Religionibus vero et associationibus latini ritus, quae in regionibus orientalibus vel inter fideles orientales operam praestant, enixe commendatur, ut, ad maiorem apostolatus efficaciam, domos aut etiam provincias orientalis ritus, quantum fieri potest, constituant ». *Placet, non placet,* an *placet iuxta modum?*

3

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Venerabiles Patres,

1. Breviter tantum quaedam in laudem schematis dicam, non quod pauca tantum laudanda videantur, sed quia, uti patet, nostra et ipsius

commissionis magis ea intersunt, quae complenda et perpolienda sunt. Schema materiam valde difficilem optime collegit eiusque varias partes succincte exponit. *Et est quasi illustratio et applicatio concreta et practica eorum quae Summus Pontifex Paulus VI in Litteris Encyclicis « Ecclesiam Suam » de dialogo cum mundo lucide exposuit.*[1]

2. Inter ea quae complenda vel perpolienda videntur, res omnino principalis atque summi momenti videtur, ut *principia quae proponuntur,*[2] *principia* magis profunda, *ex quibus res practice*[3] illuminari oportet, *magis probentur et quidem ex S. Scriptura.* Hoc enim documentum non primario ad infideles, ad « mundum », dirigitur, *quamvis agat « de mundo »,*[4] sed ad fideles, qui de modo vivendi in mundo docendi sunt, *docendi*[5] ex fontibus fidei, *non tantum ex motivis rationalibus.*[6] Quando ...[7] prima vice legi schema, superficiale fere mihi visum est, in quantum vix tangat vel fere praetereat quasdam veritates magni momenti. Post ulteriorem reflexionem *tamen,*[8] non puto schema *superficialitatis*[9] accusari posse. Ea quae supra dixi de principiis profundioribus, quibus cetera omnia nituntur, sat demonstrant non agi proprie de documento parum solido, *sed*[10] potius dixerim probationes pro illis principiis allatas insufficientes esse. *Probo hoc tantum duobus exemplis.*[11]

a) ...[12] Inter principia magni momenti, quae modum se gerendi Ecclesiae eiusque filiorum erga res civitatis terrenae determinant, praeter conscientiam et legem moralem naturalem etiam *dominium universale Christi* super res omnes creatas et ...[13] super vitam socialem, oeconomicam, *politicam,*[14] numerari debet. Hoc ergo dominium non tantum innui, sed magis *explicite* ostendi deberet, ita ut appareat hoc dominium cohaerere cum opere Redemptionis et magis praecise cum Resurrectione Christi e mortuis *et eius Ascensione,*[15] uti, v. g. in epistula ad Ephesios dicitur: Deus suscitavit Christum a mortuis eum « constituens ad dexteram suam in caelestibus supra omnem principatum et virtutem et dominationem et omne nomen... et omnia subiecit pedibus eius » ...[16]

b) Cum eadem doctrina cohaeret *dein*[17] aliud quoque principium item magni momenti, scil. res omnes, et maxime *res creatas quae sunt*[18] infra hominem ordinari in bonum hominis *et societatis*[19] et hoc ...[20] secundum energicum dictum S. Pauli: « Omnia vestra sunt, ... sive mundus sive vita sive mors, sive praesentia, sive futura: omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei » ...[21]

Haec certe merentur quae fusius et clarius exponantur in schemate.[22]

c) *Aliud exemplum* respicit doctrinam adhuc magis characteristicam et maioris momenti, sed forte minus *cognitam,*[23] quaeque proinde magis explicite tractari deberet: est ille *duplex character* vitae hominis

christiani, quatenus terrestris simul est et caelestis, ac *illa* [24] tensio aliaeque consequentiae practicae quae inde fluunt. *Haec* [25] res eo maioris momenti est, quia praecise hoc punctum doctrinae explicite et clare tractatur in Novo Testamento. En principalia *aliqua* [26] elementa huius doctrinae. Vita christiani abscondita est cum Christo in Deo ...[27], quia ipsi christiani sunt iam concives sanctorum et domestici Dei, i. e. membra familiae Dei ...[28]. Eorum « politeuma », i. e. ius civitatis (minus apte *et* [29] Vulgata vertit « conversatio »), — *eorum « politeuma »*[30] est in caelis ...[31]. Unde ipsi non habent his in terris manentem civitatem, sed futuram inquirunt ...[32], civitatem Dei viventis ...[33]. Haec condicio vitae *humanae* [34] *totam creationem,* etiam illam infrahumanam afficit. « Omnis enim creatura ingemiscit et parturit usque adhuc » ...[35]. Et S. Petrus annuntiat: Adveniet ...[36] « dies Domini ut fur, in quo caeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera exurentur »...[37]

d) ...[38] S. Petrus e doctrina exposita statim *consequentias practicas* deducit dicens: « Cum ...[39] omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes in adventum diei Domini, per quem caeli ardentes solventur et elementa ignis ardore tabescent »! ...[40] S. Paulus *etiam* [41] magis explicite deducit ex eisdem ideis habitudinem christiani *relate ad mundum*: « tempus breve est; reliquum est, ut et qui habent uxores tamquam non habentes sint; et qui flent tamquam non flentes; et qui gaudent tamquam non gaudentes; et qui emunt tamquam non possidentes, et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur; praeterit enim figura huius mundi » ...[42]. *En res quae pro nostro modo agendi cum mundo est summi momenti.*[43] Quae doctrina *utique* [44] facillime perperam intellegi potest et iam tempore S. Pauli perperam intellecta fuit, ita ut ipse apostolus cogeretur ad Thessalonicenses scribere: « Audivimus inter vos quosdam ambulare inordinate nihil operantes, sed curiose agentes ». Cui modo agendi proprium exemplum opponit, quomodo scil. vixerit: « In labore et in fatigatione, nocte et die operans » ...[45] Adhuc magis explicite in epistula ad Galatas: « Bonum facientes non deficiamus... dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei » ...[46]. Differentia ergo quae intercedit inter filios lucis et filios huius saeculi non respicit industriam et diligentiam in operando *etiam* [47] circa res huius mundi, sed *in motivo* ob quod labor fit. Iamvero ...[48] motivum christiani caeleste est, ergo infinite altius quam motiva filiorum huius saeculi, etiam industria et diligentia in operando in mundo infinite maiores esse deberent.

Ni fallor, haec expositio theologica, biblica est fundamentum omnino

solidissimum pro eis quae exponenda sunt in nostro decreto de modo agendi christianorum in mundo.

Non loquor de aliis. Essent adhuc satis multa quae perpolienda videntur; multa fortasse clarius exponenda sunt.

Et — ut per transennam dicam — [49] lingua latina non tam elegantior quam clarior fiat oportet. Secus *aliquae* [50] res non intelleguntur ...[51]. Termini, qui quidem in linguis modernis ex se solis sat clari sunt, non solum in linguam latinam vertantur, sed vere curetur, ut idea quam exprimunt modo latino reddatur...[52]

Concludo: ergo schema in pluribus punctis perficiendum est, additis necessariis probationibus, maxime ex S. Scriptura, et perpoliendum quoad claritatem expositionis et quoad linguam latinam, ut haec quoque clarior evadat. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Magis in particulari: vere tanguntur problemata principalia eorumque principia magis profunda e quibus res practicae postea v. g. in adnexis, exponendae lucem accipere debent: qualia sunt indoles vitae humanae, quatenus scil. ipsa terrestris simul et caelestis, fundamentaliter bona et simul peccato infecta est et proinde sanatione per gratiam Dei et auxiliis supernis gratiae indiget, quatenus eadem vita individualis et simul socialis est, immo et totum genus humanum respicit, ac demum, quatenus eadem exemplo Christi paupertatem et humilitatem prae se ferre ac servitio hominum in iustitia et caritate mancipata esse debet. [2] illa supradicta. [3] quibus cetera practica. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] enim. [8] deest. [9] levitatis. [10] deest. [11] Unde lector saepe saepius suspicatur quidem doctrinam, cui res expositae nituntur, sed eam non sat clare percipit et inde anceps haeret. [12] Liceat rem duobus solis exemplis illustrare. [13] etiam. [14] deest. [15] deest. [16] (*Eph.* 1, 20). Eadem idea occurrit, uti notum est, etiam in epistolis prima ad Corinthios (15, 25), ad Colossenses (2, 10) et ad Hebraeos (2, 8). [17] deest. [18] creationem quae est. [19] deest. [20] sensu eam esse hominis. [21] (*1 Cor.* 3, 22 s.). [22] deest. [23] notam. [24] deest. [25] deest. [26] deest. [27] (*Col.* 3, 3). [28] (*Eph.* 2, 19). [29] deest. [30] deest. [31] (*Phil.* 3, 20). [32] (*Hebr.* 13, 14). [33] (*ibid.*, 12, 22). [34] hominis. [35] Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe; quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei » (*Rom.* 8, 22. 20 s.). [36] enim. [37] Unde S. Petrus prosequitur: « Novos caelos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus iustitia habitat » (*2 Pt.* 3, 10. 13). Est ergo idem ac illud sollemne verbum Domini in Apocalypsi: « Ecce nova facio omnia » (21, 1). [38] Ipse. [39] igitur haec. [40] (*ibid.*, v. 11 s.). [41] adhuc. [42] (*1 Cor.* 7, 29 ss.). [43] Est idem praeceptum quod Dominus expressit notis illis verbis: Sint « lumbi vestri praecincti ... et lucernae ardentes in manibus vestris et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis » (*Lc.* 12, 35). [44] deest. [45] (*2 Thess.* 3, 11. 8). Proinde fortiter dicebat contra illos: « Si quis non vult operari, nec manducet... ». Et addebat: « Iis qui eiusmodi sunt,

denuntiamus et obsecramus in Domino Iesu Christo, ut cum silentio operantes suum panem manducent ». Qua in re non agebatur tantum de propria cuiusque utilitate vel de propria vita tantum sustentanda. Apostolus enim prosequitur: « Vos autem fratres nolite deficere benefacientes » (*ibid.,* v. 12 s.). [46] (6, 9 s.), i. e. praecise brevitas temporis urget ut eo melius tempore nobis dato utamur. Agitur ergo de eadem illa industria et diligentia in strenue laborando his in terris, quae commendatur, immo iubetur, in notis parabolis de talentis vel minis. Notum est S. Paulum rem adhuc fortius exprimere adhibita illa nota comparatione de iis qui in stadio currunt. Cui addit exhortationem: « Sic currite ut comprehendatis » (*1 Cor.* 9, 24). [47] deest. [48] cum. [49] 3. Non est meum indicare magis in particulari quo modo probationes hucusque illustratae concrete in schemate disponendae sint. Fortasse saepe simpliciter hic illic in structura schematis uti prostat introduci possent, eo vel magis quod non deberent esse prolixae, sed sobriae et breves. Hinc etiam doctrina exposita in pluribus punctis magis ut applicatio *doctrinae revelatae* et maxime Evangelii Christi et Novi Testamenti, et non ut quaedam philosophia appareret. Esset ergo magis consona documento Concilii. Agitur quidem in nostro schemate de problematibus et quaestionibus modernis, sed ipsae ita tractari debent, ut vere appareat non agi nisi de applicanda doctrina Christi et Novi Testamenti ad nova problemata nostrorum temporum. Hoc videtur etiam ideo magni momenti, ut res a Concilio propositae vere penetrent in corda filiorum Ecclesiae. *b*) In pluribus punctis doctrina clarius exponenda esset. *c*). [50] deest. [51] Verbum ordinarie, nisi adsint speciales rationes, ponatur in fine sententiae. Res multo magis exprimantur ope verbi quam substantivis. [52] Ob brevitatem temporis omitto exempla pro his duobus ultimis punctis.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationis I:

Patres praesentes et suffragantes		2.176
Pronuntiaverunt	*placet*	1.790
	non placet	119
	placet iuxta modum	265
Suffragia nulla		2

Ergo congregatio approbavit hunc textum.

Nunc lego textum IV suffragationis: « De Patriarchis orientalibus. Ab antiquissimis temporibus in Ecclesia viget institutio patriarchalis, iam a primis Synodis Oecumenicis agnita. Nomine vero Patriarchae orientalis venit episcopus, cui canones tribuunt iurisdictionem in omnes episcopos, haud exceptis metropolitis, clerum et populum territorii vel ritus, ad normam iuris et salvo primatu Romani Pontificis exercendam. Ubique Hierarcha alicuius ritus constituitur, manet aggregatus hierarchiae patriarchatus eiusdem ritus, etiam extra fines territorii patriarchalis.

« Patriarchae Ecclesiarum Orientalium, licet alii aliis tempore posteriores sint, omnes tamen aequales sunt ratione dignitatis patriarchalis, salva inter eos praecedentia honoris legitime statuta.

« Secundum antiquissimam Ecclesiae traditionem, singulari honore prosequendi sunt Ecclesiarum Orientalium patriarchae, quippe qui suo quisque patriarchatui tamquam pater et caput praesint. Ideo statuit haec Sancta Synodus, ut eorum iura atque privilegia quamprimum restituantur, iuxta antiquas traditiones uniuscuiusque Ecclesiae et synodorum oecumenicarum decreta. Haec autem iura et privilegia sunt illa quae in unione Orientis et Occidentis viguerunt, etsi ad nostra tempora aliquando aptanda sint, minime vero minuenda.

« Patriarchae, cum suis synodis, superiorem constituunt instantiam pro quibusvis negotiis patriarchatus, non secluso iure constituendi novas eparchias atque nominandi episcopos sui ritus ubicumque hoc opportunum videbitur, salvo inalienabili Romani Pontificis iure in singulis casibus interveniendi.

« Quae de Patriarchis sunt dicta, pertinent etiam ad Archiepiscopos maiores, qui universae cuidam Ecclesiae particulari seu ritui praesunt.

« Cum institutum patriarchale in Ecclesiis Orientalibus sit forma regiminis traditionalis, Sancta et Oecumenica Synodus exoptat, ut, si opus sit, novi erigantur patriarchatus, quorum constitutio Synodo Oecumenicae vel Romano Pontifici reservatur ». *Placet, non placet,* an *placet iuxta modum?*

Rogamini, Patres venerabiles, ut vestris locis benigne stetis aliquantisper adhuc, quia post breve tempus legetur V et ultima suffragatio pro hoc mane. Gratias.

4

BEAT.MUS P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

Venerabiles Patres,

Praesens schema *de Ecclesia in mundo huius temporis*, etsi laude dignum sit, et ut basis disputationum Concilii esse possit, pro bonis ideis ibi tractatis et pro novitate argumenti aptati mundo huius temporis, tamen funditus, mihi videtur, recognoscatur oportet. Siquidem:

1. Scopus huius schematis non satis et non clare notatur ab initio, ideoque in decursu textus, repetitiones, considerationum ambiguitatem, logicae deficientiam et linguae etiam inconsistentiam invenimus.

2. Ecclesiae missio non describitur nisi in relatione ad problemata huius mundi temporalia solvenda, quasi Ecclesia non existeret nisi ad caritatis opera assumenda et exercenda, et ad lites sociales vel oeconomicas inter homines ortas, componendas.

Propositum vero divinum, in constituenda Ecclesia, non satis enucleatur. Christus Dominus enim Ecclesiam, temporalem et eschatologicam, voluit, ad Regnum Dei instituendum, creaturis et eventibus mundi diversis, sensum prorsus divinum dando. Ecclesia in mundo est ut difficultatibus et angustiis mundi mederetur, sed non est de mundo.

Valor incarnationis Ecclesiae affirmandus est, sed in valore eius eschatologico non minus insistendum est.

3. Fundamentum igitur theologicum huic schemati deest. Ratio plenitudinis saeculi et omnium creaturarum in Corpore Christi glorioso, illa anakephalaiosis, seu recapitulatio omnium in Christo, de qua loquitur S. Irenaeus non datur. De intima sanctificatione huius mundi et de eius conversione per laborem hominum nihil dicitur; nihil etiam de relatione progressus vel evolutionis huius mundi ad adventum Regni Dei.

Et sic videtur duos aspectus mundi praesentari quin religantur in fine unico.

4. Ideoque sensus communitatis ecclesialis vel populi Dei sese evolventis non sufficienter in schemate invenitur. Schema enim laborat individualismo. In quantum labor humanus in considerationem venit, non determinatur in relatione ad cursum historiae nec ad finem hominis vel Ecclesiae, qui est essentialiter collectivus.

Historia enim quasi monadica et periodica affirmatur (ut in philosophia vel in theologia aliquorum non christianorum), quasi monadica, dico, magis quam ut unitas aliqua, quae per victorias et angustias, ad suum scopum finalem tendit, a divina Providentia illuminata, penetrata et substenta, ut affirmat theologia catholica.

Insuper repraesentantur religio et gratia Dei ut extraneae labori humano in hoc mundo, siquidem nulla relatio affirmatur inter aspirationes humanas (gaudium et luctus, spem et angorem hominum huius temporis, pauperum praesertim et afflictorum, ut dicit schema in primis suis lineis), siquidem dico, nulla relatio affirmatur inter aspirationes humanas et Christum Dominum, quasi illae, de quocumque corde ascenderent (de corde non credentium et de corde credentium non christianorum), non ad unicam spem veram, quae Christus est, intimius tenderent.

Alias observationes ad particularia pertinentes et ad schema melius organizandum ad secretariam Concilii iam misi.

Conclusio. Schema immaturum est. Lingua latina reficienda est. Re-

petitiones supprimendae sunt. Logica magis consideranda est inter varias huius schematis partes. Theologia incarnationis et theologia historiae enucleandae sunt, ut, verbis Divi Augustini utens, Deus sit intimior intimo creaturarum omnium. Dixi.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationis II:

Praesentes votantes	2.170
Dixerunt *placet*	1.373
non placet	73
placet iuxta modum	719
Vota nulla	5

Cum ergo textus non attigerit maioritatem requisitam, non est probatus a congregatione generali.

Et nunc lego textum V et, pro hoc mane, ultimae suffragationis: « De disciplina Sacramentorum. Veterem disciplinam de sacramentis apud Orientales Ecclesias vigentem, itemque praxim quae ad eorum celebrationem et ministrationem spectant, Sancta Oecumenica Synodus confirmat et laudat, et, si casus ferat, exoptat ut eadem instauretur.

« Disciplina de ministro S. Chrismatis inde ab antiquissimis temporibus apud orientales vigens plene instauretur. Idcirco presbyteri hoc sacramentum conferre valent, adhibito Chrismate a patriarcha vel ab episcopo benedicto.

« Presbyteri omnes orientales hoc sacramentum, sive una cum Baptismo sive separatim, valide conferre possunt omnibus fidelibus cuiusvis ritus, latino haud excluso, servatis ad liceitatem praescriptis iuris tum communis tum particularis. Presbyteri quoque latini ritus, secundum facultates quibus gaudent circa ministrationem huius sacramenti, valent illud etiam fidelibus Ecclesiarum Orientalium ministrare sine praeiudicio ritui, servatis quoad liceitatem praescriptis iuris sive communis sive particularis.

« Iuxta praescripta aut consuetudinem proprii ritus, fideles obligatione tenentur diebus Dominicis et festis Divinae Liturgiae aut celebrationi Divinarum Laudum interesse. Quo facilius hanc obligationem adimplere valeant, eisdem conceditur hoc praeceptum implere inde a vesperis vigiliae usque ad finem diei Dominicae vel festi. Enixe commendatur fidelibus, ut his diebus, immo frequentius ac vel etiam quotidie, Sacram Eucharistiam suscipiant.

« Ob quotidianam permixtionem fidelium diversarum Ecclesiarum particularium in eadem regione vel territorio orientali, facultas presby-

terorum cuiuscumque ritus excipiendi confessiones, a propriis hierarchis rite et sine ulla restrictione concessa, ad totum territorium extenditur concedentis necnon ad loca et fideles cuiuscumque ritus in eodem territorio, nisi hierarcha loci, quoad loca sui ritus, expresse renuerit.

« Ut antiqua sacramenti Ordinis disciplina in Ecclesiis Orientalibus iterum vigeat, exoptat haec Sancta Synodus, ut institutum diaconatus permanentis, ubi in desuetudinem venerit, instauretur. Quoad subdiaconatum vero et Ordines inferiores eorumque iura et obligationes, provideat Auctoritas legislativa uniuscuiusque Ecclesiae particularis.

« Ad praecavenda matrimonia invalida, cum catholici orientales cum acatholicis orientalibus baptizatis matrimonium ineunt, et ad consulendum nuptiarum firmitati et sanctitati nec non domesticae paci, Sancta Synodus statuit formam canonicam celebrationis pro his matrimoniis obligare tantum ad liceitatem; ad validitatem sufficere praesentiam ministri sacri, servatis aliis de iure servandis ». *Placet* an *non placet,* Patres venerabiles, vel *placet iuxta modum* hic textus?

5

Exc.mus P. D. ALFONSUS MATHIAS
Episcopus Chikmagalurensis

Venerabiles Patres,

Quattuor sequentes observationes generales proponam, exoptando ut schema accipiatur tamquam basis discussionis.

1. Schema hoc, cum debeat proponi tamquam « Vade mecum » omnibus christifidelibus necnon omnibus christicolis, quinimmo omnibus hominibus bonae voluntatis, opportunum videtur ut proponatur in forma simplici, practica et omnium captui accommodata. Requiritur etiam ut visio mundi a Nobis depicta sit talis ut vere reflectat mundum hodiernum in sua totalitate, complexitate et vitalitate, ita ut omnibus persuasum sit nos apprime perspexisse situationem mundi hodierni etiam cum sua orientatione pro futuro. Quare propono ut initio schematis, sub unico numero colligantur varia signa temporis quae hic et illic tum in schemate tum in Adnexis sparsa inveniuntur. Et tractentur modo non abstracto, nimis academico, statico et ab extrinseco, sed modo magis intuitivo, dynamico et ab intrinseco manifestans insimul implicationem intimam populi Dei cum et in mundo hodierno. Nam non sumus hic tamquam medici studentes morbo aliorum et ab extrinseco, sed ut ipsi viventes, gaudentes et patientes in mundo nostri temporis per Ecclesiam Christi vocati sumus levare signum spei et salutis mundo nostro.

2. Doctrina generalis schematis exhibetur ut Christus Lux mundi. Meo humili iudicio melius erit doctrinam proponere magis generalem et quidem sub alio aspectu et contextu. Propono ut basis doctrinalis quae debeat esse cardo et clavis totius schematis sit *Deus Pater providentissimus mundi.* Ante omnia revocetur in mentem hominis hodierni doctrina de Providentia divina qua Deus Pater Providentissimus Universi, universa quae condidit providentia sua tuetur atque gubernat attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter. Deinde exhibeatur Deus Pater providentissimus mundi sibi reconcilians mundum per Christum Filium eius quem constituit esse Lux gentium et salus mundi. *Demum* [1] ostendatur Christus vivens et agens in mundo per Ecclesiam suam uti instrumentum spei et salutis Providentiae divinae in mundo.

Proponendo doctrinam hoc modo, persequemur doctrinam Concilii Vaticani I in sessione tertia propositam contra rationalistas etiam nostri temporis et contra pestem grassantem materialismi et atheismi. Nam multi opera manuum suarum mirantes, superbia inflati, cursum mundi hodierni technico-scientifici ad Deum non referentes Divinam Providentiam non requirere videntur. Permulti alii miseriis vitae undique oppressi providentiam divinam aut negare aut saltem dubitare impelluntur. Multi denique etiam christiani hanc doctrinam in vita practica non satis affirmant.

Praeterea, nisi proponatur doctrina modo iam delineato, difficilis videtur dialogus quem hortamur ut instituatur cum omnibus hominibus bonae voluntatis. Nam praesertim in terra Missionis ubi hic dialogus est magis urgens, fundamentum et initium omnis collaborationis cum iis qui Christum ignorant, *potest esse sola* [2] doctrina Providentiae Divinae quam fere omnes agnoscunt.

Demum, hic modus proponendi doctrinam magis convenit fini pastorali nostri Concilii.

Cavendum tamen est ne doctrina de Divina Providentia ita proponatur ut sit remedium omnium malorum et solutio facilis et ultima omnium problematum, ut proh dolor! saepe fit; sed ut fundamentum ordinis in mundo, ut incitamentum indagationis in solutionibus problematum et ut nuntium omnis spei.

3. Maiori emphasi affirmanda censeo defensio ipsorum principiorum ethicae naturalis, seu veritatis, iustitiae et honestatis, tum in vita privata tum in vita publica. Nam nostris temporibus valores ipsi ordinis naturalis et virtutes naturales labefactantur. En verba Summi Pontificis Pii XII ex Litteris Encyclicis *Summi Pontificatus*: « Compertum omnino est primum altioremque malorum fontem quibus hodierna af-

flictatur civitas, ex eo scatere quod universalis de morum probitate pernegetur ac reiiciatur norma, cum in privata singulorum vita, tum in ipsa republica atque in mutuis necessitudinum rationibus, quae inter gentes nationesque intercedunt, ipsa videlicet naturalis lex detrectatione oblivioneque obruitur, etc. ». Ergo valde opportunum est ut antequam ad ulteriora proponenda principia progrediamur, tueamur et foveamus valores imprimis ordinis naturalis, appellando ad ipsam conscientiam humanam secundum principia legis naturalis recte efformandam, ita ut omnes agnoscant suam responsabilitatem et agnoscendo eam assumant tum in vita privata tum in vita publica tum in vita internationali. Secus practice impossibile erit excitare conscientiam individuorum et nationum erga problemata gravissima, ut problema demographicum, paupertas et fames in mundo, assistentia nationibus evolventibus, minatio belli, etc., de quibus certissime tractandum *erit in nostro*[3] Concilio.

4. et ultimo. Mirum sane est quod etsi schema nostrum copiosissime hauriat doctrinam praesertim e litteris encyclicis Summorum Pontificum, in ipso textu expressis verbis ad eas nec refert nec earum observantiam urget. Quid sunt litterae encyclicae nisi visio mundi ab ipsis Summis Pontificibus expressa in quibus praeclara principia vitae christianae traduntur ad mundum hodiernum Deo consecrandum? Nonne tractant fere de omnibus materiis summi momenti de quibus sermo est in nostro schemate? Quare solemne officium sit huic Sacrosancto Synodo canonizare, ut ita dicam, in ipso textu, *expressis verbis*,[4] litteras encyclicas earumque observantiam magis urgere. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Deinde. [2] sit. [3] est in. [4] schematis.

6

Exc.mus P. D. IOSEPH VAIRO
Episcopus Gravinensis et Montis Pelusii

1. Schema hoc, venerabiles Patres, principia, methodum ac specimen praebere intendit, quibus dirigatur auspicatus dialogus inter Ecclesiam et mundum huius temporis.

Ad hoc nos invitavit Summus Pontifex in suis primis Litteris Encyclicis scribens: « Opinamur Concilium Oecumenicum quaestiones pertractans ad Ecclesiam pertinentes, quatenus in humana consortione nostrorum temporum operatur, magisterio suo nonnullas traditurum esse normas sive quoad doctrinam, sive quoad usum, aptas ad recte serendum colloquium cum hominibus huius aetatis » ...[1]

2. Schema plura maximi momenti themata pertractat et haud raro optima argumenta effert; suum tamen propositum mihi videtur non esse plane assecutum; intrinseca enim unitate caret, quadam conceptuum ac principiorum incertitudine laborat, quandoque emphasi plus aequo indulget et quaestionem, quam radicalem opinor, ad doctrinam quod attinet, omnino eludit.

3. Ut optatus dialogus initium recte sumat ac fructuose evolvatur, humanissime quidem sed sincere quoque ac integre simul conferantur oportet mens (sermone italico: « la mentalità ») mundi huius temporis et mens Ecclesiae ut clare innotescat quibus in rebus convenire possint, quibus vero in rebus differant, immo opponantur.

Si enim caritate vera moti magis attentos nos facere debemus ad ea quae uniunt, quam ad ea quae dividunt, oblivisci tamen non possumus ipsa christianae culturae principia, nostra hac aetate, undique offensa nos cernere ...[2], et Ecclesiam plurimum differre ab hominum sensu et usu, inter quos vivit et ad quos se applicare studet...[3]

4. Habitudo igitur Ecclesiae ad mundum huius temporis configuranda est simul ut discrimen et coniunctio: discrimen, quod neque ignorantiam neque despectum significat; coniunctio, quae minime implicat erga habitus tum intellectuales tum practicos hominum nostrae aetatis indulgentiam, qua veritas extenuetur vel de ea aliquid imminuatur.

5. Ecclesiae dialogus cum hominibus nostrae aetatis seri potest ad varias libras (sermone italico: « a vari livelli »): ad altiorem libram investigationis culturalis et ad libram sermonis communis; utrobique tamen ignorari nequit mens mundi, quae si explicite et diserte philosophicis exprimitur doctrinis, cunctas hominum imbuit cogitationes et actiones, iudiciis circa personas, res et eventus ferendis praesidet ac praecipuas hominum optiones iubet.

6. Apprime notandum est discrimen inter mentem Ecclesiae et mentem mundi de indole ipsius dialogi.

Ecclesia in comperto habet dialogum aliud non esse nisi instrumentum aptum ad veritatem communicandam vel consequendam. Ecclesia homines alloquitur et audit ut eorum animos intelligat, eorumque problemata penitius cognoscat, et maxime ut eisdem offerat veritatis et gratiae dona, quorum custos a Deo est constituta.

Mundus e contra dialogum considerat tamquam aliquid absoluti, ratus nihil praeter ipsum dialogum esse indiscutibile, cetera semper et ubique in dubium et in crisim revocari posse.

7. *Item*[4] silentio praeteriri nequit mentem mundi huius temporis duobus his characteribus notari:

a) quorum prior est satis diffusa reiectio, qua respuitur ratio-

nalis affirmatio Dei transcendentis et personalis. Haec vero reiectio ab agnosticismo profecta usque ad radicalem immanentiam, ad atheismum socialem ac militantem pervenit, qui homines ab alienatione religiosa — quam dicunt — temerario ausu emancipare contendit.

b) Alter autem character est cuiusvis cognitionis metaphysicae communis despectus, quo fit ut mens nostri temporis, ordine essentiarum immutabili posthabito, in singulorum existentiam ac problematicitatem intendat, solis historiae humanae eventibus inhaereat, ac sollicita sit non quidem de veritate obiectiva cognoscenda nec de bono absoluto assequendo, sed de operibus saepe mirificis arte technica exstruendis. Est igitur huius temporis mens existentialis, historica, pragmatica, technica.

8. Exsurgit proinde gravis quaestio — ut verbis Beatissimi Patris Pauli VI utar —: « Qua ratione Ecclesia idonea evadat ad omnes homines huius temporis adeundos: quousque ad eorum mentem sese conformare possit, praecavens ne pericula relativismi fidelitatem suam erga veritatem ei commissam, labefactent? »...[5]

9. Quaerimus praesertim num Ecclesia, ut sese accommodet ingenio vigentis eruditionis, quae existentialismum, historicismum ac pragmatismum sapit, renuntiare possit, absque veritatis detrimento, illi philosophiae, quae in scholis catholicis per saecula elaborata certae et immutabilis veritatis assecutionem ac inconcussa principia metaphysica tuetur, cuiusque fundamentalia asserta ab ipso Ecclesiae magisterio ad divinae revelationis trutinam vocata sunt. Quae quidem philosophia non solum metaphysicam de Deo, de homine ac de mundo in divina revelatione implicitam systematice enucleavit, sed etiam suam conceptualem synthesim praestitit ad ipsius divinae revelationis traductionem culturalem.

10. Meminisse iuvabit verba Beatissimi Patris Ioannis XXIII, sanctae memoriae, de cuius animo pastorali nemini dubitare licet: « Persuasum est Nobis — scribebat in Motu proprio die 7 martii anno 1963 dato — si doctrinarum Aquinatis studia maiore cura et sollertia incitentur, illud futurum esse ut quae consilia Patribus Concilii Oecumenici Vaticani II proposita sint, ea ad effectum felicius adducantur ».

11. Mihi quoque persuasum habeo, venerabiles Patres, ad ordinem obiectivum valorum divinorum ac humanorum, aeternorum ac temporalium, supernaturalium ac naturalium hierarchice et harmonice componendum synthesim philosophicam ac theologicam, quam S. Thomas sapienter aedificavit, maxime esse aptam. Haec synthesis, cum nihil aliud intendat quam obiectivis veritatis legibus oboedire, ob suam universalem amplitudinem capax est, obsoletis formis et caducibus elementis superatis, excipiendi ac ad cohaerentem ordinis unitatem redigendi reales

positivos aspectus nostrae aetatis. Veritas quae in nostrae aetatis instantiis culturalibus continetur recuperanda est in hac synthesi, quae concreta consideratione existentiali, divitiis investigationis historicae, ac vitae et actionis ratione locupletior evadet.

12. Ad concludendum haec mihi liceat notare. Schema est emendandum ac perficiendum. In retractanda materia ne eludatur gravis quaestio de habitudine Ecclesiae ad mentem *huius mundi*.[6] Particulari attentione perpendatur atheismus neve negligantur ceteri habitus et directiones doctrinales.

Hac in re ratio habeatur documentorum, quae nobis obtulit Summus Pontifex Paulus VI in suis primis Litteris Encyclicis.

In schemate exhibeatur ordo valorum aeternorum ac temporalium obiectivus iuxta divinam revelationem, theologiam ac christianam philosophiam.

Ecclesia, homines nostri temporis alloquens eisque et divinam vocationem aeternam et debita *suavitatis*[7] temporalis munera indicans de suo...

Moderator: Exc.me Domine, doleo tempus tuum exhaustum esse.

Orator: ... indicans de suo ditissimo thesauro *profert*[8] et nostrae progredientis aetatis nova et perennis sapientiae vetera. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (Enc. *Ecclesiam suam*). [2] (cf. Pii XII, Enc. *Humani generis*). [3] (cf. Enc. *Ecclesiam suam*). [4] Itemque. [5] (cf. Enc. *Ecclesiam suam*). [6] mundi huius temporis. [7] navitatis. [8] proferat.

7

Exc.mus P. D. CASIMIRUS MORCILLO GONZÁLEZ

Archiepiscopus Matritensis-Complutensis

Venerabiles Patres conciliares, dilectissimi Auditores et Invitati,

Schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* tamdiu desideratum, etiam benigno et prompto animo acceptum, mihi placere nullomodo potest; ac positive dubito de eiusdem acceptatione ex parte illorum ad quos schema destinatur etiamsi nonnulla in eo laude digna habeantur. Omittam, licet invitus, sermonem illum latinum durissimum et *quandoque*[1] incorrectum in quo schema exaratum est quique opportune corrigi oportet, ut ad destinatarios et scopos ipsius schematis statim veniam.

Destinatarii videntur esse, et utinam sint, christiani et non-christiani, credentes et athei. Aliis verbis loqui oportet christianis, et aliis verbis loquendum est non-christianis. Schema tamen eodem sermone et iisdem argumentis utitur pro christianis et pro non-christianis, pro fidem in Deum habentibus et pro incredulis.

Christianis Ecclesia loquitur quia, a Christo Iesu instituta, Evangelium seu salutis nuntium communicare debet omnibus hominibus. Non-christianos vero Ecclesia alloqui nequit tamquam auctoritatem habens Matris et Magistrae sed tamquam communitas ex multis membris composita et viginti saeculorum experientiam et historiam dynamice servans. Aliter proinde cum christianis, aliter cum non-christianis agere fas est. Cum christianis Ecclesia sermonem evangelicum, i. e., in revelatione fundatum et ex revelatione deprомptum, loqui tenetur. Ex Evangelio proferre debet Ecclesia, sicut scriba doctus, nova et vetera, ita ut hodie iure ac merito, sicut hesterna et sicut crastina, potest et possit dicere quae ad hominum salutem pertinent. Sed haec desunt in schemate, nec biblicus est sermo nec fundamenta biblica ponuntur quibus Ecclesiae ius et officium edocendi nituntur in hodiernis et in omnibus vitae humanae adiunctis.

Sermo Ecclesiae ad non-christianos alia via incedere tenetur eo quod revelatio primaeva apud eos obscurata est, nec ad eos Evangelium Christi adhuc pervenit. Cum eis Ecclesia, praeter suam conversationem multisaecularem in historia hominum, ius naturale invocare debet, exprimens nempe suam reflectionem seu accuratissimam cogitationem de hominis in mundo versantis positione ac de personali et sociali perfectione ab homine adipiscenda. Sed et hoc etiam desideratur in schemate, cum ex sese sufficiens esset et permanens fundamentum ad extollendam vocem pro omnibus hominibus.

Revelatio et Evangelium veritatem naturalem et naturalem ordinem non solvunt, sed perficiunt et complent. Quae pro omnibus hominibus ordinem naturalem constituunt, quaeque bona, iusta, honesta sint, pro christianis meliora *eveniunt* [2] quoniam ad Deum colendum, ad proximum diligendum et ad seipsos sanctificandos inservire possunt, immo in oeconomia Evangelii naturalia a supernaturalibus seiungere quasi duos ordines differentes nefas est. Cur ergo nostrum schema, de his silens, expoliat christianos ditissimis instrumentis collaborationis cum ceteris hominibus in aedificanda civitate terrestri quae etiam civitas Dei esse debet?

Verum quidem est quod in schemate quaedam hoc sensu et spiritu impregnata apparent; sed explicita et disserta declaratio desideratur quae

lucem candidam in mentem christianorum effundat ut promptiores et alacriores in hominum communitate se exhibeant.

Si tamen haec omnia indulgenter praetermittere *vel dissimulare*[3] velimus, adhuc quaerimus cur schema de quo disceptamus silentium teneat de quibusdam aliis signis temporum quae plurimos, ne dicam omnes, homines afficiunt? De labore humano, de promotione seu elevatione totius hominis ad suam perfectionem naturalem et supernaturalem, de iure ad migrationem, de alluvie sensualitatis et sexualitatis, de atheismo scientifico et practico, de progressione recentiorum nationum ad libertatem et ad vitae cultum, de egestate et fame quibus nunc magnae hominum multitudines conflictantur, de angustiis in quibus tam multae gentes et tam latae Ecclesiae partes versantur, atque de ceteris id genus tacet aut submississima voce loquitur schema quasi longe abessent a mundo huius temporis...[4]

Colloquium cum huius aetatis hominibus inire nequit Concilium cuius est « definire, ut ait Beatissimus Pater Paulus VI ...[5], quae sit amplitudo et implicatio eamque quantum poterit melioribus *experire*[6] modis », si sermone *aliena*[7] utatur et iter evasionis *arripiat*[8] et faciat. « Concilium etenim — legitur in Encyclica *Ecclesiam suam* —, veluti speciem et verbi et nuntii et colloquii induat » oportet ut Ecclesia exaudiri ab omnibus valeat.

Unde concludo: Quia nec sermo schematis placet nec quaestiones in eo pertractatae tempus implent hodiernum, opportune reelaboretur et distincte disceptetur, ut vera facies Ecclesiae omnibus appareat hominibus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deveniunt. [3] deest. [4] (cf. PAULUM VI, Enc. *Ecclesiam suam*). [5] (*Ibid.*). [6] expedire. [7] alieno. [8] accipiat.

8

EXC.MUS P. D. VILLELMUS CONWAY

Archiepiscopus Armachanus in Hibernia

Venerabiles Patres,

Huius schematis summum momentum ab omnibus agnoscitur nec quisquam ignorat difficultates vere enormes in eo conficiendo inhaerentes. Et itaque commissionibus competentibus, pro laboribus suis vere heroicis, gratias ex animo dicere debemus.

Etenim, quamvis schema, ut iacet, multis defectibus, meo iudicio,

laboret, merita tamen haud pauca praesefert quae spem gignunt ut textus, funditus revisus, Concilio dignior evadat et christianorum et mundi exspectationi respondeat. Inter elementa quae magis mihi laudanda videntur adnumerare licet: attitudinem sanam erga valores terrenos ...[1], expositionem optimam doctrinae socialis Ecclesiae ...[2]; verba perpulchra quibus matrimonii sanctitas, dignitas, fidelitas extolluntur; sollicitudinem pauperum et nationum minus evolutarum, sitim denique iustitiae et pacis.

Attamen graves difficultates urgeri oportere censeo, ex quibus tres enumerare velim:

1. Maximi momenti est ut iam ab initio in luce clarissima ponatur quid hoc schema intendat et quid non intendat. Etenim permulti homines per orbem terrarum opinantur in hoc schemate contineri « ea quae Ecclesia catholica habet dicenda homini moderno ».

Non est verum. Hoc schema complectitur nonnisi partem, et quidem parvam partem, eorum quae Ecclesia mundo hodierno dicere habet. Ecclesia mundum alloquitur non in hoc schemate tantum sed in unaquaque Concilii constitutione ac decreto, non in hoc Concilio tantum sed in tota sua Evangelii praedicatione, *non in formali praedicatione Evangelii tantum, sed* [3] in totalitate suae in mundo existentiae et praesentiae: cum Summus Pontifex in Terram Sanctam peregrinatur, cum parochus pauperem morientem visitat, cum operarius catholicus fidem et iustitiam Christi exhibet. Uno verbo, hoc schema non continet — neque quidem intentio redactorum fuit ut contineat — « quae sit latitudo et longitudo, et sublimitas et profundum » colloquii Ecclesiae catholicae cum mundo, et maximi momenti est ut hoc, *statim ab initio, clarissime intellegatur,*[4] ne mundus post lectam nostram constitutionem *nobis* [5] dicat: « Numquid nihil aliud habetis nobis dicendum? Estne hoc totum? ».

2. Schema, ni fallor, *aliquam notam* [6] excessivae timiditatis ne dicam timoris erga mundum resonat, tum quoad contentum tum quoad modum loquendi.

Quoad contentum liceat mihi, uti exemplo, quasdam indicare admodum miras omissiones. Mirandum est quod schema tam pauca habeat dicere de situatione regionum illarum ubi Ecclesia in vinculis iacet et in silentio perdurat, nec vocem habens qua libertatem et iustitiam postulet. Haud dubito quin schema in hac materia voluerit vitare quidquid offensionem dare possit vel dialogo obstare. Sed prima conditio omnis *veri* [7] dialogi est sinceritas et honestas. Schema debet in hoc contextu mentem nostram candide exprimere, in caritate certo, sed etiam in omni veritate.

Aliud exemplum. Valde mirandum est quod schema nihil dicit de illa gravissima malorum radice in mundo hodierno, nempe de illa commercializatione sexus, ut dicunt, quae tantam ruinam causat, *praesertim inter iuvenes* [8] et de illa amoris humani degradatione in tantis mediis communicationis socialis ob nullam aliam causam nisi propter sordidum lucrum. Hac in causa ipsi marxistae nobis morum laxitatem exprobant. Corruptio iuventutis apud paganos antiquos crimen fuit *morte puniendum* [9]; in mundo moderno devenit industria maxima. De hac re schema nostrum silere non potest.

Nec solum quoad contentum sed etiam quoad modum loquendi schema quadam exaggerata timiditate peccare videtur. Non ita Dominus noster locutus est, qui fuit mitis et humilis corde, *et tamen cuius loquela erat cum potestate* [10]; non ita S. Paulus. Certe falsus triumphalismus vitandus est sed non eo usque ut et triumphus ipse qui fidei christianae centralis est, *minui* [11] videtur.

3. Schema aliqua ambivalentia laborat. Aliquando enim eos qui extra Ecclesiam sunt alloqui videtur, aliquando vero domesticos fidei: unde haud semel aliqualis in doctrina unilateralitas ...[12], verbi gratia agendo de matrimonii fecunditate vel de decisione personali conscientiae individualis tamquam norma practica moralitatis ubi momentum insufficiens videtur tribui legi divinae, humanae naturae insitae, quae est regula conscientiae individualis. Tota haec materia de conscientia tamquam norma moralitatis debet, *meo iudicio,*[13] maiore claritate et debitis distinctionibus exprimi ne falsis interpretationibus ansam praebeat.

Haec sunt quae de schemate in genere dicenda putavi; *cetera omitto, utpote in hac aula iam dicta. Confido quidem* [14] fore ut schematis redactores, post disceptationem constructivam in aula, inceptum suum, arduum sane sed omni labore dignum, usque ad finem ab omnibus exoptatam perficere valeant. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] et progressum modernum generis humani. [2] eiusque ad concretas applicationes vera relatione. [3] et. [4] etiam ab initio mundus clare intelligat. [5] deest. [6] aliqua nota. [7] deest. [8] deest. [9] capitis damnandum. [10] deest. [11] eliminari. [12] oriri mihi videtur. [13] deest. [14] confidens.

Secretarius generalis: Audiant Patres! Quoad ultimam suffragationem oblitus sum dicere vota nulla. Uti videtis, non solum Homerus aliquando dormitat! Suffragia nulla sunt quinque, et ita completa est suffragatio.

Quoad hanc suffragationem ego dixi textum non esse probatum, sed hoc sensu, quod modi expressi *debeant* a commissione adhuc examinari — *debeant*; non possint, *debeant*. Postquam modi examinati fuerint, textus iterum proponendus est iudicio huius amplissimi coetus, prout *Ordo* exigit. Hic est sensus.

Nunc transeamus ad exitus aliarum suffragationum.

Suffragatio III:

Inter Patres	2.172
dixerunt *placet*	2.005
non placet	31
placet iuxta modum	136

Nullum video suffragium nullum.

Ergo, hic textus est probatus a congregatione generali, sed modi possunt examinari, et reapse examinabuntur.

Suffragatio IV:

Inter Patres praesentes votantes	2.167
dixerunt *placet*	1.790
non placet	183
placet iuxta modum	186
Suffragia nulla	8

Denique *suffragatio V*:

Patres suffragantes sunt	2.146
Dixerunt *placet*	1.920
non placet	103
placet iuxta modum	118
Ad complendum numerum sunt suffragia nulla	5

Ergo, omnes tres hi textus probati fuerunt a congregatione generali. Gratias.

9

Exc.mus P. D. ARTURUS ELCHINGER

Episcopus tit. Antandrinus, coad. c.i.s. Argentinensis

Patres conciliares et dilecti Fratres,

Problemata quae in hoc schemate tractantur metuendi momenti sunt pro hominibus hodiernis, ita ut in hoc Concilio amplissime tractari debent. Aliquomodo iam feliciter enucleantur in textu proposito, saepe feliciori modo autem in Annexibus. Commissio conciliaris iam optime laboravit.

Attamen, mihi videtur praeprimis fundamentum commune et solidum deesse — fundamentum doctrinale — quem defectum nullo modo Concilio licet praeterire sub silentio. Omnes quaestiones quae in schemate tractantur, sive de dignitate personae humanae, sive de vita christiana in familia, sive etiam de iustitia sociali vel internationali, vere non sunt nisi consequentiae doctrinales et practicae problematis magis generalis, quod nobis aperitur per verba Christi, boni Pastoris: « Veni ut vitam habeant et abundantius » ...[1]

Atqui, non christianis, et etiam multis christianis, Ecclesia non apparet habens sollicitudinem primordialem circa homines ut isti plenam vitalitatem habeant et energiam humanam maxime evolvere possint cum sana libertate. Gaudium paschale parum apparet in facie christianorum; etsi eis nulla causa sit vivendi in futuri incertitudine. Immo potest dici quod pro aliquibus tristitia fieret virtus christiana. Principium alicuius pessimismi apparet multis sicut constans aspectus Ecclesiae. Sunt qui Ecclesiam vituperant quasi timeret spontaneitatem vitae et quasi suspiceret gaudium sicut ipse gaudium pro fidelibus semper periculum secum ferret. Numerosis hominibus videtur quod Ecclesia vigorem vitae potius timet et restrictive considerat...[2]

Atqui,[3] vita est sine dubio primum mandatum hominis, et multo magis primum mandatum hominis christiani.

Consequenter, Concilium hanc quaestionem de summo momento vitae humanae aliis subordinatis quaestionibus praeponere debet, eo maior, quo novae formae degradationis vitae humanae vocationem personalem atque communitariam hominis infirment. Deficeret haec Sancta Synodus si rectum ordinem valorum non restitueret. Et ita debet Concilium excitare et purificare sensum vitae in mundo hodierno et distincte designare conditiones necessarias vitae vere humanae.

Sed praeprimis, duae aequivocationes vitandae sunt:

Vitandus est, ex una parte, vitalismus naturalisticus, non raro romanticus, qui conducit ad materialismum vel pantheismum et qui non agnoscit praesertim sensum crucis, necessitatem vitalem conatus moralis, ascesis et abnegationis.

Vitanda est, ex altera parte, caricatura alicuius supernaturalismi, qui pervenit — ut ita dicam — ad aliquam speciem evasionis e vita humana.

Ergo deformamus realitatem christianam sese offerendo naturalismo, qui in eo consistit quod identificat vitam collatam a Christo cum expansione vitali, quae homo seipse dare potest. Sed realitatem christianam non minus deformamus, considerando vitam supernaturalem ut abstractionem quamdam, uti esset vita collata a Christo alia vita — quasi secunda — et ab activitate humana absolute separata; tum e contra, Christus venit ad conferendam nostrae vitae novam structuram et extensionem visionis eius. Vita naturalis et supernaturalis connexae sunt eodem dynamismo vitali. Salus christiana non consistit in ruptura totali cum dynamismo creationis sed in perfectione et transfiguratione ipsius creationis, in nova communione et quidem personali cum Deo.

Istarum ambiguitatum rationem habens, Concilium debet solemniter declarare quod missio Ecclesiae haec duo supponit:

1. Obligationem colluctari ad vitam humanam salvandam in mundo hodierno, ad salvandum quod est proprie humanum in homine.

2. Officium laborandi ad providendum progressum et dilatationem harmonicam huius vitae.

1. *Urget salvare ante omnia id quod essentiale est in vita humana.* Desperandum est de possibilitate implantare vitam supernaturalem in hominibus in quibus evacuata esset substantia proprie humana et qui reducti fuissent ad simplices machinas humanas.

Hodie, autem, homines habent praesertim praeoccupationem emendandi conditiones tantummodo exteriores vitae. Sed potestne affirmari, quod progressus technicus et augmentatio commoditatis vitae, emendatio sit qualitativa et profunda hominis? Nam, ista est praecise maximi momenti.

Saepe confunduntur media cum fine. Ad quid valet modernisatio canalium vitae si non amplius coniuncti sunt cum fonte vitae? Ad quid serviunt canales ipsi si deest fons? Utique occupati sumus dare tutores plantae humanae sed non satis vigilamus circa succum vel humorem vitae...[4]

Ecce cur Ecclesia debet: a) *Salvare characterem transcendentalem vitae.* Vita humana in sua origine profunda non provenit ex hominibus sed tantum ab homine transmittitur. Ideo, non sumus domini vitae ...[5], sed servi tantum.

Nunc autem, tentationem habent aliqui vitam reducere ad phaenomenon simpliciter chemicum vel oeconomicum. Vitam humanam sacrificant experientiis scientificis et productionis industrialis efficientiae. In hoc casu, persona non est nisi medium et non amplius aliquod absolutum.

Revera, autem, vita est *donum gratuitum Dei, data est homini* [6] ut vocatio ...[7], et haec vocatio non est ad nutum hominis sed secundum ordinationem divinam.

Ecclesiae est missio pugnare contra idolatriam. Atqui existit hodie idolatria aliqua oeconomica et etiam biologica. Et multi christiani ab ea iam contaminati sunt. Ecclesia urgenter in contrarium efficere debet, sed non tantum verbis pietatis!

b) *Ecclesia debet etiam salvare characterem qualitativum vitae.* Vita humana, in sua specificatione, pertinet ad ordinem qualitatis. Vita humana specifice manifestatur in conscientia libera hominis et in actibus amoris. Itaque procurare debemus homini, v. g., possibilitatem silentii, occasionem cogitationis in tranquillitate et pace. Hoc omnino necessarium est ad activitates proprie humanas, veluti admirare, veritatem quaerere et discernere, optiones facere, caritate amare. Homo muniri debet contra processum massificationis hodiernae qui influxum tam antipersonalem exercet.

Etiam in Ecclesia expositi sumus superstitioni quantitatis, quae est tam inimica vitae vere interioris.

2. *Ecclesia non tantum debet salvare vitam sed etiam laborare ad suam expansionem.* Ecclesia instructa de ambiguitate vitae, consentire potest optimismo profundo qui praecise innititur in fide nostra in Deum vivum et Patrem.

Immensum desiderium vitae ubique in mundo hodierno invenitur. Huic desiderio non respondemus, si unice moralismum proclamamus. Missionis est Ecclesiae, ad ipsos fontes, divinos videlicet, revocare omnes valores vitae humanae, uti sunt creatio, spontaneitas, fecunditas, virtus indefinitae renovationis, incessans communio cum hominibus et universo. Ad modum hominis qui fontem quaerit et eum erumpere facit, sic Ecclesia debet elicere ubique novos fontes vitae, et praeprimis in sinu proprio. Debet vero Ecclesia superare in institutionibus suis et apud fideles, omnem speciem immobilismi, omnem formam sclerosis et vacui conformismi.

Christiani, in mundo hodierno, vere testes Christi fieri poterunt si sunt testes vitae, amatores vitae et quidem superabundantiae vitae.

Concludo. Ecce (sicut mihi videtur) intuitio dynamica et intellectio globalis totius nostri schematis. Ecce abundans materia ad dialogum

etiam cum hominibus non credentibus. Ecce scopus, inter primos, Concilii quod vult esse pastorale. Nonne pastor, ante omnia, est servus atque defensor vitae?

Sed, Patres conciliares, ista problemata debent tractari non cum ratiociniis alicuius professoris, sed cum afflatu et spiritu prophetico! Fiat! Fiat!

In textu scripto tradito: [1] (*Io.* 10, 10). [2] Ecclesia videtur habere maiorem confidentiam in habitudinibus negativis, quae saepio conatum vitae circumdant et infrenant, uti sunt resignatio et ipsa pusillanimitas. [3] E contra. [4] circa eius vigorem et qualitatem. [5] humanae. [6] quasi permanens vestigium influentis vitae divinae in mundo, est donum gratuitum Dei, est propositio divina homini facta cui homo quam maxime respondere debet; vita est a Deo data. [7] hominis.

10

EXC.MUS P. D. ELIAS ZOGHBY

Archiepiscopus tit. Nubiensis

Venerabiles Patres,

Volo initium animadversionum sumere a verbis Isaiae Prophetae: « Pauperibus evangelizare venit ». Ipse Christus Dominus in hoc spiritu evangelizabat. Et ergo fas mihi sit observare Episcopos cum pauperibus frequenter conversari bonum esse. Et comites ipsorum pariter fiant necesse est necnon mundo appareant cum ipsis conviventes; et curnam? Exempla Christi Magistri nostri hic revocare mihi non est, neque spirituale proficuum quod commercio pauperum exhaurire possimus. Sed attendere velim ad hoc quod conversari cum pauperibus hodie est pro apostolo quocumque, sive Episcopo, sive sacerdote, sive laico, optimum medium ut proprium testimonium reddatur in mundo et ut illum testimonium a mundo accipietur.

Etenim mundus tam christianus quam non-christianus omnia movet hodie quo adiutorium afferat pauperibus quorum numerus miseriaque scandalosa reputantur. Bonae voluntatis homines, sive baptizati sive non, ad hoc saepe concurrunt et conveniunt locis in quibus miseria magis grassatur et servitium pauperum tamquam novae religionis militiam considerant et amant, unicam formam pro multis fere hodie validam.

Viri Ecclesiae soli reputantur et amantur quos vident tali Apostolatui deditos, intermediarios scil., inter ipsos et pauperes. Iamvero nemo plusquam vir religioni deditus ad hoc munus fungendum esse potest. Elapsum est tempus quo episcopus ut princeps Ecclesiae se

habebat qui ad bonam faciem servandam a populo distans manifestabatur, inclusus quodammodo domo sumptuosa Episcopali palatio nuncupata.

Moderator: Exc.me Domine, velis pressius loqui ad schema in genere.

Orator: His dictis, liceat mihi quaedam humiliter suggerere. Cum aliquando oportet nos invitationes officiales accipere, mensis divitum sedere magnatisque huius mundi occurrere quo plus hoc facimus eo plus inter pauperes nostros et aegrotos misceamur oportet.

Sub regimine plus minusve iuridico satis erat episcopum administratorem fuisse, sub regimine vero pastorali hoc non amplius sufficit. Bonus pastor est plus quam bonus administrator. Cum mundus hodiernus unam tantum agnoscit auctoritatem et hanc servitii, verba praestantiora quae dignitatem significant, scil. quoad personas et quoad domus reiiciamus strenue.

Concludo. Venerabiles Patres, gratiam dixi nostrum Concilium pro nobis episcopis sed praesertim donum Dei mundo factum. Omnia probant ita Deum voluisse in sua providentia et nobis curam huius Concilii dedit. Iusne habemus huic celerius finem imponere? Mirum progressum hucusque iam obtinuimus sed mundus habet adhuc alias exigentias et feliciter exigentes sumus etiam nos.

Hoc schema et alia schemata nostra aliquando emendationibus gravioribus indigent; neque religiosi neque missionarii neque sacerdotes neque Ecclesiae orientales neque laici neque mundus de schematibus suis plene satisfacti sunt. Si multi iudicant schemata nostra iam hodie inveterata esse (gallice: « dépassés »), quid sentient post viginti annos de istis et quomodo tunc nos iudicabunt?

Ne obiiciamus dioeceses nostras nos exspectare. Censemusne sacerdotes nostros adeoque privari nostra absentia? Aliquidve adeo mutari in vita fidelium ex eo quod hic sumus? In nostris civitatibus videntne nos adeo frequenter ut nos magis praesentes esse nostris tum sacerdotibus tum fidelibus dum tempore Concilii hic Romae sumus, ubi pro ipsis omnibus et pro mundo efficacissime laboramus?

In fine, dicere velim: est vere felix coincidentia nos initium dedisse discutioni praesentis schematis eodem tempore quo Summus Pontifex nuntium nobis dederat proximi sui itineris in Indiam. Puto me interpretari mentem omnium vestrum, venerabiles Patres, si laudes dicam gubernio Indiae, quod Beatissimum Patrem invitavit, de exemplo tolerantiae et fraternitatis universalis...

Moderator: Exc.me Domine, aperias mentem de schemate, alias finias!

Orator: I have finished... J'ai fini... quod idem gubernium toto mundo patenter exhibuit. Dixi.

11

EXC.MUS P. D. MAXIMUS HERMANIUK

Archiepiscopus Vinnipegensis Ucrainorum

Venerabiles Patres,

Schema hoc placet mihi *iuxta modum*.

I. Schema hoc *placet mihi* [1]: 1. Quia clare et modo pastorali vult describere quomodo gaudium et luctus, spes et angor hominum huius temporis sunt quoque angor et spes, luctus et gaudium ipsius Ecclesiae in hoc Concilio adunatae.

2. Textus huius schematis placet frequenti affirmatione, sub variis formis et in diverso contextu, huius fundamentalis veritatis, nempe Ecclesiam Christi esse deditam servitio Dei et hominum.

3. Denique laudandus est iste textus pro suo spiritu realiter oecumenico, ubi veritas Dei et libertas humana, ius divinum et dignitas personae humanae, amor Dei et hominum debita forma et debito modo semper et recte vindicantur.

II. Attamen, schema hoc, fere ex omni parte novum in historia Ecclesiae et intricatum quasi omnibus aspectibus vitae humanae relate ad scientias, progressum technicum, culturam, ordinem socialem, oeconomicum et politicum, laborat adhuc variis difficultatibus, quas oporteret caute examinare et in omnibus, ubi necesse esset, per rectas observationes et utiles emendationes quam maxime perficere. Talis est intentio istius interventionis, ubi, pro viribus meis, quasdam observationes, simul cum emendationibus, ad textum schematis perficiendum, proponere audeo:

1. Ut iam ipsa subcommissio pro schemate hoc elaborando in suis « Directionibus pro futura elaboratione textus » * declaravit, omnino necessarium est clare definire, ab ipso initio, sensum theologicum termini *mundus,* qui, simul cum termino *Ecclesia,* quasi cardinem totius schematis constituit. Quia sine hoc textus schematis saepe laborabit periculosa ambiguitate et nociva obscuritate.

---

* *Cf. pag. 200.*

Mea humili sententia, terminus iste — mundus — ibi sic definiri posset: Tota societas humana in terra, considerata simul in vocatione sua integra prout a Deo determinata et prout in vita practica apparet: in re religiosa, scientifica, culturali, sociali, oeconomica et politica. Tunc ad missionem Ecclesiae in hoc mundo pertineret adiuvare homines in recta cognitione istius integrae vocationis ...[2] et in fideli conformatione vitae ...[3] ad hanc integram vocationem.

2. Secunda magna omissio in schemate est absentia in eius textu brevis, sed clarae, descriptionis status hodierni mundi sub respectu ideologico. Ex lectione schematis, non clare apparet quinam sint quasi typici conceptus hominum huius temporis relate ad integram vocationem eorum. Consequenter, sine huiusmodi descriptione praecipuorum systematum ideologicorum in hodierno mundo, tota praesentatio missionis Ecclesiae in eo evadit quodammodo confusa et spoliata sua vi dynamica. *Descriptio illa evidenter non deberet esse casuistica quaedam, sed expositio principiorum generaliorum.*[4]

Talis descriptio eo necessarior videtur quod ...[5] experientia quotidiana omnes scimus in mundo hodierno praevalere hodie duo talia systemata, christianismum scil. et marxismum materialisticum, ad quos alii motus (gallice « mouvements ») religiosi et philosophici plus minusve reducuntur.

Quam ob rem, ut praesentia Ecclesiae in hoc mundo clarius appareat et eius missio pro bono temporali et salute aeterna hominum eo necessarior evadat, omnino necessarium *videtur,*[6] ut in schemate praeter imaginem vocationis divinae christianae in lucem ponatur etiam imago vocationis humanae secundum marxismum atheum ita, ut mundus hodiernus possit omnino clare videre hominem quodammodo divinisatum in ideologia christiana et hominem reductum ad statum energiae productivae in marxismo atheistico.

3. Consequenter — et hoc est tertia nostra animadversio — pro vera efficacitate huius schematis in futuro apostolatu Ecclesiae, omnino necessarium videtur introducere in eius textum claram explicationem quomodo transcendentia supernaturalis vocationis humanae in christianismo, expressa per Christum, verbis: « Quaerite primum Regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis » ...[7], non solum non excludit continuam et semper perfectiorem exstructionem civitatis terrenae, sed econtra eam praesupponit et praerequirit. Quia tantum hoc modo possumus demonstrare insufficientiam marxismi et communismi athei, qui continuo affirmant christianismum impedire debitum progressum in aedificatione civitatis terrestris per fugam ex hoc mundo in mundum supernaturalem. Hoc punctum est maximi momenti in lucta

pro homine huius temporis. Quia, dum pro marxismo atheo homo est dominus et finis huius mundi cum valore sociali relativo durante sua vita et cum plena disparitione post mortem, pro christianismo autem, homo est etiam dominus et finis huius mundi, sed hoc sensu, ut possit eo recte uti ut via ad participationem, per gratiam Dei, vitae divinae in aeternum.

4. In fine, in schemate hoc, ubi agitur de praesentia et missione Ecclesiae in mundo huius temporis, non possumus silentio praeterire omnes illos heroicos martyres et confessores fidei, qui hodie, ore Ecclesiae silentii, tam eloquenter proclamant in toto universo caritatem, iustitiam ...[8], salutiferum servitium Ecclesiae Christi, quae in corpore crucifixo sed spiritu invicto omnium horum martyrum et confessorum mirabili modo servit Deo et hominibus per irrefragabile testimonium eorum de veritate et caritate Salvatoris.

Simul cum iusta exaltatione omnium horum martyrum et confessorum fidei, schema hoc deberet, in conclusione sua, ad finem, clare condemnare omnes actus cuiuscumque persecutionis inter homines in nomine libertatis conscientiae, dignitatis, et culturae humanae in unoquoque homine; quae condemnatio maximum esset servitium huius Concilii pro Deo, Ecclesia et hominibus huius temporis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] placet in genere. [2] eorum. [3] eorum. [4] deest. [5] ex. [6] est. [7] (*Lc.* 12, 31). [8] et.

12

Exc.mus P. D. CAROLUS WOJTYLA
Archiepiscopus Cracoviensis

1. Loquendo de principiis generalibus schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis,* in primis nomine episcoporum Poloniae adhaesionem exprimere volo iis, quae iam adhuc dicta sunt de speciali huius schematis momento et de necessitate eiusdem elaborandi a Concilio. Liceat mihi dicere, quod absentia talis schematis *magno esset detrimento*[1] tam Ecclesiae quam mundi. Mundus enim una ex parte vult Ecclesiam sibi praesentem, alia autem ex parte desiderat eius absentiam in rebus, quas sibi tantum proprias existimat, immo omnibus in rebus. Pro una et altera parte schema XIII videtur omnino necessarium, forsitan adhuc magis pro altera: pro ea scil., quae Ecclesiam magis absen-

tem quam praesentem existimat et postulat. Pro hac parte schema XIII testimonium Ecclesiae in mundo praesentis constituat.

Oportet bene considerare, quod titulus « Ecclesia in mundo huius temporis » sensum analogicum prae se fert. Etsi enim verum sit dicere « mundum » in quo exsistit Ecclesia esse unum, nihilominus — respectu habito condicionum vitae humanae — non est unus, sed plures « mundi », in quibus Ecclesia contemporanea vivit et operatur, quibus etiam in schemate XIII vult adloqui. Haec pluralitas « mundorum » in unico mundo non satis exprimitur nec sentitur in schemate. Et forsitan plures adhuc sunt « mundi », qui sese in textu praeiacenti non vident, quam illi, qui sese vident in ipso.

2. Audivimus iam schema funditus elaborari et transformari debere. Hoc pertinet ad ipsam fundamentalem conceptionem eius. In textu enim praeiacenti Ecclesia tantum docet mundum, ex thesauro hauriens veritatis, quam possidet, repetendo simul pluries suam erga homines caritatem. Docendo tamen eo ipso sese ponit supra mundum et postulat ipsum sibi oboedientiam praestare. In schemate XIII tamen oportet tali modo loqui, ut mundus videat nos ipsum docere non tantum modo auctoritativo, sed etiam simul cum ipso inquirere veram et aequam solutionem difficilium problematum vitae humanae. Non est quaestio, quod veritas nobis iam bene sit nota, sed *quomodo* illam mundus inveniat sibique propriam faciat. Quicumque magister expers professionis suae bene scit, quod docere possit etiam methodo sic dicta « heuristica », permittendo discipulo veritatem quasi ex suis invenire.

Haec methodus docendi valde convenit schemati nostro. Methodus talis excludit una ex parte omnia, quae mentalitatem — ut ita dicam — « ecclesiasticam » ostendunt. Qualia sunt, v. g., lamentationes super miserrimum mundi statum (pag. 5, 6, 10, 22), nimis faciles « appropriationes » cuiuslibet boni in mundo exsistentis pro Ecclesia (pag. 5, 6, *et aliae* [2]), ostensiones omnino verbales benevolae erga mundum habitudinis. Haec omnia quasi « a priori » obstaculum ponunt dialogo cum mundo; tunc remanet soliloquium. Caveamus autem, ne schema nostrum soliloquium fiat!

Altera ex parte methodus docendi, quam dicimus « heuristicam », postulat, ut mens eorum quibus adloquimur ducatur vi argumentorum. Agitur de argumentis omnino claris et simplicibus, quibus sana ratio faciliter assentit. Argumenta in quaestionibus moralibus sumantur ex lege naturae. Numquam autem loco argumentorum adhibeatur moralisatio vel exhortatio, quod etiam in textu praeiacenti pluries fit. Argumentatio in genere debet esse rationalis, quia loquimur etiam cum non-

credentibus. Potest esse tamen theologica, omnes enim bene sciunt Ecclesiam esse, quae in schemate loquitur.

3. Schema XIII non est tantum pro mundo extra Ecclesiam, sed est etiam pro Ecclesia in mundo — vel potius, in istis diversis « mundis », prout iam diximus. Oportet, ut in schemate hoc Ecclesia non solum mundum adloquatur, sed ut sese praesentem in hoc mundo ostendat. Inde modus praesentationis, qui est aliquid omnino differens ac modus contemplationis propriae naturae in schemate *de Ecclesia.* In schemate XIII Ecclesia debet sese mundo praesentare. Et ab hac praesentatione forsitan est incipiendum — praesentatio, i. e. quasi informatio de sua exsistentia, immo de ipso fundamento *eius in mundo,*[3] postea de finibus, quibus servit — praesertim in mundo hodierno, de mediis ad hoc necessariis. Modus praesentationis simul cum modo « heuristico » transmittendi propriam doctrinam videtur esse maxime conveniens schemati XIII. Hoc modo attingitur homo hodiernus. Oportet autem, ut *ipse* attingatur. Loquendo « mundus », hominem semper in mente habeamus — hominem, qui vivit in diversis « mundis », sub diversis systematibus oeconomicis, socialibus, politicis. Eius res in hoc schemate agitur.

Quia — uti dixi — schema profunda transformatione indiget, liceat mihi delineamenta quaedam talis transmutationis in scriptis tradere simul cum hoc voto orali. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] magnum esset detrimentum. [2] 21-22, 25 linn. 35-41. [3] huius in mundo exsistentiae.

Schema additum:

DE ECCLESIA IN MUNDO HODIERNO

Cap. I. *De fundamento praesentiae Ecclesiae in mundo.*

1. *Ex voluntate Dei Ecclesia in mundo praesens adest.* Ex voluntate divina Ecclesia in mundo a Deo creato exsistit. A Iesu Christo condita, constituit eius Corpus mysticum, quo mysterium Incarnationis in omnia saecula continuatur. Filius Dei caro factus est [1] et verus homo fuit, unus ex nostri generis membris ac simul novus Adam, caput familiae humanae redemptae. Sub Spiritus Sancti influxu Ecclesia omnes homines tamquam filios Dei adoptivos in unitatem mystici Corporis Christi coadunare annititur, « donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi »,[2] Ecclesia, ut hoc opus continuo perficere queat, in mundo manere et eius sortem terrenam participare debet. Orbem enim terrarum Deus Creator ad indigentias exsistentiae humanae singulari providentia adaptavit atque habitaculum hominis,[3] ad imaginem et similitudinem suam creati,[4] effecit.

2. *Ecclesia ex hominibus componitur.* Homo perfectissimum intra visibilis

mundi creaturas ens est, quod ipse Creator cum beneplacito et amore contemplatur, sicut dicitur « viditque Deus cuncta quae fecerat: et erant valde bona ».[5] Singularis autem de hominis dignitate persuasio ex fide oritur in mysterium Incarnationis et Redemptionis, quod Ecclesia ab orto suo profitetur et praedicat. Dei similitudo communicata est naturae humanae, praesertim autem immortali animae ratione spiritualitatis eius et virtutis, quarum gratia homo « paulo minus ab Angelis » minutus est.[6] Corpus eius quoque, etsi quoad structuram suam aliis animantibus terrenis simile est, attamen cum anima in substantiali entis unitate coniunctum, in humanae personae dignitate plene participat. Corpore mediante homo in vicino cum mundo visibili et materiali contactu remanet, ac simul ratione spiritualitatis suae animae potentiis ornatae aptus est, ut illo dominetur,[7] atque ut eius faciem secundum suam cogitationem propria ingeniositate et laboriosa opera formet. Ex hominibus, qui in mundo vivunt et agunt, componitur Ecclesia Dei; homo in suis relationibus ad mundum et eius Creatorem remanens in Ecclesiam intrat, ut in ea et per eam reali relatione ad Deum Salvatorem referatur.

3. *Ius hominis ad religionem.* Unusquisque homo sublime officium habet ad cultum Deo exhibendum ac simul strictum correlativum ius ei competit; ius ergo habet ad religionem profitendam.[8] Deum colere intellectui humano convenit, ratione enim homo ex rebus creatis, quas videt,[9] Deum cognoscit; dignitati quoque humanae hoc quam maxime convenit. Ut debitus et plenus efformetur conceptus iuris hominis ad vitam religiosam in Ecclesia ducendam, ad hoc animadvertendum est, quod relatio hominis ad Deum penitus personalis et intrinseca atque simul extrinseca et socialis est. Integer enim homo ad Deum tamquam suum Creatorem et Patrem, Redemptorem et Sanctificatorem refertur. Haec hominis ad Deum relatio stricta iungitur cum necessitate morali, ut possessa veritas religiosa profiteatur i. e. erga alios exprimatur et quidem non solum erga fideles eiusdem religionis, sed etiam erga extraneos. Ius ad religionem profitendam fundat ius ad religionem cognoscendam, denique ad religionem docendam. Cum autem fides profiteatur etiam opere, praesertim variis generibus actionis caritativae, itaque plenum ius ad vitam religiosam evocat ius ad compositam actionem religiosam et socialem.

Ecclesiae in mundo exsistentia cum his fundamentalibus iuribus uniuscuiusque personae humanae quam intime nectitur. Iura haec violantur, quotiescumque homo possibilitate religionem verbo et opere profitendi privatur vel Ecclesia ipsa persecutione afficitur. Etenim hominibus ius ad sese uniendum et consociandum competit,[10] ut communi studio ad bonos fines assequendos contendant. Ecclesia tamquam Corpus Christi mysticum ex voluntate Dei in mundo exsistit. Nihilominus in humani quoque ordinis principiis exsistentia eius et actio fundatur.

4. *Apostolatus.* Ecclesia missionem a Deo mandatam et Apostolis a Christo traditam explet in mundo.[11] Haec est missio veritatem revelatam praedicandi. Actio Ecclesiae occurrit hic illi personae humanae iuri, quod profundissimis annumerandum est iuribus, nempe iuri ad veritatem cognoscendam. Ius hoc deinde ad transmissionem veritatis cognitae sive verbo sive scripto sive alio modo habilitat. Ecclesia his iuribus utitur a primo momento simulac Spiritus Sanctus missus ei fuit. Nempe Apostoli, tamquam oculati testes Christi a mortuis resurrecti, veritatem ab eo cum multis credibilitatis motivis revelatam praedicant, atque eo modo confessores Christi et membra Ecclesiae congregant. Societas religiosa ius habet praedicandi hominibus extraneis, ut veritatibus religiosis cognitis sese ad eam aggregent. Apostolatus ab Ecclesia per magisterium, exemplum et actionem

caritativam exercitus, nullius hominis libertatem opinionis violat, sed tantum occasionem praebet, ut veritates et principia praedicata scrutari possint atque homo libere se convertere queat.

5. *Libertas conscientiae.* Homo ad imaginem et similitudinem Dei creatus libero arbitrio praeditus est, ex quo libertas fluit actionis praeeunte cognitione. Adhaesio ad Ecclesiam personae actus liber est, qui agnosci debet ex parte aliorum, praesertim autem ex parte auctoritatis publicae. Confessores Christi ad Deum in Ecclesia et per Ecclesiam colendum se in conscientia stricte obligatos sentiunt. Apostoli autem eorumque Successores atque omnes qui cum eis in labore apostolico Ecclesiae cooperantur, sive ad statum sacerdotalem et religiosum pertinentes, sive laici, hanc actionem pro officio conscientiae habent secundum verbum S. Pauli « vae enim mihi est, si non evangelizavero ».[12]

Eo modo praesentia Ecclesiae in mundo et eius activitas inter homines nititur voluntate divina, gratia Iesu Christi atque dictamine conscientiarum omnium eius confessorum.

NOTAE

1 *Io.* 1, 14.
2 *Eph.* 4, 13.
3 *Gn.* 1, 28.
4 *Gn.* 1, 27; *Sap.* 2, 23.
5 *Gn.* 1, 31.
6 *Hebr.* 2, 7.
7 *Gn.* 1, 27-28.
8 IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55 (1963), pp. 260-261.
9 *Rom.* 1, 20.
10 IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55 (1963), pp. 262-263.
11 *Mt.* 28, 19.
12 *1 Cor.* 9, 16.

Cap. II. *Fines Ecclesiae in mundo praesentis.*

6. *Bonum salutis aeternae.* In stricta unione cum Filio Dei incarnato, tamquam eius Corpus mysticum debet Ecclesia laudem omnium creaturarum ad Patrem Aeternum referre. Debet hoc facere mente, voluntate et corde hominum, quibus Iesus Christus gratiam promeruit, et « dedit eis potestatem filios Dei fieri ».[1] Intercedendo autem apud Patrem pro discipulis suis, non rogat, ut tollat eos de mundo, sed ut servet eos a malo.[2] Quamquam vox « mundus » in Sacra Scriptura peiorativam quoque significationem habet, quando homines demonstrat, qui sub influxu satanae, « principis huius mundi »,[3] Deum eiusque salvificum consilium conscie reiciunt, tamen idem mundus prout est Creatoris opus diversi generis bono plenum, secundum consilium divinum factus est campus actionis Ecclesiae impositae. Iesus Christus vult, ut discipuli eius in mundo maneant et in medium mundum introducent[4] fermentum Evangelii salvificum, quod potens est genus humanum transmutare et ad ultimas Dei destinationes perducere.[5] A momento Incarnationis Verbi, praesertim autem a gloriosa Resurrectione Iesu Christi, qui est « primogenitus ex mortuis »,[6] integra temporalis creatura novum acquirit sensum: « nam exspectatio creaturae, revelationem filiorum Dei exspectat ».[7]

In hoc supernaturale consistit bonum salutis, quale Ecclesia desiderat pro omnibus hominibus sine sexus, aetatis, stirpis vel culturae differentia; etenim Deus « omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire ».[8]

Bonum salutis perficitur in aeternitatis, sed inchoatur iam hic in terris, in vita temporali.

7. *Ecclesia*[9] *hominibus et mundo ministrat.* Praesentiam suam in mundo Ecclesia concipit tamquam Spiritui Divino fidelem permansionem in eo.[10] Omnibus igitur hominibus Evangelium praedicare et supernaturalem vitam mediis a Redemptore institutis tradere conatur. In hac actione continetur Ecclesiae erga homines in mundo viventes ministerium, quod Christus Dominus discipulis suis tam vehementer mandaverat;[11] ipsi autem discipuli mandatum hoc fideliter explebent — quod ex Apostolorum epistolis patet.[12] Ecclesia secundum mentem Iesu Christi servit Deo Patri aeterno in mundo visibili — servit ergo mundo a Creatore variis bonis dotato et ab eo in proprios fines directo; immediate autem hominibus servit, qui, etsi in mundana finalitate inveniuntur, simul gratia ad supernaturales et aeternas destinationes diriguntur. Quod temporale est, ex se non opponitur aeterno, nec quod naturale — supernaturali. Ecclesia debito modo aestimat bonum temporale et naturale, quod secundum suam missionem transformare conatur, ut tamquam elementum in « novos caelos, et novam terram..., in quibus iustitia habitat,[13] intrare queat, sicut hoc praevidet consilium salutis ante conditionem mundi in mente Creatoris genitum[14] et saecula saeculorum attingens. Ecclesia ex fide vivens quod temporale et naturale est[15] cum eo quod aeternum et supernaturale est continuo in concordia componere studet, nam in mente Dei Creatoris, Dei Redemptoris, Dei Consummatoris utraque haec elementorum genera in harmonia communis finis ultimi coniunguntur. Per sanctificationem totius ordinis temporalis Ecclesia suppeditat elemento transeunti[16] valorem non transeuntem, eschatologicum in mensura eius subordinationis fini ultimo.

8. *Bona spiritualia*: a) *Veritas.* Totum in mutabili mundo opus Ecclesiae in homine principali modo perficitur et in eius spiritualis animae facultatibus et potentiis, nempe imprimis in facultate cognoscitiva intellectus et in libera voluntate fundatur. Propterea in missione Ecclesiae cura salutis aeternae cum cura bonorum spiritualium hominis i. e. cum cura veritatis et moralitatis iungitur. Ecclesia veritatem a Deo revelatam, quae est obiectum fidei, hominibus praedicat. Simul spectat Ecclesia cum benevolentia et attentione omnes conatus mentis humanae, ut veritatem via scientiae attingat. Unusquisque campus scientiae suum valorem habet, nam in veritatis particula ab ea inventa, aliquo modo Deo, qui fons est omnis entis omnisque veritatis, occurrimus.[17] Concilium affirmat omnes nexus, qui conatus virorum in scientia peritorum melius universum cognoscere cupientium cum conatibus Ecclesiae veritatem a Deo revelatam plenius et profundis explicare nitentis iungunt. Exeundo ex verbis Salvatoris « cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos »,[18] Concilium constans Ecclesiae desiderium exprimit, ut veritatis cognitionem moralitas et iustitia operum adaequet.

b) *Bonum moralitatis.* Nemo enim negare potest, quod in moralitate fundamentale criterium hominem qualificans situm est, sive de individuo seorsum sumpto sive de integra societate agatur. Itaque Ecclesia curam moralitatis pro mandato ex missione sua fluenti habet. Ad hoc mandatum explendum, in Evangelio et in principiis, quae « ostendunt opus legis scriptum in cordibus » humanis,[19] Ecclesia una cum omnibus hominibus bonae voluntatis diligenter quaerit solutionem tot problematum moralium, quae toti familiae humanae atque cuivis homini obiciuntur.[20] Eorum enim solutio ad libitum uniuscuiusque subiecti derelinqui non potest, sed perfici debet vi praeceptorum conscientiae humanae secundum normas

obiectivas et exigentias veri boni formatae. Coram complexis et perplexis ordinis politici vel oeconomici quaestionibus Ecclesia non cessat de earum humano sensu interrogare easque inquirere et explicare sub moralitatis aspectu. Hic agitur de eo valorum ordine, quam Salvator demonstrat verbis « quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? ».[21]

9. *Hominis ius ad culturam*. Hi fines Ecclesiae eiusque missio iunguntur cum iure, quod cuivis homini competit relate ad culturam tamquam complexum mediorum quibus homo suam personalitatem perficere queat. Ipsum Evangelium exhortatur nos ad hanc perfectionem acquirendam, quae praesentatur nobis ut similitudinis ad Patrem caelestem expressio.[22] Unusquisque homo, prouti est persona facultate intelligendi et libera voluntate praedita, ius ad sese formandum atque perficiendum habet. Exinde oritur ius ad culturam eiusque opera, quae saeculis vertentibus gignebantur ac gignuntur in hunc finem, ut spiritui humano serviant. Homo ius habet operibus fruendi atque ius creandi. Bona culturae pro omnibus hominibus destinata sunt, nam ex natura sua limitationi sicut bona oeconomica non subiacent, neque opus est ea dividere, sed omnibus secundum eorum indigentias et possibilitates patefieri queunt. Eo modo principalis fructio impletur culturae, quae qua complexus operum et productorum ab homine effectorum simul constituit copiam mediorum ad personalitatem eius perficiendam inservientium. Hominis ius ad activam et passivam participationem in culturae processu cum moralitatis principiis conformari debet.[23] Nam cultura a moralitate separata non est cultura pleno sensu nec hominem integre format.

Haec principia fundamentum relationis Ecclesiae ad culturam praeteritis saeculis constituerunt. In mundo quoque contemporaneo similem erga culturam actionem Ecclesia exercere desiderat, adaptatam tamen ad hodiernas exigentias et inquisitiones, sine quibus vera creativa actio vix possibilis est.[24]

NOTAE

[1] *Io.* 1, 12; IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53 (1961), p. 444: « Porro Ecclesia Divino iure ad universas pertinet gentes: quod re ipsa confirmatur, cum et ubique terrarum iam adsit, et ad omnes complectendos populos contendet... ».

Ad hoc Ecclesia, cum in populi alicuius quasi venas vim suam inseruerit, idcirco neque est, neque se existimat institutum quoddam, eidem populo extrinsecus impositum. Id autem ex eo cadit quod, ubi Ecclesia adest praesens, ibi singuli homines in Christo vel renascuntur, vel resurgunt; qui vero vel renati sunt, vel resurrexerunt in Christo, iidem nulla umquam externa vi se sentiunt oppressos; immo potius, cum perfectam libertatem se esse adeptos sentiant, ad Deum libero impetu ferentur; atque ideo quidquid bonum honestumque sibi esse videtur, idem confirmant atque perficiunt ».

[2] *Io.* 17, 15.

[3] *Mt.* 18, 7; *Lc.* 12, 30; *Io.* 1, 10-29; 7, 7, 9, 30, 12, 31 15, 18 16, 8 17, 14; *1 Cor.* 3, 19; *Eph.* 2, 2; *Ic.* 1, 27; 4, 4; *2 Pt.* 1, 4; 2, 20; *1 Io.* 2, 15-17; 4, 5; 5, 4-19.

[4] *Mt.* 13, 33; *Lc.* 13, 21.

[5] *Eph.* 1, 23; 4, 13.

[6] *Col.* 1, 18; *Apoc.* 1, 5.

[7] *Rom.* 8, 19.

[8] *1 Tim.* 2, 4; PIUS XII, Discours au X Congrès Internt. des sciences histor., 7 nov. 1957: *A.A.S.*, 47 (1957), pp. 672-682.

[9] PIUS XII, Discorso al Sacro Collegio, 20 febr. 1946: *A.A.S.*, 38 (1946), pp. 141-151.

[10] PIUS XII, Discorso « Siamo ben lieti », 29 apr. 1949: *Discorsi e Radiomessaggi di sua Santità Pio XII*, v. XI, pp. 47-51.

[11] *Io.* 13, 14-17; 34 ss. 15, 12-17; 17, 20 s.
[12] *1 Pt.* 2, 11-17; 3, 13-17; *Rom.* 13, 1-7; *1 Cor.* 5, 10; *Gal.* 6, 9 s.; *Eph.* 5, 12; *Phil.* 2, 15; 4, 8; *Col.* 4, 5 s.; *1 Tim.* 4, 2-5; *Tit.* 3, 1 ss.
[13] *2 Pt.* e, 13.
[14] *Eph.* 1, 4.
[15] PIUS XII, Litt. Encycl. *Evangelii praecones*: 11 iun. 1951: *A.A.S.*, 43 (1951), p. 521: « Illam Ecclesia, inde ab originibus ad nostram usque aetatem, sapientissimam normam semper secuta est, qua quidquid boni, quidquid honesti ac pulchri variae gentes e propria cuiusque sua indole e suoque ingenio habent, id Evangelium quod amplexae sint, non destruat neque restringat...
Humana natura, quamvis ob miserum Adae casum hereditaria labe infecta sit, aliquid tamen in se habet naturaliter christianum (cf. TERTULL., *Apologet.*, cap. XVII; *ML* I, 377 A), quod quidem, si divina luce collustretur divinaque alatur gratia, ad veri nominis virtutem supernamque vitam evehi aliquando potest ».
[16] *1 Cor.* 7, 31.
[17] PIUS XII, Alloc. *Poussées par le désir,* 29 sept. 1957: *A.A.S.*, 49 (1957), pp. 906-912.
[18] *Io.* 8, 32.
[19] *Rom.* 2, 15.
[20] PIUS XII, Discours au X Congrès Intern. des sciences histor., 7 nov. 1957: *A.A.S.*, 47 (1957), pp. 672-682.
[21] *Mt.* 16, 26.
[22] *Mt.* 5, 48.
[23] IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55 (1963), p. 260.
[24] PIUS XII, Alloc. *C'est bien volontiers,* 9 mart. 1956: *A.A.S.*, 48 (1956), pp. 210-216.

Cap. III. *De praecipuo Ecclesiae munere in mundo hodierno.*

10. *Iesus Christus heri et hodie: ipse et in saecula.* Missionis Ecclesiae in ordine supernaturali fructificatio dependet quoque a gradu, quo actionem suam uniuscuiusque aevi hominibus accommodaverit eorumque vero bono ministraverit.[1] Itaque Ecclesia cum hodierna generatione humana cooperari ardenter desiderat indigentias eius intime perspiciendo. Relatio tamen Ecclesiae ad praesentem aetatem ab eius proprietate tempus transcendente dependet tamquam a conditione. Sicut « Iesus Christus heri, et hodie: ipse et in saecula » [2] est, ita Ecclesia quoque in unumquodque mutationi obnoxium humanae exsistentiae terrenae aevum hoc introducit, quod in ipsa aeternum et immutabile est. Hoc non ab homine, sed a Deo provenit, ab eius intellectu et voluntate. Attamen humani ordinis progressus hanc ob causam nullo modo impeditur. Immo vero, huius rei gratia Ecclesia cum mundo contemporaneo efficacissime cooperari eumque adiuvare potest. Talis enim hominis eiusque actionis natura est, quod ens mutabile et in renovationem mundi figurae influens solum sub specie aeternitatis debito modo effici potest. Ecclesia, quae sine intermissione « profert de thesauro suo nova et vetera »,[3] in luce divinae et aeternae veritatis talem mundum cum hominibus in saeculo viventibus aedificare desiderat, in quo non solum supernaturalis hominis vocatio, sed etiam socialis ordo, pax et prosperitas temporalis adimpleantur.[4]

11. *Mundus hodiernus.* Praecipua in mundo hodierno munera sua cognoscit Ecclesia inspiciendo diligenter in conditionem eius actualem difficultatesque in via evolutionis eius inquirendo.[5] Nempe novissimis temporibus genus humanum valde crevit quoad numerum hominum in terra viventium. Evolutio haec proportionalem postulat auctionem bonorum ad vitam magnae familiae humanae sustentandam necessariorum. Hoc solummodo concordi labore omnium voluntate hominum, praesertim omnium nationum et civitatum, obtineri potest. Possibilitas haec non minus in naturali terrae ditatione quam in humani ingenii acie ad materiam

ope technicis instrumentis dominandam fundatur.[6] Agitur solum de eo, ut media haec ad sustentationem et evolutionem totius familiae humanae debito modo adhibeantur, non vero ad fines destructivos. Post primum in ultimo bello atomicae vis destructivum usum populi in perpetuo totalis deletionis metu vivunt. Qui metus cum accelerato scientifico et technico progressu sine intermissione grandescit.[7]

Sollicitudo de vita contemporaneae familiae humanae servanda cum sollicitudine pro eius vita spirituali fovenda iungitur. Ingenti enim modo novissimis hisce temporibus evoluta est conscientia propriae libertatis eiusque desiderium non solum in singulis nationibus et societatibus, sed etiam apud singulum hominem.[8] Propterea opportuna esse videtur expositio principaliorum humanae personae iurium atque communissimorum agendi principiorum, quorum applicatio si deficiatur, vita humana tum individualis cum socialis impossibilis prorsus evadat. Agitur de moralibus principiis, quae faciliter a quovis homine, sive credenti sive non, intelligi possunt, nam, sicut S. Paulus dicit, « gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis ».[9]

12. *Homo attendendus est.* Ut homo attendatur nostris praesertim temporibus necessarium est, quando non solum hominum in terra nostra multitudo valde aucta est, sed etiam cum civilis culturae humanitatisque progressu relationes inter homines atque inter nationes necnon societates varias multiplicatae sunt.[10] Insuper multiplicatae hae relationes magis complexae et intricatae evaserunt.[11] Praeterea technicae artis progressus eiusque in productione industriali applicatio iam dudum postulavit, ut hominis melius bonum attendatur.[12] Non solum causa industrialisationis technisationisque est homo, sed etiam obiectum quod earum influxum subit; propterea propria hominis vita formatur in dependentia ex parte modernis fabricis atque technicis institutionibus.[13] Ne hisce in conditionibus aequilibrium inter personam et collectivitatem perturbetur, Concilium opportunum esse existimat, ut principalia personae humanae iura ex ipsa eius natura fluentia in memoriam revocentur atque bona in humana familia maxime necessaria determinentur.

13. *Bonum vitae.* Vita fundamentale hominis bonum est. Quovis igitur homini competit ius ad vitam, et quidem a conceptionis in matris utero instante. Sollicitudo de humanae vitae bono est unum ex principalibus individui, familiae necnon societatis muneribus moralibus.[14] Sollicitudo haec ex responsabilitate fluit pro vita in matrimonio tradenda atque pro vita iam tradita.[15] Ecclesia responsabilitatem hanc in omnibus evocare vult, non solum in suis fidelibus, sed etiam in aliis. Hominis ius ad vitam occisione violatur, propterea Creatoris praecepto « Non occides » munitum est.[16] Occisio hominis nondum nati magnum est malum, non solum in luce fidei, sed etiam in luce rationis sanae. Respectus boni vitae humanae et iuris ad vitam habendus est, quando agitur de solutione sic dictae quaestionis demographicae. Secundum fidem et sanam rationem — vita humana non est temerarie multiplicanda;[17] attamen absolutus respectus vitae iam exsistentis exigit, ut sustentetur, tueatur et conditionibus necessariis ornetur.[18] Concilium agnoscit, quod variae individuales et sociales rationes conceptuum regulationem exigere possunt, sed in concordia cum lege morali faciendam est hoc, non laedendo dignitatem personae nec castitatem matrimonialem. Totus complexus relationum oeconomicarum et politicarum considerandus est sub aspectu huius fundamentalis boni, quale vita hominis est. Bellum, quod periculum immensae

deletionis vitae humanae secum fert, inaudito prorsus modo invadit universale hominum praesentis aetatis ius ad vitam;[19] propterea necesse est, ut continuo omnium nisu arceatur et impediatur.

14. *Bonum familiae et vocationis humanae.* Sollicitudo de vitae humanae bono imprimis familiam ostendit eiusque iura et officia. Matrimoniali et familiali vitae essentialis est non solum possibilitas procreandi, sed etiam concentratio singularis circa valorem vitae hominis, quae ex familia originem ducit et in ea maxime appropriatas conditiones crescentiae et evolutionis invenit. Quamquam partem suae curae, ut liberi humanam socialemque formationem accipiant, familia aliis hominibus atque societati demandare debet, attamen propria eius functio educativa ab aliis substitui nequit. Propterea familia sufficientem unionem intrinsecam habere debet, cuius fundamentalis conditio in matrimonii indissolubilitate consistit.[20] Insuper possidere debet firmam positionem socialem atque gaudere debet aequa tutela ex parte legislationis statalis. Ecclesia, quae familiae semper inserviebat eamque in prosecutione propriorum finium adiuvabat, sine intermissione hoc munus secundum exigentias et conditiones modernas continuare desiderat.[21]

Familiae quaestio cum hominis iure matrimonium contrahendi in debita aetate et familiam condendi stricte nectitur. Cum iure hoc varia vitae matrimonialis et familialis officia iunguntur.[22] Demonstrare oportet officium et correspondens ius propriam prolem educandi.[23] Status potest, immo debet parentes in hoc difficili munere adimplendo adiuvare simul privatas institutiones educativas et scholares; nullo tamen modo status privare potest parentes principali et fundamentali eorum iure propriam prolem educandi secundum suam mentem et bonam voluntatem in proprio foco familiari. Liberi enim immediate ad parentes pertinent, non ad nationem, quae proinde non potest sine naturalis iustitiae violatione eos parentibus auferre et contra eorum voluntatem educare.

Vitae familialis bonum cum bono vocationis humanae intime iungitur, nam illa est unum ex profundissimis humanae personae iuribus. Quivis homo ius habet tale vitae genus eligendi, quale sibi appropriatum esse existimat.[24] Potest igitur matrimonium contrahere, potest etiam ob speciales conditiones et honestas rationes caelebs manere. Singulare ius ad caelibatum iis personis competit, quae sese eo devovent statum clericalem vel religiosum eligendo. Eiusmodi iura hominis singulari modo propinqua sunt Ecclesiae, quae continuo hominibus eorum vocationem divinam ad vitam in beatitudine supernaturali praedicat.[25] Sub huius vocationis aspectu omnes formatur status et professiones tamquam variae vitae humanae viae ad unum finem ducentes. Vocationis conscientia ingens est bonum, eius enim gratia homo in se et in mundo finalitatem invenit et ordinem.

15. *Iura hominis oeconomica et paupertatis bonum.* Magnus bonorum materialium campus non solum oeconomicis legibus subiacet, sed etiam — et quidem modo principali — moralibus.[26] Etenim ad vitam suam sustentandam homo materialibus mediis indiget, quae terra ei suppeditat. Ius utendi his mediis, ius ad bonorum materialium naturae usum omnibus sine exceptione hominibus competit.[27] Si omnes homines ius ad vitam habent, omnes quoque habere debent ius ad usum mediorum, quae ad vitam sustentandam necessaria sunt. Iuri huic contradicit miseria materialis et pauperismus seu permanens status privationis necessariorum ad vitam mediorum.[28] Homo tantam mediorum vitae copiam possidere debet, quae non solum ei suam et familiae eius vitam sustentare, sed etiam altio-

res indigentias humanas satisfacere sinat. Cum hoc iungitur ius ad civilisationis technicae media utenda, quae homini vitam facilitant et actionem in moderna societate secundum eius technici progressus gradum.[29]

Dum neminem ab usu naturae bonorum productionisque fructuum in qua labore suo cooperetur amovere liceat, unusquisque igitur homo secundum propriam indolem, qualificationem et indigentiam ius habet ad laborem.[30] Quod ius praecipuo modo attendendum est in automatisationis processu.[31] Ipse autem modus laborandi atque conditiones laboris conformes esse debent cum personae humanae dignitate.[32] Salarium autem pro labore perfuncto hominibus fons esse debet mediorum ad propriam familiaeque vitam sustentandam, immo fons esse debet securae [33] prosperitatis materialis in quantum hoc a situatione oeconomica societatis bonis gignendis totiusque nationis permittitur.[34] Homo enim ius naturale habet ad bona materialia — et quidem non solum consumptiva, sed etiam productiva — acquirenda, possidenda atque heredi relinquenda.[35] Cum productiva bona novorum bonorum fontem constituant, eorum dominus debito modo et ad aliorum bonorum ea disponere debet.[36] Insuper vigilantiam accipere debet auctoritatis publicae quoad conformitatem modi de eis disponendi cum boni communis exigentiis.[37]

Coram hodiernam relationum oeconomicarum evolutionem et ingentem technicae et civilisationis progressum Ecclesia incessanter hanc evangelicam veritatem proclamat, quae exprimitur verbis « beati pauperes spiritu ».[38] Beatitudo haec ostendit, quod cum iure ad bona possidenda et utenda strictissime iunctum est paupertatis bonum tamquam spiritus humani proprietas atque ordinis socialis et oeconomici principium dirigens. Etenim ius acquirendi bona in proprietatem privatam iungitur in vita humana cum laborandi necessitate; labor autem non solum testimonium est hominis dominii super materiam, sed etiam pretium, quod homo solvere debet, ut bonis materialibus uti possit.[39] Labor homini impositus est tamquam obligatio, quae post originale peccatum « in sudore vultus » expleri debet.[40] Laboris bonum singulari nexu cum paupertatis spiritu iunctum manet, quod nullatenus laboris valorem pro homine minuit. Etenim homo animi sui manuumque suarum operibus non solum terram sibi subiectam efficit,[41] sed etiam essentiae suae indeterminatam potentialitatem in actum deducit. Quando autem labore suo homo ad bonorum, praesertim productivorum bonorum acquisitionem pervenit, tunc peculiari modo memoria tenere debet, quod non potest ea sine paupertatis spiritu nec sine benefaciendi promptitudine possidere, quia pro christiano in hoc amoris ipsius Dei criterium consistit.[42] Omnes enim redditus liberi, i. e. superflui, ex sociali iustitia hominibus in miseria et egestate viventibus debentur; diviti non licet eos in prodigum luxum vel sumptum edere nec thesaurizare sine societatis fructu eos reliquens. Modus autem, quo redditus liberi in utilitatem socialem, praesertim vero miserorum, applicari debent, a virtute prudentiae determinandus est.[43]

16. *Bonum libertatis.* Pacis et ordinis in mundo variae sunt conditiones. Una ex iis in iusta consistit distributione bonorum non solum intra unius nationis limites, sed etiam inter varias nationes, ne homines famem et humiliationem patiantur.[44] Paupertatis bonum quam profundissime cum libertatis bono ab Ecclesia coniungitur. Humanae personae naturali dignitati convenit debitae bonorum materialium quantitatis possessio privata atque dominium, etiam quoad productiva bona. Quando individualis homo privati dominii iure privatur, privatur

etiam conditionibus ad naturalem libertatem exercendam necessariis, tota vero vita socialis regressus periculo exponitur.[45] Quod accidit, quotiescumque homo agere non potest ex suo impulsu et cum propria creativa inventione, sed movetur ad instar passivi elementi in aliquo magno mechanismo, quod caeco et inanimato modo operatur. Spiritum in illud solum homo spirare potest, qui libertate inventionis non est privatus.[46]

Ad Ecclesiae in hodierno mundo missionem pertinent quoque munus quaerendi una cum omnibus hominibus bonae voluntatis, quaenam verae personae libertatis conditiones sint. De libertate ab extrinseco agitur, nempe de tali conditionum exsistentiae actionisque hominis complexu, in quo de suis operibus atque de vitae suae fine decernere queat sine ullo ex parte aliorum impedimento, praesertim autem sine impedimento ex parte auctoritatis publicae. Magni vero momenti est in materia conscientiae libertas, i. e. ius sese gerendi concorditer cum conscientia propria in bona fide formata.[47] Personae dignitas exigit, ut homo conscientiam suam in veritate formet et ex conscientiae suae persuasione agat, nam « quod non est ex fide, peccatum est ».[48] Dignitati personae humanae periculum imminet, quotiescumque homo suas rectas persuasiones sequi nequit atque ad actiones conscientiae suae contrarias cogitur. Respectus debetur etiam conscientiae invincibiliter erroneae, quando homo errorem suum nesciens practice certus de recti dictaminis conscientiae suae veritate. Semper enim homo officium habet sequi conscientiae suae certam persuasionem, etsi forte inscie erronea sit. Debitus respectus erga aliorum persuasiones praesertim ab hominibus, qui auctoritate publica vestiti sunt, exhiberi debet.[49] His tolerantiae principiis non contradicit nostra sollicitudo, ut alii in conscientiae suae secundum verbum bonum morale formatione adiuventur. In conscientiae erroneae casu respectus personae possibilitatem non excludit persuadendi ei de veritate ope argumentis eam probantibus. Excluditur tamen pressio physica mediata vel immediata atque coactio psychica vel sociologica, scienter exercitae.[50] Ipsi conscientiae erroneae effectus admitti nequeunt, si damnum afferunt aliis personis vel societati aut ordinis moralis exigentiis contradicunt.[51] Libertas enim personae, quamquam magnum bonum est, ipsa sibi finis esse non potest. Nam ille vere liber est, qui libertate sua bene uti scit, qui dominus est et actiones suas boni communis postulatis subicit.

17. *Bonum ordinis et subsidiaritatis principium.* Nostris hisce temporibus Ecclesia magis quam antea sollicita est de ordine in vita tum individuali tum sociali instaurando per cooperationem cum omnibus hominibus bonae voluntatis. Ordo vitae individualis fructus est boni libertatis usus,[52] dum ordo socialis fructus est debiti usus potestatis publicae secundum principium subsidiaritatis late applicandum,[53] sine iurium personae laesione. Principium hoc exprimit respectum iurium personae ex parte potestatis publicae ei exhibendum. Homo enim in variis vitae collectivae structuris haerere debet non ut elementum mere passivum, sed ut subiectum, fundamentum et finis.[54] Exinde subsidiaritatis principium propinquum est iustitiae distributivae nec non evangelico caritatis praecepto. « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi » — monet S. Paulus.[55] Secundum subsidiaritatis principium maiores et altiores societates subsidium ferre debent coetibus minoribus et inferioribus atque individuis, ut fines sibi proprios assequi possint propria industria.[56] Talis esse debet modus sese gerendi apud auctoritates publicas relate ad familiam et alias societates atque relate ad singularem hominem. Idem subsidiaritatis principium valebit etiam in relationibus futurae potestatis

universalis erga singulas civitates.[57] In relationibus autem internationalibus civitates potentiores et divitiores debent civitatum minorum exsistentiam et evolutionem independentem possibilem reddere, non quaerendo propriam utilitatem nec dominationem.[58] Subordinatio et subiectio minorum nationum per nationes maiores naturali iustitiae contradicit. Principii iustitiae subsidiaritatisque applicatio intra singuli status limites libertatem et fiduciam affert, infelices totalismi reliquias delet et omnes excludit formas discriminationis non solum « rassae » seu stirpium causa, sed etiam propter nationalitatem, culturam vel religionem;[59] in foro autem internationali ex huius principii applicatione colonialismi et servitutis politicae abolitio sequitur.[60] Societatum in principii subsidiaritatis spiritu educatio efficere debet, ut vis moralis et auctoritas moralis plus valeat, quam potestas materialis et vis physica. Sub hac tantum conditione verae personae humanae liberatio fieri potest.

18. *Bonum pacis in familia humana.* Pax est bonum, de quo omnes in praesentis aetatis mundo curare debent, quia eius laesio maximum periculum evocat. Hodie enim bellum secum affert periculum universalis cladis, deletionis vitae et ruinarum culturae. Si bellum semper malum erat, bellum hodiernum incomparabiliter peius et periculosius malum est. Propterea bellum hodie non potest iudicari secundum eadem principia sicut temporibus praeteritis, responsabilitas autem hominum, qui bellum causent, aequiparari nequit responsabilitati hominum saeculis praeteritis bellum evocantium. Agitur hic non solum de culpa ob bellum immediate provocatum, sed etiam de responsabilitate, quae fluit ex praeparatione armorum atomicorum ad universalem ruinam inservientium. Non solum ab his mediis, sed etiam a bello tamquam medio ad conflictus internationales solvendos homines sese avertere et omnibus viribus pacificam viam quaerere debent. Concilium suscipit hic doctrinam Papae Ioannis XXIII in Litteris Encycl. *Pacem in terris* contentam.[61] Bellum in se sumptum spiritui contradicit Evangelii, quod omni modo in genere humano, cuius Pater Deus est, sensum familiae confirmare contendit. Ecclesia non solum dare desiderat pacem, quem mundus dare non potest,[62] sed etiam cum fide Isaiae prophetiam monstrat, secundum quam Deus « iudicabit gentes, et arguet populos multos: et soflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad proelium ».[63]

Concilium vitam hodiernae generationis humanae participans, de futuris quoque generationibus cogitat. Non possumus illis tradere inauditam olim copiam mediorum technicae sine proportionali spiritualis et moralis boni deposito. Nullo autem modo debemus eis tradere crescens ruinae periculum ex materiae viribus imminens sine aeque potentibus remediis eis contrapositis, quae ex hominis spiritu et Dei gratia fluunt. « Et erit opus iustitiae pax, et cultus iustitiae silentium, et securitas usque in sempiternum ».[64]

NOTAE

1 Pius XII, Nuntius radiophonicus, *Pentecostes,* 1 iun. 1941: A.A.S., 33 (1941), pp. 195 ss.

2 *Hebr.* 13, 8.

3 *Mt.* 15, 52.

4 Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 463.

5 *Mater et Magistra,* p. 456; Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 298.

6 *Mater et Magistra,* p. 446.

[7] *Pacem in terris,* p. 287.
[8] *Pacem in terris,* p. 283.
[9] *Rom.* 2, 14-15.
[10] *Pacem in terris,* pp. 291 s.
[11] *Mater et Magistra,* pp. 415 s.
[12] *Mater et Magistra,* pp. 422 ss.
[13] PIUS XII, Alloc. *Il gradimento*: *A.A.S.,* 49 (1957), pp. 621-629.
[14] *Pacem in terris,* pp. 272 s.
[15] *Mater et Magistra,* p. 447.
[16] *Ex.* 20, 13.
[17] *Mater et Magistra,* p. 447.
[18] PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: *A.A.S.,* 22 (1930), p. 543.
[19] *Pacem in terris,* p. 287.
[20] *Mater et Magistra,* p. 447.
[21] *Pacem in terris,* pp. 261 s.
[22] *Pacem in terris,* p. 261.
[23] PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini illius magistri*: *A.A.S.,* 22 (1930), pp. 58 s.
[24] *Pacem in terris,* p. 261.
[25] *Pacem in terris,* p. 259.
[26] PIUS XII, Nunt. rad. *Pentec.,* 1941, pp. 196 s.
[27] PIUS XI, *Quadrag. Anno,* pp. 191-192.
[28] LEO XIII, Litt. Encycl. *Rerum Novarum*: *Acta Leonis XIII,* 11 (1891), pp. 97 ss.
[29] *Mater et Magistra,* pp. 431 ss.
[30] *Pacem in terris,* p. 261.
[31] PIUS XII, Alloc. *Il gradimento*: *A.A.S.,* 49 (1957), pp. 621-629.
[32] *Mater et Magistra,* pp. 422 ss.; *Pacem in terris,* p. 262.
[33] *Pacem in terris,* pp. 259 s.
[34] *Mater et Magistra,* p. 419; *Pacem in terris,* pp. 260 ss.
[35] *Pacem in terris,* p. 262.
[36] *Quadrag. anno,* pp. 191 s.
[37] *Quadrag. anno,* p. 193.
[38] *Mt.* 5, 3; PIUS XII, Alloc. *A l'occasion*: *A.A.S.,* 48 (1956).
[39] *2 Thess.* 3, 10.
[40] *Gn.* 3, 19.
[41] *Gn.* 1, 28.
[42] *1 Io.* 3, 17.
[43] LEO XIII, Litt. Encycl. *Rerum Novarum,* p. 114; PIUS XI, *Quadrag. anno,* p. 194; IOANNES XXIII, *Mater et Magistra,* p. 430; *Pacem in terris,* pp. 259 s.
[44] IOANNES XXIII, *Mater et Magistra,* pp. 440 ss.
[45] *Mater et Magistra,* p. 265.
[46] *Pacem in terris,* p. 266.
[47] *Pacem in terris,* p. 260.
[48] *Rom.* 14, 23.
[49] *Pacem in terris,* p. 270.
[50] *Pacem in terris,* p. 265.
[51] *Pacem in terris,* p. 260.
[52] *Pacem in terris,* p. 302.
[53] PIUS XI, *Quadrag. anno,* p. 203.
[54] *Pacem in terris,* p. 263.
[55] *Gal.* 6, 2.
[56] *Mater et Magistra,* pp. 415 ss.
[57] *Pacem in terris,* p. 294.
[58] *Mater et Magistra,* pp. 442 s.; *Pacem in terris,* p. 281.
[59] *Pacem in terris,* p. 281.
[60] *Pacem in terris,* p. 282.
[61] *Pacem in terris,* praesertim pp. 279-296.
[62] *Io.* 14, 27.
[63] *Is.* 2, 4.
[64] *Is.* 32, 17.

Cap. IV. *De mediis quibus Ecclesia munera sua in mundo hodierno adimplet.*

19. *Fidei et bonae voluntatis testimonium.* Ad munera sua in praesentis aetatis mundo adimplenda Ecclesia omnibus viribus suis tendit. Maximi his pretii sunt vires spirituales, quae ex oratione, zelo et veri boni dilectione fluunt. Gratia et oratione ad Christum Filium Dei ducimur, in cuius Corde misericordiae pleno inexhaustum bonorum pro quovis homine et universo genere humano fontem invenimus. Itaque Concilium omnes Christi confessores exhortatur, ut testimonium ei dent. Ex eius enim voluntate testari debemus similiter ac primi discipuli post Resurrectionem factam, quod Iesus Christus verus est mundi Salvator.[1] Testimonium dare debemus eo modo, quod bona stricte cum salute hominis coniuncta (quae singillatim in cap. II consideravimus) praesertim in ipsa Ecclesiae communitate efficiemus;[2] eo fine secundum posse etiam cum aliis, qui ad Ecclesiam visibili modo non pertinent, cooperabimur.[3]

Ad hunc finem obtinendum denuo Evangelii spiritu sine intermissione vivificabimus nostras christianas societates atque Ecclesiae institutiones per millennia experimento probatas; simul in rebus, quae a bona hominis voluntate et a sana naturali moralitate dependent, cooperabimur quoque cum hominibus, quibus non coniungimur unitate fidei nec Ecclesiae vinculo. Multa enim bona, tam indubie necessaria hodierno mundo, communem omnium bonae voluntatis hominum actionem postulant. Ad hanc communem actionem facilitandam Christi confessores in seipsis intensificare studebunt hunc hominis amorem, qui, ex evangelico fonte haustus, ad differentias homines dividentes non respicit. Generationi hodiernae maxime necessaria est caritas, quae cum magna simplicitate hominem amplectitur et vitam socialem compenetrat superando distantiam, inimicitiam et odium inter homines. Ex caritate haec omnia bona fluunt, quibus mundus hodie tam valde indiget. Oportet ea persuadendo praedicare, sed multo magis oportet ea efficere, quod per caritatem fit.

20. *Media in vita christiana individuali applicanda.* Ad caritatem hanc exercendam omnes Christi confessores ipsius eorum Magistri et Apostolorum eius verbis exhortantur.[4] Unusquisque per se eam adimplere debet, omnes autem in communi invicem sibi caritatem mutuam manifestabunt — tunc ex ea tamquam Christi discipuli cognoscemur.[5] Caritas haec omnes homines amplecti debet, ullus homo nobis non carus manere potest,[6] etsi non omnes eodem modo propinqui nobis sunt nec eodem affectus gradu amantur. Verba Divini Magistri adimplendo, etiam inimicos nostros caritate prosequi debemus et benefacere etiam his, qui nos persequuntur.[7] Totius praesertim Ecclesiae oratio sine intermissione pro eis fluat.[8]

Unusquisque nostrum quam maxime conscie spiritu Christi eiusque exemplo duci debet, ut maximum caritatis praeceptum adimplere possit.[9] Unusquisque nostrum, in quantum potest, secundum conditionem suam in utilitatem proximorum, societatis et sui ipsius operam det his bonis, quae caritatis Christi fructus sunt. Modus ea efficiendi dependet a vitae genere quod quis sibi elegerat, a professionali labore, quem quis exercet;[10] dependet quoque ab hominibus cum quibus contactum habet et muneribus quae explet. Interea viva fides et ipsa caritas iuvabunt ad ea bona, de quibus agitur, invenienda et efficienda, Christus Dominus non solum postulat, ut mandatorum transgressionem evitemus, sed etiam — et quidem multo magis — ut bona mundo nostro necessaria efficiamus.[11]

Munus non in magna parte ad laicos pertinet, qui immediatum cum mundo contactum habent et opera ab eo homini imposita suscipiunt.[12] Ex Christi inspiratione, ex fide et caritate consecrationis mundi fluit opus, in quo copia horum omnium bonorum, sine quibus vita humana onerosa, immo saepe periculo exposita fit continetur. Cuivis christiano in mundo viventi demandata igitur est cura boni vitae, vocationis humanae familiae, bonorum oeconomiae ac vitae politicae, libertatis, ordinis et pacis. Sollicitudo haec ex Christi Iesu mandato fluit et stricte cum cura propriae proximorumque salutis coniuncta est.[13]

21. *Consociationes.* Sed non solum unusquisque seorsum sumptus horum bonorum curam habere debet secundum suam conditionem, in ambitu professionis et muneris sui. Cura enim boni spiritualis et temporalis, aeterni et temporalis, pro singulo homine et pro universo genere humano, coniunctionem exigit conatuum non solum christianorum, sed etiam omnium hominum bonae voluntatis. Necessitas consociandi se, ut communi opera fines obtineantur, qui individuales vires transcendunt, manifestatio est socialis hominis naturae; ius vero ad consociandum se naturale est ius personae humanae.[14] Iure hoc uti debent etiam Christi confessores in omnes ad quas pertinent nationibus, quarum membra pleno sensu esse volunt. Si autem auctoritates publicae denegant illis hos ius, eo ipso essentiale hominis bonum laedunt eiusque naturale ius violant.

Speciale hoc in casu momentum habent scholae variae pro veritate cognoscenda et pro educatione in evangelici amoris spiritu accipienda. Parentes christifideles ius habent, ut liberi eorum in Christi confessorum coetum introducantur atque veritatem ab Ecclesia praedicatam cognoscant. Inter consociationes autem, quae ex Christi doctrina inspirationem hauriunt, primum locum tenent associationes caritativae variis hominis indigentiis inservientes. Ecclesia semper ministerium caritativum exercebat per parochias, ordines, consociationes et institutiones catholicas et in futurum tempus in eodem spiritu id facere desiderat, secundum Salvatoris verba: « semper pauperes habetis vobiscum ».[15] Utinam omnes, quibus haec Salvatoris verba et tota Evangelii doctrina caritatis cara est et propinqua, non cessent reales indigentias et difficultates hodierni hominis cognoscere easque satisfacere et solvere per individualem et collectivam actionem.

Si in hac actione cum hominibus extra Ecclesiam manentibus nos coniungimus, hoc facimus ita tunc, quando verum bonum intenditur et ipsae consociationes non pugnant contra Ecclesiam nec contra religionem. Pastoribus Ecclesiae vigilandum est super hanc cooperationem.

22. *Christianorum relatio ad non christianos et ad societatem laicam.* Christifideles in variis nationibus tamquam cives variorum statuum inveniuntur. Propterea Ecclesia ad id intendit, ut libertas religionis profitendae necnon actionis in ecclesiastica societate peragendae eis assecuretur. Ecclesiae postulatum in his hominis iuribus fundatur, quae universaliter agnita sunt tamquam aeque; si enim reicerentur, vita collectiva nimio pondere personas humanas premeret. Propterea Ecclesiae persecutio et actionis eius limitatio ad id ducit, quod homines credentes vexationibus et discriminationibus afficiuntur; hoc sine dubio iuribus personae communiter admissis contradicit. Ergo etiam pro relationibus inter auctoritates publicas et Ecclesiam regulandis personae iura naturalia tamquam fundamentum accipienda sunt. Christiani in Ecclesiae communitate vivunt et agunt, in civitate autem eodem modo cives sunt ac qui non credunt vel aliam religionem profitentur. Sicut coactio erga non-catholicos exercita, ita catholicam religionem profiterentur,

iuribus personae Ecclesiaeque principiis contradiceret, ita quoque iuribus hominis contradicit, si catholici vi physica, pressione vel nimis a Christo et ab Ecclesia amoventur et ad aliam religionem acceptandam vel ad ipsum atheismum profitendum coguntur.

Fides internus est actus hominis, qui mente et voluntate cum Divina gratia cooperando per seipsum veritatem revelatam recipit.[16] Ecclesia veritatem a Deo revelatam praedicat et omnes ad fidem ducere curat, sed neminem ad eam recipiendam cogit. Ipsi Deo, qui solus scrutator cordium[17] est, reliquendum est iudicium de subiectivo hominis decisionis valore, qua veritatem non recipiendo extra credentium communitate manet. Ecclesia in spiritu amoris Dei, veritatis et hominis, ut unusquisque credat, exoptat — attamen respectus erga humanam personam hanc maximam conscientiae humanae rem personali eius responsabilitati relinquit. Propterea quoque declarandum est — et Concilium solemni modo hoc facit — quod systematica contra religionem et Ecclesiam pugna atque atheismi in vitam politicam introductio ita, ut finis fiat ipsius status, profundissime toti humano ordini et bono obiectivo societatum hodiernarum contradicit. Concilium hic imprimis in nomine humanitatis iurium praesens adest et agit.

23. *Conclusio.* Finiendo hanc expositionem de Ecclesiae in mundo hodierno missione, Concilium in memoriam omnium revocare desiderat, quod prima iustitia et prima simul conditio omnis aliae iustitiae tum in individui vita tum in vita familia humana in hoc consistit, ut Domino Deo reddatur quod ipsi iusta debetur ab homine creatura rationali et a toto genere humano. Hoc iam Filius Dei perfecit per redemptionis opus. Ecclesia opus Christi Iesu in mundo hodierno continuare desiderat, ut prima omnis humanae iustitiae atque ordinis ponatur conditio, quae in eo consistit, ut gloria fiat « Deo Patri, qui dignos non fecit in partem sortis sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suae ».[18]

NOTAE

1 *Act.* 1, 8, 22; 2, 32; 3, 15; 5, 32; 10, 39, 41; 13, 31; 22, 15; 26, 16.
2 *Eph.* 1, 23.
3 *Pacem in terris,* pp. 299 ss.
4 *Io.* 13, 34; 15, 12. 17.
5 *Io.* 13, 35; *Pacem in terris,* p. 297.
6 Cf. *Lc.* 10, 25-37.
7 *Mt.* 5, 44-48; *Lc.* 6, 27. 35 s.
8 *Lc.* 6, 28 s.; 23, 34; *Rom.* 12, 14; *Tit.* 3, 2 s.
9 *Io.* 13, 13-17; 15, 1-17.
10 *Pacem in terris,* p. 296.
11 *Io.* 15, 8. 14.
12 PAULUS VI, Alloc. ad laureatos catholicos, 3 ian. 1964.
13 *Rom.* 12, 17; *2 Cor.* 8, 21; *1 Tim.* 5, 8.
14 *Pacem in terris,* pp. 262-263.
15 *Mt.* 26, 11; *Mc.* 14, 7; *Io.* 12, 8.
16 Cf. *Mc.* 16, 16; *2 Cor.* 1, 20; *1 Pt.* 3, 21.
17 *Act.* 1, 24; 15, 8.
18 *Col.* 1, 12 n.

Moderator: Proxima congregatio generalis erit crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CVII
22 octobris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CVII

22 octobris 1964

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Celebratur hodie, Patres venerabiles, centesima septima congregatio generalis, quam moderatur em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

In hac congregatione, versus horam undecimam, *distribuetur* Patribus, et Patribus tantum, *numisma* quod excusum est ad celebrandam tertiam sessionem huius Concilii. Numisma, meo iudicio, est vere pulchrum et significationis plenum, ut vobis videre erit.

Rogamus vos, Patres venerabiles, ut illa hora stetis vestris locis.

Non agitur, ut patet, de fasciculis, non: agitur de numismate, quod gratissimum erit, certissime.

Dixi: Tantum Patribus, et aliud addo, ne postea querelas habeam; non quia timeo querelas, nam secretarius generalis, ut scitis, est veluti navis oneraria querelarum, etiam querelarum, sed ut omnia ex ordine fiant. Quapropter numismata, quae assignantur illustrissimis Observatoribus, dabuntur secretariatui ad unitatem christianorum fovendam; numismata, quae dabuntur illustrissimis auditoribus et auditricibus, tradentur per eorum et earum exc.mum Adsessorem. Numismata dabuntur parochis et peritis, uti patet, sed parochi et periti possunt numismata habere tantummodo in domo a S. Martha, nempe ubi est sectio nostrae secretariae generalis. Et quidem, — bene attendant — proximo sabbato mane, — qui Romae manent, nam sabbato erit solemnis caeremonia in Monte Cassino — et sequenti hebdomada horis pomeridianis, ab hora 17 ad horam 19. Uti patet, bene est ut periti se agnoscere faciant, nam nos cognoscimus multos peritos, sed non omnes: multi enim sunt! Ergo habebunt numisma illis diebus et illis horis tantum; ergo sabbato mane, usque ad horam 13, nempe primam post meridiem, et, sequenti hebdomada, horis vespertinis, ab hora 17 ad horam 19, semper in domo a S. Martha, quae est prope hanc Basilicam et bene cognita est a rev.mis peritis, forsan non a parochis, sed parochi possunt notitias etiam quaerere et domum facile invenire.

Hodie, tantummodo Patribus.

Lego nomina eorum qui verbum facere petierunt circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis*. Sunt exc.mi DD. Ioannes Heenan, arch. Vestmonasteriensis in Anglia; Mauritius Roy, arch. Quebecensis in Canada; Ioseph Stimpfle, ep. Augustanus Vindelicorum in Germania; Sebastianus Soares, ep. Beirensis in Mozambico; Franciscus Franić, ep. Spalatensis et Macarscensis in Jugoslavia; Paulus Muñoz-Vega, ep. coad. Quitensis in Aequatore; Antonius de Castro, ep. Camposinus in Brasilia; Dionysius Hurley, arch. Durbanianus in Africa Meridionali; Andreas Hamvas, arch. Colocensis in Hungaria; Andreas Charue, ep. Namurcensis in Belgio; Laurentius Shehan, arch. Baltimorensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Anicetus Fernandez, sup. gen. O.P.; Leo-Stephanus Duval, arch. Algeriensis in Algeria; Georgius Beck, arch. Liverpolitanus in Anglia; Raphaël Barbieri, ep. Cassanensis in Italia; Raymundus Tchidimbo, arch. Konakriensis in Guinea; Franciscus von Streng, ep. Basileensis et Luganensis in Helvetia; Benedictus Reetz, sup. gen. Congreg. Beuronensis O.S.B.; Paulus Yü-Pin, arch. Nanchimensis in Sinis; Villelmus Bolatti, arch. Rosariensis in Argentina; Iustinus Darmajuwana, arch. Semarangensis in Indonesia; Raphaël González-Moralejo, ep. aux. Valentinus in Hispania; Ioseph D'Avack, arch. tit. Leontopolitanus in Pamphylia; Angelus Fernández, arch. coad. Delhiensis in India; Franciscus Marty, arch. Remensis in Gallia.

Nunc procedamus, Patres venerabiles, ad suffragationes faciendas de schemate decreti *de Ecclesiis Orientalibus*. Reliquae sunt duae suffragationes. Lego suffragationem VI, ni fallor. Videatis pag. 9: « De cultu divino ». « Dies festos... (« Dies festos », non « Praeter », nam expunctum est hoc verbum). Dies festos omnibus Ecclesiis Orientalibus communes, ... » [*cf. vol. III, pars IV, pag. 489*].

*Placet*ne, *non placet,* an *placet iuxta modum?*

1

EXC.MUS P. D. IOANNES CARMELUS HEENAN
Archiepiscopus Vestmonasteriensis

Venerabiles Fratres,

Ingratum omnino esset conatibus commissionis quae hoc schema confecit non applaudere. Sine dubio tum Patres conciliares tum periti pro viribus et strenue laborabant. Clarum tamen est quod documentum nobis oblatum indignum est Concilii Oecumenici. Si de Ecclesia in mundo

hodierno loqui volumus, necesse est clare, nitide et modo concreto rem tractare. Per aliquot annos non tantum christifideles sed etiam acatholici immoque infideles de problematibus gravissimis consilium a nobis in Vaticano II exspectabant. Ipsa Santa Sedes iam innuit Concilium aliquod facere tentamen ad difficultates sociales nostrae aetatis solvendas. Cupida ergo spe mundus hoc documentum leget eique studebit.

Venerabiles Fratres, quodnam iudicium de schemate nostro feret mundus? In quibusdam negotiis, ut scimus, melius est deficere quam abundare. Sed hac in re melius esset nihil dicere quam placita quasi vacua enuntiare. Recordamini per quot congregationes generales quaestio de fontibus revelationis acriter sit disputata. Haec quaestio a theologis magni momenti recte est reputanda. Sed civibus mundi tam catholicis quam acatholicis disputatio eiusmodi remota est et sine utilitate. Ludibrium coram mundo hoc Concilium eveniet si, post longam discussionem de punctis theologicis, festinanter de fame mundiali, de bello nucleari et de vita familiari nunc tractaturum est. Ironice sed iuste rogabunt: « Quid sibi vult Concilium *pastorale?* ».

Salva erga auctores reverentia et gratitudine, dicere audeo schema nostrum spem omnium fefellisse. Auctores enim ad quosnam schema destinetur scire vix apparent. Dicunt, e. g.: « Christiani dialogum prosequantur cum omnibus hominibus bonae voluntatis ». Quod perperam dicitur. Cum *omnibus* enim hominibus, etiam illis in quibus deficit bona voluntas, dialogus est prosequendus. Stylus quidem totius schematis piam hortationem magis quam documentum conciliare sapit.

Schema nostrum cum adnexis obscurum manet atque ambiguum. Absque adnexis vero periculosum atque nocivum esse poterit. Velint Patres hoc serio considerare. Si adnexa hic in aula non scrutati erimus, mens huius Concilii pro mundo a peritis interpretanda manebit. Quod Deus penitus avertat! Timeo peritos adnexa ferentes... Iam inter sessiones Ecclesia Sancta Dei multa gravia passa est propter scripta et dicta quorumdam peritorum. Pauci sunt sed in omnem terram exivit sonus eorum. Magisterium ordinarium episcoporum et — flens dico — etiam Summorum Pontificum pro nihilo huiusmodi periti reputant. Ne doctrinam catholicam in Litteris Encyclicis contentam eis ostendatis, nam statim respondebunt Summum Pontificem dono infallibilitatis in Encyclicis Litteris minime frui. Contra tales peritos non diutius licet documenta pontificalia in favorem Fidei citare. Vindicanda est auctoritas Ecclesiae Docentis. Vanum est de collegio episcoporum loqui si periti — et repeto quod pauci sunt — in ephemeridibus necnon in libris et orationibus doctrinae nostrae contradicturi, ne dicam contempturi sunt. Hucusque in Ecclesia infallibilitas peritorum non est de fide

tenenda... Opiniones seu theoriae unius aliusve periti minime consensui theologorum *aequiparandae* [1] debent.

Commissio haec spe successus fortasse ab initio destituta est. Periti enim his in rebus vere periti deficiebant. Quando sermo est de vita sociali, necesse est consulere eos qui mundum cognoscunt et in mundo versantur. Quot, rogo, parochi, quot christifideles, quot coniuges, quot medici, quot docti in re oeconomica vel scientifica — praesertim in biochimia et in sic dictis physicis nuclearibus — inter peritos huius commissionis adnumerabantur? Inutile est consilium petere ab eis tantum qui in domibus religiosis, in seminariis, vel in universitatibus studiorum a iuventute manebant. Illustrissimi illi viri mundum vix cognoscunt in eius realitate cruda et interdum crudeli. Facillime fiduciam suam ponunt in sententiis sapientium huius mundi. Simplices certo sunt sicut columbae sed non semper prudentes sicut serpentes.

Exempla si quaeritis in parte schematis de matrimonio abundanter invenietis. Omnibus optime notum est medicos ubique ad pillulam contraceptivam approbabilem conficiendam strenue adlaborare. ...[2] Desideratur ut panacea ...[3] ad omnes difficultates sexuales coniugum solvendas. Tum schema tum adnexa tales solutiones esse apparituras vaticinari non dubitant. Coniugibus interdum et ipsis solis — *dicit* [4] — competit iudicia moralia his de rebus facere. Suo cuique iudicio est utendum. Attamen — addit nostrum documentum — coniuges debent agere secundum doctrinam Ecclesiae. Sed, venerabiles Fratres, hoc est praecise quod coniuges nunc a nobis petunt — quid *nunc* [5] sit doctrina catholica? Ad hanc interrogationem schema nostrum nihil respondet. Eo ipso, ni fallor, ansa datur iis qui post Concilium argumentum ex nostro silentio contra sanam doctrinam producere velint. Schema vero sic blande coniuges alloquitur: « Solutiones practicae partim iam apparent partim adhuc sperari possunt » ...[6]. Huiusmodi loquela sollemni Ecclesiae documento digna vix apparet. Si filii nostri panem petierint, numquid eis lapidem porrigemus?

Vehementer rogo ut totum schema cum adnexis commissioni novae remittatur. In schemate dicitur quod viri docti ipsique sponsi cum theologis adlaborare debent ut complexus ordo naturae altius in dies exploretur. Sed exploratio haec ante non post tanti momenti schematis exarationem fieri debuisset.

Propono igitur ut nova commissio cum peritis laicis et sacerdotibus experientia pastorali indutis quam primum constituatur. Tunc post tres vel quatuor annos in quarta et finali Concilii sessione de his omnibus problematibus socialibus disputatio fiat. Verum est quod nonnulli inter nos e collegio visibili episcopali in caelum translati fuerimus. Sed pre-

cibus fortasse melius quam interventionibus Concilium adiuvare poterimus. Hoc saltem certum est: scandalosum esset festinanter et modo superficiali nunc agere cum ad opus veri nominis pastorale tandem advenimus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] aequiparari. [2] Pillula. [3] fiat. [4] deest. [5] deest. [6] p. 24.

Secretarius generalis: Lego textum VII et ultimae suffragationis. « De conversatione ecclesiastica cum fratribus seiunctis », pag. 9: « Ad Ecclesias Orientales, communionem cum Sede Apostolica Romana habentes, peculiare pertinet munus omnium christianorum unitatem, orientalium praesertim, fovendi, precibus imprimis, vitae exemplis, religiosa erga antiquas traditiones orientales fidelitate, mutua et meliore cognitione, collaboratione ac fraterna rerum animorumque aestimatione.

« Ab orientalibus seiunctis, in unitatem catholicam convenientibus, ne plus exigatur quam quod simplex fidei catholicae professio exigit. Et cum apud eos sacerdotium validum servatum sit, clericis orientalibus, in unitatem catholicam convenientibus, facultas est proprium Ordinem exercendi, iuxta normas a competenti Auctoritate statutas.

« Doctrina catholica tenet " communicationem in sacris cum fratribus seiunctis ", quae unitatem Ecclesiae offendit aut formalem errori adhaesionem vel periculum aberrationis in fide, scandali et indifferentismi includit, lege divina prohiberi. Praxis tamen pastoralis demonstrat, ad fratres orientales quod spectat, varia considerari posse et debere singularum personarum adiuncta, in quibus nec unitas Ecclesiae laeditur, nec pericula vitanda adsunt, sed extrema necessitas salutis et bonum spirituale animarum urgent. Ideo Ecclesia catholica, pro temporum, locorum et personarum adiunctis, mitiorem saepe adhibuit et adhibet rationem agendi, salutis media et testimonium caritatis inter christianos omnibus praebens, per participationem in sacramentis aliisque in functionibus et rebus sacris. His attentis, Sancta Synodus, " ne impedimento propter sententiae severitatem simus iis qui salvantur " et ad magis magisque fovendam unionem inter christianos, sequentem agendi rationem statuit.

« Positis memoratis principiis, orientalibus, qui bona fide seiuncti inveniuntur ab Ecclesia catholica, si sponte petant et rite sint dispositi, sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Unctionis Infirmorum conferri possunt; immo, etiam catholicis eadem sacramenta licet petere ab iis ministris acatholicis, in quorum confessione habentur valida sacramenta, quotiescumque id necessitas aut vera spiritualis utilitas suadeat, et ac-

cessus ad sacerdotem catholicum physice vel moraliter impossibilis evadat.

« Item, positis iisdem principiis, communicatio in sacris functionibus, rebus et locis inter catholicos et fratres seiunctos orientales iusta de causa permittitur.

« Haec mitior communicationis in sacris cum fratribus seiunctis orientalibus ratio vigilantiae et moderamini hierarcharum locorum committitur, ut, collatis inter se consiliis, opportunis efficacibusque praeceptis et normis christianorum moderentur conversationem ».

Patres venerabiles: *placet, non placet,* an *placet iuxta modum?*

2

Exc.mus P. D. MAURITIUS ROY
Archiepiscopus Quebecensis

Venerabiles Patres,

Schema generaliter placet, quia multa continet quae valde bona et opportune dicta videntur; optandum tamen est ut scopus eius modo magis praeciso definiatur et ipse textus tum quoad modum dicendi, tum quoad dicendorum ordinem, emendetur.

1. *De scopo.* Cetera schemata huius Concilii sunt ad usum ipsius Ecclesiae principaliter redacta et mediate tantum tangunt illos qui catholici non sunt. In praesenti vero schemate, occasio tandem nobis datur alloquendi aperte et directe non tantum fideles qui iam de grege Ecclesiae sunt, sed universum orbem et verbum facere cum illis omnibus ubique terrarum degentibus, sive fidem habeant, sive non, qui iam ab initio huius Concilii hanc aulam a longe inspiciunt, sperantes Patres conciliares quodam die aliquid tandem dicturos esse quod etiam non doctis sapidum esse possit et intelligibile.

2. *De modo dicendi.* Hic requiritur stylus maxime pastoralis, familiaris et omnibus accommodatus, ita ut etiam a rudibus, qui occasione data illa in ephemeridibus legent, omnia absque nimio studio *vel* [1] taedio accipi possint. Vitandae sunt locutiones sicut « Haec Sancta Synodus... », quae admirationem potius quam reverentiam et fiduciam excitare natae sunt; nec solemniter loquendum est de Ecclesia, quasi ab alta sede et ab extraneo loco doctrinam suam orbi terrarum proponenti. Iis verbis potius utendum est quibus significatur non tantummodo hierarchiam nuntium dare, sed ipsum populum Dei, qui, gentibus terrae ubique permixtum, amicabili modo cum omnibus fratribus communia problemata perpendit.

3. *De ordine dicendorum.*[2] Ne iam a prima pagina lectores renuant nos audire, sicut Athenienses S. Paulum loquentem de Resurrectione, incipiendum est non a veritatibus quae sola fide catholica tenentur, sed a principiis et factis quae omnes homines quodammodo videre possunt et sentire. Ita prius dicendum est de iis quae magis nota et communia sunt, v. g. de fame et miseria, de iniustitia et violentia, de desiderio progressus, unitatis et pacis...[3]

Ita[4] populus Dei, in mundo sistens et fratribus amanter serviens, facta *et res*[5] quae omnibus sunt causa sive anxietatis sive spei crisi subiicit et sic conscientiam hominum evigilat, appellando ad solutionis principia omnibus communia, ut sunt notiones dignitatis humanae, libertatis, veri progressus, iustitiae, etc. *Sic*[6] illa perpendendo quae, saltem confuso modo, omnibus nota sunt, conscientiam cuiuscumque hominis bonae voluntatis, *et etiam forsan aliorum, principaliter hominis bonae voluntatis illius*[7] qui « naturaliter — *ut dixit Tertullianus*[8] — est christianus », magis auctuosam rectamque faciemus.

Quae tamen veritatis adumbratio non sufficit: ideoque, opere sic prudenter incepto, ultro, sed in *ulteriore*[9] parte tantum, deveniendum est ad nuntium Evangelicum, auditores manuducendo ad ea quae ex revelatione fide catholica tenemus; *quod facere possumus utendo verbis Domini, ubi loquebatur de Regno Dei, necnon verbis S. Pauli, ubi de instauratione omnium in Christo*[10]; quam fidem, salva cuiuscumque debita libertate, humiliter profitemur.

Cum homines scripta nostra legentes iam persuasi fuerint nos huius mundi facta et problemata honeste ac recte iudicare, fratres nostros sincero corde diligere et servire necnon luce quae in conscientia omnium est prudenter uti, tunc nobis licebit etiam de superna illa luce loqui quae de mundo non est et illuminare valet omnem hominem venientem in hunc mundum et *tunc*[11] annuntiemus veritatem salvificam quae est Verbum Dei, ipse Christus vivens in Ecclesia sua.

Ita non sicut doctores superbi, sed tamquam concives et amici, non a longinquo loco clamantes sed in medio hominum stantes et cum illis humiliter conversantes, non de abstractis disserentes, sed de illis quae omnis homo quaerens veritatem *et quaerens Deum*[12] iam *quodammodo*[13] in mente et in corde tenet, viam Domini parare poterimus fratresque nostros ubique terrarum intelligibili sermone ad Christum ducere, qui nobis ipse dixit: « Docete omnes gentes... ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ac. [2] De ordine dicendi. [3] etc. [4] deest. [5] deest. [6] Ita. [7] deest. [8] deest. [9] ultima. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] deest.

3

EXC.MUS P. D. IOSEPH STIMPFLE
Episcopus Augustanus Vindelicorum

Venerabiles Patres et Fratres,

Hora providentialis Ecclesiae Christi advenit, tum ex parte mundi tum ex parte ipsius Ecclesiae: etenim mundus hodiernus, dum in dies magis in unam populorum familiam coalescens, multiplicibus difficultatibus agitatur novamque convivendi rationem quaerit, quae certe illa esse nequeat, quam atheismus militans populis imponere contendit, divina Providentia disponitur ad agnoscendum Evangelium Regni Dei.

Ecclesia vero, Spiritu Divino renovanda, ut sit signum Dei exaltatum in populis ...[1], missionem suam universalem agnoscens impellitur, ut saluti *huius mundi hodierni*[2] inserviat.

Cum ergo hora providentialis Ecclesiae advenerit, schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* omnino retinendum esse censeo ut basim discussionis in aula conciliari.

Placent in schemate proposito haec: 1. quod Ecclesia signa temporis praesentis, tam positiva quam negativa considerat eo consilio, ut discat fortiterque agat, quae Deus hodie fieri vult;

2. placet sensus vividus responsabilitatis schema pervadens, quae non permittit non aggredi problemata gravissima et complexa, quae angunt homines huius temporis;

3. summopere denique placet, quod Ecclesia hodie missione sua pro mundi vita fungi intendit spiritu Filii hominis, qui « non venit ut ministraretur, sed ut ministraret et daret animam suam redemptionem pro mundo »...[3]

Attamen in schemate proposito *desiderantur* visio mundi magis realistica et solidum fundamentum theologicum.

Eis quae diebus elapsis iam dicta sunt, haec addere velim:

I. Animadversio mea respicit *atheismum militantem.* Quamvis in schemate pluries falsa placita atheismi marxistici innuantur, tamen aperte de eodem agere non audet. Rationes, quae commissionem competentem moverunt, ut atheismum aperte non nominaret, sane graves sunt; attamen humili meo iudicio *etiam*[4] haec consideranda veniunt.

Etenim atheismus militans inde ab initio huius saeculi influxum perniciosum in populos exercens omni qua pollet potentia scientifica, technica, materiali, militari, iugum servitutis universo mundo imponere conatur. Plus quam tertiam partem hominum libertate privavit, integras

ecclesias exstirpavit, fideles, sacerdotes, pastores expulsit, dire vexavit, crudeliter necavit. Religioni christianae pseudoreligionem materialismi dialectici substituit, multorum animos sibi devincit promittendo statum futuristicum paradisi terrestris, in quo homines et populi in iustitia, aequalitate et pace bonis terrae fruentur. Quae visio dynamica mundi haud paucos adeo attrahit, ut se totos ideologiae *sic dictae*[5] marxisticae dedant ac totis viribus eius triumphum super universum orbem anhelent.

Possumusne salvare conscientias nostras, si silentio praeterimus *phaenomenon hoc,*[6] ideologiam marxisticam tam falsam quam funestam, Regno Dei infensissimam? « Ecclesia silentii », hoc est quinquaginta milliones fidelium, loqui nequeunt. An licet Concilio Spiritu Sancto congregata silere, dum loqui potest? Nonne « praecipuum munus episcoporum est praedicare Evangelium » ...[7], quod omnibus aliis obligationibus eorum antecedat oportet *et*[8] implendum est ...[9], « opportune importune » ...[10]? Nonne Dominus super muros Ecclesiae constituit « custodes », qui « tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt » ...[11], et « ianitores », ut vigilent ...[12]? Si sileremus in hoc schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* de ideologia et praxi atheismi militantis, *certe*[13] non deerunt qui Concilio verba Isaiae obicient dicentis: « Speculatores eius caeci omnes, ... canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, et amantes somnia »...[14]

« Ideo habentes administrationem, iuxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus, sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo » ...[15]. Aperte igitur loquendum, fortiter resistendum est atheismo militanti; at semper agendum spiritu Domini, qui moriens in cruce oravit: « Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt »...[16]

Assentio toto corde eis, quae em.mus D. card. Suenens heri in aula dixit, nempe: etiam cum atheismo militante dialogum quaerendum esse. Ideo tractando de illo debemus clare dicere, nos non velle condemnare, sed testimonium dare veritati in caritate, nos non velle vincere sed convincere, aut certe non vincere malum nisi in bono...[17]

II. Animadversio *mea altera est circa quaestionem*: *quid schema possit contribuere ad hoc, ut convincat sequaces atheismi, saltem eos qui bonae voluntatis sunt, ut atheismum falsum esse cognoscant et ut sese ab eo avertant. Quid possit contribuere hoc schema ad hoc, ut homines fortes evadant ad resistendum suasionibus atheismi et ad superandum eum in bono?*[18]

1. Falsa eschatologia marxismi non infringitur nisi veritate revelata de consummatione mundi in gloria Dei per Verbum caro factum,

crucifixum, exaltatum, venturum. Etiam ex hoc capite evidens fit, schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* indigere fundamento solido theologico. Deus Pater mundum eripuit de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii dilectionis suae ...[19], cui « Kyriou » nomen dedit ...[20], ut dominaretur potestatibus infernalibus ...[21], vivificaret Ecclesiam Spiritu ...[22] et per Ecclesiam fieret caput universi...[23]

Regnum autem Christi nemini contrariatur nisi « mysterio iniquitatis », quod operatur in hoc mundo ...[24]. Princeps enim huius mundi...[25] « nunc operatur in filios diffidentiae » ...[26], i. e. infideles, usque dum apparuerit Dominus et « evacuerit omnem principatum et potestatem, et virtutem » ...[27]. Ideo plebi Dei peregrinanti secundum apostolum continuo colluctandum est « adversus...[28]

Moderator: Exc.me Domine, velis advertere tempus tuum exhaustum esse.

Orator: Concludo: 1. Atheismum militantem in schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* praeterire non licet.

2. Fundamentum theologicum in schema introducatur, quod evolvat eschatologiam revelatam.

3. Quaestiones complicatae cap. IV nostri schematis ulterius et per sufficiens tempus studeantur ...[29]. Attamen Commissio non substituatur sed quaerat collaborationem cum laicis peritis, etiam cum non-catholicis, immo non credentibus, et cum « Nationibus Unitis ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cf. *Is.* 49, 22). [2] mundi. [3] (*Mc.* 10, 45). [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] (schema *de Ecclesia* n. 25). [8] (cf. *Act.* 6, 2-4) et fideliter. [9] (cf. *1 Cor.* 4, 2). [10] (*2 Tim.* 4, 2). [11] (*Is.* 62, 6). [12] (cf. *Mc.* 13, 34-37). [13] deest. [14] (*Is.* 56, 10). [15] (*2 Cor.* 4, 1 s.). [16] (*Lc.* 23, 34). [17] (cf. *Rom.* 12, 21). [18] se refert ad fundamentum schematis scripturisticum. [19] (cf. *Col.* 1, 13). [20] (cf. *Act.* 2, 36; *Phil.* 2, 11). [21] (*Eph.* 1, 21; *1 Pt.* 3, 18 s.). [22] (cf. *Eph.* 1, 20; *2 Cor.* 3, 17 s.; et passim). [23] (cf. *Eph.* 1, 10; 4, 15). [24] (cf. *2 Thess.* 2, 7). [25] (cf. *Io.* 12, 31). [26] (*Eph.* 2, 2). [27] (*1 Cor.* 15, 24). [28] principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in caelestibus » (*Eph.* 6, 12), usque dum in fine Christo omnia subiicientur et ipse regnum tradet Patri, ut Deus sit omnia in omnibus (cf. *1 Cor.* 15, 24-28). Tunc implebitur quod Ioannes in Apocalypsi scribit: « Factum est regnum huius mundi, Domini nostri et Christi eius, et regnabit in saecula saeculorum » (*Apoc.* 11, 15). Nemo non videt quantum conferat praedicatio Evangelii regni Dei, ut homines convincat, eosdem avertat ab atheismo militante. 2. Praedicatio confirmetur testimonio operis nempe renovatione vitae christianae, novo « stylo vitae » (Lebensstil) evangelico, paupere, simplici, veraci, fraterno, animato spiritu missionario; succursu populorum egestate, fame, miseria oppressorum; spiritu oecumenico inter Ecclesias seiunctas et unitas christifidelium; collaboratione omnium hominum bonae voluntatis, ut solutio problematum cap. IV schematis quam maxime perfecta con-

iunctis viribus inveniatur; testimonio sanguinis eorum, qui persecutores atheos « vicerunt... propter sanguinem Agni, et propter verbum testimonii sui, et non dilexerunt animas suas usque ad mortem » (*Apoc.* 12, 11), sed Christum crucifixum secuti sunt « improperium eius portantes » (*Hebr.* 13, 13), adimplentes ea « quae desunt passionum Christi » (*Col.* 1, 24). 3. Quoad cap. IV assentio exc. D. Heenan, arch. Vestmonasteriensi; hac vero modificatione ut. [29] dum priora capita quam citius perficiantur.

4
EXC.MUS P. D. SEBASTIANUS SOARES DE RESENDE
Episcopus Beirensis

Em.mi ac exc.mi Patres venerabiles, et vos omnes qui estis in Concilio,

Textus *de Ecclesia in mundo huius temporis* valde utilis esse potest tum christianis tum non-christianis et ideo in genere mihi satis placet. Aliquid tamen puto in illo corrigendum atque perficiendum esse sive in expressionibus verborum et in ordine logico paragraphorum sive in introductione et in evolutione aliquarum quaestionum.

1. Verbum illud « mundus », quod in ipso titulo schematis et saepe in textu habetur, non eundem sensum habet sed e contra plura aut varia aut opposita significat tum in sacris scripturis, praesertim apud S. Ioannem, tum in libris profanis et etiam iuxta populum. Ergo ad multas confusiones vitandas et praesertim si prae oculis habemus statum psychologicum multorum, cur hoc verbum non substituitur per aliud, v. g., *civilizatio* vel ut sensus omnino teneatur universalis *civilizationes?* Tunc titulus schematis sic sonaret: « De Ecclesia in civilizationibus huius temporis », aut brevius: « De Ecclesia in civilizationibus hodiernis ».

2. In genere loquendo, verificatur quod in initio textus habetur prooemium et in principio uniuscuiusque capitis sunt introductiones. Omnia haec revera excessiva videntur. Nam si prooemium verum est prooemium, illae introductiones, tot quot capita, necessariae non tenentur et inutilia sunt. Praeterea par. 2 et 4 prooemii, scil.: *Ecclesia perscrutatur « signa temporum »*, et *« Christus lux mundi »*, melius invenirentur respective in cap. III et in cap. II schematis.

Quoad expressionem illam « perscrutare signa temporis », *quae per textum invenitur,*[1] aliquid habeo ad dicendum. Revera expressio illa tum propter illud quod significat tum propter illum quam eam protulit iam in historia revera manet. Illa verba nos omnes admonent quod attentos esse debemus et talis monitio valde necessaria est quia multi adhuc hodie

dormiunt multum. Simul, autem, non oblivisci debemus nos vivere in aetate satis proxima bi-millenarismo in quo, sicut fuit in primo millenarismo, multi se dicerent inspiratos esse et loquerentur prophetice sive sensu, ut ita dicam, euphorico, sive sensu tragico. Ideoque etiam de hac re tanti momenti nos oportet praecaveri, quia aliquis videre potest signa temporum quae veritatem non significant sed mendacium. Ergo officium illud perscrutandi signa temporum semper exercendum est maxima cum obiectivitate.

3. In schemate nostro evidentiore modo exponatur, fortasse in paragrapho distincta, sensus cosmicus vel dynamismus cosmicus hominis, scil. illum affirmetur esse, in universo orbe terrarum, creaturam unicam cui a Deo commissa est vera et stricta responsabilitas evolvendi, perficiendi et complendi, secundum planum divinum, totum opus creationis temporalis. Omnibus temporibus, in medio creationis divinae, semper tenetur homo spectans omnia et omnia spectantia illum, attamen dimensio haec reciproca efficaciter attingere debet non tantum aliquos homines in privilegio constitutos sed omnes omnino. Sensus ille cosmicus hominis valet in linea individuali et in linea collectiva et communitaria.

Praeterea valde desiderandum est quod in textu modo expressiore dicatur integram vocationem hominis etiam a gratia divina constitutam esse ita ut ab omnibus facillime recognoscatur hominem Evangelii vel hominem Caritatis, per oppositionem homini materialismi hodierni, novum hominem esse qui unice mundum novum exstruere potest ac debet.

4. ...[2] In eodem schemate valde optamus quod clariore luce et cum terminis magis explicitis affirmetur Ecclesiam, certe maxima cum prudentia et in sensu collaborationis et adiutorii et apostolatus, denuntiare debere problemata socialia et oeconomica quae solutione urgenti egent. Alio modo denuntiatio haec a materialistis et atheis fit et tunc Ecclesia occasionem perdidit splendidam demonstrandi in praxi totam et totaliter esse deditam servitio Dei et hominum. Praeterea ex alia parte opinio magni publici adversa fit Ecclesiae quae optimam doctrinam socialem habet sed tantum in libris.

5. et ultimo. Brevitatis causa et etiam ad meliorem ordinem logicum obtinendum in obiectorum expositione, ego propono cap. III et IV reducere ad caput unicum et simul breviari, omitti vel substitui aliquas paragraphos eorundem capitum.

Attamen quaestiones sunt quae in textu nostro expressiore et profundiore modo evolvi debent.

a) Prima quaestio est de positione laicorum erga res politicas. Certissimum est quod, in tempore nostro, Ecclesia prae oculis habere debet problema politicum non ad politicam faciendam, quia Ecclesiae

regnum, sicut regnum Christi, non est de hoc mundo et proinde Ecclesia politicam non facit, sed ad efformandos laicos et ad illuminandam et dirigendam conscientiam eorum, in hac problematica maximi momenti, ut illi bene cognoscant quomodo et quid, in variis circumstantiis loci, temporis et situationis, facere debent. Nos considerare non possumus rem politicam ut pomum prohibitum neque ut obiectum passionum neque ut negotium indifferens sed laicos suadere et persuadere debemus ut diligenter se praeparent ad talem activitatem cum sapientia exercendam in linea illa veri debiti et veri apostolatus. Laici, praeter catholicos, cives sunt.

b) et ultimo. Alia quaestio est de paupertate. In textu nostro loqui oportet de hac re maxima cum claritate. In tempore hodierno nota illa magna credibilitatis Ecclesiae Christi, coram omnibus hominibus, est paupertas. Unaquaeque nota specifica Ecclesiae suam actualitatem propriam habet in unoquoque tempore. Verus spiritus paupertatis induit Ecclesiam illa pulchritudine vultus Christi quae, temporibus nostris, magis laudatur et acceptatur ab omnibus. Mundus hodiernus et praesertim ille mundus non christianus Ecclesiam recognoscet, si illa praesentatur ut Ecclesia pauper. Ergo Ecclesia hodie non solum Ecclesia pauperum esse debet, sed etiam Ecclesia pauper. Ecclesia, autem, pauper non est si omnes nos paupertatem non profitemur non solum in verbis sed etiam in re et proinde incipiemus a vestibus nostris quibus utimur in choro, in pontificalibus, in usu quotidiano, etc. Quare tantum aurum et tantae margaritae in pectoribus nostris et in digitis? Quare pileolum, manteleta, cappa magna colore rubro, violaceo et purpureo, etc.? Quare tantae dignitates in Ecclesia quae a Christo Domino nostro institutae non sunt?

Concludendo[3]: redeamus, ergo, ad simplicitatem et paupertatem Evangelii, quin praescindamus a decentia illa quae societas actualis et nostra dignitas episcopalis exigunt a nobis...

Moderator: Exc.me Domine, advertas tempus tuum exhaustum esse.

Orator: ... et Ecclesiam renovaremus, ita ut in illa appareat vultus Christi, verus vultus Christi. Haec est magna illa missio Concilii Oecumenici Vaticani II. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Titulus cap. II « Ecclesia Dei hominumque servitio dedita » ita sonat ut supponere videtur quod praeter servitium illud Dei et hominum Ecclesia alia officia habeat. Ergo expressio illa redigatur et perficiatur ita ut nos omnes recognoscere possimus Ecclesiam non solum servitio Dei et hominum esse deditam sed tota et totaliter. [3] deest.

5

Exc.mus P. D. FRANCISCUS FRANIĆ

Episcopus Spalatensis et Macarscensis

Fratres carissimi,

In schemate nobis proposito certe multae, pulcherrimae et valde profundae ideae inveniuntur, quae placent. Attamen:

A) Schema in genere carere videtur clara finalitate, immo et clara delimitatione extensionis materiae. Quod perspici poterat etiam ex interventibus quorundam Patrum, qui dicebant scopum huius schematis esse ostendere mundo veram faciem Ecclesiae, dum revera facies Ecclesiae mundo ostendi potest solummodo per schemata omnia simul sumpta.

Cui falsae interpretationi ansam praebet, ut mihi videtur, ipse titulus schematis, qui plene correspondere contentui schematis non videtur.

Nam schema nostrum vult tantummodo solvere quasdam quaestiones *difficiliores* [1] maioris momenti pro humanitate hodierna *sumptas* [2] ex deposito fidei et ex ordine morali, sociali et internationali, et nihil aliud.

In relatione adnexa, pag. 42, 1, c, describitur quidem finalitas schematis hoc modo: « Agitur itaque de hoc: sub quo aspectu Ecclesia participat et sua facit problemata temporalia nostrae aetatis, cum plenitudine illius amoris ad totum hominem, quem Christus Ecclesiae transmisit ».

Schema ergo de facto vult demonstrare Ecclesiam non esse alienatam a problematibus temporalibus nostrae aetatis propter suum finem supernaturalem, sicut quidam hodie *Ecclesiam accusant,* [3] e. g. marxistae.

... [4] Attamen, puto, apud marxistas tam profunde radicatam esse persuasionem de alienatione quam in homine operatur quaecumque fides in Deum, ut tota haec nostra doctrina, sive in schemate sive in adnexis contenta, suo effectu quoad mundum marxisticum carebit, forsan pro centum vel ducentis annis.

Ideo non debemus nimis immorari in demonstratione nostrae participationis in problematibus temporalibus nostrae aetatis, etsi hoc certe non est omittendum, et quidem *imprimis* [5] propter nostros fideles, ne ipsi (in vita quotidiana *cum marxistis viventes* [6]) ne ipsi decipiantur a marxistis. Haec est etiam, *Fratres carissimi,* [7] ratio praecipua *mei* [8] interventus, ut videat, nempe, Concilium quanti ponderis pastoralis *sit* [9]

hoc schema, *bene tamen expositum,*[10] pro nobis qui sub marxismo vivimus.

Alter defectus schematis videtur esse methodologicus, scil. ipse modus loquendi qui potius descriptivus est, sine adaequata theologica enuntiatione principiorum, quae se referunt ad problemata varia et maxima, quibus angustiatur mundus hodiernus et pro quibus mundus a Concilio illuminationem exspectat. Quod ultro agnoscitur in relatione, pag. 43, explicante hunc defectum desiderio sese accommodandi hominibus nostrorum temporum « in disciplinis theologicis peculiariter non versatis ». Attamen, propter talem modum loquendi, consulto electum a redactoribus, schema est ...[11] vagum, habentur multae repetitiones, ambiguitates, ideae non clarae.

B) Quoad ipsum contentum habeo quoque quasdam observationes sub respectu finalitatis dilatandae schematis, ut supra dixi.

1. Schema non respondet ad quasdam quaestiones fundamentales vitae, etiam socialis, nostri temporis, scil.:

a) Quid sentiendum de ipsa veritate, quae hodie videtur esse quid relativum et continuo mutabile, *praesertim in mundo marxistico*[12]?

b) Quid sentiendum de ipsa libertate humana, cum scientiae psychologicae videntur eam diminuere vel denegare ...[13]?

c) Quid sentiendum de ipso valore legis naturalis deque ipsa eius exsistentia? Nam quidam ex nostris doctoribus videntur hodie legem naturalem parvi pendere. Attamen haec doctrina est traditionalis, quibusdam documentis Summorum Pontificum, praesertim Pii XII, confortata, habens etiam altum valorem oecumenicum. Quomodo enim possumus dialogum bene incipere cum illis hominibus, qui in Deum non credunt vel in Deum credunt at in Christum non credunt, statim cum Christo incipiendo?

d) Quid sentiendum de peccato, cum eius exsistentia et natura videntur immutari?

e) Quid sentiendum de ipso ordine morali sub aspectu tum individuali tum sociali?

f) Quid de ipsa natura et valore conscientiae, cum videtur aliquando ipsa concipi non ut norma manifestativa tantum, sed etiam ut norma constitutiva et independens ipsius moralitatis obiectivae, de qua moralitate obiectiva in nostro schemate nec verbum.

g) Quid denique de humanismo atheo?

Si responsis ad istas quaestiones, quibus maxime angustiatur mundus nostri temporis, dilatemus finalitatem *aliquantulum*[14] nostri schematis,

melius respondebimus exspectationi eiusdem mundi. Insuper melius respondebimus normis commissionis de laboribus Concilii ordinandis, quae anno 1963 scribebat commissioni doctrinali, nova capita novae constitutionis esse efformanda ita, ut quaedam principia antiquarum constitutionum de Deposito *videlicet*[15] Fidei, de ordine morali, de ordine sociali ...[16] adsumantur, quomodo — scribebat commissio — « ratione positiva oppugnantur errores, qui temporibus nostris decipiunt homines atheismo et materialismo, quasi sint ipsi dii... ».

2. Ad finalitatem schematis complendam et delimitationem clarificandam attendendum quoque est, secundum meam humilem opinionem, etiam ad ea quae Ioannes XXIII dixerat in nuntio ad mundum die 11 septembris 1962, circa problemata a Concilio pertractanda. En eius verba: « Ogni offesa e violazione del V e VI precetto del Decalogo santo; il passar sopra gli impegni, che conseguono dal VII precetto; le miserie della vita sociale, che gridano vendetta al cospetto di Dio: *tutto deve essere dal Concilio chiaramente richiamato e deplorato* »...[17]

Prae oculis ergo habitis supra dictis animadversionibus, humiliter puto schema posse aliquantulum ameliorari. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] dicunt. [4] Haec demonstratio maxime necessaria est pro nostro tempore, sive in oriente sive in occidente propter materialismum ubique terrarum grassantem Ecclesiamque ob alienationem a rebus terrenis impugnantem. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] habeat. [10] deest. [11] aliquatenus. [12] deest. [13] potius. [14] deest. [15] deest. [16] etc. [17] Mundus enim videt tormentum et modum sentiendi in vita hodierna circa problemata V, VI et VII praecepti, ut dixit Ioannes XXIII, et quaerit quid adhuc sentit et docet Ecclesia. Ecclesia vero dat id quod dare potest, scil. sua principia, suas exhortationes, sua incitamenta ad bona, suas admonitiones ad cavenda mala... Attamen in nostro schemate non videntur satis clare pertractata tot et tanta principia sese referentia ad V, VI et VII praeceptum. In fine humiliter puto doctrinam de vita oeconomica et sociali esse laude dignam, de matrimonio vero et familia maxime defectuosam.

6

Exc.mus P. D. PAULUS MUÑOZ-VEGA

Episcopus tit. Ceramensis, coad. s.d. Quitensis

Venerabiles Patres conciliares,

Liceat imprimis significare schema mihi, quoad suam structuram substantialem, placere. Sed, quia adsunt aliqua puncta quae quaedam non spernenda dubia suscitare possunt, ut iam apparuit in hesterna praeser-

tim disceptatione, velim distinctius de schemate agere sub quodam peculiari aspectu qui eidem est valde essentialis.

Loquar de collaboratione christifidelium cum acatholicis et non credentibus.

Legimus, v. g., in pag. 22: « Christifideles intrepide non solum libertatem personae humanae, ipsi quacumque ratione et actione vindicent, maxime renovando conditiones vitae, sed etiam aliorum incepta quaecumque sint, hac in re promoveant, omnibus mentis angustiis et pessimismo abdicatis ».

Profecto non agitur de irrestricta collaboratione, sed de collaboratione in actione. At *non datur actio sine doctrina.* Praesertim actio quaedam adeo constructiva et innovatrix, qualis illa est quae in schemate contemplatur, nequit dari sine doctrina quadam intrinsece viva et dynamica.

Hic accedimus ad aspectum vere difficilem huius schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Qualis enim potest esse doctrina illa quae veluti fermentum vivum et dynamicum efficacem reddat communem actionem catholicorum et aliorum hominum cuiuscumque fidei ad extruendam civitatem terrestrem magis iustam et fraternam? Non nostra fides supernaturalis, ut patet? Immo, cum in textu prae oculis habeatur collaboratio christifidelium cum ipsis non credentibus, actio communis non potest fundari ne quidem in veritate de Deo auctore naturae. Nihil aliud ergo restat, nisi ut attentio dirigatur ad aliquod dominium in quo conscientia hominum recta — conscientia *recta* — detegere possit nucleum quemdam doctrinalem minimum, qui tamen principia praebeat ad actionem ab erroribus expertem.

Huiusmodi nucleus doctrinalis minimus in schemate nostro eruitur ex doctrina de iuribus naturalibus *personae humanae.*

Exinde enascitur haec praecipua quaestio: possumusne in Concilio Oecumenico hac ratione magnum hoc problema de collaboratione definire?

In hac interrogatione tangimus, ni fallor, nervum difficultatum quas nova redactio schematis solvere debebit ut tantae exspectationi satisfaciat.

Liceat nunc, de hac re, haec breviter observare:

1. Id quod in mundo hodierno constituit oppositionem summam et reapse irreductibilem inter Ecclesiam et potestates politicas totalitarismum atheum profitentes est *despectus personae humanae* ad quem ineluctabiliter impelluntur homines illo errore detenti. Propterea sol-

lemniter hac aetate declarare iura inalienabilia personae humanae eo spiritu quo fit in schemate, meo humili sensu, actus esset conciliaris summi momenti et qui immensum beneficium praestare posset mundo nostri temporis.

Crediderim quod basis doctrinalis schematis reapse sit solidior et profundior quam quod apparet. In textu proposito, revera omnino requiritur quod magis eluceat.

2. Praesertim, explanatio principiorum, in quantum tangit problema collaborationis, debet esse accuratissima, ut sit in aedificationem et non in ruinam mundi catholici.

Agnoscere debemus mentes et conscientias maioris partis catholicorum ad exactam comprehensionem visionis mundi et grandium problematum quae in schemate considerantur aptatas non esse. Problemata quae hic tractantur culturam exigunt de re theologica, philosophica, sociali, oeconomica, etc., quae admodum rara est. Nescio an in ipsis nationibus in quibus vita intellectualis catholica altior est, sacerdotes nostri tanta scientia polleant quantam requirit secura et efficax applicatio principiorum huius schematis. Propterea duo postulare velim:

1. ut loca schematis in quibus agitur de collaboratione christifidelium cum non credentibus omni attentione retractentur, nam prouti nunc exstant, nondum praebent orientationes, nec satis claras, nec satis firmas;

2. magis sublineetur in schemate necessitas promotionis in Ecclesia altioris adhuc culturae religiosae, quae praesertim in iis qui responsabilitatem habent directionis dialogi cum mundo hodierno tanta esse debet, ut ne quidem inconscie et insensibiliter transitus fiat a collaboratione in actione cum acatholicis ad collaborationem in eorum ideologiis.

Postremo et ultimo: existimo non posse plenam clarificationem textui conferri, sub aspectu theologico, de sensu quo sumenda est relatio inter Ecclesiam et mundum, nisi accuratius exprimatur non solum distinctio inter Ecclesiam et civitatem terrestrem, sed etiam oppositio inter Ecclesiam et civitatem perversam saeculi.

Non oportet praetermittere quod Ecclesia in omni phasi suae historiae, et proinde etiam in hodierna, missionem suam peragere non possit quin contra ipsam excitentur conflictus et persecutiones, quarum profundior origo habetur non in mundo creato qua tali, sed in spirituum primigenia rebellione quae a Domino dicta est « potestas tenebrarum ».

Concludo: incorporatio sobria sed penetrans huius veritatis in textu schematis multum iuvaret ad subsanandam aliquam eius deficientiam.

Haec in eo est quod nihil in textu exarato dicitur de summa opera quam explent ad aedificationem civitatis terrestris magis iustae et fraternae hodierni martyres Ecclesiae. Et tamen, teste historia, in hac aedificatione magis conferunt qui persecutiones patiuntur propter iustitiam usque ad heroismum quam qui promovent valores et munera terrestria. Hodie hic magnus honor spectat ad Ecclesiam Silentii. Et schema nostrum optime faciet si prae oculis habuerit hunc dictum Augustini: « Usque ad finem mundi non deerit nec iniquitas premens, nec iustitia patiens ». Dixi. Gratias.

Textus scripto traditus:

Inter argumenta maximi momenti sed admodum ardua de quibus agitur in schemate, unum adest quod omni attentione considerare oportet, cum ex una parte magnam spectationem suscitare, ex alia vero nonnullas anxietates in conscientiis producere possit.

Loquor de *collaboratione christifidelium cum acatholicis et non credentibus*, de qua sermo est in multis locis textus propositi.

Agitur in praesenti schemate de magna quadam declaratione qua catholici magis conscii fiant de sua et aliorum hominum vocatione integrali in ordine ad aedificationem civitatis terrenae. In hunc scopum, ut explicatur in relatione (Appendix, p. 41) « clarius apparere debent ea in quibus Ecclesia convenire potest etiam cum non credentibus, ut collaboratio, quantum fas est, statuatur »: simul vero, ut patet, omni claritate elucere debet quae sit positio propria Ecclesiae.

Profecto non agitur de irrestricta collaboratione, *sed de collaboratione in magna quadam actione quae honesta sit*; in illa nempe actione qua promovere possint magna illa bona de quibus est sermo in textu: libertas et dignitas personae humanae, valores instituti familiaris, progressus culturae, ordo socialis et oeconomicus magis iustus, pax vera in tota communitate populorum.

Talem collaborationem *in actione, sed non in ideologiis* habet schema prae oculis in pag. 22, linn. 25 s. ubi legimus: « Christifideles intrepide non solum libertatem personae humanae, ipsi quacumque ratione et actione vindicent, maxime renovando conditiones vitae, sed etiam aliorum incoepta quaecumque sint, ac in re promoveant, omnibus mentis angustiis et pessimismo abdicatis ».

Inculcatur itaque novus spiritus, facta distinctione inter errores et personas errantium filii Ecclesiae fidelitatem Evangelio debitam splendescere faciant generosa cooperatione cum omnibus hominibus bonae voluntatis ad civitatem terrestrem recte aedificandam.

At, ut omnibus persuasum est, *non datur actio sine doctrina*. Praesertim actio quaedam adeo constructiva et innovatrix, qualis illa est quae in schemate contemplatur, nequit dari sine doctrina quadam intrinsece viva et dynamica. Collaboratio itaque christifidelium cum non credentibus ad scopum de quo agitur supponit necessario doctrinam aliquam quae sit veluti commune fermentum ad actionem pervadens coetus hominum qui consociantur.

Hic accedimus ad aspectum vere difficilem huius schematis de « Ecclesia in mundo huius temporis ».

Qualis enim potest esse doctrina illa quae veluti fermentum vivum et dynamicum efficacem reddat communem actionem christifidelium et aliorum hominum bonae voluntatis ad extruendam civitatem terrestrem magis iustam et fraternam? Nostra fides supernaturalis, si vere, integre et communiter esset accepta, profecto actionem induceret potentissimam ad innovandum mundum ab ipsis fundamentis; sed non est nec integre, nec communiter accepta. Immo, cum in textu prae oculis habeatur collaboratio christifidelium cum ipsis non credentibus, actio communis non potest fundari ne quidem in veritate de Deo auctore naturae. Nihil aliud ergo restat, nisi attentio dirigatur ad aliquod dominium in quo conscientia recta omnium hominum detegere possit nucleum quemdam doctrinalem minimum, qui tamen principia praebeat ad actionem ab erroribus ideologicis expertem.

Et hoc est arduum problema huius schematis. Omnibus accurate perpensis, schema praesens possibilitatem collaborationis etiam cum non credentibus fundat in doctrina de iuribus naturalibus *personae humanae.*

Exinde vero enascitur haec praecipua quaestio: estne prudens ut Ecclesia in suo Concilio Oecumenico definiat suam propriam positionem in mundo hodierno, praecise per declarationem quae in dignitate et iuribus personae humanae concentretur, tanquam in nucleo doctrinali minimo in quo convenire possit cum hominibus rectae conscientiae qui alias religiones vel etiam nullam profitentur?

In hac interrogatione tangimus, ni fallor, nervum difficultatum quas nova redactio schematis solvere debebit ut tantae spectationi satisfaciat.

Liceat nunc de hoc argumento adeo praecipuo sequentes observationes facere:

1. Id quod in mundo hodierno constituit oppositionem summam et reapse irreductibilem inter Ecclesiam et potestates politicas totalitarismum atheum profitentes est *despectus personae humanae* ad quem ineluctabiliter impelluntur homines illo errore detenti. Quapropter sollemniter hac aetate declarare iura inalienabilia personae humanae atque catholicos edocere ut in hac doctrina fundati civitatis terrenae aedificationi cooperentur plena responsabilitate, actus esset conciliaris summi momenti et qui immensum beneficium praestare posset mundo nostri temporis.

Praeteritis saeculis Ecclesia, agnoscens etiam tunc sine dubio signa temporum, sui officii esse existimavit tueri imprimis firmissime ius hominis sacrum et primarium profitendi libere veram fidem; quod ius fundatur, non solum in naturali officio Deum debite colendi, sed etiam in vocatione nostra supernaturali, qua destinamur ad constituendum populum Dei sanctum in terris peregrinantem.

Sed anteactis saeculis non adeo sui officii esse Ecclesia censebat distinctius agere de iure universali hominum ad libertatem in re religiosa et de aliis iuribus prouti in ordine mere naturali ex ipsa constitutione personae humanae resultant.

In actuali situatione mundi signa temporum, ut penetranti ratione exprimitur in schemate, requirunt ut Ecclesia sollicita sit de propugnanda excellentia personae humanae, quae tanta est ut homo non ordinetur ad ullam communitatem politicam secundum se totum et secundum omnia sua, nec proinde ulli potestati mere humanae totaliter subiacere queat. Unde, illa quae in hunc sensum a schemate exarata sunt approbanda et commendanda videntur.

2. Sed ut promulgatio talis documenti conciliaris in bonum sit et non in ruinam mundi catholici, opus est ut vigilantissima cura intensificetur instructio

religiosa, moralis et socialis, quae prorsus necessaria est ut applicatio principiorum talis documenti fiat sine periculis graviter errandi etiam bona fide.

Nisi enim in mundo nostro catholico formatio doctrinalis in illis praesertim qui directiones et orientamenta ad actionem dare debent sit solidior et plenior, valde timendum est ne insensibiliter ex collaboratione cum non credentibus in ambitu actionis fiat transitus ad collaborationem in eorum erroribus.

Dolorosa experientia iam docuit potestates politicas quae in re religiosa, in re educationali, in syndicalismo, etc. iura libertatis humanae extollebant quaeque amicas manus tendebant catholicis ad communem actionem instaurandam pro iustitia sociali contra capitalismi abusus, pro nationali libertate contra oppressiones imperialisticas, pro socializatione contra monopolia etc., sic catholicorum vires habuisse socias usque ad determinatum momentum actionis, ut deinceps omnia inservirent ad dominatum Communismi athei.

Iam saepius nostra aetate fatere opus fuit filios tenebrarum prudentiores fuisse filiis lucis.

Agnoscere debemus mentes et conscientias maioris partis catholicorum ad exactam comprehensionem visionis mundi et normarum actionis quae in schemate proponuntur aptatas non esse. Problemata quae hic tractantur culturam exigunt de re theologica, philosophica, sociologica, oeconomica, etc. quae admodum rara est. Nescio an in ipsis nationibus in quibus vita intellectualis catholica altior est, sacerdotes nostri tanta scientia polleant quantam requirit secura et efficax applicatio principiorum huius documenti. « De novis difficillimisque quaestionibus » agitur, ut notatur in numero 14 schematis; immo de quaestionibus quae futuram Ecclesiae vitam in melius, vel in peius dirigere possunt et in quibus indigemus directionibus, seu criteriis firmis et ab omni ambiguitate expertibus, « ut in nullo deviemus a vero ».

Unde, si volumus, ut hoc Documentum ad formationem conscientiarum penitus conferat, solliciti esse debemus imprimis de intensa quadam promotione culturae catholicae quae illas omnes conditiones complectatur quas requirunt magna munera a christianis nostrae aetatis implenda. Id exigit praecipue ut maxime et fortiter promoveantur in Ecclesia studia universitaria et incoepta altioris investigationis scientificae.

In nullo ambitu mundi hodierni peragitur actio adeo decisiva pro cursu futuro civitatis terrenae in unum vel alium sensum, quemadmodum id fit in universitatibus et scholis superioris institutionis.

Quapropter liceat iterum iterumque rogare ut quaestio de apta quadam et forti promotione studiorum in universitatibus tam ecclesiasticis quam catholicis, in seminariis, in scholis technicis aliisque eiusdem generis, inter quaestiones recenseatur in hoc Concilio potioris et instantioris momenti.

3. Postremo, aliquid addere liceat quod spectat ad clarificationem de sensu theologico quo in schemate sumitur « mundus », et exprimitur « relatio inter Ecclesiam et mundum ».

Adest in patrimonio intellectuali catholicismi eximia quaedam theologia historiae quae ad agendum de hoc argumento fundamenta praebet valde profunda. Loquor de illa quam tradidit S. Augustinus saeculo quinto cum problemata vivere debuit in multis similia illis quae hodie vivimus. Cardo illius theologiae est visio oppositionis inter Ecclesiam conceptam ut civitatem Dei peregrinantem in terris

et aliud spirituale corpus mystice compactum, quod in scriptis augustinianis describitur *ut civitas impia saeculi.*

Textus quem discutimus visionem huius antithesis declinare videtur. Ratio abstensionis a consideratione directa et clara praesentiae in mundo hodierno non solum civitatis caelestis, sed etiam impiae civitatis fortasse provenit ex timore conferendi huic schemati aliquem saporem augustinismi mediaevalis. Et quidem non debemus loqui hominibus nostrae aetatis categoriis mentalibus Medii Aevi. At, cum agitur de antithesi duarum civitatum, agitur de oppositione quae insita est in exortu et procursu historiae cuiuscumque temporis, cuius visio nequit deesse in schemate quin remaneat impraecisum et incompletum quoad ipsum nervum theologicum expositionis.

Quo pacto v. c. possemus explicare ex imis actualitatem historicam atheismi, qui nostro tempore pervenit ad summam potentiam politicam et socialem atque formidabili quadam structura mentis et spiritus collectivistici multa millia millium hominum et integros populos subiugavit, nisi intra et ultra societates humanas praesentiam agnoscamus illius perversae civitatis Deo rebellis, quae in eis quas subiugat potestates civiles et politicas inspirat inexhaustam libidinem dominandi?

Existimo non posse plenam clarificationem textui conferri de sensu quo sumenda est relatio inter Ecclesiam et mundum, nisi accuratius exprimatur non solum distinctio inter Ecclesiam et civitatem terrestrem, sed etiam oppositio inter illam et civitatem perversam saeculi. Civitas terrestris in quantum est universitas structurarum quae communi vitae hominum corpus et existentiam obiectivam praebent (conf. annexa n. 7) non est in oppositione ulla cum civitate Dei; reapse tam Ecclesia quam civitas terrestris sunt opera Dei in diversis quidem ordinibus, integre tamen proveniunt ab eius amore creativo et redemptivo.

Sed haec originaria et historica unio Ecclesiae et civitatis terrenae non verificatur in ulla aetate sine conflictu inter duos amores qui faciunt duas civitates.

Quapropter Ecclesia in omni phasi suae historiae, et proinde etiam in hodierna, missionem suam peragere non potest quin contra ipsam excitentur conflictus et persecutiones, quarum profundior origo habetur non in natura qua tali, sed in spirituum primigenia rebellione quae a Domino dicta est « potestas tenebrarum ».

Incorporatio sobria sed penetrans huius veritatis in textu schematis multum iuvaret ad subsanandam aliquam eius deficientiam. Nihil nimirum in schemate dicitur de maximo momento quod habent ad aedificationem civitatis terrestris magis iustae martyria Ecclesiae in mundo hodierno. Et tamen, teste historia, in hac aedificatione saepe saepius magis confert qui persecutiones patitur propter iustitiam usque ad heroismum quam qui promovent valores et munera terrestria. Hodie hic magnus honor spectat ad Ecclesiam Silentii.

7

Exc.mus P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER
Episcopus Camposinus

Venerabiles Patres,

Quamvis consentiam in ...[1] laudanda commissione quae hoc paravit schema, pro labore in eo conficiendo impenso, tamen iis Patribus adhaerere teneor qui eius retractationem necessariam ducunt.

Rationibus ab his Patribus allatis quasdam addere liceat:

1. Iure beat. Paulus Petrus Meouchi, patriarcha Maronitarum, conquestus est de absentia fundamenti theologici in schemate. Liceat mihi inter veritates revelatas quae prae oculis habendae sunt cum de dialogo cum mundo sermo est, recordare exsistentiam diaboli ut principis huius mundi, adversus quem magis quam contra carnem et sanguinem, ait S. Paulus nobis dimicandum est ...[2]. Recordatio huius veritatis quammaxime opportuna et necessaria videtur eo quod hodie multi conatus fiunt ut oblivioni mandentur et exsistentia et actio diaboli in mundo. Diabolus autem, ut princeps huius mundi plura incepta certo certius suscitat quibus laqueos animabus paret. Non intelligitur cur de his sileat schema. Totam Apocalypsim scripsit S. Ioannes ut christifidelium in mentibus inculcaret Ecclesiae continuo contra huius mundi vires pugnandum esse usque ad victoriam finalem in consummatione saeculorum. Praeterea, de inceptis quae in mundo sunt ad christianae civitatis eversionem, plura inveniuntur in magisterio Ecclesiae. Leo XIII, data opera, de hac re scripsit litteras encyclicas *Humanum genus* quibus exsistentiam et actionem francomuriarorum vigilantiae fidelium indicaret ...[3]. Ante ipsum, alii ...[4] Pontifices idem fecerunt. Post ipsum, S. Pius X, in Motu proprio *Sacrorum Antistitum,* denuntiavit Modernistarum clandestinum foedus, quod eorum opinionum virus in christianae reipublicae venas insereret...[5] Pius XI, in litteris encyclicis *Divini Redemptoris,* loquitur de variis occultisque viribus quae iam diu christianam civitatum ordinationem evertere conantur ...[6]. Ioannes XXIII, in Synodo Romana, fideles cautos voluit contra existimantes Satanam principem huius mundi nec esse nec operare, cum e contra etiam atque etiam Deum est exorandum pro victoria contra tenebrarum principem qui particeps est belli furentis in Deum, qui iustitiam odit et paci adversatur...[7]

Nescio cur schema hoc, sicut etiam quaedam alia, parvipendant multa de magisterio Ecclesiae Romanae, ad quam nihilominus...[8] propter potiorem principalitatem omnes convenire debent quae sunt undique Ecclesiae.

Ut mihi videtur, Concilium ita agens, scandalum fidelium non vitat, dum securius procederet, si documenta Romanorum Pontificum adamussim sequeretur.

Certo certius opus pastorale aget, fideles monendo adversus societates et motus sive ideologicos, sive politicos aut oeconomicos vel ad artes pertinentes qui humani et christiani consortii civilis eversionem moliuntur et imperium Satanae parant. Haec omnia in mundo sunt et fideles ignorare non possunt; aliter dialogus cum mundo periculosus erit.

2. Forte ex oblivione actionis diaboli in mundo, schema indulget placitis huius temporis. Exc.mus D. Maximus Hermaniuk, ni fallor, heri adnotabat schema silere de modo quo instrumenta communicationum socialium in mundo hodierno fere ubique adhibentur, scil. ut hedonismo sensuali et indifferentismo faveant.

Mihi liceat attentionem revocare ad indulgentiam qua laborat schema relate ad laicismum. *Secundum laicismum* [9] societas indifferens esse debet in re religiosa, quae ad forum internum conscientiae uniuscuiusque amandatur. E contra doctrina catholica pluries a magisterio Ecclesiae proposita postulat ut societas, autonoma in suo ordine, tamen ita constituatur ut facilius homines in ea vitam consequantur aeternam. Hoc autem exigit ut societas agnoscat veram religionem, nihil contra eius praecepta instauret, immo positive Deo secundum veram religionem cultum exhibeat...[10]

Schema autem considerat exstructionem civitatis ut quid ita distinctum a vera religione ut in ea intime collaborare possint catholici cum omnibus hominibus bonae voluntatis. Immo fideles hortatur ut a condendis institutionibus catholicis se abstineant cum iam alia similia exsistunt quibuscum collaborare possint...[11] De periculo contra fidem qui latet in laicismo istarum institutionum non curat schema.

Haec autem bene non cohaerent cum sensu fidelium qui ducti magisterio Romano semper putaverunt veram culturam sicut consortium civile rite ordinatum haberi non posse sine vera religione. Quodsi schema unice colloquia catholicorum cum non catholicis fovere intendit, veritatem non abscondat ...[12], et auxilia peculiaria indicet quibus pro talibus colloquiis indigent fideles ut firmes in fide permaneant et alios ad gremium Ecclesiae perducant, cum tandem aliquando hic finis in dialogo cum mundo oblivisci nequeat.

Cetera in scriptis secretariatui tradam.[13] Gratias.

In textu scripto tradito: [1] laudibus, dico, in. [2] (*Eph.* 6, 11 ss.). [3] (*A.S.S.*, 16, p. 417). [4] Romani [5] (*A.A.S.*, vol. 2, p. 655). [6] (*A.A.S.*, vol. 29,

pp. 74-75). [7] (art. 237). [8] ut aiebat S. Irenaeus. [9] Dogma laicismi est quod societas constituatur sine ulla positiva ad ordinem supernaturalem relatione. Unde. [10] (cf. v. g. *Immortale Dei*). [11] (p. 20). [12] cuius custos est Ecclesia. [13] 3. Ut iam dictum est, desideratur in schemate perspicua mundi notio. Haec absolute necessaria est ut fructuose dialogus cum mundo institui possit. Eo vel magis quod in Scriptura saepe mundus ut quid vitiosum apparet, quem fideles vitare tenentur. Adest ergo his in terris complexus quidam a malitia hominum inductus, qui « mundus » vocatur, qui per totam terrenam peregrinationem homines circumdat, eosque a recta salutis via distrahit et in aeternam damnationem ducit. Haec veritas clare in schemate enuntietur oportet una cum quadam explanatione eorum quae peculiariter mundum huiusmodi malum constituunt; ita ut fideles caute omnino ad dialogum cum mundo procedant, ne in laqueos incidant diaboli. Sequatur in hac re schema exemplum Pauli VI, qui in litt. enc. *Ecclesiam suam* veluti prooemium exhortationis ad dialogum cum mundo, fideles monuit contra insidias illius mundi pro quo noluit Christus orare.

8

EXC.MUS P. D. DIONYSIUS EUGENIUS HURLEY
Archiepiscopus Durbanianus

Venerabiles Patres,

Quamvis bona aliqua in hoc schemate inveniantur, defectum videtur habere fundamentalem, qui in hoc consistit, *ut iam plures notaverunt,*[1] quod confectum est antequam finis eius clare determinatus sit. Utile e contra est terminum itineris cognoscere priusquam iter incipiatur.

Finis huius schematis ab exc.mo relatore descriptus est in par. 12 relationis suae ...[2], ubi dicitur: « Agitur enim de semper magis promovendo colloquio cum omnibus hominibus, ut homines de eorum mente et de eorum condicionibus et problematibus audiantur, et ut vicissim ipsi norint quae sit mens Ecclesiae circa significatiores condiciones et directiones (" orientamenti ") et circa maiora problemata nostri temporis »...[3]

Si hic finis determinatus fuisset ante schematis confectionem et si firmiter prae oculis habitus fuisset, multos defectus non nunc deploraremus, inter quos sequentes noto:

1. In cap. I, par. 5 ...[4], asseritur quod dilucidandum est in schemate « quanti sint momenti res terrenae in integra hominis vocatione ». Dilucidare, mihi videtur, scopum schematis transcendit, in quantum schema finem sibi proponit colloquium promovendi non autem veritatem plene dilucidandi. Qui colloquium promovet dilucidationem non a seipso solo sed ab omnibus colloquentibus expectat, *ut heri bene notavit*

exc.mus D. Wojtyla, arch. Cracoviensis.[5] Et de facto dilucidatio non habetur, et mirum omnino esset si haberetur, nam ad veram huius quaestionis dilucidationem ipsa theologia nondum pervenit. Sed istud caput schematis ne suspicari quidem videtur quae de valore ordinis naturalis eiusque ad finem humanum supernaturalem habitudine his ultimis temporibus dicantur.

2. In cap. IV, par. 22 ...[6], collectionem invenimus dictorum aliquorum de cultura quae plus habet indolis (sit venia verbo) exercitationis scholasticae quam documenti conciliaris.

3. In eodem cap. IV, par. 23 ...[7], invenitur series aliqua principiorum, in se quidem optima, sed quae in contextu speciem habet simplicis alicuius solutionis theoreticae problematum quae in arduis condicionibus practicis atque in humanis passionibus, egoismo et negligentia, profunde radicantur.

4. In eodem cap. IV, par. 25 ...[8], asseritur ...[9] bellum defensivum non esse iniustum, sed immediate subiungitur usum aliquorum armorum, praesertim nuclearium, scelestissimum esse. Estne hoc condemnatio belli defensivi nuclearis? Propositio est sat obscura et confusa.

His dictis profiteor me libenter accipere finem schematis ab exc.mo relatore descriptum, nempe: « Agitur enim de semper magis promovendo colloquio cum omnibus hominibus... » et ita porro.

Quantum ad methodum hunc finem attingendi, humiliter propono quod non deberet esse per modum simplicis expositionis veritatis sed per modum exhortationis ad omnes ordines et membra Ecclesiae: ad nosmetipsos episcopos ceterosque Concilii Patres et presbyteros religiososque omnes, ad laicos etiam speciali modo, ad parentes, possessores, opifices, in scientia peritos, studiosos — ad omnes, ut omnes secundum ordinem, munus et capacitatem propriam nos sollicitos ostendamus de mundi problematibus et de necessitate adlaborandi et cum aliis cooperandi ad solutiones inveniendas. Haec exhortatio, congruis considerationibus ornata, prooemium schematis constituere posset.

Post prooemium sermo fieri deberet de problematibus potioribus huius temporis, adiectis etiam considerationibus congruis et indicationibus quae ad solutionis viam inveniendam conducant.

Primum et maximum problema evidenter est illud theologicum de vero valore ordinis naturalis eiusque habitudine ad hominis finem supernaturalem. Mentio deberet fieri conceptuum qui his ultimis annis divulgari coeperunt, quique originem ducunt praesertim a splendida visione, religiosa simul et scientifica, evolutionali et eschatologica, illustris illius Ecclesiae filii, Pierre Teilhard de Chardin.

Agitur de conceptu praesentiae Dei in mundo, praesentiae quidem semper creativae, de qua pulcherrime scripsit S. Thomas, de conceptu etiam, in doctrina Christologiae cosmicae S. Pauli fundato, *de quo optime disseruit em.mus card. Meyer, de conceptu* [10] qui coniunctionem intimam vidit inter praesentiam Dei in mundo et praesentiam Christi hominis inde ab Incarnatione, Morte et Glorificatione *Ipsius.*[11] Magnum sane problema manet dilucidandum: utrum scil. actio creativa Verbi, quacum homines opus proprium in mundo explentes cooperantur, sit nunc actio creativa Verbi Incarnati et quomodo haec actio creativa ad opus salvificum referatur. Est problema theologicum, ni fallor, maximum huius saeculi.

Tractatio institui deberet etiam de problematibus particularibus, de quibus in schemate iam sermo est, sed curandum esset ne tractatio illa speciem assumat solutionis simplicioris et mere theoreticae difficultatum valde arduarum et complexarum. Finis schematis, ut iam dictum est, non est solutiones definitas proponere sed potius urgere ut membra Ecclesiae cuiusvis ordinis et conditionis ad solutiones practicas inveniendas et applicandas in cooperatione cum aliis hominibus adlaborent.

Sed quidquid sit de hac opinione circa finem huic schemati assignandum, stat conclusio, tot iam sermonibus Patrum comprobata, quod finis ille non clare intelligitur. Sequitur ergo quod inutile erit disceptationem de singulis capitibus incipere antequam de vero fine et obiecto schematis facta sit lux et concordia, ne disceptatione illa ingregiamur in « una selva selvaggia ed aspra e forte che nel pensiero rinnova la paura ».

Propono igitur ut, terminata disceptatione de schemate in genere, seligatur parvus aliquis coetus peritorum, — *et aliqui boni remanent, credo* [12] — peritorum, dico, et non Patrum conciliarium qui congregationibus generalibus interesse debent, ad hoc ut mane, vespere et si necessarium erit, etiam nocte laborantes, *ut decet peritos,*[13] quam primum ad claram, perspicuam et acceptabilem notionem perveniant de fine huic schemati assignando et de modo agendi circa singulas eius partes. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (pag. 7, linn. 4-12). [3] quonam sensu et quonam modo Ecclesia processus huius temporis partem habeat, quid christiani contribuere valeant et debeant solutioni grandium problematum, quae hominibus in hac hora historiae ponuntur ». [4] (pag. 8, linn. 10-11). [5] deest. [6] (pag. 24-26). [7] (pag. 26-28). [8] (pag. 31, linn. 2-8) haec propositio habetur: « Quamvis exhaustis omnibus pacificae tractationis subsidiis, non illicitum esse possit iura iniuste impedita contra iniustam aggressionem vi et coac-

tione defendere, usus tamen armorum, praesertim nuclearium, quorum effectus maiores sunt quam qui aestimari possint ac proinde ab hominibus rationabiliter temperari nequeunt, excedit omnem iustam proportionem ac propterea scelestissimus coram Deo et hominibus iudicandus est ». [9] hic. [10] deest. [11] eius. [12] deest. [13] deest.

9

Exc.mus P. D. ANDREAS HAMVAS
Archiepiscopus Colocensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine decem Patrum ex Hungaria. Schema nostrum, maximam excitans totius mundi et animadversionem et exspectationem, in genere placet. Laudibus extollo illam intentionem, quae elucescit ex relatione ad finem adiecta circa rationem, qua schema elucubratum fuit, adumbrans eiusdem historiam, ideam et structuram.

Ecclesia in Concilio adunata, pertractatis quaestionibus magis internis et quidem gravibus, aggreditur nunc munus difficillimum matris et magistrae mundi huius temporis, sponte et benevole offerens ministerium suum multiforme. Agenda hanc mirabilem promptitudinem respicientia fere omnia per schema praeiacens convenienter praeparantur et quidem ita, ut non tantum « ampla inducatur Patrum discussio » ...[1], sed insimul ut ille fructus maturetur, quem piae memoriae Ioannes XXIII, cuius spiritum praesentem omnes sentimus, opere suo saeculari, specialiter Litteris suis Encyclicis *Mater et Magistra* et *Pacem in terris* sicut et convocatione huius Concilii Vaticani II inauguraverat, omnes alloquens homines bonae voluntatis. Hanc tendentiam sequendam, evolvendam et applicandam, indigentiis Ecclesiae et mundi satisfacturus, felicissime continuat Pontifex noster gloriose regnans Paulus VI, personaliter et per nos iam tertiam sessionem conciliarem celebrantes. En duo fundamenta et incitamenta novissima et commoventia, quibus roboremur oportet ad opus in hoc schemate traditum pro posse nostro optime solvendum.

Schema nostrum est « apertura » Ecclesiae seipsam renovantis ad mundum universum, ideoque momenti immensi.

« Signa temporum » in ultimis decenniis apparuerunt omnino nova. His perspectis, Ecclesia Christi aeterna, missionem ad omnem aetatem et universos homines acceptans et explens, cursum et evolutionem rerum prudenter perscrutatur et in hoc schemate applicat ad solvendum et salvandum principium Paulinum: « Omnia probate, quod bonum est, tenete! ».

Omnia probare, urgens est munus magistri. Ecclesia in mundo huius temporis munus hoc suscipiens, in cap. I, n. 3 effert multitudinem allocutorum et in n. 4 summatim adsignat obiectum propositum universale: « Promotionem boni communis *totius generis humani* ». Uti iam allusi primum hanc promptitudinem activam sanctae memoriae Ioannem XXIII *intimasse* [2] et quidem cum insperata resonantia orbis terrarum ingemiscentis. Hanc ob rem *reverenter propono,* ut in prooemio, vel in cap. I, explicita fiat de eodem mentio, ut augeatur propensio ad sane tangenda et solvenda problemata mundi, intime cohaerentis et iam indivisibilis. Aequo enim animo attingat oportet interesse nostrum et occidentem et orientem, sine ulla praeoccupatione, uti decet Ecclesiam Christi perennem, nulli formae status nulloque systemati oeconomico alligatam.

Ipsum schema tendentiae huic satisfacere contendit in cap. II, ubi ad manus operi imponendas incitat, immo et suaviter cogit, modo Ecclesiae proprio: decenti et simul efficaci. Generose renuntiat privilegiis superfluis. Ecclesia, in omnibus mater et magistra, missionis suae originalis supernaturalis minime immemor, laudabiliter adiungit legationi suae divinae operam adiutricem maximi ponderis ad sanam cooperationem suorum ad promovenda bona temporalia totius generis humani communia. Inter haec tamquam maximum inculcat illud libertatis, quam ubique promovere studet, ut sit verificata et sincera, stabilis atque permanens, et ipsam simul ut elementum constitutivum ipsius boni communis definit simulque viribus reunitis praestandam et conservandam declarat.

In n. 14, membris Ecclesiae cum concivibus, aliam vel nullam fidem profitentibus, conviventibus recte tribuitur facultas, ut propriam efforment conscientiam *suam,* [3] qua duce officia sua et munera adimpleant. Eadem est nempe situatio et norma activitatis fidelium nostrorum promiscue cum concivibus alienae confessionis et religionis viventium, uti erat tempore apostolico, vel postea in diversis territoriis *cum* [4] non catholicis. Sacerdotibus et laicis nostris confidendum est et simul sperandum, quod ab Ecclesia alieni, videntes nostrorum opera bona, tum religiosa tum communia, cognoscent et glorificabunt Patrem, qui in caelis est. Aliqua sancta audacia requiritur et iuncta spes, quae non obstantibus difficultatibus exsurgentibus novis et non paucis, inconcusse exspectat superabundantiam gratiae. Haec edicens, non possum non commemorare gressum illum, quem diebus his dilectissimus Papa noster Paulus VI, nobis specialiter succurrens, facere dignatus est, componere studens partialiter saltem statum Ecclesiae in patria nostra. Pro hoc adiutorio in aula nostra non tantum Patrum conciliarium, sed et totius

Ecclesiae nomine in Hungaria, Patri Communi Optimo gratias pando filiales.

Cap. III, in Introductione « novum modum sentiendi, volendi et agendi » inaugurat. Hic plurima convenienter, et quidem directive et concrete, practice comprehenduntur...[5]

In cap. IV libenter auditur tractatio urgentium necessitatum. Problemata haec ubique terrarum solubilia apparent, si pro fundamento habebunt principia in Encyclica *Pacem in terris* codificata, seu si « cum caritate et iustitia, in veritate et libertate » realisabuntur.

Quod ipsam dignitatem personae humanae attinet, pag. 21, in lin. 10 desideratur primo loco inculcatio ipsius religionis. Textus sic compleatur: « *vel religionis,* vel stirpis... etc. ».

Concludo. Nos nova spe et fiducia erecti salutamus intentionem generalem schematis, quae totam materiam permeat, et docibiles auscultemus voces Patrum occidentis et orientis. Si licebit, nos quoque, occasione data, animadversiones in specie adiungere non recusabimus.

Schema in sequentibus quoque capitibus ad tractandum accepto et honoro. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (pag. 41, lin. 9). [2] initiasse. [3] bonam. [4] deest. [5] Modo tam perspicuo et applicabili perlustrantur, ut fideles specialiter nostri — sub mutatis condicionibus historicis, socialibus et oeconomicis viventes — apte instrui possint. In nostra republica — problematibus prementibus ecclesiasticis multis adhuc exsistentibus et solvendis minime celatis — de facto inveniuntur bona et instituta socialia cooperatione membrorum Ecclesiae producta et effecta, quae revera bono communi in variis vitae campis inserviunt. Haec bona socialia alibi quoque, attentis semper condicionibus et indigentiis specialibus, realisanda commendare audeo.

Secretarius generalis: Notos facio, venerabiles Patres, exitus suffragationum quae mane peractae sunt.

Suffragatio VI:

Suffragati sunt Patres	2.157
Dixerunt *placet*	2.104
non placet	22
placet iuxta modum	27
Suffragia nulla	4

Suffragatio VII:

Suffragati sunt Patres	2.154
Dixerunt *placet*	1.841

non placet	111
placet iuxta modum	195
Suffragia nulla	7

Ergo duo textus congregationi generali placuerunt.

10

EXC.MUS P. D. ANDREAS M. CHARUE
Episcopus Namurcensis

Venerabiles Patres,

Ardentes gratias agendum est omnibus Patribus, peritis atque auditoribus qui ad schematis XIII redactionem collaboraverunt.

Hoc schema ...[1] placet. Certo certius complendum et adhuc multum ditandum est, sed uti prostat, utile fundamentum praebet ad ulteriores discussiones.

Hodiernus mundus nos adspectat et a nobis multum exspectat. Talem occasionem mundi exspectationi respondendi praetermittere non possumus. Sane labor difficilis est et, de cetero, in aliquo sensu, novus. Non enim sufficit missionem Ecclesiae proclamare, sed summopere oportet exponere quid Ecclesia mundo afferre possit, et quidem modo quo ab omnibus peritis publicae opinionis intelligi possit.

Unde particulare omnino est schematis nostri, ut ita dicam, « genus litterarium », quod usque nunc in aliquo Concilio nondum adhibitum est. Hac de causa, aliqui Patres schema non satis theologicum aestimant, aut etiam nimis technicum iudicant. Sed quid mirum? Hoc schema omnium schematum novissimum est, neonatum, et adhuc praematurum. Nemo dubitat quominus schema maturatione egeat ut magis theologicum fiat ac simul magis concentum sensui et anxietati hodierni hominis. In hoc labore, tria puncta sublineare iuvat:

1. Saepe christiani accusantur quod absint ab hoc mundo vel quod non sint in mundo nisi ut exteri et alieni. Multis videtur vocationem christianam aliquo « dualismo » laborare: quasi quotquot malum esset ex parte corporis esset, dum quotquot bonum esset ex parte animae esset. Et in hoc sensu Nietzsche dicebat religionem christianam esse Platonismum ad usum populi.

Atqui, e contra, Evangelium talem dualismum ignorat. Spes nostra non tantum animae immortalitatem spectat, sed etiam carnis resurrectionem, et quidem in mundo a Deo in Christo tandem renovato.

Eschatologia S. Pauli aliquo modo, qui mysteriosus est, omnia complectitur.

Circa hoc ultimum punctum, schema adhuc magis sublineare debet significationem theologicam realitatum terrestrium. Sic, v. g., conceptio nostra matrimonii et conceptio humani laboris assumetur in ampla visione huius integrae vocationis hominis de qua agitur in cap. I schematis. Hoc autem notare iuvat ...[2] in hac luce *christiana* [3] spei quantum importet non quam maximum sed quam optimum progressum, non quam maximam sed quam optimam evolutionem quaerere in promotione et cultura hominum.

2. Mundus, utpote creatio Dei, proprias leges habet, quae a nobis sedulo observari debent. Vaticanum I iam subaudivit legitimam autonomiam, si bene intelligatur, scientiarum et culturae in eorum proprio ordine: agnovit enim Vaticanum I « duplicem esse ordinem cognitionis non solum principio, sed obiecto » ...[4]

Unde Ecclesia libenter agnoscit progressus technicos et diffusionem magis magisque universalem scientiarum et artium, sicut Summus Pontifex ...[5] feliciter regnans adhuc recenter, die nempe 3 mensis octobris, fecit in sua allocutione ad Pontificiam Scientiarum Academiam.

Utinam schema nostrum impossibilem reddat in posterum confusionem ordinum. Nimis saepe doluimus de tali confusione in conflictibus, ut dicitur, inter fidem et scientias vel historiam, v. g. in re biblica.

3. Denique vivimus in mundo sic dicto pluralista. Ut ait Valéry: « l'homme moderne se trouve devant une exposition universelle de la pensée ». Quae condicio, certo, multas difficultates secumfert. Sed etiam aspectum positivum habet non tantum pro conscientia quam homo de seipso habet, sed etiam pro diffusione Evangelii. Si quidam, immo si multi ab atheismo attracti sunt, multi sunt etiam, inter nostros coaevos, qui quaestionem religiosam sincere ponunt et profundius investigant.

Haec tria exempla manifestant homines in hodierno mundo quasi radicalem « mutationem » experiri. Sub aspectu technico et culturali homines magis progressi sunt in his ultimis quinquaginta annis quam per duo millenaria. Et quod notatu dignum est, de illa humana mutatione, ut dictum est ...[6], homo hodiernus magis ac magis conscius est. Vividam habet conscientiam de suis potentialibus, non tantum quoad « kosmos » Graecorum, sed etiam quoad immensi spatii ignotas hucusque partes, quoad intimum materiae mysterium, immo quoad hominis dynamismum psychologicum eiusque potentiam in creatione et in ipsa speciei humanae propagatione. Coaevi nostri intelligunt se cooperatores esse Dei-creatoris, nempe in investigandis et evolvendis creationis virtualitatibus.

Atqui Ecclesia deberet esse illius hodierni mundi conscientia. Proinde illum mundum cognoscere, amare, et intelligere debet, ita ut hominibus nostri temporis responsabilitatem et ultimum finem patefaciat.

Hoc est, praecise, scopus schematis XIII: repercutere nempe spem et anxietatem hodierni hominis et Ecclesiam exhibere ut, ex una parte, transcendentem mundum, et ex altera parte, mundo inservientem et vere beneficum. Sicut Christus, Ecclesia est lux mundi.

Concludo: ut schema coaevorum exspectationi optime respondeat, et hoc est quaerendum, opus est tempore. Sine tempore nihil profundi, nihil magni effici potest ab hominibus, *sicut vidimus quoad schemata de Ecclesia, de Liturgia, etc. ...*[7] Tempus ...[8] messis non est tempus seminum. Tempus *ergo*[9] ne nimis concitemus et patientiam habeamus.

Attamen exspectare quattuor annos non possumus, quia mundus exspectat. Iuxta me, anno proximo schema publicari deberet, etiam si Adnexa tardius in nomine Concilii proderentur.

Ut dixi, schema nostrum natum est praematurum, ac proinde adhuc debet habere bonam matricem (« *une bonne couveuse* ») *ad opus perficiendum. Sed*[10]

Moderator: Exc.me Domine, velis in *facto* venire ad conclusionem, quia tempus exhaustum est.

Orator: *Credo quod commissio nostra habet optimos peritos. Alii addantur et tunc opus erit bonum!*[11]

In textu scripto tradito: [1] mihi. [2] quod. [3] christianae. [4] (DENZ. 1795; DENZ.-SCHÖN. 3015). [5] Paulus VI. [6] (« La mutation humaine » de P. Bertaux). [7] Sicut schemata *de Ecclesia, de sacra Liturgia, de Oecumenismo* etc., schema XIII lente maturabitur. Urget nunc « tempus acceptabile » ut divortio Ecclesiae-Mundi finem imponamus. Urget tempus, inquam, laborandi in spe et cum gratia Dei. [8] autem. [9] deest. [10] deest. [11] deest.

11

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS IOSEPH SHEHAN
Archiepiscopus Baltimorensis

Patres venerabiles,

Schema, quamquam in genere placet, in pluribus *evidenter*[1] emendandum est. In ipsis emendationibus conficiendis multum oportet prae oculis habere tum *Directiones pro futura elaboratione textus* nostri schematis, in aula mense praeterito distributae, tum documentum quod « *Adnexa* » vocatur. In his enim adnexis figura Ecclesiae in mundo

huius temporis magis realistica magisque *ad rem,* quam illa quae in ipso schemate invenitur.

Liceat mihi sequentes breves observationes proponere de schemate revisendo:

1. In schemate nostro, propono ut clare et aperte referatur ad Litteras Encyclicas Summi Pontificis *Ecclesiam suam.* In partibus quibusdam schematis nostri exprimuntur ideae nimis generales et obscurae, sermone altissimo et inflato descriptae. In Litteris Encyclicis, autem, invenitur documentum cuius opportunae divitiae, praecise propter ipsius profunditatem, a prelo adhuc non satis aestimantur. Cum in supralaudatis Litteris Encyclicis inveniantur non paucae adumbrationes problematum huius temporis accurate, directe et profunde tractatae, aptissimae sunt pro revisione schematis. Exinde oportet ut schema specifice referat ad ea quae in illis Litteris Encyclicis de materia schematis scripta sunt *et praesertim de profectu* Ecclesiae quoad doctrinas et institutiones.

Ecclesia quidem depositum fidei in quo reponitur thesaurus suus centralis mutare nequit; nec, pariter, mutare potest structuram suam fundamentalem a Christo Domino ipsi datam; neque reformabiles sunt doctrinae quae sub influxu Spiritus Sancti definitae fuerunt. Attamen Ecclesia progressa est et progredi debet tum quoad doctrinam tum quoad structuram, ut se adaptando respondeat mundi problematibus, praesertim iis quae oriuntur e relationibus inter res et inter homines quae semper fiunt arctiores.

Iam centum et plures annos antea John Henry Newman, qui postea Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis renunciatus est, magnum scripsit opus: « *Essay on the Development of Christian Doctrine* » in quo invenitur sententia, variis modis repetita: « *a power of development is a proof of life* » — potestas crescendi signum vitae est. Eadem veritas, quae magni momenti est pro nostro schemate, diversis locis et diversimode, mihi videtur, adumbratur, si non aperte exprimitur, in Litteris Encyclicis *Ecclesiam suam,* Pauli Papae VI, praesertim in pag. 12 exemplaris earum litterarum in aula distributi, ubi dicitur « Ecclesia... *magis magisque proficiet in conscientia muneris sui, suae arcanae naturae, suae doctrinae...* ».

Mea humili opinione, haec sententia enucleari debet ut constituat ...[2] partem schematis de quo agitur...[3]

2. Praecise quia cum materia et spiritu Litterarum illarum conveniant, *Directiones pro futura elaboratione textus* nostri schematis ...[4] maximi momenti videntur. Mentionem iam feci de necessitate maioris

claritatis in expressione ...[5], quae quidem necessitas refertur in prima Directione.

Assentio autem etiam iis quae in aliis Directionibus sunt scripta circa necessitatem loquendi modo clariore *sive de obiecto ipsius schematis sive de relationibus cum materia in aliis schematibus conciliaribus pertractata.* Ab initio schematis, uti mihi videtur, Concilium Oecumenicum debet aperte dicere se respicere naturam hominis eiusque finem *sub aspectu religioso,* nempe sub illo aspectu quem Deus revelavit per Christum Dominum, qui et ipse reapse *est* Dei revelatio. Tum restauratio biblica, quae in schemate *de divina revelatione* praecipue refertur, tum restauratio liturgica a constitutione *de sacra Liturgia* praescripta, necnon motus oecumenicus in schemate *de Oecumenismo* commendatus et pro catholicis ordinatus — haec omnia Verbum Dei exaltaverunt secundum proposita in schemate *de Ecclesia.* Verbum Dei autem in Ecclesia manet, nam incarnatum est in Christo Domino qui in Ecclesia, Corpore suo mystico, operatur in mundo huius temporis.

3. Valde placet quod dicitur in Directionibus specifice de necessitate clarificationis sensus theologici verbi « mundus ». Etiam in hoc loco schema merito sequeretur ea quae dicta sunt in Litteris Encyclicis in pag. 33 ss. exemplaris distributi, ubi explicatur *discrimen* Ecclesiae a mundo non idem sonare ac *disiunctionem.*

4. Denique assentio iis quae dicta sunt in Directionibus aliis de immutationibus in variis capitibus faciendis. Animadversiones ceteras relate ad haec puncta in scriptis secretario generali transmittam...[6]

In conclusione liceat mihi sincere et humiliter dicere nobis non esse timendum ne obiiciatur nos doctrinam Ecclesiae pervertere per conatus nostros ad dialogum inter Ecclesiam et mundum huius temporis instituendum. Traditio authentica conservari debet; sed *progressus* pariter admitti debet in cognitione pleniori et in conscientia firmiori Verbi Dei seu Evangelii eiusque applicationis ad « signa temporis ». Talis progressus saepe indicatur a Paulo Papa VI in Litteris *Ecclesiam suam,* sed clarissime in pag. 12 supra citata ubi dicitur: « Ecclesiam magis magisque *proficere in conscientia suae arcanae naturae et suae doctrinae* ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] primam. [3] Alia datur ratio redactionis schematis secundum mentem Litterarum quae, licet sit plus minusve extrinseca, parvi tamen aestimari non debet. Congruum est ut hoc schema, et quidem ab initio, non modo a Litteris Encyclicis non discrepare — quod absonum esset — sed reapse in ipsis suum invenire punctum a quo procedit. Nam sic in schemate revisendo adhibere possumus occasionem omnino opportunam demonstrandi in

praxi « collegialitatem » revera non derogare de primatu Summi Pontificis sed potius corporis episcoporum unitatem dynamicam cum capite suo et ab eo dependentiam roborare. [4] quae mense praeterito in aula distributae sunt. [5] praesertim in prima parte schematis. [6] 1. Schema certe tractare debet de sic dicto « problemate de Deo » in vita civili et politica, in systematibus philosophicis modernis et, quidem, in vita religiosa ecclesiarum et communitatum religiosarum i. e. de atheismo in praxi. Quod quidem problema non est problema de Deo sed potius de homine novo vel de homine « novi generis » qui Evangelium audivit sed minime recepit. Hic homo novus, technicus, criticus et independens non dubitavit proclamare totum mundum sibi victum fore ad novam culturam creandam in qua Deus nec necessarius immo neque utilis iudicetur. De hoc etiam consuli debentur Litterae Encyclicae *Ecclesiam suam,* praesertim in pag. 47 ss. exemplaris distributi.

2. Cum agitur in schemate de problematibus specificis, dentur indicationes, generales quidem, attamen quam maxime concretae, ut clare videatur a fidelibus, a fratribus seiunctis et ab omnibus hominibus bonae voluntatis, programma quod Ecclesia sibi proponit. De duobus breviter et ad modum exempli liceat mihi loqui:

a) Si de pace *tractetur,* quaestio de moralitate belli moderni, aperte et sine ulla ambiguitate vel specie aequivocationis tractanda est — principia saltem enuntiando ut in futuro responsa circa hoc problema gravissimum dari possint. Nisi hoc fieri posset, melius esset totam rem praetermittere.

b) Si de vexata quaestione limitationis prolis tractetur, simul cum necessitate abnegationis christianae, exprimatur clarius et modo maxime concreto quod Ecclesia ardenter vult cum peritis, qui *veri periti vocantur et sunt in hac re,* tum laicis tum clericis communicare et cooperare, simulque *dicatur quid reapse Ecclesia proponat de mediis communicationis et cooperationis cum illis peritis in actum ducendis.*

12

REV.MUS P. ANICETUS FERNANDEZ
Magister generalis O.P.

Venerabiles Patres,

...[1] Saepe iam dictum est hoc schema magnam exspectationem in mundo suscitare. Propterea omnino necesse est ut Concilium attento animo consideret atque perpendat opinamenta, problemata, necessitates et optata hominum et societatis huius temporis.

Simul tamen, in solutionibus proponendis et in decisionibus afferendis, oportet omnino magnam facere attentionem maximamque adhibere cautelam, ne ullam pressionem sive coactionem cuiusvis generis patiamur vel admittamus, sed omnimoda cum libertate ac sinceritate, et cum humilitate et mansuetudine, sed absque ullo timore, *et magna cum fortitudine,*[2] dicamus omnia quae dicenda sunt eoque modo quo

dicenda sunt, licet mundo *vel quibusdam hominibus huius mundi*[3] forsitan valde displiceant, praesertim quando agitur de quibusdam gravissimis malis praesentis temporis, ita quidem ut Spiritus Sanctus « sit solus suggestor et effector iudiciorum nostrorum », ac veritatem faciamus in caritate. Etiam tunc adimpletur sententia Domini: « Veritas liberavit vos ».

Respicientes non ad defectus sed ad bona quae in textu inveniuntur, dicendum est quod in eo[4] habentur sane quaedam optime dicta praesertim de Christo, quem Ecclesia, utpote Corpus eius mysticum, exprimere et continuare debet decursu temporum, ita ut ipsa sit veluti Christus inter homines adhuc semperque vivens, ad eos efficaciter salvandos. Sed nec etiam hic textus est sat theologicus et elevatus.

Qua in re fortasse erit utile profundius sublineare ipsum exemplar et causam Ecclesiae prout revera est, nempe Verbum Dei Incarnatum, quod est Christus, verus Deus et verus homo, totus in suis et totus in nostris, quippe qui per omnia nobis similis factus est, excepto peccato ...[5]. Haec explanatio et sublineatio in initio *huius schematis, vel in fine si praefertur, haec explanatio*[6] magnarum perfectionum resplendentium in Homine perfectissimo qui est Christus, Verbum Dei incarnatum, sublimiumque donorum quae universo humano generi confert, esset utilissima non solum pro christianis, sed etiam pro omnibus hominibus.

Omnia problemata in schemate eiusque Adnexis attracta, et alia plurima a diversis Patribus sapienter indicata, apparerent sub hac altissima et supernaturali luce, et magna claritate perfunderetur universum schema. Atque existimo quod saltem ex parte tollerentur defectus a pluribus Patribus notati, eorumque optatis fieret satis. Praesertim vero mihi videtur hanc meam propositionem, *iam antea exaratam,*[7] esse in linea doctrinali em.morum cardd. Suenens et Bea, et Beatissimi Domini Pauli Petri ...[8], et multorum aliorum.

Liceat ergo mihi aliquod specimen humiliter proponere:

Verbum Incarnatum:

1. Quatenus ...[9] *Verbum Dei* verusque Deus, *a*) omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est ...[10]. Deus autem ex amore condidit universa, caelum, terram, mare, et omnia quae in eis sunt; siquidem Amor Dei, ut ait S. Thomas, non provocatur ex bonitate praeexsistenti in rebus, sed potius est infundens et creans bonitatem in rebus quas amat...[11]

b) Neque solum amat omnia quando primo ea condidit, sed idem amor eius erga ipsa continuo perseverat, ea conservando et adiu-

vando usque ad plenam perfectionem, sapienti providentia et sollicita gubernatione, attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter...[12]

2. *Qua incarnatum* vero, *a*) maximam dilectionem ostendit maximamque dignitatem contulit humano generi, immo et universae creaturae, quae quodammodo reassumitur et recapitulatur in homine; siquidem homo, ut ait S. Gregorius Magnus, habet esse commune cum lapidibus, vivere cum plantis, sentire cum animalibus et intelligere cum angelis...[13]

b) Ostenditur enim *magnitudo dilectionis* ex valore boni et doni quod amico largitur. Nihil autem maius et melius quam ipse Deus, qui est Summum Bonum. Porro, incarnatione Verbi, Deus largitus est humano generi Filium suum, qui verus Deus est et aequalis Patri, nempe Summum Bonum, quo maius et melius neque esse neque cogitari potest...[14]

c) *Maxima dignitas* humanae naturae in eo sita est, ut assumatur a divina persona Verbi et elevetur usque ad ipsam in unitate personae, ita quidem ut una eademque sit persona Filii hominis assumpti. Nihil enim altius et dignius divina persona esse et cogitari potest. Quo in sensu S. Thomas iure dixit: « humana natura in ipsa incarnatione perducta est ad *summam perfectionem* »...[15]

d) Immo et in humana natura sic evecta usque ad divinam personam Verbi, evecta quodammodo est universitas creaturarum, quae in homine quadantenus congregantur.

Ut enim ad rem ait S. Thomas, « *in homine quodammodo omnes naturae confluunt,* quia cum omnibus creaturis aliquid commune habet ...[16], *unde homine unito, quodammodo omnis creatura unita est* »...[17]

Et iterum: « tunc — ait — ad maximam completionem *universorum* [18] venit, quando creaturae omnes in homine ad suum Principium redierunt, humana natura a Deo assumpta » ...[19]; « et ideo quando humana natura per Incarnationis mysterium Deo coniuncta est, omnia flumina naturalium bonitatum ad suum Principium, reflexa redierunt, ut possit dici quod legitur in *Scriptura* [20]: reversae sunt aquae in alveum suum, et iterum fluere coeperunt »...[21]

e) Et ideo cardinalis Caietanus, vir summe theologus et speculativus, *tamen* [22] profunde aeque ac pie atque pastorali sensu scribit ...[23]: « Incarnatio est elevatio totius universi in divinam personam » ...[24]. « Sicut Verbum divinum, suscipiendo humanam naturam, assumpsit quodammodo totum universum quoad bona, pro quanto in homine omnes creaturae quodammodo inveniuntur...; ita, suscipiendo mala hominum

in generalitate suarum passionum, deificavit totum universum quoad mala. In malo enim hominis omnia mala quodammodo inveniuntur... Ut omnino impletum conspiciamus quod sic Deus dilexit mundum, et secundum bona, et secundum mala, ut Filium suum Unigenitum daret...[25] ».

...[26] Hoc modo obtinerentur omnia illa bona quae intendit *quidam*[27] evolutionismus certe exaggeratus evitandus...[28]

Moderator: Rev.me Domine, velis ad conclusionem venire.

Orator: Conclusio: has ergo divitias divini ac supremi amoris Dei et Christi, quas Ecclesia in sinu suo suscepit ac servat, ipsa in omnes homines et in mundum universum eodem ardore eademque alacritate diffundit. Ad omnia siquidem et ad omnes porrigitur eius materna sollicitudo eiusque amor. Et idem, pro suo quoque modo, facere tenentur omnes et singuli christiani et filii Ecclesiae, qui spiritu Christi et Ecclesiae animati sunt ...[29]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Praesens textus huiusce schematis longe superat praecedentes. Et ideo sincero animo laudamus subcommissionem eiusque membra atque collaboratores, qui tanta cum peritia et dexteritate munus eis commissum absolverunt in re perquam ardua et momentosa simulque pernecessaria. Cuius quidem salebritatis ipsimet redactores conscii sunt, sincere ac humiliter confitentes se nondum pervenisse ad omnes difficultates superandas neque ad omnes defectus excludendos. Ac proinde humiliter postulant et indulgentiam Patrum pro defectibus commissis, et — quod praecipuum est — positivam collaborationem ad eos superandos et ad textum undequaque perficiendum. [2] deest. [3] deest. [4] Quem in finem liceat mihi nonnullas animadversiones modeste proponere, si fortasse alicuius utilitatis aestimari poterunt. 1. Textus in genere, non obstantibus pluribus qualitatibus optimis, laborat quibusdam defectibus. *a*) Est nimis diffusus et ampulosus. *Nimis diffusus* quidem: non sane absolute, pro gravitate et complexitate rei tractandae — hoc enim in sensu dicendus esset nimis brevis — sed relative, prout nempe consideratur una cum quinque Adnexis quibus comitatur. Haec enim Adnexa repetunt ac evolvunt valde diffuse ea quae traduntur in schemate, contra praeceptum illud: « non bis in idem ». Melius ergo videtur esse quod textus schematis contrahatur et redigatur ad quaedam puncta fundamentalia simpliciter breviterque enunciata, absque ulla ulteriore enucleatione. Haec enim ad Adnexa reiici deberet. *Nimis ampulosus*: quia sermo adhibitus est redundans, inflatus et rhetoricam sapiens potius quam concinnitatem schematis conciliaris. Quae quidem diffusio et ampulositas maxime videntur reperiri in longissimo prooemio, quod potius caput quam prooemium dixeris. Itaque satius esset prooemium hoc ad tertiam, cetera vero ad dimidiam partem reducere. *b*) Est insuper obscurus et fere inintellegibilis, ratione styli detorti et incompti, cum tamen, ut vere pastoralis esset, deberet esse simplex et directus, itemque nervosus et non elanguis. *c*) Tandem, non est sat theologicus et elevatus, cum tamen intentio firma esset, fatentibus redactoribus, loqui de actuali realitate mundi in lumine theologiae (Relatio adnexa schemati p. 42). [5] (*Hebr.* 2, 17).

[6] vel in fine huius schematis. [7] deest. [8] Meouchi. [9] ergo. [10] (*Io.* 1, 3). [11] (*Summa Theol.* I, q. 20, a. 2 c). Et sic diligit omnia quae sunt, et nihil odit eorum quae fecit (*Sap.* 11, 25). Maxime tamen, inter omnes creaturas huius mundi adspectabilis, diligit homines, qui apicem constituunt totius universi sensibilis, et propter eos creavit cetera, ut nempe vitae ipsorum inservirent, ac insuper medium praeberent assurgendi per ea cognita, usque ad ipsum Deum. [12] (*Sap.* 8, 1). [13] (*Hom. 29 in Evang.* n. 2). [14] Hoc ergo summum Bonum hominibus donatum, ostendit summam Dei dilectionem erga ipsos. Quod et Ioannes aperte docuit hisce verbis: « sic Deus dilexit mundum ut Filium suum Unigenitum daret » (*Io.* 3, 16). [15] (*Summa Theol.* III, q. 1, a. 6 c; cf. *in III Sent.,* dist. 2, q. 1, a. 1, qla 1 sed contra n. 11). [16] ut dicit Gregorius (*Hom. 29 in Evang.* n. 2). [17] (*In III Sent.,* dist. 2, q. 1 a. 1 qla 1 c; ed. Moos O.P., n. 20). [18] universum. [19] (*Ibid.,* dist. 1, expositio textus; ed. cit. n. 151; cf. etiam *ibid.* dist. 2, q. 1, a. 1, qla 3 ad 1, n. 29; Prologus S. Thomae. [20] *Ios.* 4, 18. [21] Assumpsit autem Verbum Dei in unitatem personae eius, integram naturam humanam, cum omnibus partibus et facultatibus suis, animam nempe et corpus, intellectum, voluntatem, sensus omnes tam exteriores quam interiores et appetitum sensitivum, atque ideo omnia haec sublimavit usque ad divinam personam. Assumpsit etiam ex amore erga nos et pro nostra redemptione, in passione et morte sua, omnia genera dolorum humanorum, qui hac de causa divini facti sunt et valoris infiniti. Excepto ergo peccato, per omnia nobis similis factus est (*Hebr.* 2, 17). [22] deest. [23] card. Thomas de Vio, Caietanus. [24] (*In III p. Summae Theol.,* q. 1, a. 1, n. 7). Et rursus. [25] (*Io.* 3, 16). [26] Prodest autem malorum huiusmodi tanta dignitas humano generi valde. Quoniam malorum incursus, post Adae peccatum, inevitabilis est et necessarius in via salutis ambulantibus ad caelestem patriam. Naturaliter autem exosa, fugibilia tristiaque sunt mala, et propterea arcta duraque dicitur via vitae (*Mt.* 7, 14). Sed ubi assumpta a Verbo Dei in propria persona mala sunt, deificata procul dubio sunt, et inde reddita desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum cum non habentur, et dulciora super mel et favum (*Ps.* 18, 11) cum habentur » (*In III p. Summae Theol.,* q. 46, a. 5, n. 4). [27] ille. [28] *f*) Hunc vero divinum summumque amorem Verbi Dei creatoris et redemptoris erga omnes creaturas, maximeque erga homines peccatorum vinculo detentos atque multigenae miseriae obnoxios, examussim aemulatus et imitatus est homo Christus Iesus durante toto vitae suae terrestris tempore, ac praesertim in fine eius, quando animam suam in cruce posuit redemptionem pro omnibus. Eo enim docente, maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat pro amicis suis (*Io.* 13, 2); ipseque, cum dilexisset suos qui erant in mundo in finem dilexit eos (*Io.* 15, 13) i. e. usque ad finem vitae suae inclusive, et usque ad finem vel supremum apicem amoris. Quin etiam seipsum reliquit in medio Ecclesiae praesentem et interpellantem pro nobis usque ad consummationem saeculi per institutionem sacrificii et sacramenti Eucharistiae i. e. Corporis et Sanguinis sui « in quo, ut ait Concilium Tridentinum, divitias divini sui amoris erga homines velut effudit » (Sessio XIII, c. 2; DENZ.-SCHÖN. 1638). Et ideo merito a Leone XIII appellatum est hoc sacramentum « velut anima Ecclesiae » (Enc. *Mirae caritatis,* diei 28 maii 1902; DENZ.-SCHÖN. 3364) et a Pio XII « christianae religionis caput et velut centrum » (Enc. *Mediator Dei,* diei 20 novembris 1947; DENZ.-SCHÖN. 3847).

[29] Ex quo enim Christus posuit animam suam pro omnibus, et nos, ut ait S. Ioannes Evangelista, debemus pro fratribus nostris, qui revera sunt omnes homines, animas nostras ponere (*1 Io.* 3, 16). Quae divina caritas, in corda nostra effusa, debet ulterius pervadere universam vitam nostram omnesque affectus nostros honestos et non peccaminosos, eosque sublimare usque ad altitudinem divini et supernaturalis ordinis iuxta illud praeclare dictum S. Thomae: « dilectio caritatis sub se comprehendit omnes dilectiones humanas, nisi tantum illas quae fundantur super peccatum » (*Quaest. Disputata de Caritate,* a. 7 c).

Et quidem ad omnia honeste diligibilia et diligenda, idest ad omnes res omnesque personas a Deo creatas et redemptas, descendit et extenditur caritas, non solum *imperative* ut aiunt, verum et *elicitive*. Ad *personas* nempe amore amicitiae seu benevolentiae, ad *res* autem amore concupiscentiae, idest propter personas amicabiliter dilectas. Non enim habetur amicitia ad res, sed ad personas tantum.

Quam ob rem S. Thomas apposite: « possunt autem (res, idest creaturae irrationales et inanimatae), diligi ex caritate sicut ea ad quae amor, quem caritas includit, terminatur, qui est amor *concupiscentiae,* sicut amicus amat possessiones amici sui, non tamen ad ea *amicitiam* habet. Nec ista dilectio est tantum *imperata* ex caritate, sed etiam *elicita*; quia caritas *elicit* actum dilectionis non tantum ad ea quae principaliter est caritas (nempe ad *personas*), sed etiam ad alia quae illa ordinantur (videlicet ad *res*). Et sic diliguntur ex caritate inanimata, in quantum ordinantur ad ea ad quae principaliter et directe est caritas » (*In III Sent.,* dist. 28, a. 2 c; ed. cit., n. 21).

Nimirum « possunt ex caritate diligi creaturae irrationales sicut bona quae aliis volumus, in quantum scilicet ex caritate volumus conservari ea ad honorem Dei et utilitatem hominum. *Et sic etiam ex caritate Deus eas diligit* », quam nostra caritas imitari debet (*Summa Theol.,* II-II, q. 25, a. 3 c. Cf. I, q. 20, a. 2 c).

2, *specialiter* emendanda et perficienda sunt nonnulla, quae in singulis capitulis minus recte aut certe minus accurate dicuntur.

a) Et primo quidem usus verbi *vocatio* (cap. 1, nn. 6-7, pp. 8-9), quae ad res omnino diversas significandas extenditur, cum magno periculo amphibologiae et aequivocationis. Est namque abusus vocabuli nominare vocationem, omnem inclinationem vel pronitatem humanae naturae, immo et simplicem aptitudinem vel adspirationem. Tunc enim esset vocatio, etiam inclinatio ad malum vel peccatum. Itaque melius esset reservare hoc nomen ad significandam appellationem Dei ad sequelam eius supernaturalem, verbi gratia ad amplectendam fidem christianam, vel vitam sacerdotalem, aut religiosam. Quo in sensu accipitur in Sacris Litteris et in Magisterio Ecclesiae. Nec ulla apparet ratio ab eo recedendi.

13

Exc.mus P. D. LEO STEPHANUS DUVAL

Archiepiscopus Algeriensis

Venerabiles Patres,

Multa bona inveniuntur in hoc schemate, quod ...[1] a permultis hominibus ...[2] vehementer exspectatur ...[3]

Attamen textus videtur laborare gravibus defectibus.

Omitto plura quae volebam dicere de modo loquendi textus, quia haec ab aliis Patribus iam et sapientius dicta sunt.[4]

In schemate, et a fortiori in Adnexis, tam multae quaestiones tractantur vel obiter tanguntur, ut necessario impossibile sit his quaestionibus sufficiens lumen dari.

Status quaestionis hic est: Quid volumus dicere mundo nostri temporis? Quomodo loquendum est ut mundus nos intelligat? Quid debemus dicere ut verba nostra non sint nostra, sed Christi? Haec videntur respondenda:

1. Si volumus colloquium instituere cum mundo, necesse est ut mundus nos intelligat. Sed ut mundus nos intelligat, oportet prius ut nos intelligamus mundum. Ergo debemus incipere a nobilibus aspirationibus hominum nostri temporis necnon ab eorum anxietatibus et doloribus et non a considerationibus quibus nos ipsi assuevimus.

2. ...[5] Non omnia problemata tractari debent, sed tantummodo graviora — studiose vitando omnem speciem solutionis casuum conscientiae — *problemata,*[6] scil., quae *conscientiam*[7] hominum universi orbis maxime cruciant, quia in his problematibus ipse homo in periculum versatur, eius dignitas, vita moralis et etiam vita physica.

Haec problemata videntur versari: 1. circa scientiam et progressum, 2. circa iustitiam, sive inter ordines societatis, sive inter diversas nationes, 3. circa familiam, 4. circa pacem.

Certe haec problemata difficillima sunt. Sed attendendum est eorum solutionem non pendere ab Ecclesia sola; nam ordo naturalis habet suum valorem intrinsecum et Spiritus Sanctus datur etiam extra limites visibiles Ecclesiae. Proinde Ecclesia debet, in spiritu humilis servitii, afferre suam cooperationem omnibus hominibus bonae voluntatis qui mentem suam et vires suas impendunt ad aedificandam civitatem vere humanam. Quod exspectatur praesertim ab Ecclesia est verbum vitae, verbum liberationis:

1. Proponens necessitatem alicuius « ethicae » circa inquisitionem scientificam, Ecclesia magnum conferet ad dignitatem scientiae, ad liberationem virorum scientiae ita ut habeant veram possibilitatem dirigendi suas inquisitiones non ad arbitrium alicuius Status politici, sed ad servitium humani generis. Plurimi cultores scientiae parati sunt audire haec verba S. Augustini: « Amate scientiam, sed anteponite caritatem... Sola est quae et vincit omnia, et sine qua nihil valent omnia, et quae ubicumque fuerit trahit ad se omnia » ...[8]. Scientia bona est, sed eius praecipua dignitas est servitium hominis.

2. Ecclesiae est defendere dignitatem hominis ad imaginem Dei creati et pretiosissimo Sanguine Christi redempti et ostendere aequilibrium humani generis non dari nisi per affirmationem, non solummodo theoreticam, sed etiam practicam, supereminentis valoris personae humanae contra omnes formas hodiernae servitutis et contra diversas manifestationes discriminationis, tum classis socialis, tum maxime stirpis.

3. Multum exspectatur ab Ecclesia circa dignitatem familiae tam ob periculum hedonismi quam ob iniustitias quae eam crudeliter opprimunt.

4. Tam doctrina quam vita Ecclesiae ad id praesertim tendere debent ut in mundo praevaleat contra pericula quae imminent generi humano amor fraternus universalis; positivus conatus in hoc consistere debet ut bellum evadat impossibile.

Haec faciendo, *scil. afferendo suam cooperationem ad salvandum hominem,*[9] Ecclesia efficaciter persequetur versus omnes homines annuntiationem Christi Redemptoris et gratiae eius. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] non solum a christianis sed. [2] diversarum religionum. [3] Coram genere humano in anxietatibus posito Ecclesia non potest non loqui, quia non potest deserere suam missionem. [4] 1. Textus est nimis *scholasticus*. In hoc enim textu proceditur modo deductivo, incipiendo a considerationibus abstractis, generalibus, et deinde deveniendo ad applicationes concretas, practicas. Saepe textus sapit thesim theologicam. 2. Textus est nimis *ecclesiasticus* in sensu strictiore huius vocabuli; propterea non convenit Ecclesiae. Abundant locutiones technicae quibus utuntur non solum magistri sed etiam tirones theologiae. Saepe inducitur Ecclesia — vel sancta Synodus — modo petens indulgentiam quasi mundus esset ab ea extraneus, modo sollemniter declarans se habere responsionem omnium problematum mundi. Haec omnia evidenter hominibus non placent. 3. [5] 2. Stylus non debet esse stylus nostrorum librorum theologiae, sed communis, omnium captui accommodatus. Nec dicatur hoc damno esse schemati; bona theologia potest exprimi lingua omnium hominum; primum et pulcherrimum exemplum habemus in Evangelio. 3. [6] ea. [7] conscientias. [8] (*Sermo* 354, 6). [9] deest.

14

Exc.mus P. D. GEORGIUS ANDREAS BECK
Archiepiscopus Liverpolitanus

Patres venerabiles,

Hoc decretum *una cum decreto de Ecclesia duplex constituere posset*[1] fundamentum illius « aggiornamento » tantopere a Ioanne Pp. XXIII *desiderati et nobis commissi.*[2] Schema igitur saltem in genere plenam meretur discussionem ut basis sit ulteriori considerationi.

Quaedam autem puncta commentario indigent:

1. Ut decretum plenum suum effectum habeat, lectoris animum in primis paragraphis excitare debet. Infeliciter autem, et prooemium et primae tres paragraphi, prout nunc stant, incerti sunt et obscuri. Notio « signa temporis » quamdam ostentationem sapit et sonum propheticum prae se fert. Si decretum ita ad homines hodiernos obviam exierit, ab illis non legetur. Concilium melius faceret si sequeretur exemplum Ioannis Papae XXIII in Litteris Encyclicis *Pacem in terris,* incipiendo, i. e., prospectu problematum et quaestionum realium quae hoc tempore hominibus opponuntur, et anxietates tam magnas excitant. Magni momenti est mundum realem tangere seu mundo obvium fieri, et demonstrare quomodo fides catholica vitae hodiernae et hodiernis difficultatibus congruat. Nisi hoc factum erit, verba Concilii in aerem dissipabuntur. *Ut heri optime dictum est, hoc loco, caveamus ne schema nostrum soliloquium fiat.*[3]

2. Maioris quidem momenti est ut in cap. IV (quod melius, meo iudicio, primo loco poni posset) id quod dicitur quam maxime reale et definitum sit. Hoc loco decretum problemata practica morum personalium tractat, itaque verum consilium ductumque praebere debet iis qui id exspectant et quaerunt. ...[4]. Nostrum est, Patres venerabiles, *nostrum officium*[5] ut Pastores animarum, modo practico et concreto ...[6] — non ut periti sed ut patres — consilium de rebus moralibus omnibus hominibus offerre, et cum summa misericordia, sed etiam cum ea plena auctoritate quae nobis est, legem moralem obiectivam affirmare et vindicare. Quam ob rem melius esset, nonnullis locis, multa includere ex adnexis, *ut pluries iam notatum est,*[7] et praesertim in illa sectione « de dignitate matrimonii et familiae » totam sectionem inserere cui titulus « de fecunditate matrimonii ». Desiderium brevitatis quod in se laudabile est, non debet obstare clarae locutioni doctrinaeque firmae, praesertim quando agitur de indole et auctoritate legis naturalis. Et in hac

quaestione de valore legis naturalis includitur etiam nunc tota quaestio auctoritatis magisterii Ecclesiae ordinarii. In dubium enim vocari videtur — forsitan non aperte — e. g. doctrina de *matrimonii usu* [8] quam Summus Pontifex Pius XI tam luculenter mundo promulgavit in suis Litteris Encyclicis *Casti connubii.*

3. Ecclesiae est vitare ne in oculis mundi appareat tamquam societas quaedam imprimis bono temporali promovendo instituta. Sane reiiciendum est illud falsum iudicium quod paulum Ecclesiam attineat status materialis vitae humanae quippe quae de animis earumque salute aeterna sollicita sit. Sed *requiritur quaedam mensura.*[9] In hoc decreto prae omnibus Ecclesia non debet roborare illam sententiam, nostra post-christiana aetate tam late habitam, quod religio optime per philanthropiam exprimatur, ita ut ea quae faciat homo maioris momenti sint quam quae credat. In nostro mundo occidentali et in non-christiano, *et etiam forsitan in toto mundo,*[10] magna *exstitit* [11] confusio inter agenda et credenda. *Non amplius agitur, nostris diebus, de fide sine operibus, sed de operibus sine fide.*[12] Si quaeris ab homine huius temporis quid credat respondet explicando quomodo se gerat. Aliter Ecclesia se ostendere debet: *fidem Christi praedicare eius officium primarium est.*[13] Finis Ecclesiae est ut homines meliores efficiat, non solummodo magis prosperos. *Ut dicam anglice*: *"That men should be better and not better off"; etiam gallice* [14]: « Son objet est d'abord le bien des hommes et non seulement leur bien-être ».

Proinde duobus modis decretum firmius magisque perspicuum efficiendum est:

1. Fortiter asserere debet fundamentum omnis vitae socialis esse revereri iustitiam, sive individua sit sive domestica, nationalis vel internationalis. *Reddere cuique suum* videndum est ut summum officium humanum. De hoc puncto Concilium sequi debet exemplum Encyclicarum *Pacem in terris.* « Remota iustitia — *ut notavit* [15] Augustinus — quid sunt regna nisi magna latrocinia? », *et ita fere de omni humana consortione.*[16]

2. Concilium oportet roborare illud dictum in prooemio quod homo ipse, et cuncta quidem creatio, nihil significat nisi referatur ad aeternitatem et finem ultra hanc vitam positum. Homo nullam plenitudinem habet nisi in Deo per Iesum Christum. ...[17] In optimis *quidem* [18] adiunctis temporalibus *et etiam spiritualibus,*[19] manemus exsules filii Hevae, gementes et flentes in hac lacrimarum valle. Et usque ad adventum Domini ita manebimus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] inter omnia acta Concilii secundum locum, ut vi-

detur, occupare potest. Sine dubio a catholicis simul et acatholicis per totum mundum exspectatur. Una cum decreto *de Ecclesia* duplex constituet. [2] desideratum. Hoc. [3] deest. [4] Officium. [5] deest. [6] (quantum fieri potest). [7] deest. [8] matrimonio christiano. [9] deest. [10] deest. [11] est. [12] deest. [13] deest. [14] Ut Gallice dici potest. [15] ait S. [16] deest. [17] Etiam. [18] deest. [19] deest.

15

EXC.MUS P. D. RAPHAËL BARBIERI

Episcopus Cassanensis

Em.mi Praesides, Moderatores, venerabiles et fatigatissimi Patres, dilectissimi Fratres,

Schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* in exemplum cuique subiicit quantum studium quantamque curam Ecclesia, matris amore concita, hac peculiari rerum tempestate, in suis muneribus obeundis, ipsa consumet; quam ob rem Concilium optime necessitati inservit, cum illud statuere placuit, ut de hoc argumento tum quaereretur, cum ad laborum nobilium finem ipsum pergeret. Necesse enim erat omnium rerum summam facere, quae in Concilio disceptatae sunt et in concreto Ecclesiam animam esse mundi, hoc schemate probare.

Quoniamque, ut certae et definitae nostrae aetatis quaestiones essent, oportuit ipsae reapse declararentur, idcirco ad id sese Ecclesia penitus dedit, ut summa matris sollecitudine, populorum, qui ubique sunt, et necessitates et animi aegritudines vel gaudia, et processus effectos et aegrimonias, denique omnia sperata non modo conquireret, verum etiam, animo materni amoris pleno, comprehenderet.

Enimvero siquidem de nuntio tanti momenti agitur, qui ad universos homines spectat; tum vero mihi malorum causa haud tota existimata videtur — quam quidem in schemate cernimus — si illud exquirere praetermissum est quod aetatis nostrae summa est carentia, i. e. sensus Divinitatis perditus et quae, temerario modo praedicatur, Summi Dei scientifica negatio! Neque vero ambigitur, quin disciplina Deum spernentium, quae Atheismus appellatur, apud plurimas hominum societates, publice confirmata, praedicata denique observata, turpissimum huius aetatis dedecus, summaque in Deum iniuria sit dicenda, nihil aliud est enim nisi Deicidium *in intentione,*[1] quod facinus, haud minori atrocitate foedatum, est habendum, quam crimen de quo nonnulli qui in hac aula sunt locuti — maxima cum christianitatis admiratione —

Hebraeos purgare conati sunt ...[2]. Quam recentiorem Deicidii doctrinam, et eam quidem perpensam, imperturbatam, praeceptisque ordinatam, qui profitentur, eo animos ipsi intendunt atque defigunt, ut omnium gentium societates impie erudiant. Quid? Huiusmodi consceleratum consilium, nonne impiam fraudem longe multumque superat, qua, rerum humanarum principio, adversarius ille diabolus, dolis instructissimus, hoc tantum in mente atque oculis primorum parentum, illecebris usus, posuit, hominem Dei similem fieri posse? At hominum enim primus proditor malorumque suasor, nequaquam Deum esse negavit. Exsuperant hodie athei profecto mores quoque insipientis de quo in Ps.: « Dicit insipiens in corde suo: non est Deus! »...[3] At vero nunc unum omnium crimen gravissimum est conceptum quando quidem, quo vehementius in Divinitatem inveheretur, velut quod atramenti flumen sunt qui profuderint et chartarum cumulum coacervaverint, denique maiores sumptus, quam qui aestimari possint continuo effuderint. Quod quidem calamitas praecipue est *iuventutis,*[4] cui cuncta, quae in caelis sidera fulgent, sunt penitus exstinguenda!

Verum est quod finis, quem sibi Concilium proposuit, est potissimum pastoralis, nec ad dogmatizandum spectat, sed pessimum cuique exemplum praeberet, nisi saltem in schemate, quo huius aetatis necessitates universae investigandae continentur, quibus idoneum subsidium est afferendum, Concilium de eo crimine silentium teneret, quo nihil teterrimum atque immanissimum esse potest, hoc est: Deum, scientiarum Dominum, scientiarum specie adhibita, negare!

Quod si tempus fuit, cum Ecclesia sibi opus esse autumavit, rei christianae causa, bellum suscipiendum esse ut Divinum Sepulchrum liberaretur, et id bene meritum dumtaxat quod Christi Mortui corpus attigisset, quid est cur, qui nunc huic Concilio interfuimus, ut quae permagni sint momenti studiose conquirerentur, nihil nobis esse animadverterimus quod proprium sit Dei defendendi; illud, nempe, voce tranquilla, apta, solemni asserere: Est, est Deus in Israël; est Deus in mundo! Nam « Magnus Dominus et laudabilis nimis » ...[5]; et non pudica, uti ita dicam, de Atheismo notitia, prout in schemate!

Quoniamque eodem schemate quae propria sunt nostrae aetatis continentur, et ea quidem aut accipienda, aut refutanda, idcirco eiusdem in prooemio schematis, inter ea quae sunt refellenda in medio adducatur et damnetur hoc foedissimum nostrae aetatis scelus, quod, quippe cum potentius sit quam roboris atomici ictus (« bomba atomica ») extremo exitio hominum societates involvit: id est *atheismus* theoricus et practicus!

Etenim siquidem in cap. IV schematis « de cultura rite promoven-

da » agitur, nihil impedit quominus quae vere scientia aestimanda scite declaretur, scientia nempe quae per se ipsa neminem a Deo abstrahat nedum Deum esse neget. Orbis enim terrarum homines magno horrore, tum sunt perfusi, cum quoniam cimbae velivolae (« sputnick ») inter stellas erraticas irruerant, propterea quidam ausi sunt asserere nullum Deum, in caeli spatiis, esse repertum! Tum vero Summorum Pontificum vox intonuit, quae tam impia dicta reprehendit; sed tamen, proh dolor!, huiusce nostrae aetatis, quae ad curam vel societatis, vel reipublicae, vel dispensationis pertinent, haud secus ac si Deus non esset composita sunt! Has res, dictu incredibiles, hominum familiae sequuntur, uti omnes cotidie experti sumus, ad communem, extremam ruinam eorum praeceptorum, quibus hominum consocietas firmiter componitur, quia ut Psalmista ait: « Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laborant qui aedificant eam » ...[6]. Si igitur omnem spem homines abiecerunt, quem ad modum brevibus in schemate perstringitur, hoc nihil aliud esse potest, nisi quod Summum Bonum ipsi amiserunt, quippe cum idem vel aperte negavissent, vel oblivione contempsissent, vel millies prodidissent, etiam cum eius propugnatores esse necesse fuisset.

Moderator: exc.me Domine...

Orator: Quam ob rem, *ad conclusionem*[7]...

Moderator: ... tempus tuum exhaustum est, etiam nostrum.

Orator: ... equidem, qui minimus sum apostolorum, obtestari atque rogare audeo ...[8] Conventum hunc Sanctissimum, ut Concilium ad suam dignitatem Divinum Decus restituat, quod praesertim hisce proximis annis, ab iis qui Atheismum ubicumque terrarum praedicant stultissime...[9]

Moderator: Exc.me Domine, finias!

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] dico Hebraeos qui Christum, sacris testantibus Scripturis, cruci affixerunt! [3] (*Ps.* 52). [4] iuventae. [5] (*Ps.* 47, 1). [6] (*Ps.* 125, 1). [7] deest. [8] una cum exc.mo qui me praecessit. [9] contemptum videmus. Deinceps censeo ut totum schema in quemdam nuntium convertatur, quo Concilium extrema sua praecepta hominibus proferat, quibus incitentur ut ad pedes Summi, Aeternique Dei sese prosternant, quia « Regi saeculorum invisibili et immortali, soli Deo honor et gloria. Amen ». Vivat, vivat, vivat Deus in aeternum.

Moderator: Crastina die erit congregatio proxima, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CVIII

23 octobris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CVIII

23 octobris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Moderatur 108 congregationem generalem em.mus ac rev.mus card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

In hac congregatione distribuetur relatio super schema emendatum propositionum *de religiosis,* quod nunc inscribitur *de accommodata renovatione vitae religiosae.* Simul datur Patribus aliquis appendix adiunctus schemati propositionum *de religiosis,* sed materia discussionis et suffragationis iam contenta est in schemate distributo; propositiones sunt discutiendae et suffragandae, non appendix, uti patet. Est documentum quod distribuitur.

Et lego nomina eorum qui verbum facere postulaverunt circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* circa principia generalia.

Exc.mi DD. Raymundus Tchidimbo, arch. Konakriensis in Guinea; Franciscus von Streng, ep. Basileensis et Luganensis in Helvetia; Benedictus Reetz, sup. gen. Congregationis Beuronensis O.S.B.; Paulus Yüpin, arch. Nanchimensis in Sinis; Raphael Gonzalez-Moralejo, ep. aux. Valentinus in Hispania; Villelmus Bolatti, arch. Rosarien. in Argentina; Iustinus Darmajuwana, arch. Semarangen. in Indonesia; Ioseph D'Avack, arch. tit. Leontopolitanus in Pamphylia, in Italia; Angelus Fernandez, arch. coad. Delhien. in India; Franciscus Marty, arch. Remensis in Gallia; Marcellus Gonzalez, ep. Asturicen. in Hispania; Petrus Čule, ep. Mandetrien. in Jugoslavia; Remigius de Roo, ep. Victorien. in Canada; Ioannes Zarranz, ep. Placentin. in Hispania; Hieronymus Podestà, ep. Avellanedien. in Argentina; Michael Browne, ep. Galvien. in Hibernia; Hermannus Volk, ep. Moguntinus in Germania; Gabriel Garrone, arch. Tolosan. in Gallia; Ludovicus La Ravoire, ep. Krishnagaren. in India; Placidus Cambiaghi, ep. Novariensis in Italia; Leontius van Peteghem, ep. Gandaven. in Belgio; Paulus Hnilica, ep. tit. Rusaditanus in Italia; Marcellus Lefebvre, arch. tit., sup. gen. Congreg. Spiritus Sancti; et satis.

Nunc, Patres venerabiles, velitis, arrectis auribus, audire.

Sanctissimus Dominus statuit finem faciendum esse huius sessionis die 21 novembris proximi. In hac die duo habebuntur sollemnes cele-

brationes: mane, in hac Basilica Vaticana, in qua Sanctissimus Dominus Missam celebrabit cum 24 Patribus Sacri Concilii, in quorum ditione sunt praecipua Sanctuaria Marialia. Et post meridiem habebitur alia sollemnitas, alia sollemnis celebratio, in Basilica S. Mariae Maioris, praesidente Summo Pontifice, ad quam sicut ad celebrationem matutinam, omnes Patres Sacri Concilii convocantur.

Ergo haec sessio clauditur patrocinio dulcissimae Matris nostrae.

Haec mirans, Patres, tenui haec meditabor avena:
Concilium celebrat magna pietate Mariam;
Concilio Genetrix lene recludat iter.

Quibus auxiliis, Patres venerabiles, Deo imprimis protegente et operam praestantibus commissionibus, in id auxilium ferentibus peritis quorum haud pauci silentio et labore de Concilio optime meriti sunt [*plausus*], spem fovere licet fore ut quam primum huic congregationi generali proponantur textus iam discussi et suffragationi subiecti, definitivae suffragationi subiciendi, ita ut possit postulari a Sancto Domino publica sessio. Rogamus vehementer commissiones ut in hoc nos enixe adiuvent et grati omnes iisdem atque peritis erimus.

Aliud addo, minoris quidem momenti. Cum nesciam praecise quaenam sint habitationes rev.morum parochorum, qui invitati sunt in hoc Concilium, invitamentum ex hoc ambone eisdem facio, ut feria II proxima, velint convenire in domum a Sancta Martha, hora 16,30, ut fraternum colloquium instaurare possimus. Est invitamentum quod facio ex ambone non solum ad demonstrandum affectum, quem omnes Patres habent erga parochos, sed etiam quia hac ratione facilius agitur.

Alia sessio huius Ss. Concilii habebitur cum SS. Dominus eam constituerit.

Moderator: Antequam incipiamus discussionem, rogantur enixe Patres ut, ex rationibus obviis, durante discussione, ne faciant plausus.

1

Exc.mus P. D. RAIMUNDUS M. TCHIDIMBO
Archiepiscopus Konakriensis

Em.mi Praesides et Moderatores, Patres et Fratres carissimi,

Habete me excusatum si, cum sinceritate, dico hoc schema mediocriter mihi placere. Veritas uti veritas non est tenera; sed ea est via regalis, quia liberat nos.

Viam quidem syntheticam quaesiverunt auctores, sed — ut mihi vi-

detur — non potuerunt synthesim facere de problematibus in universo orbe tam dissimilibus.

Schema pro Europa, forsitan pro America, conceptum videtur, sed non satis pro tertia parte mundi.

Homines ad quos dirigitur clare enumerantur: primum catholici, deinde omnes habitantes terrae. Ego quidem Africanarum gentium difficultatum mentionem non legi, quae sunt subevolutio (le sous-développement), colonisatio, discriminatio ex stirpe seu colore; et non amplius structurarum societatis novellae descriptionem.

Imprimis: sub respectu societatis nostri temporis dicam: in hoc schemate homo non consideratur in collectivitate, i. e. in suis socialibus mensuris. Nec socialisatio, nec socialis vocationis hominum ambitus asseritur.

Attamen, ut aiebat em.mus card. Suhard: « la société présente se caractérise par un fait nouveau et universel, la socialisation... L'homme est beaucoup moins seul en face de son destin: moins seul pour le méditer, moins seul pour vouloir et choisir. La cité contemporaine est une cité complexe. Il n'existe plus d'individus autonomes; chacun appartient à un milieu qui a ses coutumes, ses impératifs, ses mythes » (*Le Prêtre dans la Cité*).

« Id ipsum tamen, sicut dixit *Mater et Magistra,* partim ostendit partim consequitur eam animi inclinationem, qua homines sponte sua ad societatem inter se ineundam feruntur, cum de adipiscendis bonis agitur, quae quisque sibi animo proposuit, quaeque singulorum excedunt facultates ».

Cum autem Africani socialismi viae nunc delineantur, toti Africae placuisset notare Ecclesiam, in sua declaratione mundo, de socialisatione loqui cum vera attentione.

Secundo: si Ecclesia est pauper; et certissime pauper est; tamquam pauper, se definire debet; ut filii sui, tandem, liberentur de fumis « demagogiae » ...[1] circa problema paupertatis.

Evidenter, secundum mentem Evangelii, paupertas vera non est exterioris paupertatis fallax species; et pauperis species exhibere non praestat quam pauperis vitam agere.

Adhuc scimus quod Ecclesia est Mater pauperum; quare nunc schema nostrum subevolutionis problema non evocat in mundo huius temporis?

Haec gravis quaestio non est caritatis tantum quam Europa aut America erga Tertiam Mundi Partem manifestant sed quaestio de solidarietate inter universa generis humani membra. Hoc principium, opportune importuneque affirmari debet.

Ut ait S. Thomas Aquinas: « res quas aliqui superabundanter habent, ex naturali iure debentur pauperum sustentationi »...[2]

Tertio: Ecclesia Sancta, fuit, est et erit semper defensor libertatis, hominibus primi doni Dei. Nunc, in hoc schemate, cur hoc magnum silentium circa problemata colonisationis et discriminationis cum suis succedaneis quae sunt segregatio et Apartheid.

In factis, haec iniustitia apertissima est simul rubor nostri temporis et cancer fastidiosus societatis nostrae.

Temporales labores mere caritatis exercitio non reducantur. Maiorem enim significationem praebent; in mente S. Pauli apostoli sensum habent liberationis integrae pro mundo universo, omnibusque hominibus, etiam populis sub coloniali tutela adhuc viventibus.

Terra Africana Patres conciliares attendit, ut fortiter ius hominis libertatis delectationi affirment. Hoc solo modo, temporalis labor qui regnum venturum Christi praeparat atque hominum aspirationes christianae spei inire possunt.

Ad modum conclusionis, quaero ut schema, post disceptationem, profunde modificetur; et episcopi tertiae mundi partis aggregentur commissioni ad hoc opus electae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] nausabundae. [2] (II-II, 66, art. VII - respondeo dicendum).

2

Exc.mus P. D. FRANCISCUS VON STRENG
Episcopus Basileensis et Luganensis

Venerabiles Fratres,

Nomine Helvetiorum episcoporum sequentia proferre habeo.

...[1] Schema in genere placet: Schema *simpliciter reddere possibile esset* [2] duo tantum capita complectens. Primum contineat tria prima capita, scil. generalia, praesentis schematis, alterum tamen principiorum applicationem, quae nunc in quarto invenitur.

...[3] Insistere oportet in dignitatem creationis huius mundi, sicut e prologo S. Ioannis elucet. In illo opus creationis ex relatione ad ipsum ordinem trinitarium intelligitur. Talis conceptio biblica theologiae et spiritualitati hodiernae valde consona est.

...[4] Clare dicatur, hominem suo labore operi Dei creationis participare, ex quo iam magna dignitas hominis eiusque laboris desumitur.

Sicut tota materia in sua evolutione naturali ordinatur, etiam in sua perfectione technica ab hominibus ordinanda est, ut eos in perveniendo ad Deum finem ultimum adiuvet.

... [5] Momentum ordinis naturalis eiusque valor lucidius exponatur. Gratia enim supponit naturam, perficit et elevat.

... [6] In Christo opus creationis et redemptionis uniuntur. Pari modo in Ecclesia Christi, quae non tantum redemptionis opus assumit, sed et creationis promovet. Quare non dicendum est: « In privilegiis ab auctoritate civili oblatis Ecclesia spem nullam ponere » (pag. 13 ...[7]). Non de privilegiis, sed de toto ordine naturali in Christum ordinando agitur, qua ratione etiam societas civilis Ecclesiae aliena non est. Agitur de munere aliquo exercendo, non de privilegiis concessis. Ecclesia cum totam creationem in Christo amplectatur, omnes actiones humanas aliquomodo attingit eisque ad missionem ...[8] bene adimplendam indiget.

Liceat mihi, adhuc aliqua proprio nomine proferre. In schemate multa magni valoris, quae prudentia et sapientia fulcita promulgationis digna sunt, inveniuntur.

Attamen in eo aliqua etiam problemata per respectum, *v. g.*[9] ad matrimonium ...[10] tanguntur, quae tamen, ut puto, non sunt apta, ut in hac magna aula fusius tractentur. Sed necessarium mihi videtur, ut parvis coetibus in diversis conferentiis episcoporum et peritorum omni qua par est libertate opinionis *audacter* [11] tractentur. Ea quae eorum industria scientifica eruuntur, commissionibus respectivis, quibus de istis quaestionibus ex officio interest, tradentur. Nec Ecclesiae magisterio nec theologis, tales quaestiones sic dictas « cruciales » curae animarum omittere vel negligere licet. Permulti enim homines expectant *libellum ad res « au Concile du Vatican II au sujet des problemes de la famille et de la part d'un grand groupe international des laïcs catholiques »*, *expectant* [12] etiam coniuges, qui optimam suam dispositionem erga prolem generandam et educandam revera testimonio operis iam probaverunt, qui tamen gravibus ex rationibus salutis vel conditionis oeconomicae in magno conscientiae conflicto constituuntur. Tales in suis difficultatibus adiuvandi sunt etiam, ne fiduciam in Ecclesiam eiusque magisterium amittant.

Dico sequentes,[13] quae profero, in hoc ...[14] schemate omnino aperte disseratur.

...[15] 1. *De vita prolis nondum natae tuenda.* De vita prolis nondum natae tuenda in hac aula aliquando iam sermo fuit, necnon in hoc schemate loco citato hoc problema breviter tangitur. Haec tamen quaestio tanti momenti est, ut levis tantum allusio nullatenus sufficiat. Concilium, *ut puto,*[16] gravi obligatione tenetur, aperte et firmiter Ecclesiae doctri-

nam statuere, numquam nullaque ex causa licere, vitam prolis nondum natae directe laedere et artificialem praegnationis interruptionem *properare.*[17] Quod omnino valet, etsi leges civiles talem interruptionem permittunt, nullis poenis eam subicientes. Inveniuntur regiones altioris civilisationis, in quibus hoc crimen ita invalescit, ut pernicies fundamentalis, simul cum divortio, evadat. Statistica evincit, numerum artificialis...[18]

Moderator: Exc.me Domine, videas forsan ne intres nimis in particularia, quae pertinent ad cap. IV.

Orator: Utique.

2. *De vita tuenda in communicatione publica...*[19] Concilium aliquid etiam dicat de tuenda vita, quae hodie multis periculis gravibus in viis publicis subicitur, cum communicatio inter homines mediantibus vehiculis vi automatica vectis de die in diem augeatur. Quot homines factis sinistris in via contingentibus morte rapiuntur! Quod detrimenta corporis gravissima patiuntur, quibus postea totam per vitam laborant! Quantus dolor et luctus tot familias exinde afficit! Tales eventus maxima ex parte ex culpabilitate humana eveniunt.

Qua de causa necessitas urget, ut etiam his in rebus formationi conscientiae magis ac magis praevideatur.

Iam ille, qui in dubio facti vitam proximi vel propriam periculo exponit, gravi peccato oneratur.

Aestimamus, in hac materia praescripta civilia *ad securitatem vitae tuendam* [20] non pertinere ad genus sic dicti legis mere poenalis, sed proprie conscientiam hominis graviter obligare.

...[21] 3. *De vita oeconomica et sociali.* Breviter. Expositio principiorum generalium placet.

Attamen Ecclesiae magisterium praecisius explicare deberet, quomodo in rebus oeconomicis conscientia formanda sit.

Omnes scitis, quantum amoralitas in negotiis oeconomicis divulgatur ...[22]. Quod tanto peius evadit, cum tales occupationes magnam vitae partem hominum in mundo huius temporis adimpleat. Quot discordiae, quot immo crimina, quantae miseriae ex praedicta immoralitate oriuntur.

Moderator: Exc.me Domine, totum tempus tuum exhaustum est.

Orator: Concludo. S. Paulus admonet: « Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus »...[23]

Insuper idem apostolus avaritiam simul cum luxuria simulacrorum servitutem appellat...[24]

Multi homines optimae dispositionis negotiis addicti non raro in dubio versantur, quae sint licita an non.

Sacrosancta Synodus admoneat theologiam moralem docentes, ut istis rebus hodie valde complicatis accuratius et profundius studeant, simul cum competentibus laicis.

Numerosi exsistunt libri ad formationem conscientiae de sexto decalogi praecepto quoad septimum autem magna penuria deploranda est. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Primo in genere. [2] simplicior reddatur. [3] Secundo in specie. a) Ad cap. I. [4] ad n. 7, pag. 9. [5] Ad n. 9, pag. 10. [6] b) Ad cap. II, n. 12, pag. 12. [7] linn. 3-4. [8] suam. [9] deest. [10] et familiam. [11] deest. [12] Ecclesiam ad istas quaestiones responsuram esse, praesertim. [13] De sequentibus autem. [14] ipso. [15] Ad n. 20, pag. 22, linn. 23-24. [16] deest. [17] procreare. [18] interruptionis praegnationis et abortus in aliquibus populis numerum prolis natae adaequare, immo aliquando superare. Indicatio sic dicta medicinalis, saepe ut praetextus nominata, talem abusum criminalem legitimare nunquam valet. Cui addendum est, talem indicationem in regionibus altioris civilizationis vix adhuc inveniri, cum enim scientia medicinalis permagnam evolutionem subierit et cura pro matre ac prole summam perfectionem attigerit, etiam cum operibus caritatis pro matre indigente. Concilium oecumenicum firmiter insistat in clarissimam constantem Ecclesiae doctrinam, necationem directam prolis in matris utero exsistentis, interrumpendo praegnationem, nunquam esse licitam, cum Deus solus vitae ac mortis sit Dominus. Paena a Codice Iuris Canonici pro tali crimine statuta ut signum eius gravitatis ne aboleatur. Attamen maioris momenti ad hoc crimen oppugnandum et exstirpandum est formatio et correctio opinionis publicae, quae magna ex parte in hac re graviter deficit. Quicumque pro formatione conscientiae aliorum vel pro bono publico responsabilitate gravantur, officium iniunctum constanter et firmiter adimpleant. Coniuges imprimis ipsi clare instruendi et admonendi sunt. [19] (ad pag. 22, locum indicatum). [20] in genere. [21] Ad n. 23, pag. 26. [22] ita ut apud multos homines successus in rebus temporalibus mensura omnium valorum esse videatur. [23] (*1 Thess.* 4, 6). [24] (*Col.* 3, 5).

Animadversiones scripto additae:

Ad n. 21, pag. 22: *de dignitate matrimonii et familiae.*

Textus bene et sapienter compositus est.

Sed clarius inquirenda esse videtur in doctrina Ecclesiae quaestio proprie « crucialis » pastorum animarum, quomodo subvenire possimus generosis illis coniugibus, qui optimam suam dispositionem erga prolem generandam et bene educandam revera testimonio operis probaverunt, quibus tamen gravibus ex rationibus salutis vel conditionis oeconomicae vel socialis per annos augmentum familiae desiderandum non est. Methodus sic dicta Ogino-Knaus iuxta medicorum iudicium saepe non inservit. Licetne nobis tanquam *iure divino* (iure naturali?) iugum continentiae per annos protractae talibus coniugibus imponere? Quid respondemus sancto Paulo dicenti: « Nolite fraudare invicem, nisi forte ex con-

sensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram » (*1 Cor.* 7, 5)?

Unio coniugalis magnum in se ipsa valorem habet, sive ad amorem coniugalem fovendam, sive ad harmoniam pro puerorum educatione necessariam conservandam, sive ad tentationes superandas. Actus enim coniugalis — cui raro effectus procreationis sequitur — non sub solo procreationis aspectu, sed etiam in sua natura expressionis amoris considerandus est. Ex tali amore actus coniugalis evadit actus proprie personalis.

(In scriptis tantum adiungo emendationes sequentes: ad pag. 24, n. 4, lin. 2: Difficultatibus ibi enumeratis praeponatur illa ex salute proveniens. Item in lin. 28).

3

Rev.mus P. D. BENEDICTUS REETZ

Superior generalis Congreg. Beuronensis O.S.B.

Venerabiles Patres,

Tremens factus sum ego et timeo quia in hac aula Concilii hesterna die audivimus: « Inutile est consilium petere ab eis tantum qui in domibus religiosis, in seminariis, vel in universitatibus studiorum a iuventute manebant. Illustrissimi illi viri mundum vix cognoscunt in eius realitate cruda et interdum crudeli... ». Inter quos ego monachus et abbas, qui nunc cum magna scrupulositate loquor et anxietate, quia mundum vix cognosco; et ideo oportet mihi loqui simplex sicut columba et non sicut serpentes venenum aspidum sub labiis eorum habentes.

Forsitan etiam monachi illi quadraginta qui ineunte saeculo septimo a Gregorio Magno Pontifice maximo in Angliam missi sunt, ut ex Anglis Angelos facerent, ex quibus Augustinus factus est primus episcopus Anglorum, mundum *vix* [1] cognoverunt. Et crastina die Summus Pontifex Paulus VI, quem Dominus ad multos annos nobis conservare dignetur, in Monte Cassinensi, S. Benedictum monachum et abbatem, qui mundum vix cognoscebat, « Patronum Europae » declarabit.

Moderator: Ne fiant plausus.

Orator: Schema de quo sermo, mihi in multis valde placet et cum a commissione et peritis revisum fuerit, aliquam saltem perfectionem habebit. Periti qui in adlaborando schemate sudaverunt, ab ipso Sanctissimo Domino Papa nominati sunt. Timendi non sunt, immo diligendi et laudandi praesertim propter adnexa, ex quibus plurima in ipsum schema assumenda erunt. « Ecclesia Sancta Dei — ut audivimus hesterna die — multa gravia passa est propter scripta et dicta quorundam peritorum. Attamen hoc mirandum non est, quia examen conscientiae pro

multis hominibus passio est immo et tortura. Parati, immo paratissimi sunt periti observationes Patrum conciliarium, qui mundum melius cognoscunt, ut spero, in novum textum introducendi. Nunc ego audeo loqui quia etiam monachi aliquid dicendum habent « de Ecclesia in mundo huius temporis », *quamquam* [2] *fuga mundi* pertineat ad essentiam vitae monasticae. Tamen fuga mundi bene intellecta non est fuga Ecclesiae *eiusque apostolatus,*[3] sed potius econtra: mediante fuga mundi monachi inserviunt Ecclesiae in mundo etiam in mundo hodierno. Tota historia monachismi evidenter probat, quod ii qui ex una parte ex mundo aufugerunt, ex alia parte mundo maximo fuerunt emolumento tum quoad vitam Ecclesiae tum etiam quoad vitam sic dictam culturalem. Homines huius temporis cum omnibus suis problematibus ad monachos veniunt et, ut quidam dixit, monachus totum mundum in suis humeris sicut alius Atlas in praesentiam Divinitatis portat. Permittatis ergo mihi, venerabiles Patres, paucas animadversiones ad schema *de Ecclesia in mundo hodierno* quod mihi in genere placet valde, etiam et praesertim cum adnexis.

Prima animadversio scripto tradetur ne tempus perdam.[4]

Secunda animadversio. In prooemio dicendum esse mihi videtur quid significet terminus *mundus* secundum sacram scripturam. In sacris litteris enim hic terminus duplici sensu adhibetur.

In capite primo Geneseos saepius dicitur quod mundus, i. e. res creatae erant valde bonae.

Psalmista iterum iterumque extollit creaturas Dei dicendo e. g. « quam magnificata sunt opera tua Domine ».

De homine loquendo cantat idem Psalmista: « minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum » *etc.*[5]

His et similibus textibus sacra scriptura abundat. Sed et sunt alii textus librorum sacrorum ex quibus clare apparet mundum esse vulneratum, quod maxime in ipso homine manifestatur, cuius conditio primordialis per peccatum omnino est mutata in peius. Totus mundus comparari potest campanae diruptae vel pomo pleno vermibus et veleno.

« Invidia diaboli mors intravit in mundum » mors scil. ut paena peccati ...[6]. Nostris temporibus diabolus nec nominari potest, sed, venerabiles Patres, non tantum in Deum credimus sed etiam in diabolum immo et in diabolos quorum natura et officium est diaballein i. e. ordinem rerum perturbare et omnia convertere in *chaos magnum.* Abstrahere numquam possumus a *mysterio iniquitatis* quod etiam mundum hodiernum pervadit.

Est et mundus de quo Ioannes dicit: « et mundus eum non cogno-

vit » ...[7]. Est et mundus de quo Christus dicit: « non pro mundo rogo » ...[8]. Ne obliviscamur verbi S. Pauli ad Romanos: « Nolite conformari huic saeculo » ...[9] et illius Iacobi: « Religio munda et immaculata apud Deum haec est... immaculatum se custodire ab hoc saeculo » (*Iac.* 1, 27). Haec valent non tantum de religiosis, sed etiam de sacerdotibus et de laicis christianis. His textibus utique alii opponuntur, in quibus illud verbum illustratur quo in pervigilio Natalis Domini tamquam finis incarnationis Domini enuntiatur: « Volens mundum Deo consecrare ». Haec consecratio mundi, etiam hodierni, etiam saeculi vigesimi, per incarnationem in Nazareth incoepta a Christo Domino et per Christum in nobis et a nobis et in mundo omnium saeculorum est perficienda.

In Sacra Scriptura contraponuntur superius dictis sequentia: « Sic Deus dilexit mundum *etc.*[10] ». « Nunc iudicium est mundi, princeps huius mundi eicietur foras » ...[11]. « Non ego veni, ut iudicem mundum, sed ut salvificem mundum » ...[12]. « Confidite, ego vici mundum » ...[13]. « Ecce qui tollit peccatum mundi » ...[14].

Ex verbis citatis patet ergo Sacram Scripturam de mundo et de hoc saeculo duplici sensu loqui, nempe de mundo vulnerato, et de mundo consecrando in omnibus suis partibus. Et hoc clare exprimi debet in prooemio.

Tertia animadversio. In n. 22 schematis, pag. 25, lin. 20 et aliis in locis sermo est de recto valorum ordine, quin dicatur, quis sit iste rectus ordo.

Cum iste rectus ordo supponitur, mihi videtur quod in prooemio clare debet exprimi ordo hierarchicus valorum. Terminus valor ad philosophiam modernam reducitur, cum philosophia scholastica simpliciter pro verbo valor dicebat *bonum.* Sunt valores superiores et inferiores, temporales et aeterni, spirituales et corporales, biologici et oeconomici, aesthetici et morales, culturales et religiosi, qui ultimi primum locum tenent.

Ante omnia autem distinguendi sunt valores absoluti et relativi. Absoluti sunt ii qui immediate Deum et divina ut obiectum habent; relativi ceteri omnes.

Si quid in valoribus relativis boni invenitur, hoc ex eo provenit, quod bonum divinum participent.

Hoc in introductione ad schema semel pro semper et clare esset dicendum.

Unus valor alteri subicitur et saepe bonum minus sacrificari debet in favorem boni superioris, e. g. bona oeconomica et biologica, bonis spiritualibus et religiosis. Lex sacrificii pervadit totum ordinem valorum.

Quarta et brevis ultima animadversio. Philosophus ille et palaeontologus et poeta Teilhard de Chardin S.I. qui hodie in toto orbe terrarum praesertim in iuvenes magnum influxum exercet, certe, ut mihi saltem videtur non satis mentem suam vertit ad mundum peccato vulneratum. Multi ex vobis, venerabiles Patres, canticum eius pulcherrimum in laudem materiae cognoscunt, quod comparari potest cantico solis S. Francisci. Quamquam materia consecrata sit per incarnationem Domini tamen et ipsa ingemiscit sub mysterio iniquitatis crucis et mortis. Nescio quomodo mors, peccatum, diabolus et ipsa resurrectio locum habere possint in systemate ...[15] Teilhard de Chardin, cuius doctrina ut mihi videtur aliquo modo origenismum sapit, cum ex sua doctrina *Apokatastasin ton panton* deduci possit. Est optimismus exaggeratus qui vitari debet et vitatur in schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* quod valde laudandum est.

Concludo. Haec terra numquam paradisus erit, sed semper militia est vita hominis super terram. *Contra bellum aliasque calamitates semper nobis luctandum erit, sed in aevum usque ad finem saeculorum, dicente Domino, exsurgit gens contra gentem.*[16] « Mors et vita duello conflixere mirando, dux vitae mortuus regnat vivus ». « *Vivus* [17]...

Moderator: Rev.me Pater, realiter finias, quia tempus exhaustum est.

Orator: « Et haec est victoria quae vincit mundum ...[18] fides nostra ».

In textu scripto tradito: [1] non. [2] cum. [3] deest. [4] *Prima animadversio*: Legendo hoc schema neminem fugit latinitatem schematis omnino aliam esse ac in aliis schematibus. Hoc ex eo provenit quod, sicut aperte et candide fatetur relatio: « conventum est ut prima redactio lingua gallica fieret ». Oportet ergo ut optimus quidam latinista ex schola E. C. Bacci textum ita adaptet ut non sit dedecori huic amplissimo coetui. [5] et constituisti eum super opera manuum tuarum » (*Ps.* 8). [6] (*Sap.* 2, 24). [7] (*Io.* 1). [8] (*Io.* 17, 9). [9] (*Rom.* 12, 2). [10] ut filium suum unigenitum daret et omnes qui credunt in eum non pereant, sed habeant vitam aeternam » (*Io.* 3, 16). [11] (*Io.* 12, 31). [12] (*Io.* 12, 47). [13] (*Io.* 16, 33). [14] (*Io.* 1, 29). [15] philosophico. [16] deest. [17] « Victor quia victima » dicit S. Ambrosius. « Fulget crucis mysterium » etiam super mundum hodiernum, qui salvari non potest nisi in cruce D.N.I.C. in quo est salus et vita et resurrectio nostra. [18] (etiam hodiernum).

4

Exc.mus P. D. PAULUS YÜPIN

Archiepiscopus Nanchimensis

Venerabiles Patres conciliares et omnes alii dilectissimi in Christo,

Nomine *plusquam septuaginta* [1] Patrum conciliarium humiliter peto ut schemati *de Ecclesia in mundo huius temporis* addatur capitulum novum de communismo atheistico, vel saltem adnectatur declaratio solemnis circa istam ideologiam.

Rationes multae sunt, liceat autem mihi praesentare sequentes:

1. Ad perscrutandum signum temporum. Ecclesia non potest nec debet negligere quaestionem de communismo, qui est maximum et perspicuum signum nostri temporis, etsi infelicissimum.

2. Ad defendendam veritatem. Communismus est atheismus militans, materialismus crassus, uno verbo, cumulus omnium haeresium.

3. Ad vindicandam libertatem. Persecutio sanguinosa vel saltem legalis aut suppressio libertatis numquam deest, ubi communismus politice praevalet.

4. Ad confusionem dissipandam. Doctrina pacificae conviventiae, politica manuum extensarum, necnon communismus sic dictus catholicus, sat magnam confusionem generavit. Omnia apta sunt pro communismo ad creandam obscuritatem in mentibus christianorum, dubium vel saltem haesitationem. Nunc ergo requiritur claritas; *et ultimo* [2]:

5. Ad satisfaciendum exspectationi omnium populorum, praesertim illorum, qui sub iugo communistico gementes, dolores inenarrabiles iniuste patiuntur.

Propter has rationes supradictas et multas alias repeto petitionem nostram ut communismus atheisticus in nostro schemate aperte, clare, et complete tractetur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] plurium. [2] deest.

[*Subscripserunt*] Dominicus Lucas Capozi, arch. Taiiuanensis; Al. Derouineau, arch. Kunmimensis; Federico Melendro, arch. Ngankimensis; Aegidius Bignamini, arch. Anconitanus; Ioseph Oste, ep. Jehol; Petrus Tou, Hsinchu; André Vérineux, ep. Imcheuvensis; Hermenegildus Hintringer, praef. ap. Kiamusze; Dominicus Desperben, praef. ap. Hainan; William Kupfer, ep. Taichung; J. B. Velasco, ep. Amoy; Philippus Côté, ep. Süchow; René Boisguérin, ep. Suifu; E. Gabriel Quint; Henricus A. Pinger, ep. Chowtsun; Lucien Lacoste, ep. Tali; Petrus Massa, ep. Nanyang; Pacificus Pasini, ep. Sanyuan; Thomas Niu; Ioseph Kuo; Quintinus Pessers; Ignatius Krause, ep. Shunteh; F. G. Kramer, ep. Luanfu;

Vitus Chang; Thomas Newman, ep. Prome; Stanislaus Lokuang, ep. Tainan; Carlo van Melckebeke, ep. Ningsia; Ioseph Cheng; Victorinus K. Youn, ep. Suwon; L. Morel, arch. tit. Eno; Pacificus J. Vanni, arch. tit. Proconneso; Gaetano Michetti; Francis Zayek; Luis Sánchez-Moreno L.; Paul M. Kinam Ro, arch. Seoul; Ioseph Truong-cao-Dai, ep. tit. Sila; Petrus J. Han, ep. Jeonju; Ioannes B. Sye, arch. Taegu; Laurentius Bianchi; Angelus Cuniberti; Carolus Lemaire; Carolus M. Cavallera; Michael González; Victorius M. Costantini; Secundus Chiocca; Carolus Quintero Arce, ep. Vallipolitanus; Victorius Cecchi, ep. Forosemproniensis; Geraldus O'Keefe, ep. tit. Candida; Godefridus Okoye, ep. Portus Harcurtensis; Petrus N. Bantigue, ep. tit. Catula; Angelino Lovey, sup. gen. S. Bernardi; A. Mathias, ep. Chikmagalur; Gaetano Pollio, arch. Otranto; José Guad. Padilla Lozano, ob. Vera Cruz; Franciscus Charrière, ep. Laus., Gen. et Frib.; Tarcisius van Valenberg, ep. tit. Comba; John Romaniello; Albertus Deane, Argentina; Iulius Rosales, Philippines; Constantinus Luna, ep. Zacapá; Walter Coggin; Basilio Cristea, vis. gen. Rumeni; Pierre Bouckaert, év. Popokabaka; Petrus Sfair; G. J. Deschamps, praef. ap.

5

Exc.mus P. D. RAPHAEL GONGALEZ-MORALEJO

Episcopus tit. Dardanus, aux. Valentinus

Venerabiles Patres et adstantes omnes dilectissimi,

Nomine circa sexaginta episcoporum Hispaniae et linguae hispanicae, in Seminario Nationali, die 8 octobris coadunatorum, *necnon aliorum undeviginti ex diversis regionibus,*[1] haec ad schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* proponere velim.

1. Schema totum placet sed tantum iuxta modum *cum illud indigeat*[2] ut alte reformetur. Sed aliunde, id necessarium videtur tamquam fundamentum disceptationis, *quia*[3]

2. Momentum huius schematis extra controversiam est; at extollere liceat eius ingentem valorem tribus praecipuis aspectibus:

a) *In aspectu doctrinali et conciliari.* Sane meministis, venerabiles Patres, quomodo in postremis congregationibus generalibus I Sessionis huius Concilii, tres habitos esse memorabiles interventus ...[4]. Prior locutus est em.mus card. Suenens, proponens ...[5] ut omnes labores huius Concilii, quod ipse vocavit « Concilium de Ecclesia », ordinarentur circa duo centralia argumenta: De Ecclesia ad intra, et De Ecclesia ad extra.

Postridie, qui tum erat em.mus card. Montini, nunc Papa Paulus VI, feliciter regnans, rogabat Patres ut « peculiari diligentia considerarent ea quae em.mus card. Suenens hesterna die tam perspicue exposuisset ...[6].

Et addidit: « Quid est Ecclesia? quid agit Ecclesia? Hi sunt veluti duo cardines circa quos disponi debent omnes quaestiones huius Concilii ».

Denique, in postrema congregatione generali, em.mus card. Lercaro, plene adhaerens propositionibus factis a prioribus purpuratis, rogabat ut omnis Concilii conatus volveret circa mysterium Ecclesiae in se ipsa consideratae et in eius actione salvifica circa universum mundum.

Iam vero, schema nostrum ...[7] respondet potissimum alteri ex his aspectibus fundamentalibus totius rei tractandae ...[8]. Tractat enim doctrinam de mysterio Ecclesiae, quam consideramus in eius missione salvifica circa hunc mundum in quo pauperes, bonis tum materialibus tum spiritualibus, iuxta desideria card. Lercaro, primi habendi sunt in nostra consideratione.

b) *In aspectu pastorali.* Exsistunt hodie hominum non christianorum plus quam duo millia et quadringenta millia millium qui non sciunt qualis sit vera Ecclesiae natura: qui eam reputant tamquam institutionem humanam atque, intuitu nimis superficiali et humano, considerant tum eius historicam magnitudinem atque potentissimam organizationem, tum ingentem eius influxum in cultura ac vita hominum et populorum per viginti saecula, tum etiam *eius*[9] defectus, errores, divisiones, immo et peccata eius membrorum. Inter ipsos quoque christianos, plurimi sunt, ne dicam maior pars, qui vel quia non sufficienter sunt instituti, vel quia practice vivunt procul ab Ecclesia et forsitan in ipsam cum amaritudine respiciunt, tantummodo eius exteriorem aspectum intuentur.

Et tamen, omnes, hi et illi, mensura tamen maiore vel minore, praesentiunt inveniri in Ecclesia inexhaustum fontem spei, responsionem magnis hominum problematibus, mysterium altissimum vitae salvatricis. *Sed*[10] certum ac tutum habere debemus hunc textum quem hic redacturi sumus, diu esse legendum, inspiciendum, disputandum ab hominibus millium millibus...[11]

Iam vero, huic ingenti multitudini hominum qui Christum non noverunt, hoc schema nostrum constituet veram praeparationem in fidei praeambula, atque instrumentum pastorale summi momenti, quod plurimis christianis, vel tepidis vel non satis dignitatis suae consciis, reddet fiduciam erga Ecclesiam et Iesum Christum.

c) *In aspectu oecumenico.* Actio Ecclesiae circa mundum offert infinitas fere opportunitates cooperandi cum aliis membris aliarum communitatum ab Ecclesia catholica *separatarum,*[12] quae eumdem Iesum Christum adorant propriamque vitam et actionem instituere conantur iuxta principia revelata. Et quoniam magna pars principiorum, quae in hoc schemate inspiciuntur sub lumine fidei fundamentum habet in ipsa

lege naturali, cuius lumine incedunt homines omnes bonae voluntatis, qualiscumque est eorum religiosa confessio, evidens est nostrum schema praebere posse Ecclesiae solidum fundamentum ad dialogum et ad collaborationem in construendo mundo magis christiano.

3. Nihilominus agnoscendum est textum huius schematis variis defectibus inquinari, *quos hic enumerare non audeo quia iam satis de illis dictum sit. Tamen:* [13]

4. *Animadvertere oportet* [14] confectum esse hoc schema properanter nec sine obstaculorum mole: id magna ex parte explicat defectus quibus inquinatur. Qui noverit *totam* [15] historiam huius textus atque prae oculis habeat implexissimam esse hanc materiam, quae nova est in litteratura conciliari, et cuius enuntiatio accurata desiderat contributionem tum theologi, tum moralistae, tum historici, tum scientifici, tum sociologici, *tum hominum experientiam habentium in diversis campis vitae humanae, idemque* [16] reputet difficultates quibus obviam eundem fuit iis qui in ipso lucubrarunt, ab ipsis initiis quo constituta est subcommissio centralis mixta (cum specialis commissio ad hoc deesset), non stupebit ullo modo cum audiat textum hunc quem consideramus, abesse longe a perfectione.

5. Quo ergo efficaciori modo perficiatur, proponimus:

1) Ut tempus detur sufficiens ut schema hoc in aula excutiatur debita amplitudine.

2) Ut absoluta disceptatione, remittatur denuo commissioni ad hoc condendae, in quam confluent membra numero plus minus eodem ac pro aliis commissionibus conciliaribus, qui possint tantum laborem inter se per partes distribuere ac totum submittant *soli* [17] uni praesidentiae, ita ut coordinatio laborum quam expeditissima evadat.

3) Ut ad collaborandum invitentur in hoc opus periti, ecclesiastici et laici, qui non solum speciali *in variis disciplinis* [18] praeparatione commendentur, sed repraesentent quoque nationes diversas et diversa rerum adiuncta.

4) Ut hoc schema ad duas partes fundamentales reducatur: doctrinalem aliam, quae organice recipiat quantum validum est in schemate actuali ...[19] aliam vero pro applicatione practica ad problemata magis vitalia mundi hodierni.

5) Ut denuo redigantur « adnexa », idque, si necessarium fuerit, concesso redactoribus ampliore temporis spatio: ii autem per coetus laborare poterunt, quorum pars erunt Praelati et periti non exiguo numero, simili modo ...[20] ac dicebamus de redigendo ipso schemate, in propositione 3.

6) Ut denique suo tempore edantur haec « adnexa » praecipuis linguis vernaculis, ut talia adnexa quidem, sed quoque ut fructus unius eiusdemque laboris conciliaris, quo melius illustrentur ea argumenta concreta quae in secunda parte tractabantur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Atque nemini mirari licet non plane recipi prout iacet, cum ipsa commissio quae illud redegit, fateatur indigere ipsum. [3] cum sit tanti momenti et contineat copiosam ac validam doctrinam quae positive perficietur Patrum consilio. [4] qui omnes proponerent ut aliter digererentur schemata iam parata a commissionibus praeparatoriis, imminuto illorum numero. [5] et quidem verbis ipsius Papae Ioannis, immortalis memoriae, ex oratione diei 11 septembris 1962. [6] de fine huic universali synodo proposito, et de ordine logico ac congruentiae argumentorum in ea tractandorum ». [7] *de Ecclesia in mundo huius temporis,* inde a fine huius primae sessionis inscriptum inter tractanda in Concilio. [8] scil. agit de missione Ecclesiae ad extra, respondendo quaestioni « quid agit Ecclesia? ». [9] deest. [10] Spes ergo et attentio totius mundi, quam potentissima communicationis socialis instrumenta movent et augent, pendet hodie exspectatione maxima, ab hoc schemate atque. [11] qui accurate inspicient simul in ipsum textum et simul in quotidianam praxim christianorum, in iis rebus quae sese referunt ad mundum ad quem pertinent. [12] seiunctarum. [13] inter quos praecipui sunt qui sequuntur: *a*) Sermo latinus in pluribus deficiens, praesertim in stylo nimis ecclesiastico, unde procul est ab intellectione et a cultura hominum nostri temporis ad quos dirigitur. *b*) Coacervatio, in pluribus locis, citationum S. Scripturae parvi valoris probandi, quae etiam interea supervacuae sunt ad probandas veritates evidentes simplici rationi. *c*) Tonus concionatorius, admonitorius, pessimismo inquinatus et moralizandi cupidus, psychologice parum aptus ad finem pastoralem quem prosequimur. *d*) Ordo qui parum iuvat efficacitati paedagogicae, etenim potius quam initium sumere a conspectu totali ordinis naturalis et supernaturalis ut distinguat deinde utrumque ordinem, incipiendum esset a valore ordinis naturalis in se ipso, quatenus propriis legibus a Deo positis respondet, ut inde transitus fiat ad harmoniam illius ordinis cum ordine supernaturali: hinc homo duci poterit ad necessitatem gratiae in ipsa constructione mundi. *e*) Sine necessitate insistitur circa ideas doctrinales quae brevius enuntiari possent, evitata molesta repetitione. Sane schema informari debet conceptu theologico, sed ut est eius natura ac finis, eo erit efficacius quo magis exponere curet veritates et normas morales rationi naturali pervias, licet easdem contempletur, ut convenit, sub lumine fidei. *f*) Aliunde, nullibi reperitur sufficiens argumentum quod demonstret hominem contribuere operi Dei in construendo mundo, quem ipse creavit et redemit in Christo sub actione Spiritus, licet id homo non animadvertat. [14] Animadvertendum est. [15] completam. [16] cum prae oculis habenda sint humana, oeconomica et culturalia facta omnis generis qui denique. [17] deest. [18] deest. [19] sublatis defectibus et additis quae Patres suggesserint. [20] selecti.

[*Subscripserunt*] B. Piñera C., ob. Temuco; Eloy Tato, ep. tit. Cardicio; James Ryan, ep. tit. Margo; Iosephus de Aquino Pereira, ep. Prudentipolitanus; Laurent Nagae, ep. Urawa; Paulus Vignancour, ep. Valentinensis; Victor J. Reed,

ep. Oklahomapolitanus et Tulsensis; Michael Moloney, ep. Bathurstensis in Gambia; Bruno Pelaia, ep. Tricaricensis; Alfred Atton, ep. Langres; Jules Puset, ep. Tamatave; Dan. Stuyvenberg, vic. ap. Salomon. Merid.; Wenceslaus Wycisk, ep. tit. Caesareae in Numidia; Julius Angerhausen, ep. aux. Essen; Benignus Chiriboga; Alfonsus Niehues, ep. tit. Eurea di Epiro; J. De Kesel, aux. Gandavensis; Ignatius Phakoe, ep. Leribensis; Fernando Romo G., ob. Torreón.

Textus additus:

Hisce foliis ad vos remitto *novam redactionem prooemii et trium priorum capitum schematis XIII*. Iuxta ea quae nomine circiter 80 Patrum legi in aula feria VI 23 octobris, haec nova redactio capp. I, II, III, concepta est per modum unius capitis, quod partem primam seu doctrinalem totius schematis constituet, relicto cap. IV tanquam secunda parte ipsius schematis ad problemata concreta ordinis practici destinata.

Nova redactio quam commissioni submitto, comparata est post accuratum studium totius schematis et mutationum commissioni scripto traditarum, saltem usque ad initium disceptationis schematis XIII in aula, non neglectis animadversionibus eousque a Patribus ibidem prolatis.

En principia quibus nova lucubratio nititur:

a) Conservatio textus a commissione propositi in illis omnibus quae mea sententia conservanda videbantur, quae quidem non pauca sunt.

b) Suppressio omnis repetitionis conceptus, nisi necessaria videretur.

c) Ordinatio idearum modo magis paedagogico atque organico.

d) Additio paucarum paragraphorum, ut quaedam necessaria adiungerentur.

e) Magis accurata redactio latina, non tamen ultima manus imposita. Peritior latinista arcesseretur cum totum schema ad unitatem styli et ad perfectiorem formam redigendum esset.

f) Omissio quantum fieri potuit, toni concionatorii, admonitorii, moralizantis.

g) Aequilibrium conveniens inter fundamenta stricte theologica, luce revelationis cognita, et ea quae rationi et legi naturali fulciuntur, ita ut doctrina schematis non solum christianis sed hominibus rectae intentionis pervia sit.

Postremo, ut clarius intellegatur quomodo textus qui hic proponitur confectus sit, infra explico quales sint partes ex novo redactae, quales vero sequantur textum a commissione propositum, cum indicatione locorum unde superstites paragraphi proveniunt:

Prooemium.

1) Introductio (ex novo).
2) Quos Concilium alloquatur (desumptum ex n. 3, sed mutatum).
3) Finis huius schematis (ex novo).
4) Christus Lux mundi (idem textus ac in schemate).
5) Divisio schematis (ex novo).

Pars prima

6) Introductio. - Ecclesia signa temporum perscrutatur lumine fidei (sumpta ex n. 2 schematis propositi, sed aliquantum immutatum et nonnullis additis, praesertim in fine, ubi transitus fit ad duo puncta doctrinalia quae sequuntur).

7) De vocatione integra hominis (desumptum ex n. 5, parum, et, aliquantum magis, ex n. 6: sed utrumque permutatum. In fine additur parva pars ex n. 9).

8) De conceptu mundi in Christo Iesu (paragraphus totaliter nova).

9) Vera constructio civitatis terrestris indiget Christo Salvatore mundi (desumptum partim ex nn. 7-8, sed satis immutatum).

10) Aedificatio communionis christianae in spiritu paupertatis (paucum omnino ex n. 9, reliqua ex novo).

11) Genuinus dialogus inter Ecclesiam et mundum (ex novo: desumptum ex « Ecclesiam suam »).

12) Ecclesia et mundum mutuo invicem adiuvant (desumptum ex nn. 13-14, aliquibus suppressis, aliquibus mutatis).

13) De munere Apostolorum et successorum Pastorum (desumptum ex nn. 11-12, sed addita introductione quae transitum ex num. praecedente explicet, mutatis vel suppressis deinceps quae mutanda vel supprimenda visa sunt).

14) De laicorum responsabilitate (sumptum partim ex n. 14, pag. 15, linn. 25-41, partim ex n. 15: dein ex n. 16, permutato, et minimum quid ex nn. 17-18).

Prooemium

1. *Introductio.* Sub lumine Revelationis perspectis singillatim omnibus quae ad renovationem Ecclesiae spectant, in eius constitutione interna, in cultu, in structuris fundamentalibus, in missione denique salvifica atque oecumenica quam Iesus Christus eius conditor ei concredidit, convertit haec Sancta Synodus oculos et cor ad mundum, id est, ad universa humanae familiae membra, cum eius gaudiis et anxietudinibus, cum adinventionibus, cum peccatis; cuius hodiernum statum attente sub lumine Evangelii considerare intendit, ut humile atque sincerum responsum det sciscitantibus quid Ecclesia censeat de hodierno mundo, de homine ac de magnis illis quaestionibus quae anxietudinem eius vel nunc alunt vel pro futuro tempore sollicitant.

Patres conciliares, plane agnoscentes ingenti responsabilitate se obligari tanquam testes ac ministros Iesu Christi, Redemptoris et Salvatoris hominum, Pacificatoris populorum in dilectione et iustitia, solidaritatem in primis profitentur cum omnibus hominibus, qualiscumque est ipsorum fides religiosa aut humana condicio. Concilium non latet maiorem humani generis partem hisce temporibus Ecclesiam novisse tantummodo per eius formam exteriorem; eam proinde tamquam institutionem mere humanam reputantes, perpendere eius historiam plurium saeculorum eiusque amplissimam organizationem eodem mentis habitu; eodemque agnoscere influxum ab ipsa exercitum in cultura et vita individuorum et populorum; sic tandem intueri in humana merita membrorum ac institutionum eius, defectus inspicere, errores, immo et peccata, christianorum iudicare. Intellegit quoque Sancta Synodus non paucos esse eos christianos, catholicis non exceptis, qui vel propter insufficientem instructionem, vel quia fidem quam profitentur non aequa proportione exercent, tantummodo exteriorem aspectum ipsius Ecclesiae intueantur.

Sed neque ignorat Concilium magnam istorum hominum partem hodie ad Ecclesiam animos convertere: ipsam interrogare, ab ipsa anxie exspectare, immo, praesentire in ipsa fontem inexhaustum spei, responsionem magnis hominum problematibus, mysterium altissimum vitae salutiferae.

Hinc est quod Patres conciliares, sollemniter in Sacrosancto Concilio congregati, respondere volunt interroganti exspectationi mundi, enuntiantes sub lumine fidei quid de homine censeant, quid de eius activitate in mundo, quid de vita terrena ac de humano progressu, ostendendo pariter conditam Ecclesiam esse missione salvifica universali ac multum proinde conferre posse mundo universo, vi inexhaustae fecunditatis principiorum evangelicorum, ad adaequatam solutionem ingentium horum temporum problematum.

2. *Quosnam alloquatur.* Desiderat Sancta Synodus ut sua verba lumini ac stimulo sint filiis Ecclesiae, ut coniunctis viribus, munus suum quisque suscipiat in aedificando mundo secundum Christi Spiritum. Sperat quoque ut, cum omnes homines unus idemque urgeat labor, vox sua audiatur etiam a dilectis fratribus qui ad Ecclesias christianas pertinent a nobis seiunctas, et etiam ab illis qui, Christo nondum agnito, vel una nobiscum Deo vivo et sancto gratias agunt, vel saltem nos interrogant de spe quae in nobis est.

3. *Finis huius schematis.* Confidit quoque in Domino fore ut, postquam eius responsio innotuerit, omnes homines melius intellegant quomodo dilectio quam Ecclesia erga universos homines sentit ac eius materna sollicitudo circa omnia mundi problemata, non aliunde proveniant quam ex praesentia Spiritus Christi Iesu in ipsa, ex voluntate deliberata sectandi perpetuo viam monstratam a Domino; tandem ex eius missione spirituali, qua tenetur perficere opus Iesu Christi.

Denique magna spe Dominum rogat ut tum christiani omnes tum universi homines bonae voluntatis, agnoscant hac ratione qualis vera natura Ecclesiae sit, quinam sensus contributionis efficacis illius ad plenam hominis beatitudinem, quale denique fundamentum totius eius activitatis.

4. *Christus lux mundi.* Sancta Synodus, haec omnia faciens, ipsum solum Christum, verum Deum et verum hominem, intendit, qui est lux et Salvator mundi. Etenim nonnisi per ipsum, e quo omnibus omnia profluunt bona (cf. *Io.* 8, 12; 12, 46), Ecclesia sua fungi potest missione pro mundi vita. Inter infirmitates et in spiritu crucis Christi Ecclesia in mundo amorem eius visibilem efficere debet, qui humili vita et morte amorem Patris erga mundum manifestavit et qui, resuscitatus a Patre, suo amore vivificat Ecclesiam et mundum.

5. *Schematis dispositio.* Duplici parte vult Sancta Synodus suam sententiam exprimere:

In prima parte exponet doctrina christiana de homine et de mundo, atque principia ex Evangelio desumpta circa relationem inter Ecclesiam et mundum.

In altera docebit quomodo applicari debeant illa principia ad maxima nostri temporis problemata, quae aggrediantur necesse est incessanti conatu ii omnes qui mundum meliorem efficere debent.

Pars prima

6. *Ecclesia signa temporum perscrutatur lumine fidei.* Ecclesia Christi, una cum reliquis hominibus ad ipsam non pertinentibus, attente perscrutatur positiva signa temporum quae vivimus, gaudioque afficitur reperiens plura ab hominibus nostrae aetatis sapienter ac bene perspecta. Sequentia enumerare oportet:

Homines hodierni, ex diversissimis gentibus orti, unam eamdemque perspicuam sententiam propugnant circa fundamentalia iura quae dignitati personae inhaerent, eaque non solum proclamant ac omni ratione vindicant, sed communi

omnium plausu inserunt in quaelibet principiorum programmata quibus consortium gentium vel communitas nationum regitur. Altissimum quoque habent sensum iustitiae socialis, reputantes bona omnia, sive a Deo creata sive ab humano ingenio suscitata, constituere commune omnium hominum patrimonium et instrumentum quo uti liceat omnibus, tum familiis tum populis, ut digniorem vitae rationem assequantur, cum pleniore cuique exercitio propriarum facultatum. Certiorem denique assequuntur persuasionem pertinere omnes omnino homines ad unam eamdemque familiam humanam. Quae omnia foventur magis in dies constanti progressu scientifico et technico, quo homo in mundum dominatur, factus simul auctor et receptor beneficiorum omne genus quae talem progressum comitantur.

Ast neminem fugit, ne ipsam quidem Ecclesiam, quantum absit genus humanum a vera solutione tot gravium problematum quae hodiernae culturae progressui inhaerere videntur. Non enim eodem passu homo proficit in sapientia ac in technica arte. Haud raro homines in ipsa rerum externarum evolutione, in ratione vivendi, laborandi aut sese recreandi, velut invicem alienatos se sentiunt. Multi, soli progressui materiali dediti, nil altius desiderare videntur, hoc satis beati, dum alii, confuso quodam inanitatis sensu, taedio immo desperatione anguntur. Nec vera in mundo habetur pax, quae fructus sit caritatis et iustitiae, veritatis et libertatis. Nam innumeri homines, alii debita libertate aut vera informatione privantur, alii, bonis semper auctis in terra sed adhuc iniuste distributis, in famem detruduntur vel a congrua evolutione retardantur. Et ideo nil mirum si iterum atque iterum conflictus sociales et bella oriantur, atque imminere perpetuo pergat periculum omnium funestissimum, quod nucleare dicunt.

Sancta ergo Synodus, una cum cordatis hominibus haec omnia inspiciens, dum permultos videt qui, etsi iure de aucto super naturam dominio gloriantur, de intimo sensu historiae humanae, praesertim de hodierna, dubitare incipiunt, amplectitur in dilectione Christi mundum universum, et in variis eventibus totius generis hominum operationem Divini Spiritus dignoscere satagit.

Sed ut intellegere homines possint quousque Ecclesia hodie conscia fiat mundi cui inmersa est eiusque mirae evolutionis nec non valorum qui ei proprii sunt, sed etiam periculorum quae ei minantur, sollicitudinum et problematum quibus vexatur, necesse est duo animadvertere: conceptionem christianam hominis atque eius vocationis, et characterem christocentricum quo christianus homo videt mundum eiusque historicam evolutionem explicat.

7. *De integra hominis vocatione.* Ad primum quod attinet, notandum videtur nostris diebus evasisse paene communem persuasionem quod quaestiones de cultura, de civitate, de scientiae et artis technicae progressu, redigantur omnes ad unam quaestionem: nempe de homine eiusque vocatione. Iam vero, prout alia et alia est conceptio de homine ac de eius vita, alia et alia quoque est dispositio relate ad mundi problemata. Multi enim vitam hominum nonnisi sub specie finium temporalium respicientes, vanum immo saepe nocivum aestimant quidquid homines ad aeterna sublevat, ac si inde a recta cura rerum huius terrae avertantur. E contra non desunt christiani qui, non advertentes ad omnia officia ex eorum fide promanantia, res temporales despicere videantur, vel dubitent saltem an opera progressui civitatis impensa, non aptius rebus supernaturalibus devovenda sit. Ita dum priores totos se devovent aedificando mundo, sed altiore quavis consideratione privantur, alteri magis cultui vitae supernaturalis vacare malunt, neu-

tro advertente, arripientem se incompletas praemissas, nullatenus posse assequi plene quae sibi proposuerat.

At Ecclesia, Iesum Christum secuta, profitetur talem de homine conceptum ut harmonice eius supernaturalem vocationem integret cum opera effectiva construendae civitati terrestri praestanda. Verum est, per donorum Dei superabundantiam, cor hominis dilatari et spem eius elevari ultra civitatem terrestrem aedificandam, quae, quamvis grandis et pulchra sit, coli debet spe civitatis venturae caelestis. Christus enim Iesus, unicus Dei filius, nos altioris participes fecit vocationis (cf. *Hebr.* 13, 14).

Sed spes haec non minuit, potius vero exaltat huius vitae in mundo et in societate humana dignitatem et momentum. In hoc enim cursu vitae hominis fidelitas erga Deum et amor in fratres probatur. Sicut cultura terrena, negato fine et subsidio divino, fieret manca, ita Deum frustra quaerit qui spretis donis divinitus mundo oblatis non vult ei secundum vocationem propriam inservire. Labor quo homines terram sibi subiciunt, cum iam naturaliter sit praeclarum vinculum sociale, fons progressus culturae, et efficax instrumentum perfectionis humanae, altiore inseritur consilio Dei de homine. Cum Deus ita mundum dilexerit ut Filium suum unigenitum dederit eum constituens Salvatorem mundi, filii adoptivi omni studio sollicitudinem Patris erga omnes homines etiam in rebus temporalibus imitentur oportet. Ii ergo qui fideliter ambulare desiderant in luce Christi, intime sentiunt et intellegunt etiam expectationem creaturae, quae expectat revelationem filiorum Dei. Etsi plena liberatio a servitute corruptionis (cf. *Rom.* 8, 19-21) nonnisi in secundo adventu Domini manifestabitur, tamen redempti, etiam structuris et ordinibus terrestribus, initia spei suae, meliore quo fieri potest modo, communicare debent.

Quare tum Dei et Salvatoris dominium super mundum, tum caritas proximi et salus propria urgent omnes, ut sociam dent operam societati magis iustae et paternae aedificandae. Patet igitur conversionem cordis ad Deum minime posse sperari e solo progressu scientiarum vel e naturae dominatione vel e copia divitiarum; sed nec dubitare licet quin sincera et plena ad Deum conversio exigat conatus continuos et consociatos, ut ordo caritatis et iustitiae in rebus terrestribus in dies magis appareat et homines liberentur ab illa rerum inopia et servitute, quibus persaepe impediuntur ne observent bonos mores animumque aperiant rebus supernis.

Plena proinde hominum vocatio haec est, ut gratias agentes Deo dona accipiant, et consilium Dei suum facientes fructum afferant in omni bono opere, in omnibus Christum secuti. Homo ergo, si vult ita transire per bona temporalia ut non amittat aeterna, debet etiam in illis, ut filius adoptivus, Deum audire et ut Patrem glorificare. Omnia enim vere sunt nostra, si nos sumus Christi, sicut Christus est Dei Patris (cf. *1 Cor.* 3, 23).

8. *De conceptu mundi in Christo Iesu.* Ipse Christus Iesus, Verbum Dei, per quod omnia facta sunt et sine quo factum est nihil, lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quamvis a mundo non agnitus sit, in mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et caro factum habitavit in nobis (*Io.* 1, 1-2-9-10-14).

Imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae; quoniam in ipso condita sunt universa, quae in caelis et in terra, visibilia et invisibilia; omnia per ipsum, et in ipso creata sunt; et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant. In omni-

bus ipse primatum tenens; quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare et per eum reconciliare omnia in ipsum; pacificans per sanguinem crucis suae, sive quae in terris, sive quae in caelis sunt (cf. *Col.* 1, 15-20).

Mysterium ergo Christi praesidet toti operi creationis idque ordinat. Mira igitur et stricta unione adnectitur Christo. Et sic mysterium Christi « mundum volens adventu suo piissimo consecrare » (cf. *Martyr. Rom.* sub die 25 decembris), inseritur in mediam historiam, cuius praecipuum constituit eventum, universa hinc inde movens et illustrans.

Nihil igitur mirum si Ecclesia mundum diligat eadem dilectione qua eum Christus dilexit in eoque praesentiam Christi agnoscat. Atque ob eamdem rationem Ecclesia cum Christo vult mundum ab omni peccato liberare et sese egoismo, iniustitiae, violentiae opponens, omnia in Deum ordinare.

Iam vero omnia mundi, sicut mundus ipse, subsunt legibus et destinantur finibus a Deo Domino nostro impositis. Ideo homines, quoties opera temporalia exsequuntur, si ea adimplent secundum leges ipsis inditas et ad fines eorum proprios consequendos, iam de facto respondent voluntati Dei, licet id saepissime non reflexe animadvertant.

Itaque qui totis viribus exsequitur quamcumque activitatem humanam vel temporalem perfectiore quo potest modo, eo ipso elicit, quamvis obiective et implicite, verum actum fidei, siquidem de facto agnoscit Dei praesentiam in opere concreto, et maxime quia in exsequendo bene opere suo totum se ut creaturam tradit Deo creatori, in quo radicaliter consistit actus fidei.

Sane christiani exercere debent opera temporalia lumine fidei et virtute gratiae supernaturalis ducti. Sed eodem modo quo ille qui non diligit proximum suum quem videt minime potest dicere se amare Deum quem non videt, ita qui non exercet suum opus perfecte, dicere non potest agere se lumine fidei et virtute gratiae supernaturalis ductum. Immo cum opera temporalia de more proximos afficiant, quibus in illis servitur, ita qui illa perfecte exsequuntur, licet id non animadvertant, serviunt ipsi Iesu Christo in proximo, et audient suo tempore ex ore Domini illa dulcissima verba: « Quidquid uni ex his fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis » (cf. *Mt.* 25, 40).

9. *Vera constructio civitatis terrenae indiget Christo Salvatore mundi.* Christus ergo lux mundi, rerum omnium alpha et omega, Ecclesiam et homines illuminat ut intellegant quomodo signa temporum, alia secumferant praesentiam Dei, et alia absentiam a Deo. Ratio enim cur homines taedio et angustia afficiantur haec est: caecitas eorum, qui, sive in docendo sive in agendo, vel hominis vitam ad solas coarctant dimensiones terrestres aut integram vocationem christianam manifestare negligunt non solum vita privata sed etiam sociali. Ita fit ut hodie non raro doctrinas, institutiones ordinemque laboris et otii in eo convenire videamus, ut immensa desideria hominum cordibus divinitus inserta, in immoderatam cupiditatem possidendi terrena depravent. Scientiae et artis technicae progressiones, aucta bonorum productio, quae per se sunt fructus et signa dominii super materiam, sic iam desinunt esse auxilia, quibus homo excrescat, ac saepe mutantur in diros tyrannos, et communitatum et singulorum. Et homini nihil prodest mundum universum lucrari, cum animae suae detrimentum patitur (cf. *Mt.* 16, 26).

Re vera, si humanum genus non desinit experiri res prosperas iniustitia, mendacio, violentia diruere, hoc non ex eo praecipue provenit, quod res oeconomicae, technicae et scientiae discrepantiis progressui oeconomico-sociali inhaerentibus

concutiantur; sed potius e singulorum superbia et egoismo, et ex eo quod in peccato conveniant multi, et saepe etiam opera sua societatisque cultum suis peccatis contaminent. Quae peccata historiae humanae decursu semper abundarunt, etenim homo, originali labe coinquinatus, non tantum proclivem se sentit ad malum sed etiam quasi vitae condicionibus tentatus, ne recte se gerat erga Deum, erga fratres et erga mundum. Sed ubi ordo rerum peccatorum sequelis perturbatus est, nova semper oriuntur incitamenta iniustitiae.

Peccatum vero ex intimo prorumpit homine (cf. *Ic.* 1, 14-15), qui ad vitam nequaquam resurget, nisi veteri hominis moriatur. At nemo, suis solis viribus, maligni spiritus tentationes et peccati servitutem effugere valet ad veram filiorum Dei libertatem assequendam. Christus solus, peccati quidem expers (cf. *2 Cor.* 5, 21), mortuus vero pro nobis peccatoribus, ut omnes salvaret, et a Deo omnium primum resuscitatus, hanc nobis largitur vitam. Quare homo, qui in omnibus e Deo pendet, insuper propter peccatum, novis indiget donis divinis et remediis, et quidem non solum ut gaudia assequatur, sed etiam ut ipsam civitatem terrenam exstruat super solidum iustitiae et caritatis, veritatis et libertatis fundamentum. Homo nec amorem sui ipsius purgabit nec iniustitiam in mundo evincet, nisi vestigia eius sequatur qui per mortem in vitam gloriosam ingressus est.

10. *De communione fraterna in spiritu paupertatis aedificanda.* Ecclesia Christi, etsi non est de hoc mundo, tamen in hoc mundo versatur (cf. *Io.* 17, 16), et ideo quamvis salutiferae vitae spiritualis hominum dedita, et non obstantibus differentiis vel etiam difficultatibus quandoque inevitabilibus, multiplicibus et mutuis relationibus connectitur cum mundo. Multae autem discrepantiae auferri vel saltem deminui poterunt, si omnes bene intellexerint quomodo Ecclesia suam missionem circa mundum a Domino acceptam interpretetur, et quomodo dialogum cum mundo instaurare intendat.

Ecclesia autem peregrinans eo magis confert construendae civitati terrestri quo fidelius adimplet missionem redemptricem sibi a Christo concreditam, eius vestigia sectando. Christus enim, ut hominem a peccato et ab eius consectariis liberaret, humanitatem nostram suscipere in se voluit cum omnibus suis aerumnis, adeo ut qui peccatum non fecit (cf. *Io.* 1, 14; *Hebr.* 2, 17; 4, 15; *Rom.* 8, 3), omni peccati pondus sustineret. Cum in forma Dei esset, Filius Dei, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, ex divite egenus factus est ut nos sua paupertate ditaret, atque sic semetipsum humiliavit ut fieret oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis (cf. *Phil.* 2, 6-8; *2 Cor.* 8, 9; *Hebr.* 5, 7-8; 12, 2). Tum Ecclesia implet suam missionem purificatricem et instaurat inter homines veram atque fraternam communionem, cum abiecta gloria atque terrenis divitiis, sustinens contradictiones et persecutiones, Evangelium pauperibus annuntians (cf. *Act* 3, 8; 5, 18; 10, 38; *Lc.* 4, 18-19) fit ipsa testis et sacramentum Iesu Christi, signum levatum in nationibus.

11. *De genuino dialogo inter Ecclesiam et mundum.* Ex alia vero parte Ecclesia sustinere vult cum hominum societate in qua vivit, dialogum numquam intermissum. Quae sit huiusce colloquii excellentissima ratio et origo, in ipsius Dei mente invenitur. Etenim revelatio, cuius depositaria et custos est Ecclesia, id est, ratio superna, quam Deus ipse cum hominibus instauravit, quasi quoddam colloquium haberi potest, quo Verbum Dei, sive per Incarnationem sive per Evangelium loquitur. Colloquium enim paternum et sanctum inter Deum et homines, quod post miserum Adae casum abruptum erat, postea, per aetates et tempora

ita redintegratum est; adeo ut historia humana salutis, hoc longum et varium colloquium prodat, quod mirifice cum hominibus inchoavit et cum iisdem multis modis protrahit. In huiusmodi autem Christi inter homines quasi sermocinatione (cf. *Bar.* 3, 38), aliquid Deus de se demonstrat, de suae vitae arcano, de sua essentia tribus personis unica; simul vero significat hinc qualis a nobis agnosci velit, scilicet plane uti Amor, illinc qua ratione velit sibi honorem et officium a nobis deferri, imperans amorem, nihil certe quod praestare non possimus.

Prae oculis habentes veram et inenarrabilem huius colloquii consuetudinem, quam Deus Pater per Iesum Christum in Spiritu Sancto nobiscum aperuit, melius intelligimus quomodo intendenda et qualis ineunda sit Ecclesiae cum hominibus necessitudo. Itaque, quoniam salutis colloquium primus ipse Deus coepit, quia ipse prior dilexit nos (*1 Io.* 4, 10), oportet idcirco ut Ecclesia quoque prior sit in petendo cum hominibus colloquio, neque exspectet dum alii ipsam ad colloquium provocent. Cum salutis colloquium a caritate bonitateque Dei ortum sit, quia sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret (cf. *Io.* 3, 16), necesse propterea est, Ecclesiam nulla alia re nisi ferventi et sincero amore ad colloquium permoveri. Ex eo vero quod colloquium salutis neque ad merita relatum est eorum cum quibus instauratur neque ad exitus quos esset habiturum, siquidem non egent qui sani sunt medico (cf. *Lc.* 5, 31), proinde aequum est Ecclesiae etiam colloquium neque circumscribi finibus, neque ad nostram utilitatem accommodari.

Ecclesiae dialogus cum mundo, quamvis veritatem certam et salutem necessariam nuntiet, nullam tamen proferet externae coercitionis speciem; immo contra, legitimas vias inibit humanae comitatis et intimae persuasionis, communis reliquis colloquiis; atque salutis donum praebebit, salva uniuscuiusque libertate, sive privati hominis sive civis. Cum ex natura sua universalis sit, hoc est catholicus, omnibus aptus est, iis tantum exceptis qui aut illum prorsus fugiant, aut ementiantur se illum accipere velle. Neque in crastinum reicit, quod hodie ad finem perducere potest, sed noscens hominum tardas progressiones, horam expectabit, qua illum Deus fructuosum efficiat. Consentaneus autem erit sive eorum ingenio, cum quibus sermo est conferendus, sive rerum adiunctis. Esse sibi statutum ostendet, ut et urbane agat, et magni aestimet alios, et benevolentiam bonitatemque erga alios declaret, abhorrens a praeiudicatis aliorum vituperationibus, a contentionibus iniuriosis et passim excitatis, denique a quovis inani colloquio, ostentationis causa petendo. Quodsi non id spectat, ut ad veram religionem statim adducatur is quocum colloquitur, quippe cuius dignitati libertatique parcere vult, tamen, cum illius utilitati consulat, animum eius optavit ad pleniorem sensuum et opinionum communione componere. Mentem ergo induat, qui Ecclesiae nomine dialogum ineat, propriam illius, qui gravitatem apostolici mandati sentiat; qui autumet se non posse suam ab aliorum salute seiungere; qui denique in eo curas continenter defigat, ut nuntius, qui sibi concreditus est, in commune omnium hominum sermonem permanet.

12. *Ecclesia et mundus mutuo invicem iuvant.* In hoc perpetuo dialogo cum mundo, Ecclesia, decursu saeculorum et per varias experientias, plura paulatim clarius perspexit et perspicit. Unde fit ut mutua relatio inter utrumque, foecunda appareat et pro ipsa Ecclesia et pro mundo.

Ecclesia in primis, sciens in toto mundo virtutem operari Verbi Dei, in quo universa condita sunt et constant (cf. *Io.* 1, 3; *Col.* 1, 17), nihil bonum et verum a se putat esse alienum et sibi indifferens. Veritas igitur rerum creatarum, quae

per progressum scientiarum magis magisque hominibus patent; experientia historica, per quam ipsius hominis natura melius discernitur; divitiae in diversis hominum culturis reconditae, quae innumeras vias manifestant quibus homines ad Veritatem perducantur... omnia haec admirationem erga Deum augent. Ecclesia ergo his humanae experientiae et humanarum scientiarum incrementis plurimis adiuvatur et stimulatur ut, in veritatem revelatam magis ac magis inquirendo, eam intimius intellegat, aptius proponat, clarius illustret.

Praeterea simplici animo Ecclesia audiat oportet eos qui membrorum eorum peccata defectumque spiritus evangelici obiciunt. Ipsa noscit quidem Spiritum Sanctum sibi datum ut eius munera mundo distribuat, sed pariter scit se ex hominibus constare, quorum ignorantia ac peccatis fidelitas erga Spiritus impulsionem saepe impediatur, sibique proinde impositam esse renovationem continuam, usque ad finem temporum.

Ex altera vero parte, Ecclesiae doctrina et exempla, quamvis primum ad vitam futuram ordinentur, civitati terrenae multum conferunt. Nam Ecclesia conscientias hominum hac de re illuminat tum directe per magisterium suum, et per omnem manifestationem sensus fidei totius populi Dei, tum indirecte per opera et institutiones a Pastoribus vel fidelibus in unione cum Pastoribus coepta et promota.

Sancte servans verbum Dei sibi commissum tamquam thesaurum immutabilem, ex quo vetera et nova semper profert (cf. *Mt.* 13, 52), Ecclesia inculcat et defendit aequam dignitatem omnium hominum et verum sensum rerum creatarum. Ipsum Evangelium, seu bonus nuntius a Deo veniens et ab ea transmissus, fit lux et norma, quae valorem moralem et spiritualem actionum humanarum illustrat et pericula erroris et iniustitiae detegit.

Summa autem Evangelii lex et virtus pro humano convictu est caritas, quae vivificat et firmat omnes alias leges et virtutes (cf. *Mt.* 22, 34-40). Per hoc magnum mandatum omnia in vita privata et sociali magis magisque dirigantur oportet. Cum autem homines hic nonnisi in via sint versus perfectam caritatis iustitiam et saepe in dura colluctatione contra mendacium et iniustitias versentur, Ecclesia sollicite proponit tum caritatis finem perfectum, tum viam, qua homines competentes ipsi pro rerum condicione meliores semper solutiones practicas quaerant. De his agit, quod attinet ad processus et relationes sociales, doctrina socialis Ecclesiae. Quodsi verbum Dei semper immutabiliter indicat finem perfectum caritatis in iustitia et iustitiae in caritate, populus Dei in explorandis gressibus versus hunc finem, praesertim in hac aetate praecipitum profundarumque mutationum, continenter perscrutari debet, quid signa temporum postulent.

Ac sicut Christus facere coepit et docere (cf. *Act.* 1, 1), ita et Ecclesia missa est, ut non verbis tantum sed et factis illuminet mundum. Hic vero modus docendi et illuminandi homines munus est totius populi Dei. Dona Christi Ecclesiae commissa, quorum fecunditatem sanctorum hominum vitae produnt, multos decursu saeculorum christianos excitaverunt, ut humiliter se devoverent servitio eorum hominum, qui omnium pauperrimi, maxime derelicti et despecti sunt. Quae traditio exemplo fuit plurimis institutis, per quae populi hodie miseris succurrunt. Nam quidquid sit de debilitate et discordiis deplorandis quae in sinu Ecclesiae inveniuntur, mundo tamen ipsa innumera praebet exempla vitae verae fraternae.

13. *De munere quod Apostolos et Pastorum successores spectat.* Iam vero, in adimplendo communi munere, alia et alia est ratio qua pastores et fideles agere

debent. De qua, haec Sacrosancta Synodus satis perspicue ac profunde locuta est in constitutione dogmatica *de Ecclesia* et in ea *de apostolatu laicorum.* Sed hic reminiscamur oportet quaedam ex illis documentis, ea ad argumentum quod perspicimus trahentes, scil. ad relationes Ecclesiae cum mundo.

Pastorum munus est praesertim interpretare, iuxta apostolici officii exigentias, doctrinam Evangelii et quidquid ad eam essentialiter refertur. Iesus Christus enim, ut perenne redderet opus redemptionis quod dedit ei Pater, misit discipulos, ut omnes homines spe resurrectionis facerent salutis participes. Apostolis igitur eorumque successoribus munus credidit ut Evangelium omnibus populis nuntiarent, et omnes credentes congregarent in unitate caritatis, orationis et gratiarum actionis, eosque docerent omnia servare quae ipse praescripserat (cf. *Mt.* 28, 20). Ipsi vero cum toto populo Dei subiciuntur Spiritui Iesu, qui est verum credentium vinculum. Munus ergo eorum, qui Christi nomine regunt Ecclesiam, in eo positum est, ut opus prosequantur illius, qui venit ministrare et non ministrari (cf. *Mt.* 20, 28). Proinde in omnibus eos agere oportet ut ministros Christi eiusque Ecclesiae et dispensatores mysteriorum Dei.

Hac de causa, quicumque est eorum hierarchicus gradus aut personale officium, debent omnes, iuxta facultatum suarum mensuram, gloriam Dei et servitium omnium hominum unice sectando, curare ut ordo rerum temporalium in hoc mundo solido christiano fundamento nitatur, ita ut exteriorem formam constituat Regni Dei. Ad hoc autem nitantur necesse est in virtute Iesu Christi, mundi Salvatoris et mortis Victoris, atque utantur viis et mediis Evangelio consentaneis, quae in plurimis differunt a mediis, licet honestis, civitati terrenae propriis et omnino opponuntur astutiae et violentiae, quae toties hunc mundum perturbant.

Sine dubio, res terrenae et eae quae mundum exsuperant in hominum condicione, arcte inter se iunguntur, et ipsa Ecclesia temporalibus utitur, quantum propria missio id postulat, tamen in privilegiis ab auctoritate civili oblatis spem nullam ponit. Immo exercitio iurium quorumdam legitime acquisitorum libenter renuntiabit, ubi primum constiterit eorum usu ob novas vitae condiciones candorem testimonii vocari in dubium. Certe sanam cooperationem cum iis potestatibus minime recusat, immo eam exoptat. Semper autem et ubique fas ei est postulare, ut vera cum libertate fidem praedicare et inter homines munus suum expedite exercere possit, omnia et sola media adhibens quae Evangelio et bono omnium secundum temporum et condicionum diversitatem respondeant.

Ecclesiae maxime cordi erit, ut promoveatur, iuvantibus omnibus bonae voluntatis hominibus, vera spiritus libertas, exclusa qualibet coactione, quae dignitatem personae humanae offendat vel sinceram fidem adulterare possit. Non solum Ecclesia sed paene omnes homines hodie a potestatibus civilibus expectant et postulant efficacem libertatis religiosae agnitionem, ita ut unusquisque, sive solus, sive in communitate cum aliis, plena libertate gaudeat dum propriam conscientiam sincere sequitur veritatem inquirendi, et, iuribus aliorum hac in re sancte servatis, publice etiam profitendi. Haec enim libertas est essentialis pars boni communis.

Ecclesia ceterum docet potestates, scil. spiritualem et temporalem, esse distinguendas, et christianos iustis mandatis potestatum temporalium obligari (cf. *Rom.* 13, 1-7), salvo sane officio praedicandi Evangelii, fidei profitendae, legisque divinae in omnibus servandae. Ecclesiae Pastores etiamsi implendo suam missionem interdum de rebus temporalibus ratione fidei et morum iudicare debent, nequaquam

dicioni propriae potestatis civilis se interponunt. Sciunt enim suum munus non esse intervenire rebus temporalibus, qua talibus. Sicut Christus se regem proclamare minime passus est (cf. *Io.* 6, 15), similiter et ipsi, suo sacro munere fungentes, unice Dei servitio et hominum saluti intenti sint oportet, nulla regnandi cupiditate distracti, non tamen ignorent res temporales Deo esse subiectas et sapientissimis eius legibus, quae obligant omnium conscientias. Quibus illuminandis Pastores dant operam, Dei dominium super res creatas praedicantes, et non suum. Quod sane homines nostrae aetatis facilius agnoscent cum, divina favente Providentia, Pastores in novis mundi adiunctis negotiis temporalibus curandis minus in dies implicentur.

14. *De responsabilitate laicorum propria.* Quod ad laicos attinet, eos decet in primis adiuvare pro sua parte et sensu fidei opus Pastorum, consiliis quidem suis sed maxime vitae ratione et applicationibus factis. Fideles vero ne putent pastores suos competentes esse ad omnia vel vocandos esse ut sibi ad omnes quaestiones, etiam graves, respondeant quid hic et nunc agendum sit; ceteroquin mirum non est si magisterium Ecclesiae in novis difficillimisque quaestionibus, ubi agitur de applicatione principiorum doctrinae vigentis ad condiciones vitae mutatas, non statim prompta habeant responsa vel solutiones. Quodsi in his rerum adiunctis, fideles tamen agere debent, ipsi propria responsabilitate consilium capere audeant secundum principia iam satis nota, ducti prudentia christiana, quae veritati Evangelii et doctrinae moralis Ecclesiae inhaeret et individuam condicionem in qua agendum est attendit, et adiuventur scientiis humanis omnibus ad singula problemata pertinentibus. Dissensiones quidem saepius oriuntur an recte statuerint. Meminerint tamen in doctrina definitive proposita unitatem omnino adesse debere, in multis aliis vero liberam valere investigationem et diversitatem opinionum etiam inter fideles: in omnibus vero caritas atque humilis perscrutatio voluntatis Dei elucescat oportet.

Quomodo autem hac nostra aetate fidelitatem Evangelio debitam splendere faciant christiani, generosa cooperatione ad civitatem terrestrem aedificandam, licet intelligere ex eo quod caritas sit lex suprema nobis a Christo data (cf. *Mt.* 22, 34-40), et amorem tam Dei quam hominum complectens. Caritas vero Christi urget nos omnes, ut agnoscamus proximum nostrum in omni homine egestate spirituali vel materiali oppresso (cf. *Lc.* 10, 29-37), et efficaciter satisfaciamus, viribus quoque unitis, desiderio promotionis tot hominum et populorum. Novae possibilitates novaque pericula sunt totidem incitamenta cur christiani renovato fervore in spiritu servitii munera etiam terrena ita adimpleant, ut testimonio caritatis et iustitiae nationes et homines singuli amorem et praesentiam Christi cognoscant. Quare omnes fideles solemniter monemus, ut officia a caritate et iustitia hodiernis temporibus specialiter imposita a divina Providentia libenter accipiant:

a) Itaque necessarium est, ut christifideles meliorem in dies notitiam et cognitionem acquirant de necessitatibus spiritualibus, moralibus, culturalibus et materialibus omnium hominum, reiecto omni discrimine stirpis, nationis vel condicionis.

b) Iis qui haec omnia noverint, caritas dilatabitur ultra limites familiae, loci vel nationis, et eos coniunget ad actionem iuxta dimensiones universales Ecclesiae et mundi concipiendam.

c) Christiani sicut intra ipsam Ecclesiam, ita etiam in mundo in quo vi-

vunt, secundum suam competentiam opem ferre debent ad sanam opinionem publicam efformandam, praesertim in rebus quae ad bonum familiae et totius societatis spectant, salutarem influxum etiam exercentes quoad instrumenta communicationis socialis (cf. Decretum *de instrumentis communicationis socialis*).

d) Fideles, conscii naturae socialis et condicionum sine quibus actio inefficax esset, praesertim in mundo hodierno, libenter partem habebunt in institutionibus necnon actionibus communibus, sociam quoque praestantes operam ad renovandas structuras in re culturali, sociali et civili.

e) Magni faciant christiani progressum scientiarum et artium liberalium quippe quae suo modo mirabilia hominis et totius operis creationis Dei gradatim melius manifestent. Unusquisque talenta sua ad hunc finem assequendum enixe exerceant. Germanus spiritus fidei confidit mutuae amicitiae inter fidem et veram scientiam, excluso omni conflictu indissolubili.

f) Hominibus nostri temporis tam avidis maioris iustitiae socialis, praesertim iuvenes christiani effusius cooperationem praebeant, suam fidelitatem erga Evangelium testantes. Meminerint propterea in eligendo vitae genere omnem vocationem a Deo etiam intuitu proximi et communitatis fieri. Eligant ergo vocationem in plena luce caritatis et responsabilitatis pro bono communi, serio ceteroquin perpendentes num Deus se ad directum Evangelii servitium invitet.

g) Omnes ergo peccatum omissionis fugiant, prae oculis habentes severa verba Domini de iis qui ipsum in fratribus nolunt agnoscere (cf. *Mt.* 18, 5; *Lc.* 9, 48), vel de illis servis pigris et inutilibus qui talenta sibi tradita in terra abscondunt (cf. *Mt.* 25, 14-30).

Quantumvis necessaria sint ista omnia, christiani qui validiorem opem ferre velint ad civitatem fraternam extruendam, memores sint condicionis primordialis pro fecunda actione in hoc mundo et pro spiritu vere aperto: sequelae scil. Christi crucifixi in spiritu paupertatis. Pauperum evangelizatio, quae est praeclarum signum adventus Regni Dei (cf. *Mt.* 11, 5), incipit, cum pauperes vere in seipsis propter Deum amantur et ita sublevantur, ut digne crescant tamquam personae humanae.

Hic spiritus paupertatis, quem exprimant oportet omnes Ecclesiae structurae, regalem demonstrat omnium christianorum viam: habitus fratrum suorum quasi induere, solvendo seipsos a propriis ambitionibus et commodis; pati cum patientibus, flere cum flentibus, pauperes fieri cum pauperibus propter Christum; uno verbo omnia in omnibus fiant, ut omnes Christi praesentiam sentiant. Christiani vero qui in fratribus Christum agnoscunt, non possunt quiescere in copiis et opulentia dum tot homines egestate et fame vexantur. Quod ceteroquin ipsis pignus erit libertatis filiorum Dei et firmamentum libertatis et pacis in hoc mundo.

Tandem christiani dialogum prosequantur cum omnibus hominibus bonae voluntatis mutuam cognitionem et aestimationem in communione fraterna promovendo. Firmitas fidei et spiritus fraternitatis nos impellunt, ut amice colloquamur et cooperemur cum omnibus, ubicumque christiana prudentia id permittit. Sincerus et sine fictione sit talis dialogus, qui dona a Deo nobis commissa plene largiatur verbo et exemplo. Cum autem valde intersit ut circa varia problemata humana efficax sit hic dialogus, perpendant christiani quanti momenti sit ut sese congregent, numquam spiritu peculiaris appetentes vel pusillanimes, sed prompti ad condiciones huius dialogi implendas, quod hodie saepe per communitates, non per solas personas individuales, evenit.

Ne multiplicentur autem instituta peculiaria temporalia quoties e natura rerum vel ex adiunctis satis constat cooperationem cum aliis hominibus bonae voluntatis, praesertim fratribus seiunctis, proficue fieri posse intra fines unius communis institutionis, quae vel christianae doctrinae principiis conformatur vel saltem naturae legibus ducitur et singulorum de re religiosa ac morali libertatem veretur. In aliis autem institutionibus, christianis propriis et aliquando vere necessariis, ipsi invigilent, ut spiritu caritatis, animus sociae operae studiosus et apertus vigeat; immo ipsae institutiones pateant omnibus, qui eodem spiritu cooperari cupiant.

In institutionibus internationalibus hodie tanto vigore crescentibus operentur christiani pro viribus, singillatim vel coniunctim, libenter et sincere, cum animo servitii praestandi, ut spiritus fraternitatis et iustitiae, ibi et quidem in ipsis structuris, magis magisque floreat.

6

Exc.mus P. D. VILLELMUS BOLATTI

Archiepiscopus Rosariensis

Venerabiles Patres,

Multa ac pretiosa bona, et Ecclesiae et mundo universo, profutura esse expectamus ab hoc Concilio atque enixe in Domino confidimus.

Schema hoc, *de Ecclesia in mundo huius temporis*, quippe quod argumenta evolvit quae sunt veluti fructus et consectaria praesentis status et evolutionis humanitatis, expectationem omnium gentium, non solum catholicorum, sed et ceterorum hominum, suscitabit.

Quae cum ita sint, schema quod intimam profundamque realitatem ideologicam penetrare conatur, et, de ipsa realitate, examini subiecta, sub luce Evangelii, normas, ipso Evangelio consonas, proclamare, hoc, inquam, schema, nequit alto silentio praeterire doctrinam hodie serpentem in mundo, scil. communismum.

Non loquimur hic de aspectu politico vel oeconomico ipsius communismi, agitur de ipsa haeresi communista sub ratione ideologica et de eius habitudine ad integram vitam hominis.

Sub influxu huius doctrinae, fere dimidia pars humanitatis hodiernae, misere ingemiscit, privata essentiali libertate omnique dignitate humana destituta, dum altera pars, ob communismi insidias — nulla habita ratione morali instrumentorum quibus utitur ad suos fines assequendos — in simili periculo versatur.

Haec est vera realitas praesentis status mundi.

Si enim oculos nostros ad praesentem humanitatem convertimus,

nonne doctrina communismi apparet formidolosior ex doctrinis nostrae aetatis?

Etenim, hanc doctrinam, in ipsa sua essentia radicaliter doctrinae Evangelii opponi, nemo est qui non videat, quapropter non est cur in eiusdem examine, hic immoremur; hoc unum sufficiat dicere: quod eius placita vix ac mentes hominum pervaserint, penitus destruunt sensum religiosum de Deo Creatore ac de Christo Redemptore.

Quum igitur agitur de haeresi totali et in discrimine ponatur ipsum nomen christianum, quaero, venerabiles Patres, an praetermittendam esse quaestionem de communismo, qui directe et substantialiter Christo eiusque Evangelio adversatur?

Quomodo erit historia iudicatura hoc nostrum Concilium congregato hoc ipso tempore in quo communismus maximum periculum est, si Concilium suam vocem non extollat ad eundem damnandum vel saltem fideles praecavendos?

Sane, nos Patres conciliares nuper approbavimus schema *de Ecclesia*: iam vero ibi, in cap. III, haec praecipiuntur: « Episcopi... sunt fidei praecones... et doctores authentici seu auctoritate Christi praediti qui populo sibi commisso fidem credendam et moribus applicandam praedicant... eam fructificare faciunt, *erroresque gregi suo impendentes vigilanter arcent* ».

Nec dicatur quod attentis circumstantiis huius momenti, esse inopportunum de communismo loqui eumque damnare, nam aliter censuit Summus Pontifex feliciter regnans. Etenim, Paulus VI, in sua prima Encyclica *Ecclesiam suam,* loquens de iis qui Deum negant, affirmat: « Haec res profecto gravissima est earum quae nostris contingunt temporibus » et dein, hisce verbis communismum damnat: « Has ob causas cogimur, quemadmodum Decessores Nostri coacti sunt, et quotquot religionis praesentiam et momentum cordi habent, opinionum commenta, quibus Deus negatur et Ecclesia opprimitur, reprobare, quae quidem placita cum publicae moderationis forma oeconomica, sociali et politica saepe cohaerent, ut maxime in communismo atheo accidit. Dicere licet non tam nos ea instituta damnare, quam ipsa et publicae rei moderatores, eadem sequentes, nobis circa doctrinam plane refragari, nosque vi opprimere ».

Quapropter, mea humili sententia, censeo idque peto, ut in schemate nostro, clare, perspicue et sine ulla ambiguitate declaretur doctrinam communismi — cuius praecipua doctrinae capita enunciandi erunt — esse intrinsece contrariam doctrinae catholicae.

Quae declaratio fieri potest in schemate, sive in cap. I, de integra hominis vocatione, ut eluceat, ab hac vocatione hominis a Deo ipso re-

velata, quantum communismus aberret, vel in cap. IV, ut christifideles nostrae aetatis edoceantur communismum esse ineluctabiliter infensum dignitati personae humanae, matrimonio et familiae christianae, verae culturae atque ipsum penitus adversari progressui in re oeconomica et sociali.

Quoniam autem, finis pastoralis Concilii non est praetermittendus etiam in hoc schemate, expedit ut haec Sacra Synodus, christianos animadvertat sive de erroribus doctrinae communistae sive de intrinseca impossibilitate eum componendi cum doctrina Evangelii, simulque alloquatur asseclis communistarum eosque paterne appellet ut in doctrina ex Evangeliis promanante, quaerant veram iustitiam socialemque progressum.

Tandem, ea quae de solidarietate familiae populorum in schemate dicuntur, valde placent. Et quidem, simili ratione, iam in Ecclesia huius solidarietatis pulcherrimum exemplum exhibetur in ordine ad apostolatum.

Nam ea quae in schemate *de Ecclesia* enixe commendantur, nempe, ut episcopi sese sentientes membra unius collegii, fraternum adiutorium aliis ecclesiis praebeant, iam ab annis in actum deducta sunt ab episcopis diversarum nationum.

Liceat ergo mihi in hoc amplissimo coetu, nomine proprio et plurium episcoporum praesertim ex America Latina, gratias quam maximas rependere episcopis Germaniae qui suscitantes fidelium ardentem cooperationem, auxilia praebent materialia ecclesiis egentioribus per Actiones, quas vocant, Adveniat et Misereor.

Episcopis etiam Americae Septemtrionalis qui non modo subsidia materialia verum etiam messis operarios sive laicos sive sacerdotes nobis providere satagunt.

Liceat tandem gratum animum pandere episcopis nationis Hispanicae qui sive per sic dictam « Opus Cooperationis Sacerdotalis Hispano-Americana », sive zelante cura singulorum dioecesium et laicos et praesertim sacerdotes, ad nostras regiones mittere non dedignantur, ad inopiam cleri sublevandam.

Item, pari proposito, eodemque zelo, episcopatus Italiae collegium condidit cuius primi fructus iam in nostris regionibus adlaborant.

Quae omnia, viribus consociatis, sub ductu meritissimae Pontificiae Commissionis pro America Latina procedunt quapropter sensus nostrae gratitudinis ipsae Commissioni patefacere summopere placet.

Conclusio. Schema in genere placet nam ea quae ad vocationem hominis et ad rectam societatis structuram pertinent optime sunt delineata et sermo est vere pastoralis, captui hominis hodierni prorsus

accommodatus sed humiliter censeo Concilium non posse de communismo silere. Dixi.

Moderator: Rogantur Patres ut tempore immediate sequenti remaneant in sedibus suis et etiam assignatores sint in suis locis.

7

Exc.mus P. D. IUSTINUS DARMAJUWANA
Archiepiscopus Semarangensis

Nomine conferentiae episcoporum Indonesiae relate ad schema sequentia proferre velim.

Schema, de quo nunc est disceptandum, ob quaestiones in eo tractandas talem exspectationem suscitavit, ut a quibusdam iam nomine « terrae promissae » fuerit ornatum. Inter quas quaestiones praeter speciales etiam haec generalis invenitur, quomodo fideles se gerere debeant in rebus huius mundi et quid haec activitas, ex qua tota eorum vita quasi contexitur, sub luce fidei et in ordine ad Regnum Dei valeat.

Schema circa quaestiones speciales in suo cap. IV plura exhibet, quae, quamquam totam exspectationem non explebunt, tamen grato animo ut ad rem pertinentia recipientur. Sed capitula in quibus quaestio fundamentalis tractatur, etiam in essentialibus adhuc tantis laborant imperfectionibus, ut tamquam fundamentum disceptationum vix accipi possint.

1. Videtur schema nec Ecclesiam nec mundum secundum eorum *veram et vivam* realitatem, sicuti in hac materia oportet, recto prae oculis habere. Vox « Ecclesia » saepe stat pro sola hierarchia et textus nimis et citius quam par est de huius relatione ad mundum loquitur; quando autem de tota Ecclesia loquitur, haec non est congregatio *hominum,* qui suam fidem, spem et caritatem *in mundanis* vivere debent, non est illa communitas Deo dicata, in qua homines etiam *vinculis humanis et mundanis* coniungi debent, sed est aliquid vagum quod a mundo omnino distinguitur, si ei non opponitur.

Quod ad mundum attinet, textus non tantum obliviscitur suo loco clare exponere in quonam sensu de « mundo » loqui vult, sed de facto sine ulteriori explicatione de uno in alium sensum transit. Plerumque « mundus » identificatur cum rebus temporalibus, quandoque autem cum hominibus redimendis, et quod peius est, iterum iterumque identificatur cum hominibus extra Ecclesiam versantibus.

Qui autem de rebus temporalibus ut « mundo » tractare vult, debet

loqui de essentiali relatione hominis ad res mundanas ut conditione corporali, sociali ac historica signati, ita ut appareat mundus non identificari cum rebus temporalibus ut sic, sed ut in ipsa existentia hominum implicatis.

2. Principalis defectus schematis in eo est, quod ea quae dicuntur ad fidem circa mundum explicandum, valde defectuosa remanent. In hac re theologia, praesertim biblica, quamquam tantum in nostris diebus expresse elaborata, iam non pauca prodidit, quae sat facile ut genuina explicitatio ipsius fidei nostrae dignoscuntur. Sed miro modo Vetus Testamentum in hoc schemate vix apparet.

Schema clare enuntiare debet quod homo secundum totam suam conditionem ad amicitiam Dei et salutem est vocatus ita ut *ipse mundus ad donum salutis* pertineat, quamvis non sit eius elementum centrale et decisivum; enuntiari debet quod mundus, a benignitate salvifica Dei proveniens, hominibus est datus et concreditus ut donum ad eorum salutem et quod homines in hoc mundo, pro omnibus dato, sic laborare debent ut divitiae et possibilitates huius doni omnibus prosint et mundus communi labore efformetur in corpus *seiunctionis* [1] filiorum Dei. Quae omnia in lucem proferri debent, ex Sacra Scriptura demonstrando, quomodo mundus in tota historia salutis sit implicatus: in hominis elevatione, in eius lapsu et peccatis, in redemptione et consummatione.

3. In hoc schemate fideles responsum exspectant ad quaestionem maximi momenti pro eorum vita christiana. Scire volunt quid eorum activitas in rebus temporalibus valeat in ordine ad Regnum Dei. Sed in hac re schema spem eorum omnino fallit. Textus quidem loquitur de gloria Dei et de fidelitate erga Deum et amore in fratres probandis, sed nullibi clare dicitur quid valeat praecise ipse effectus huius activitatis; quid valeat *ipsa ordinatio et humanisatio* mundi, in quibus efficiendis tantae vires hominum consumuntur. Responsum tantum dari potest, si mundus in luce fidei consideratur ut donum ad salutem et ut corpus coniunctionis hominum in caritate Dei.

4. Quia in textu de valore ipsius activitatis mundanae siletur, etiam alia magni momenti obnubilantur. Ex eo quod officium nostrum est terram facere habitabilem pro omnibus, sequitur quod in eo non tantum operandum est cum bona intentione sed cum efficientia et ideo cum rerum peritia. Certissime est quod in eo operari debemus in spiritu christiano, repleti fide et caritate. Sed non satis in textu elucet quod relationes inter id quod in mundo est efformatum vel efformandum et exigentias vitae christianae imprimis detegi debent *ab ipso operante in mundo,* in quo fides cum peritia et experientia rerum coniungitur. Et *idem,*[2] hac in re, ipse laicus partes principales agere debet in quaestio-

nibus detegendis et solvendis. Revera, non sine adiumento magisterii! Sed praecise ad exigentias mundi huius temporis pertinet, quod hierarchia, suum officium nequaquam negligens, in docendo et moderando suos limites respicit.

Ad has deficientias principales accedunt multae aliae uti sunt sententiae inintelligibiles, minus opportunae vel non omnino rectae; de quibus tamen scripto mentionem faciemus.

Concludimus quod praesertim propter merita cap. IV, schema placet ut basis disceptationum, sed quod desideratur post disceptationes generales elaboratio textus funditus emendati trium priorum capitum. Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] coniunctionis. [2] ideo.

Moderator: Audiant Patres venerabiles! Cum visum fuerit moderatoribus schema *de Ecclesia in mundo hodierno* in genere sufficienter et abundanter discussum esse, quaeritur secundum art. 57 § 6 *Ordinis Concilii celebrandi* a Patribus an placeat ut discussio talis nunc finiatur.

Patres qui ad quaestionem hanc affirmative respondere velint, surgant e sedibus suis. Videant assignatores, qualis sit voluntas Patrum.

[*Intervallum*].

Gratias agimus Patribus pro voluntate enuntiata. Cum responsio sit affirmativa, nunc petiit secundum normas Ordinis Concilii relator schematis ut dicat verbum finale ad discussionem in genere. Interea distribuuntur schedae pro suffragiis quorum mens et modalitas post relationem explicabitur.

Loquatur nunc, uti relator, exc.mus D. Aemilius Guano, ep. Liburnensis in Italia.

[*Intervallum*].

Quia non adest relator, loquatur nunc exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Patres venerabiles! Vobis porrecta est schedula suffragationis, nempe quaeritur a vobis utrum schema de quo disceptatum est hucusque quoad principia generalia placeat tamquam basis ulterioris discussionis. Patres quibus placet, dicant *placet* signo consueto. Hi vero quibus non placet ut sit basis ulterioris discussionis, dicant *non placet*. Tantum *placet, non placet*. Hic non habetur *placet iuxta modum*. Ergo quaeritur: Schema, de quo hucusque disceptatum

est, quoad principia generalia *placetne* tamquam basis ulterioris discussionis? Exprimatis vestrum suffragium, Patres venerandi!

Interea tamquam interludium recolo hodie esse festum S. Antonii Mariae Claret, qui fuit unus ex Patribus Concilii Vaticani I et orationes protulit multi momenti. Omen secretarii generalis hoc est ut in Concilio Oecumenico proximo alius secretarius generalis — nam hic praesens erit in purgatorio ad expianda sua delicta — possit nuntiare Patribus quod quidam ex praesentibus iam inscripti sint in albo Sanctorum. [*Plausus*]. Gratias.

Moderator: Nunc promptus est relator. Loquatur.

EXC.MUS P. D. AEMILIUS GUANO
Episcopus Liburnensis

Relator

Venerabiles et dilectissimi Patres et Fratres,

Cum tempus non adfuerit convocandae commissionis mixtae plenariae, non loquor nomine totius commissionis. Aliqua tamen puto dicenda antequam ad suffragationem perveniatur ut relator in sensu relationis vobis propositae feria III praeterita auditis confratribus subcommissionis mixtae. Puto commissionem laetari posse non praesertim quia dictum est — quia dixerunt « omne malum adversus vos! », non mentientes utique, sed tamen ut puto aliquantulum errantes, sed alia ex causa: scil. quia complures animadversiones et suggestiones prolatae sunt, quae videntur magni valoris et quae in toto sumptae fecerunt hanc discussionem vere dignam Concilio.

2. Fas non est in singula ingredi. Quaedam tantum sinite notare:

a) quoad methodum laboris. Plures laici, plures docti in variis disciplinis iam auditi sunt. Adhuc alios audiri possunt, non omnes peritos in universo mundo. Alioquin Concilium peritorum laicorum fieret. Etiam sacerdotes experientia pastorali praediti suam collaborationem dederunt, quin obliviscamur episcopos quoque, qui sunt membra commissionis, aliquam experientiam pastoralem habere. Ad hoc tamen aliquid addere necesse est: scil. peritos clericos et laicos omnino adhibendos esse. Attamen tandem aliquando iudicium ultimum et responsabilitatem pertinere ad ipsos Patres conciliares. Liceat in hac occasione iterum peritis gratias agere.

b) Nonnullae observationes, quae factae sunt invicem excluduntur vel ex iis forsan selectio facienda est, quia contraria aliquando rogantur. V. g. si quis petit, ut plures, tonum magis doctrinalem, dum aliquis magis hortativum. Multae tamen animadversiones in aliquo conveniunt aut optime inter se complentur, v. g. quando rogatur de efficaciori propositione doctrinae theologicae et de eius fundatione biblica praesertim quoad notionem mundi, quoad unitatem cosmicam quae tota est obiectum Redemptionis, quoad relationem evangelizationem et humanizationem, quoad valorem vitae, quoad praesentiam peccati in mundo, quoad antithesim inter Ecclesiam et mundum positum maligno, quae antithesis non excludit sympathiam Ecclesiae versus mundum quatenus creatum a Deo, redemptum a Christo. Plures etiam petunt ut magis ratio habeatur de ethica naturali. Quoad situationem actualem insistenter petitur ut abundantius ratio habeatur de atheismo in quocumque modo se praebeat, de egestate spirituali huius mundi, saepe in contradictione cum praeceptis legis naturalis; de fame; in genere autem perspectiva non nimium Europaea vel occidentalis sed vere universalis praebeatur.

Nonnulli in puncta singula iam devenerunt, de quibus postea disceptandum esset in singulis capitibus.

Liceat tamen ad hoc unum verbum dicere: nos, scilicet commissio, nimium in particularia descendere non intendit, et nos putamus nos nimium in particularia descendere non posse, praesertim de punctis sat delicatis de quibus schema intentionaliter agere noluit eo magis quod ipse S. Pater iam nuntiavit studia per competentes promovenda esse, quae iam fiunt per Commissionem ex doctis viris ex toto mundo, ex doctis viris in scientiis biologicis, sociologicis, psychologicis una cum theologicis compositam et de quibus ipse S. Pater iudicium sibi reservavit.

De stylo et lingua plurimi conquesti sunt etiamsi diversis sub respectibus, sed iam ego ipse dixi quod in hoc consentimus sicut consentimus in pluribus quae dicta sunt. Plurimi putant ad laborem huius constitutionis complendum et ad bonum Concilii necessariam IV sessionem. Nuntiare nunc possum statutum esse hanc IV sessionem nos habituros esse.

3. Nullus adfuit qui schema totaliter canonizandum censuerit et coram mundo venerandum proposuerit, sed ne ipsa commissio ut optime nostis hoc iudicium tulit. Perpauci fuerunt qui putaverunt textum omnino, totaliter reficiendum esse, rari sed strenui natantes in gurgite vasto. Unus tantum, ni fallor, qui ad ignem aeternum textum damnavit, una cum suis adnexis, sed puto absque peritis.

Fere omnes textum declaraverunt acceptandum ut basim discussionis, alii minus favorabiles — alii magis, alii valde. Plures, notandum esto, sive oretenus sive scripto suum consensum dederunt nomine vel alicuius nationis vel plurimorum episcoporum.

Conclusio. In hac sessione ad definitivam approbationem huius constitutionis pertingere non possumus. Sunt tamen aliqua puncta vel themata de quibus forsitan urgentius aliquod verbum antequam sessio terminetur dicendum solemniter esset, scilicet de pace, de fame et de paupertate, de atheismo in omnibus suis formis — cum fraterno intentu allici omnes fratres nostros qui forsan Deum non credunt vel non cogitant. Quae puncta amplius in constitutione deinde resumenda erunt. Per relationem initio discussionis habitam schema vestro iudicio proponebatur. Discussione audita liceat magis audere et textum vestrae approbationi proponere ut basis ulterius discutienda. Ad arduum laborem quem prosequi debemus commissio multum gaudebit si plures alii collaborabunt, sed praesertim petimus ut omnes et singuli Patres schema attente meditentur et sua consilia praebeant. Sic speramus fore ut in spiritu vere fraterno possimus Dei et mundi expectationi obvenire. Gratias.

Moderator: Collegant nunc assignatores votationes Patrum!

Audiant Patres venerabiles. Dum calculi suffragiorum numerantur, interea hypothetice — id est pro casu suffragiorum eventu affirmativo — initium habetur disceptationis de prooemio et I capite.

Legere velit secretarius generalis nomina eorum Patrum, qui verbum petierunt de hac parte schematis.

Secretarius generalis: En tertio ad ambonem, Patres venerabiles! Haec sunt nomina eorum, qui verbum facere petierunt circa prooemium et cap. I *de Ecclesia in mundo huius temporis*. Hic est aliqua distinctio, sed...

Ad prooemium: exc.mi DD. Paulus Gouyon, arch. Redonensis in Gallia; Paulus Schmitt, ep. Metensis in Gallia; Franciscus Simons, ep. Indorensis in India; Felix Romero, ep. Giennensis in Hispania.

Ad prooemium et cap. I: exc.mi DD. Gerardus De Vet, ep. Bredensis in Neerlandia; Emmanuel de Rosario, ep. Malolosinus in Insulis Philippinis.

8

EXC.MUS P. D. PAULUS GOUYON
Archiepiscopus Rhedonensis

Venerabiles Patres,

Etsi schema hodie nobis exhibitum perspicue considerat problemata quae ex mundo huius temporis exsurgunt in conscientia cuiusvis christiani, et ei clare indicat missionem quam explere debet inter homines hodiernos, etsi proinde optimum fundamentum praebet discussionibus hanc ad rem pertinentibus, et propterea ...[1] placet, attamen necessariae videntur aliquae emendationes *de prooemio et cap. I,*[2] duplici ratione: 1. quia visio mundi moderni amplitudine caret in hoc *prooemio*; 2. quia modus loquendi, ad talem visionem exponendam, sat debilis apparet.

1. *Visio mundi moderni non qua par est amplitudine pollet.* Hinc illinc miratur textus noster res egregie gestas in mundo moderno, sed hoc facit passim, in delineamentis hic inde sparsis, non autem modo globali et cohaerenti, ita ut animi nostri ad admirationem commoverentur. Momentum huius expositionis pendet non solum ex ratione logica sed multo magis ex ratione problematica (gallice: problématique) scil. ex modo exponendi hanc quaestionem ratione habita praeoccupationum mundi hodierni; sic et sic tantum ab hominibus audiri poterimus.

Hic invenire optaremus quasi picturam amplissimam, in qua describerentur mirabiles progressus scientiae et artis technicae, ingens incrementum instrumentorum communicationis socialis, incredibiles possibilitates diffusionis idearum nostrarum in ipso momento quo formulantur, crebrior extensio culturae civilis (saltem in regionibus fortunatis sed non sat numerosis), magis magisque intensa communicatio idearum, victoriae in morbos, incepta audacia ad universum subiiciendum. Ut breviter dicam, in pictura illa apparere deberet expletio nova praecepti Creatoris, sic primos homines alloquentis: « Replete terram et subiicite eam et dominamini » ...[3], necnon fides serena in valorem actionis creatricis: « Et vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona » ...[4]

Sed eodem tempore optarem, ut non minus fortiter exponerentur pericula immensa quae minantur generi humano, ita ut in ipsis rebus prosperis voces audiuntur proclamantes quomodo mundus actualis ad absurdum deducitur: scil. periculum famis et insufficientiae rerum oeconomicarum; ...[5] belli quod totum universum quasi annihilare valeret; ...[6] servitutis, etiam in nostra societate grassantis, propter inaequalitates indignas inter homines et quae sub falso praetextu rationis oeconomiae

protrahuntur; ac idem periculum segregationis ratione generis sic dictae racialis aut diversitatis opinionum in re politica vel religiosa, praesertim ex parte atheismi; ...[7] ignorantiae sic dictae « analphabetismus » in sat nimis territoriis; pericula denique quae ansam praebent terroribus collectivis, et quibus vita fit quasi insupportabilis, dum in consilio Dei Creatoris felix esse *potest et debet.*[8]

Pictura huiusmodi quae lucem et tenebras mundi hodierni optime illustraret, prooemium normale esset nostri schematis, ex quo postea signa temporis caute deducerentur *in cap. I. Et quidem*[9] notio « signa temporum » pluribus difficultatibus laborat. Quilibet progressus vel quilibet regressus vel quilibet series factorum signa temporum non constituit. In ipsis signis quid tribui potest voluntati Dei cum intentione hominibus loquendi? In humanitatis historia peccatum ingentem locum obtinet. Quid est ex parte Dei et quid ex parte peccati? Hic certe aliqua ambiguitas adest quam dissipare debemus. Credimus tamen quod Deus homines ipsis eventibus *ut signis*[10] alloquitur.

Sed secundum Matthaeum et Lucam, qui hanc expressionem « signa temporum » referunt, videtur eventus vocem Dei esse si natura sua et effectibus suis bonus est.[11]

Sed ad picturam perficiendam necessarius esset insuper modus loquendi fortiter resonans quod autem quasi plane deficit. Etenim

2. *Lingua schematis nostri debilitate laborat.* Quando aliqua mater de rebus adversis vel prosperis filiorum suorum loquitur, etiam verbis simplicibus, semper patefacit commotionem animi. Non ita dicendum est de schemate nostro. Videtur *prooemium*[12] exaratum fuisse ab hominibus in pace viventibus, procul a difficultatibus vel infortuniis hominum de quibus loquuntur. Diceres eos non sufficientem partem habere in talibus angustiis. Itaque *prooemium illud et quidem*[13] schema parum aptum est ad spem vel caritatem vel sapientiam excitandas, *quia non sufficienter accommodatum modo sentiendi et loquendi hominum nostri temporis.*[14]

Dicet aliquis: schema imprimis ad christianos dirigitur. Nunc autem: numquid meliores sunt christiani quam filii populi electi? Ad hunc populum alloquendum in Antiquo Testamento Deus verbis asperrimis utebatur; eodem modo Christus Dominus expressiones adhibebat quam durissimas ad scandala sui temporis reprobanda. Atqui, etiam in hodierno mundo non desunt certe scandala.

Si verba nostra fortiter ad christianos et ad nosmetipsos resonarent, etiam extra muros nostrarum ecclesiarum audirentur. Vox Ioannis Baptistae, etsi clamans in deserto adhuc hodie ad aures nostras pervenit.

Visio cosmica rerum terrestrium, sermo ardens et audax, possunt conferre nostro schemati influxum debitum et efficacitatem necessariam. Hoc nobis attente considerandum est, ut hodie sicut heri, in hoc mundo a Christo delapso vias paremus Domino. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] valde. [2] ex. [3] (*Gn.* 1, 28). [4] (*Gn.* 1, 3). [5] periculum. [6] necnon periculum. [7] periculum. [8] posset et deberet. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] illud. [14] deest.

9

EXC.MUS P. D. PAULUS IOSEPH SCHMITT
Episcopus Metensis

Venerabiles Patres et Fratres, necnon peritissimi Periti,

Oportet quod verba « huius temporis » in titulo schematis scripta, clarius et praecisive explicentur.

Omni tempore, missionarius impetus incitavit Ecclesiam non se in exsilio a mundo stabilire. Sic oboedivit Domino, qui dixit se non ad damnandum sed ad salvandum mundum venisse.

Hic missionarius impetus non semper et ubique in Ecclesia secutus fuit.

Hodiernis temporibus, realitas mundi ei tribuit momentum novum et quasi inauditum, in Ecclesiae historia.

Ista novitas historiae mundi huius temporis in prooemio schematis non sufficienter apparet.

Liceat mihi duas animadversiones proponere ad enucleandam hanc novitatem, respondendo duabus quaestionibus, quae sic se habent:

I quaestio: quae sit novitas mundi « huius temporis »?

II quaestio: quomodo Ecclesia debet se habere in ista historica novitate mundi?

I. *Prima quaestio*: Quae sit novitas mundi « huius temporis »?

a) Evidenter, mundus de quo loquitur non est mundus in incredulitate posito et a Christo damnato. Non est tantum realitas vitae quotidianae cuiusdam hominis. Immo non est simpliciter societas humana cum institutionibus suis.

Quando loquitur de mundo « huius temporis », agitur de aliquo complexu civilisationis qui nascitur per quattuor elapsa saecula.

In hoc complexu civilisationis, mundus recognoscitur ut mundus

arte technica accommodatus non mere naturalis; mundus globalis et non mere particularis; mundus universalis seu planetarius et non mere occidentalis; mundus dynamicus et non mere traditionalis; mundus historicus et non cyclicus; mundus in quo promotio multitudinum *seu massarum* [1] suscitat maximam interdependentiam seu socialisationem.

Multae et diversae ideologiae laborant hunc mundum in sua perpetua mutatione. Hae mutationes figurae mundi, quoad substantiam, irreversibiles apparent. De his omnibus, nascit figura nova hominis, quae delineatur a valoribus quasi universaliter recognoscitis.

Haec est prima notatio generalis mundi « huius temporis ».

b) Secunda notatio est quod ille mundus vindicat suam propriam autonomiam. Et hoc etiam novum est. Humanismum mere humanum elaborat, sine referentia immediata ad valores religiosos et normas transcendentales. Immo et atheismus, hodie fere ubicumque seminatus, quaestionem urgentem proponit requirentem gravissimam curam nostram. Agitur de significatione historica hominis in mundo. Ad responsum dandum istae atheismi interrogationi, urgenter vocatur elaboratio christianae anthropologiae.

Mementote, venerabiles Patres, quod pro prima vice in historia Ecclesiae, Concilium in tempore atheistico celebratur.

c) Tertia notatio. Ille mundus, vi suae autonomiae voluntatis et propriae consistentiae, iam Ecclesiae modo omnino novo se praebet. Mundus recentior saepe saepius sine efficaci concursu Ecclesiae crescit. Aliquando sese construxit contra Ecclesiam quae erat non tantum aliena sed *aliquo modo* [2] hostilis suo conatu.

Consequenter, status relationum inter mundum recentiorem et Ecclesiam aggravatus est multis iurgiis et querelis. Nonne evidens est hic status, ex utraque parte, longe abesse a statu dialogi?

II. *Altera quaestio.* Quomodo Ecclesia debet se habere in ista historica novitate mundi?

a) Quaerere debemus relationem Ecclesiae ad mundum quae sit vera praesentia. Iustum est memorare quod, temporibus patristicis, Ecclesia certa praesentia in rebus culturae, praesertim philosophiae habuit.

Non fuit sic in tempore nec medii aevi nec recentiore. Medio aevo, propter angustias temporum, Ecclesia sese convertit in specie christianae societatis (La Chrétienté). Mundus ab Ecclesia aliquo modo captatus est et consistentia propria mundi minorata fuit.

In recentioribus saeculis, Ecclesia suspicionem nutrivit erga tentamina et valores humanismi novi.

Hisce temporibus, hora est investigare novas vias Ecclesiae. Renun-

tiante Ecclesia tam voluntatis potentiae quam exsilio, vera praesentia fit in amicitia, in paupertatis spiritu, quasi ab interiore.

b) Semper clarius accedit ad conscientiam Ecclesiae haec convictio: actualitas Evangelii transiit obligatorie per quaestiones quas mundus proponit. Etsi ambiguus sit, mundus hodiernus potest proferre — etiam hoc fecit — provocationes ad purificationem vel amplificationem suae evangelicae conscientiae.

Dici potest quod hic mundus in quadam dynamica solidarietate est cum progressu et fortuna Evangelii. Etiam dici potest quod hic mundus non simpliciter est extra Ecclesiam, etsi non iam conversus sit ad Christum. Immo et Ecclesia ipsa veram et totalem conscientiam sui non habere potest, hodie, sine attentione ad ea quae dicit et vivit homo hodiernus.

c) Sine dubio, Ecclesiae est ambiguitates et forsitan errores mundi huius temporis in lucem ponere. Sed hoc authentice et efficaciter non poterit adimplere sine praevia et positiva attentione ad hunc mundum.

Evangelicis oculis videbimus, imprimis, valores positivos mundi huius. Hic mundus ut providentialis nobis apparebit ...[3]

Vindicatio mundi huius temporis ad autonomiam non est necessarie superbia prometheana. Est intentio hominem liberiorem reddendi et capacem staturam maioritatis attingendi.

Conclusio. Ut Ecclesia sit missionaria, debet existere in ipso progressu historico mundi. Quodsi omitteret, impossibile esset illi et mundum liberare ab alienationibus suis et mundi huius valores, dynamismum et praechristianas intuitiones, in vires venturi mundi inserere. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] Sic v. g. motus quasi generalis et valde significativus mundi huius temporis quae dicitur laicisationis, non suscitabit in Ecclesia diffidentiam nec habitudinem mere defensivam.

10

EXC.MUS P. D. FELIX ROMERO MENJIBAR
Episcopus Giennensis

De fundamentis dialogi inter Ecclesiam et mundum. In prooemio, etsi multa laudabilia et peropportuna iure meritoque inveniantur, attamen, deest clara expositio fundamentorum dialogi inter Ecclesiam et mundum, quibus innitatur processus idearum totius schematis.

Certe in n. 1 ad ineundum huiusmodi dialogum, varia magni pon-

deris afferuntur, sed de profundiori ratione talis interlocutionis, ex ipsa Ecclesiae natura exsurgentis, nihil dicitur.

Similiter in n. 2, tota pericopa de « signis temporum » suadet quidem opportunitatem, immo necessitatem pro Ecclesia et mundo seu hominibus problemata humana serio considerandi. Sed omnia quae in hoc numero feliciter dicuntur, non sunt verum fundamentum dialogi, nisi inserantur in ampliori contextu de ipsa natura et missione tum Ecclesiae tum mundi, i. e. hominum, ut statim tractabitur. Hac insertione praeterea, ambiguae et confusae interpretationes, quae oriri possent ex non bene intellecta expressione « signa temporum », vitarentur.

Unde opinamur magni fore totam rei tractationem his principiis subesse:

a) Initium sumatur *a brevi Ecclesiae notione ut communitatis salutis* pro hominibus divinitus institutae, ex hominibus coadunatae, et in hominibus incarnatae, ut continuationis historicae mysterii incarnationis et redemptionis. Ecclesia igitur ex hac sua natura potest et debet problemata de homine ut propria considerare et ibi praesentem sese constituere, ubi de hominis quaestione agatur. Haec est ultima ratio cur Ecclesia mundum alloquatur.

b) Deinde aperte exponatur, quod *mundus suam etiam propriam competentem vocem* habeat in quaestione de homine. Constructio enim civitatis terrestris specifice hominibus, ad Dei imaginem factis, competit, secundum ipsiusmet Dei consilium.

Haec autem missio terram colendi et societatem vere humanam fundandi et promovendi, est structura in se valida, et ut *verificatio* [1] voluntatis divinae, *est* [2] elementum salvificum, non solum extrinsece, sed etiam intrinsece. Exhinc nitide appareret cur et quibus in rebus mundus cum Ecclesia dialogum inire queat, immo mundus ab Ecclesia audiendus sit.

c) Tandem ignorare non oportet realitatem peccati cui homines historice subiciuntur. Haec autem realitas dialogum urgentiorem reddit, sed de his fuse in schemate.

Sub luce igitur horum trium principiorum, iam bene intelligi potest duplex aspectus valde diversus, sub quo tempus « vox et signum » in schemate dicatur. Tempora enim nostra, profundis mutationibus undequaque agitata, ex una parte secum ferunt mirum humanitatis progressum, qui progressus consilio Dei circa hominem respondet, proindeque vere in tali progressu vocem Dei audire necesse est; ex altera parte aetas nostra infeliciter etiam profunda signa monstrat peccati tum quoad eius realitatem tum quoad possibilitates ingentes ex mediis multiplicatis et efficacioribus. Quae signa etiam pro Ecclesia et hominibus vocare

oportet « vocem Dei » in hoc sensu, quod omni conatu hominem salvare a tali miserabili servitute coniunctis viribus urget.

Si igitur in prooemio vel in aliquo speciali capite quod primum esse deberet, tum principia supra memorata, tum eorum applicationes ad vocem Dei in signis temporum, suo loco ponantur, validum et solidum credimus iactatum iri fundamentum dialogi inter Ecclesiam et mundum.

Fundamentum quidem plenum illa consideratione erga interlocutorem, quae est prima dialogi cuiusvis conditio, ut Summus Pontifex Paulus VI in Encyclicis Litteris *Ecclesiam suam* mirifice exposuit.

Fundamentum realisticum, ut ita dicam, quod debitam tum progressus tum peccati realitatem prae oculis habet.

Fundamentum positivum, quod optimismo vere christiano et humano nixus, ea praecipue ad mentem revocat, quae unitatem favent.

Fundamentum denique universale, quod ad ipsam validam *et* [3] structuram et competentiam utriusque interlocutoris, attendit.

Hac perspectiva praeterea visio unitaria relationis nostri schematis cum schemate centrali *de Ecclesia* haberetur ideoque eius momentum, quod est prooemii munus, lucidius innotesceret. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] realisatio. [2] deest. [3] deest.

11

Exc.mus P. D. GERARDUS HENRICUS DE VET
Episcopus Bredanus

Venerabiles Patres et Fratres,

Nomine conferentiae episcoporum Neerlandicae relate ad prooemium et tria prima capita, quasdam observationes proferre velim.

1. Deficit in primis tribus capitulis vel unica definitio seu circumscriptio illius quod est « mundus », sensu moderno et christiano, e quo sequitur indoles vaga totius primae partis schematis. Inquantum aliqua definitio huius mundi subiacet huic schemati, mundus videtur esse quid extranei, ad quod Ecclesia maternos suos oculos vertit videndo in hoc mundo aliqua fieri bona, multa vero mala et perversa ...[1]. Certo certius malitia et deficientia huius mundi in hoc schemate debet explanari, sed tunc unico in loco et quidem strenua et organica redactione. Nunc vero intra sex paginas iterum atque iterum, usque septies, post laudationem aliquam huius mundi schema festinanter repetit aliquid de malitia huius mundi, acsi Ecclesia nonnisi aegre et invitus aliquid boni

de illo mundo possit effari. Ratio huius est, quod mundus inde ab initio tamquam aliquid potius extranei et hostilis consideretur, quin detur enucleatio alicuius « kerygmatis » christiani valorum terrestrium.

2. Tria prima generaliora capita non reguntur aliqua christiana et humana visione relate ad habitudinem Ecclesiae ad mundum. Verum est, quod ipsa visio christiana « mundi » in schemate hic illic, parce quidem et in quibusdam locis quasi deperditis, de facto adumbratur, sed non regens totam explanationem. Insuper loquendo de « Ecclesia » videtur sermo fieri de aliquo ente existente supra et extra homines ...[2] vel etiam Ecclesia videtur identificari cum sua hierarchia.

3. Non explanatur sic dictus processus saecularisationis, quo nempe mundus, qui olim sub diversis respectibus sub tutela Ecclesiae et religionis fuit, nunc paulatim in propriis suis terminis autonomus fit. Ob hanc neglectionem schema nihil dicit de problemate moderno fundamentali, quomodo nempe principia revelationis divinae ad has provincias terrestres de novo applicanda sint, tam theoretice quam practice, ita ut mundus reapse sanctificetur, quin sacretur.

4. Redactio capp. II et III videtur manca, indiscriminatim et sine ordine loquens de pluribus. Agit enim praesertim de relatione Ecclesiae ad potestates terrenas, dum fere nihil dicit de habitudine instaurationis mundi et promotione populorum relate ad Regnum Dei. Insuper, in nn. 13 et 14 in quibus secundum divisionem ipsius schematis agitur de hierarchia relate ad mundum, miro modo sermo instituitur de mutuo adiutorio « Ecclesiae » et mundi.

5. Cap. III, in quo agitur de relatione populi Dei ad mundum, de facto non loquitur de populo qua tali, atque eget realismo christiano. Caput illud videtur innuere quod christiani fere unice caelestem patriam anhelant et admonendi sunt ut etiam negotiis saecularibus sese immisceant. E contra, significatio christiana facti realis, quod christifideles laici reapse anima et corde implicati sunt in hoc mundo, non explanatur, ita ut responsum non detur reali problemati christifidelium laicorum. Caput illud est quoddam summarium sine visione, quae possit gignere enthusiasmum fidelium.

Quas ob causas hoc schema, in huius tribus capitibus fundamentalioribus, de facto non est responsum ad reale problema, quod hodie corde vivitur apud christianos et omnes homines bonae voluntatis, qui reapse quaerunt sensum nostrae historiae humanae.

Proponitur proinde, ut prooemium simul cum tribus prioribus capitibus solidiore modo redigantur sub lumine christianae visionis illius quod est mundus, non quidem neglecta consideratione mundi sensu peiorativo Ioanneo.

Schema potius debet esse fervida Ecclesiae, explicite viventis donum Dei, invitatio ad mundum, ei annuntians: « si scires donum Dei », de quo ipse tu, Munde, nesciens vivis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cf. prooem., n. 2, linn. 20-32). [2] (v. g. cap. II, n. 10, linn. 1-4).

12

Exc.mus P. D. ALOISIUS DEL ROSARIO
Archiepiscopus Zamboangensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine episcopalis conferentiae Insularum Philippinarum.[1]

Ad prooemium. In introductione plures habentur declarationes facti, quae rationem merentur, attamen in toto documento ratio nusquam clare proponitur, e. g. in pag. 5, lin. 6 *dicitur*:[2] « ... terram, quam Deus credidit nobis, ut excolamus eam unanimes ».

...[3] Cur Deus vult ut terram excolamus? Mere ut laboremus, vel potius ut ea utamur ut medio ad finem?

...[4] In lin. 29 et ss., docemur de materialismo et de desperatione consequente. Si sumitur in se mandatum crescendi et multiplicandi et terram subiciendi, materialismus est consequentia sat logica. Desperatio in hac logica provenit ex eo quod subiectio terrae non est sat celer ac totalis. Nisi adaequatam rationem christianam habemus ad terram subiciendam atque implendam, materialismum et desperationem consequentem vix vitare possumus. Ratio ultima non potest esse iustitia et caritas, sicut saepe innuitur in documento; nam iustitia et caritas sunt mere media vivendi, non fines in se.

...[5] Caput sequens deberet nobis responsum praebere. Sed praebetne responsum adaequatum?

Ad cap. I. Pag. 8, n. 5. *Introductio*: locus iste convenit cum prooemio, sed iterum nullam rationem dat. Nusquam in toto capite nobis ostendit quomodo « huiusmodi officium ab ipsa fide sua promanare » ...[6]

Mihi videtur totum caput quadam levitate laborare. Nobis ostendit quidem *quomodo* homo vivere debeat, sed non *clare* ostendit *quid* facere debeat, quod est maioris momenti. Certe de hoc mentio quaedam habetur hinc inde in toto capite, sed tantum obiter et quidem ita sparsa ut quis integrum caput legere possit quin sciat de quanam re agitur. Nec clare exprimit rationes ...[7]

Antequam ad singulos defectus in hoc capite veniam, notare velim quod totum caput videtur esse compromissum quoddam inter duas interpretationes theologicas circa vocationem hominis. Mea quidem sententia, una interpretatio est christiana, altera vero pseudo-christiana. In hoc capite interpretatio pseudo-christiana meliorem tractationem recipere videtur.

A) Mentalitas pseudo-christiana: Homo creatus est ut Deum agnoscat et amet eique inserviat, et sic in caelo cum Deo beatus erit. Unde homo creatus est ut crescat et multiplicet terramque repleat atque subiciat. Vita igitur est tempus probationis. Quemadmodum homo vivit (quid faciat minoris momenti est), sic quando moritur mercedem suam recipiet in caelo cum Deo et angelis, et erit ipse sicut angelus.

Hunc modum cogitandi voco « mentalitatem sicuti in cavea » (squirrel cage mentality), quatenus homo creatus et sicuti in *cavea* [8] positus *ibi* [9] currit sed nusquam pervenit ...[10]. Si bene currit eum Deus liberabit a *cavea* [11] cum moriatur et eum in caelum beatum faciet. Problema est hoc: coram Deo non tantum *quomodo* homo sese gerat, sed etiam *quid* faciat momentum habet. Civilisatio est id quod homo facit. Quaestio est, cur in ultima realitate theologica id quod homo facit magnum momentum habeat? Emphasis in theologia christiana fuit in modo quo persona sese gerere debeat (v. g. in recta intentione). Caritas et iustitia docent quomodo oporteat nos gerere erga proximum; sed quid facere oporteat et cur? estne vita humana mera probatio in ordine ad caelum assequendum ...[12] vel potius civilisatio in se et pro se valorem theologicum habet?

B) Mentalitas christiana: Christus venit ut peccatum, mortem diabolumque vinceret, et sic novum populum electum pro Patre adquireret. Propterea praemio ornatus est. Homo, si vere christianus, debet Christum sequi, peccatum, mortem et diabolum vincendo (i. e. malum = quid) et ut membrum populi electi Dei vivendo (quomodo). Propterea praemium accipiet ut homo (totus homo, cum resurrectione, sicut et ipse Christus). Finis dominationis terrae est victoria supra malum: chaos est quid malum; morbus, ignorantia, confusio, luctus, indigentia sunt omnia mala a peccato derivantia.

In consilio divino quid sit finis renovationis terrae per victoriam supra malum? Responsio: Creatio « novae Ierusalem », transformatio terrae quam homines inhabitabunt in resurrectione, quando Christus iterum veniet.

Finis dominationis terrae est vincere malum ...[13] et praeparare terram pro secundo adventu Domini; hoc cum mercede nostra in resur-

rectione colligatur. Vita igitur terrena non est mera probatio, sed in se continet *quid* faciendum sit...[14]

Veniamus nunc ad particularia. Ad cap. I, sub n. 5, pag. 8, linn. 11-12: « ... ut totum hominem ad altiorem elevaret dignitatem ». Videtur quod vox « dignitas » non est apta, quippe quae diversas res significat pro diversis hominibus. Eius loco legatur: « ut totum hominem ad altiorem elevaret conditionem exsistentiae ». Si christianus altiorem dignitatem habet ...[15], tunc habet dignitatem maiorem dignitate personae ...[16] de quo dubitandum est. Eius modus essendi et operandi ut persona mutatus fuit, non autem eius dignitas.

...[17] Linn. 21-22: Nihil dicit de ratione cur bona opera facere debemus. Mere faciendi causa? Nobis dicunt quomodo operari debeamus, sed hoc iam scimus et nullum gignit problema. Vera ratio innuitur supra ...[18], videlicet: resurrectio et renovatio terrae, victoria supra malum in ordine ad praemium resurrectionis.

...[19] In pag. 11, linn. 20-21: Hoc est argumentum valde debile pro hac paragrapho. Quod homo cibo spirituali et materiali egeat, non est ratio cur illi « qui vitae statu vel apostolatu, rebus divinis consecrantur », « terrena hominum officia » despicere non deberent.

Conclusio. Mea *quidem opinione,*[20] cap. I deberet continere declarationem totius finis exsistentiae humanae: videlicet, *quid, quomodo,* et *cur,* i. e. responsum ad utramque quaestionem; deberet enucleate declarare quomodo Ecclesia se habeat relate ad societatem huius temporis, sequenti modo, e. g.:

a) Idea resurrectionis ponatur *ut fundamentum*[21] totius capitis; est novissimum praemium et merces totius hominis (in imitatione Christi), non ipsius animae tantum.

b) Christus in mundum venit ut malum vinceret, nempe diabolum, mortem, peccatum, et omnia mala derivantia a peccato, sic novum populum electum pro Patre adquireret. Homo, si vere christianus, debet Christum sequi vincendo malum (quid), vivendo ut membrum populi Dei (quomodo), propterea mercedem accipiet ...[22] totus homo in resurrectione.

c) Finis dominationis terrae ...[23], civilisatio, est vincere mala a peccato derivantia, sic renovare faciem terrae; et finis renovationis terrae est eam praeparare pro secundo Christi adventu ...[24]

d) Quamnam partem habet Ecclesia hac in re? In eo quod eius est missionem Christi in terra continuare. Hominibus opem ferre debet ut malum ...[25] vincant et sic vivere possint ut membrum novi populi electi Dei. Eius non est tantum « salvare animas »; si se limitat ad hoc,

deficiet in sua missione quia amittet contactum cum hominibus in mundo viventibus, quos salvare debet. Oportet etiam ut causam civilisationis promoveat, adiuvando in eliminatione morbi, famis, paupertatis, etc.; et in renovatione et praeparatione terrae pro secundo adventu Christi.

In hoc decreto maior emphasis ponenda est in obligatione catholicorum essendi boni et efficaces, et, inquantum fieri potest, excellendi in respectiva vocatione. E. g.: medicus catholicus non tantum bonus catholicus esse debet, sed etiam bonus medicus. In hoc mundo hoc est munus eius a Deo datum, videlicet, vincere malum, quod in hoc casu est morbus, et adiuvare in renovatione terrae. In mentem habere debet se in conscientia teneri ad studium progressus scientiae quae relationem habet cum propria vocatione; nec oblivisci debet se Deo rationem redditurum esse de modo quo patientes suos tractaverit: utrum eos curaverit an eos occiderit. Bonum catholicum non auderem vocare medicum catholicum qui non est medicus bonus ex propria culpa.

Denique propono ut loco linguae latinae, aliqua lingua moderna adhibeatur in redactione huius decreti. Nullum dubium est linguam latinam in schemate adhibitam esse inelegantem. Nec accurate nec clare nec efficienter de rebus modernis loqui possumus lingua quae non est moderna. Praeterea si volumus ut homines huius mundi moderni nobis aures praebeant, eis alloqui debemus lingua quam intelligere possunt. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] Problema est. [4] In pag. 5, n. 2, lin. 25: « ... qui hominibus terram implendam tradidit atque subiiciendam ». Iterum quaeritur: cur? [5] Cf. etiam pag. 6, lin. 11: « ... Spiritus Sanctus dirigit cursum temporum et renovat faciem terrae ». Hoc certe facit, sed cur? [6] (lin. 10). [7] E. g.: nos semper dicimus medicum catholicum bonum catholicum et simul bonum medicum esse debere, sed hoc non sufficit. Oportet etiam praebere rationem cur bonus medicus esse debet, scil. ut malum vincat (morbum in casu) et simul mundum praeparet pro secundo Christi D. N. adventu, a. v., ut mundus in quo vivimus renovetur et melior fiat. [8] caverna. [9] est ubi. [10] (nihil interest quid faciat sed tantummodo quomodo illud faciat). [11] caverna. [12] (omnia pendent e modo quo vivimus). [13] (sicut ipse Christus fecit, et propter Christum nos etiam facere possumus). [14] et *quomodo.* [15] (quidquid hoc significet). [16] (cf. n. 20, pag. 21). [17] In pag. 9, lin. 6: « probare » sapit mentalitatem « sciuri in cavea » (squirrel cage mentality). Eius loco adhibeatur vox « ostendere », vel quid simile. [18] (linn. 15-20). [19] In linn. 25 ss. non clare apparet « magnitudo » vocationis hominis. Sane docetur quomodo homo vivere debeat, non tamen *quid* facere debeat, neque cur hoc « quid » sit tam magnum. Mea quidem sententia, hic est defectus totius capitis. In pag. 10, lin. 26 legatur « ventura » pro « aeterna ». Contrapositio debet esse inter vitam praesentem et futuram, non inter tempus et aeter-

nitatem. [20] humili sententia. [21] deest. [22] (cur). [23] aliis verbis. [24] (Creatio « novae Ierusalem », transformatio terrae). Civilizatio igitur in se et pro se habet valorem theologicum. [25] scil. diabolum, peccatum eiusque consequentias.

Moderator: Audiatur exc.mus secretarius generalis de exitu suffragationis.

Secretarius generalis:

Suffragium tulerunt	1.876
Dixerunt *placet*	1.579
non placet	296
et habetur suffragium nullum	1

Ergo suffragatio est positiva.

13

Exc.mus P. D. IOSEPH SCHOISWOHL
Episcopus Graecensis-Seccoviensis

Venerabiles Patres,

Si Ecclesia dialogum cum mundo hodierno incipit, quaerendum tamen manet, num Ecclesia in suis expositionibus, aliquatenus saltem, ab ipso mundo intellegi et grato animo recipi possit!

Propterea non sufficere potest, sicut iam saepius in hac aula audivimus, Ecclesiam de problematibus huius mundi meditari, sed pari modo debet et ipsa dialogum cum reali mundo incipere, lingua, quae huic mundo intelligibilis est.

Unum horum problematum recipere volo: in n. 7, cap. I deploratur caecitas eorum, qui sive docendo, sive agendo hominem vitam ad solas coarctant dimensiones terrestres.

Debemus quaerere, cur hoc faciunt. Inter alias causas illa eminet, quod immortalitatem animae non credunt. Ex diversis colloquiis cum coaevis, etiam baptizatis, constat, quod etiam in Deum credentes saepe de immortalitate animae et deinde de vita aeterna desperant. Saepius ab illis audivi: si animae immortalitatem mihi clare explicare vales, omnia alia in vita recte diriguntur.

Homo etenim, sicut psychologice constat, indiget ad agendum firmae spei. Si deest haec spes, optima verba non adiuvant. Quia permulti hodie animae immortalitatem non tenentes spem ad aeterna non habent, rebus terrenis exclusive adhaerent; nam sperant se aliquantulum de

facto accepturos esse de bonis, quae mundus terrestris eis promittit et dat.

Quapropter, si cum hominibus huius temporis de mundo hodierno in luce Dei, in luce Christi eiusque evangelii colloqui volumus, prius eis de animae natura eiusque immortalitate dicere debemus. Nam fides in immortalitatem animae multis videtur esse via fidei in Deum.

Etiam autem nos comperimur difficultatem, proh dolor, hanc quaestionem hominibus explicare non iterum obiectiones facientibus.

Argumenta philosophica rarissime commovent. Si Revelationem appellamus, homines in ea a priori argumentum vident, quod demum agnoscentes animae immortalitatem accipiunt.

Forsan autem analogia ex rebus materialibus homines quaerentes adiuvare possit. Etenim immensae ingenii humani inventiones in omnibus rebus materialibus mirabilem connexum ad oculos demonstrant, sine quo tota creatio exsistere non posset. Cur hoc in natura spiritus non valeret? E. g. conscientia nos alloquitur eamque sequimur, quod etiam multi agnoscunt, qui in Deum non credunt; pro actionibus et decisionibus etiam ii responsabiles se sentiunt; in vita sociali semper iustitiam et fraternitatem poscunt scientes, quod in terris hae numquam plene perficiuntur.

Huic ergo mundo monstrare debemus etiam in natura mentis et animae connexum internum videndum et agnoscendum esse, qui tunc demum plene perficitur, si anima immortalis habetur.

Hanc spem schema nostrum hominibus ubique terrarum aperire deberet, ut etiam noster mundi aspectus in luce Dei ab iis accipiatur ...[1]. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Ceterum liceat mihi petere, ut pro redactione huius schematis post disceptationem laici vere experti pro unoquoque capitulo convocentur. Ipsi dicant nobis quidquid mundus de propositionibus nostris sentit. In dialogo fructuoso concipiatur documentum Concilii oecumenici dignum.

14

Exc.mus P. D. SECUNDUS GARCIA DE SIERRA Y MENDEZ
Archiepiscopus Burgensis

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,

Schema laudes meretur eo quod crisim statuat huius nostri temporis et solutionem in Christo inveniendam proponat. Quidquid positivi adest in mundo exultanter laudat simulque ea quae deviata, incompleta

aut periculosa sunt strenue denuntiat ac remedia opportuna conatur apponere.

Quaedam vero complenda videntur.

Hoc cap. I vere fundamentale est, a quo subsequentia *proficisci* debent (iuxta relationem circa historiam schematis, pag. 39, n. 1), ideo integram vocationem hominis debet exponere synthetice, complete ac clare quantum possibile est. Agitur de « actuali realitate in lumine theologiae » ponenda ...[1], seu « sub quo respectu Ecclesia participat et sua facit problemata temporalia nostrae aetatis » ...[2]. Intentio et momentum schematis dicitur omnino pastorale.

Attamen, licet theses seu speculativa principia directe non intendat, ea omittere non potest, tum propter rigorem doctrinae, tum propter brevitatem, tum denique ut aliquid valoris permanentis et universalis doceat. *Cetera enim evolutioni patiuntur.*[3] Doctrina vere pastoralis numquam aderit nisi firmiter aptis in principiis fundetur.

Iam vero, cum haec doctrina dirigatur non modo catholicis sed aliquomodo omnibus hominibus ...[4] et summatim agat de dynamicitate humana in mundo nostri temporis, necessarium prae primis videtur exponere rectum ac completum conceptum *ipsius hominis,* praecise prout est rex creationis cuius dominium a Deo ipsi est concreditum ...[5] Iudicium quod de valore rerum et munerum terrestrium n. 6 ...[6] profertur pendet radicaliter a iudicio prius emisso de ipso homine. Non quia homo sit mensura omnium rerum, sed quia consideratio earumdem diversa necessario erit iuxta varias doctrinas, relate ad originem et naturam hominis eiusque missionis in historia. Omnibus enim notum est nostris diebus amplissime grassari errores fundamentales in hac re, quibus in radice vitiatur doctrina de habitudine hominis ad res et munera temporalia. Eos proinde indirecte explodere oportet, sanam doctrinam anthropologicam positive edocendo.

Quam quidem doctrinam in planu naturali prae primis Concilium exponere debet, ut omnes in ea possint convenire. Eius capita fundamentalia, quae videntur non esse omittenda, sunt: hominem creaturam Dei esse, ad eius imaginem et similitudinem efformatum, permanenti religatione ad Deum vinculari ab eoque provide dirigi; proinde Deum esse ducem historiae, nec hanc concipi posse tamquam necessariam et caecam evolutionem materiae cuius culmen mere materialiter evolvendum esset homo; ideoque anthropocentrismum non triumphum sed ruinam hominis significare, nam eo ipso ac homo veluti deificatur ne quidem iam homo est aut sicut homini convenit agit.

Historia systematum philosophiae modernae, quae continuo sibi succedunt, sub apparenti exacerbato humanismo, exempla praebent lu-

genda huius ruinae hominis. Nam cum frequentius naturalem religationem hominis ad Deum evacuent, eadem methodo, qua in deliramenta idealismi adveniunt in materialismum etiam incidunt. A quo dilemmate nec conatus existentialismi nec vigentis neopositivismi, aut cuiusdam similis tentaminis, liberare hominem possunt, cum ipsum considerent veluti fataliter clausum in artificiali circulo suae inintelligibilis limitationis; qua limitatione homo sibi sufficiens esse non potest. Defectus communis his omnibus erroribus, quibus homines nostri temporis suffocantur, est praecise manca vel potius falsa conceptio naturae ipsius hominis etiam sub lumine mere naturali. Ideo clara notitia realitas humanae eiusque possibilitatum ac limitationum omnino necessaria videtur, ut loqui possimus de habitudine hominis ad res et munera huius mundi. Secus ea quae in schemate asseruntur, sine sufficienti iustificatione et cohaesione, saltem a non christianis, iudicari possent.

Concilium non modo in hoc schemate sed pluries de vocatione ac dignitate hominis agit. Oportet autem ut, saltem in hoc capite, data opera doctrinam exponeret de dynamicitate humana ac proinde de eius natura in plena sua proiectione naturali. Ex quo apparebit hominem dominum, non servum, rerum esse, atque in usu earumdem propriam perfectionem sui et proximi quaerere debere, altiora supra materiam intendendo, harmonia servata inter technicam et culturam. Exinde pax et progressus integralis consequentur. Ita melius elucebit, etiam pro christianis, valor doctrinae supernaturalis relate ad hominem et omnia homini subiecta, nam valores naturales hominis non modo non negat sed eos in planu altiori collocat, servata perfecta continuitate inter naturalia et supernaturalia, a quibus illa mirifice dignificantur, elevantur et complentur. *Clarescat denique lucidius communismum, doctrinae tum ex iure naturali tum ex christiana doctrina de vocatione integra hominis, toto caelo opponi.*[7] Proinde valde opportunum, immo necessarium, censeo in hoc capite integram « vocationem » hominis exponere, dependenter a recto et completo conceptu naturae humanae in planu etiam naturali consideratae, ut pro omnibus subsequens doctrina iustificetur et ut magis eluceat quanti momenti sit « vocatio » hominis sub plenitudine lucis supernaturalis intellecta. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cf. relationem II n. 1 pag. 42). [2] (*ibid.*). [3] deest. [4] (cf. Prooemium n. 3). [5] (cf. *Gn.* 1, 28). [6] (pag. 8-9). [7] deest.

Moderator: Proxima congregatio generalis erit feria II, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

Quoad schema de Ecclesia in mundo huius temporis

In genere

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE *

Quoad schema de Ecclesia in mundo huius temporis

In genere

1

Em.mus P. D. IOSEPH card. LEFÈBVRE

Archiepiscopus Bituricensis

Plene adsentior huic schemati *de Ecclesia in mundo huius temporis*.

Nihilominus, optarem ut modo ampliori et clariori exponatur missio transcendentalis Ecclesiae.

Oportet enim, mea sententia, ostendere investigabiles divitias, quas in praesenti, et ex sua missione propria, Ecclesia offert hominibus cuiusvis temporis.

Valores maximi momenti, hac in terra, sunt *persona humana* et eius *dignitas*. Ex ipsis pendent cetera omnia, et omnia cetera ipsis subiicienda sunt. Valores illi (et hoc fusius exponam in interventione mea) integram personam respiciunt, et eius dignitatem. Fructum suum aeternitatis maturant; sed quoniam ad homines spectant, et quoniam mundus per hominem aedificatur, magis quam alia omnia conferre possunt ad instaurationem mundi qui maiorem habeat humanitatem et fraternitatem et proinde felicitatem.

2

Em.mus P. D. CLEMENS card. MICARA

Episcopus Veliternus

Schema opportune monet christianos debere se mundo, pro huius salute, interserere eidemque mundo, ad profectum, ab Ecclesia adiutorium praestandum.

Idem tamen schema, dum officia inter Ecclesiam et hodiernum mundum considerat, adspectum, quem innuimus, studiose ostendit, fere negligit, e contra, duos alios adspectus, sive a Novo Testamento sive a traditione christiana semper memoratos atque nunc temporis opportune recolendos, cum constet multos christianos mundanas res, tamquam suprema bona, vehementius hodie appetere, illud oblitos, Christi sectatorem, quamvis in mundo sit, de mundo tamen numquam esse debere: quod Summus Pontifex Paulus VI nuper in Encyclica *Ecclesiam suam* revocavit.

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt, quia Patres, vel scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt, vel disceptatio interrupta est.

In primis, igitur, animadvertendum videtur, mundum, iuxta Sacram Scripturam, integre bonum non esse, cum peccatores quoque complectatur, vulnus ferat peccati et principem habeat satanam (*Io.* 12, 31; 14, 30; 16, 11; *1 Io.* 5, 19).

Christianus, ergo, neque mundum neque eiusdem res diligere debet. Nam « omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitae: quae non est ex Patre sed ex mundo est » (*1 Io.* 2, 16). « Quicumque ergo voluerit amicus esse saeculi huius, inimicus Dei constituitur » (*Ic.* 4 ,4). Igitur, christianus debet non solum sollicitudinem gerere pro mundo sed etiam, ut Concilium Tridentinum Sacram personans Scripturam monuit, contra mundum simulque contra diabolum et carnem dimicare (DENZ. 806).

Alter adspectus, quem schema non attendit, est de periculis, quae hominibus, concupiscentiae obnoxiis, terrestria bona iniciunt. Nam, uti sunt vehementer allicentia, « sollicitudo saeculi istius et fallacia divitiarum », i. e. bona terrestria, verbum Dei suffocant (*Mt.* 13, 22); ad aeternam salutem impedimentum constituunt, quod « apud homines » superari non solet, sed « apud Deum » tantummodo, idest divina gratia iuvante (*Mt.* 19, 26).

His et similibus Scripturae Sacrae locis Patres innituntur, cum suadent « fugam mundi »: quam etiam sacra Liturgia proponit, ubi Deum pluries exoramus « ut per terrestrium rerum contemptum aeterna gaudia consequamur ».

Non recte ergo asseritur: « plena proinde hominum vocatio haec est, ut gratias agentes Dei dona accipiant » (n. 6, pag. 9, linn. 21-24). Nam christiani eiusque vocationis est « immaculatum se custodire ab hoc saeculo » (*Ic.* 1, 27).

N. 12, pag. 13, linn. 3-4. Affirmatio, iuxta quam Ecclesia « in privilegiis ab auctoritate civili oblatis spem nullam ponit », obscura est neque videtur quomodo conciliari possit cum iis quae Ecclesia iuste desiderat et comparanda sibi curat, ut in rebus publicis, cum id assequi possit, favorabiles ipsi conditiones fiant, prae ceteris etiam religiosis communitatibus.

N. 12, pag. 13, lin. 24. Libertas conscientiae pars essentialis dicitur boni communis. Iamvero, nequaquam planum est libertatem utcumque sectandi propriam conscientiam, etsi erroneam, ad essentiam pertinere boni communis (cf. animadversiones de libertate religiosa).

N. 17, pag. 18, linn. 36-38. Asseritur christianus neque sibi neque aliis miseriam desiderare debere sed omnes velle participes communis humanae familiae patrimonii. Verum quidem est non expedire ut rerum vitae necessariarum inopia concupiscatur. At obliviscendum non est in Ecclesia semper habitam esse Sancti Spiritus ductui conformem extremam paupertatem, quam quis sponte susceperit, ut Franciscus Assisiensis et Ioseph Benedictus Labre.

N. 18, pag. 19, linn. 17-21. Generice suadetur colloquium seu « dialogus » cum omnibus bonae voluntatis hominibus. Opportune adderetur col-

loquium istud quandoque imprudens esse posse et pravos sortiri effectus, si colloquentes necessariis dotibus sint destituti.

Quae Summus Pontifex Paulus VI in Enc. *Ecclesiam suam* mirabiliter docuit de « colloquio salutis » ab Ecclesia cum omnibus hominibus instituendo, prae oculis hic habeantur oportet.

N. 21, 3-4, pag. 24, linn. 4-36. Coniugibus determinandum relinquitur quot filios gigni expediat nec dicitur, ad prolis limitationem, media licita ab illicitis distinguenda esse.

Quae propositio, in hodiernis rerum adiunctis, postquam nonnulli theologi et episcopi quoque licere media prolem aversura pronuntiaverunt, videtur tacite derogare traditionali Ecclesiae normae, quam retinendam esse, donec aliter ecclesiasticum magisterium disposuerit, Summus Pontifex Paulus VI nuper mandavit (Allocutio ad Patres Cardinales, die 23 iun. 1964).

3

EM.MUS P. D. ALFREDUS CARD. OTTAVIANI

Ne miremini me loqui contra schema propositum, licet una cum praesidente commissionis apostolatus laicorum particeps fuerim commissionis mixtae (doctrinalis scil. et apostolatus laicorum) disceptationi factae super schema ipsum die 13 octobris huius anni.

Quandoquidem in conventibus commissionum ego maioritatis placitis me inclino; nunc autem, in congregatione generali, individualem libertatem loquendi resumo et ea utor prout episcopum decet.

Textus cum adnexis constituit magnam aequivocationem. Quid sunt haec adnexa quae nec in commissione mixta nec in hac aula disceptationi subiecta sunt? Textus schematis elaboratus est et paratus et concinnatus a commissione apostolatus laicorum [1] et munus fuit commissionis doctrinalis tantummodo cavere ne aliquid contra rectam doctrinam ibi contineretur. Sed quoad adnexa nullum examen neque ulla suffragatio facta fuit.

Equidem, prius haec adnexa tamquam « paraconciliaria » denominabantur; postea vero, cum clare apparuerit istud verbum *paraconciliare* minime appropriari iis quae in Concilio nec sunt acta discussa vel probata, inventa est nova formula praecautionalis, et prout clarissimus relator in sua expositione declaravit « praebentur tamquam adiumenta (instrumenta laboris) pro studio nostri schematis ». Esset igitur schema interpretandum iuxta adnexa! Nemo autem est qui non videat quantis incommodis et aequivocationibus id locum daret post Concilium. Imo etiam nostris diebus iam videmus ephemerides, in suis commentariis, omnino praetermisso ipso schemate,

---

[1] Per hoc non intendo denegare praevium laborem subcommissionis mixtae, nec examen factum in commissione plenaria mixta.

tantummodo prae oculis habere adnexa et, data incertitudine quarumdam expressionum ipsorum adnexorum, deducere quasdam enunciationes quae sunt prorsus falsa.

Ceterum in ipsis adnexis continentur quidem multa bona, sed mixta malis, quae non potuerunt corrigi ideo, quia nec discussio nec suffragatio de iisdem habita est.

Non remanet igitur nisi ut novo studio subiiciatur schema cum adnexis, ita ut, quae bona sunt in adnexis inserantur in schemate, omissis iis quae vel minus probanda vel minus opportuna sunt.

Concludo igitur: schema remittatur commissioni mixtae, reformandum et perficiendum post studium communiter factum et disceptationi et suffragationi commissionis mixtae, scil. doctrinalis et apostolatus laicorum, subiiciendum, ut postea congregationi generali submittatur, cum relatione communi utriusque commissionis.

Cetera quae respiciunt animadversiones in quasdam expressiones ipsius textus secretariae generali Concilii tradam.

* * *

Schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* praebetur ut fructus commissionis mixtae: theologicae nempe et de apostolatu laicorum. De facto tamen potius praevaluit labor commissionis de apostolatu laicorum. Hoc explicat etiam differentia huius schematis ab aliis schematibus doctrinalibus. Alia ex parte labor commissionis doctrinalis erat iam pro suis rebus agendis ingens et urgens.

Doctrinaliter igitur puto neque schema neque a fortiori ipsa *Adnexa* digna esse Concilio. Dixi: neque a fortiori Adnexa, quia haec ne quidem breviter examinata vel discussa fuerunt in Commissione mixta!

Quod autem ipsam partem, quae ut discutienda proposita est, puto ipsam carere adhuc determinata *finalitate, materia doctrinali sufficienti* et *apta methodologia.*

1. *Schema caret determinata finalitate*: Neque relatio neque ipsum schema ostendit clare quid velit. Ex hoc defectu determinatae finalitatis exurgit defectus clarae expositionis et proprii caracteris; qui defectus pressius legentibus et quaerentibus patet. Ex parte mea putarem, quod si hoc schema in omni casu esset parandum in forma verae constitutionis conciliaris, prae oculis habere deberet finalitatem, expressam a Ioanne XXIII in nuntio radiotelevisifico diei 11 sept. 1962, proprie ad determinandum quid Concilium proponere se debet, inter alia, respectu ad omnes gentes. Dicebat enim Ioannes XXIII: « La sua (ossia del Concilio) ragion d'essere — come viene salutato, preparato ed atteso — è la continuazione o meglio la ripresa più energica della risposta del mondo intero, del mondo moderno al testamento del Signore, formulato in quelle parole pronunciate con divina solennità, le mani distese verso i confini del mondo: " Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, *docentes eos*

servare omnia quaecumque mandavi vobis " » (in *L'Osservatore Romano,* 12 sept. 1962). Haec promisit formaliter Ioannes toto mundo! Concilium *docere* debet, et quidem auctoritative; non describere vel lamentationes et verba consolatoria praevalenter facere, sicut videtur in nostro schemate, magna ex parte. Et quidem docere mandata (*tas entolàs* textus graeci) seu ordinationes divinae legis Christi omnibus gentibus, quae illis indigent, ad salutem consequendam. Aliis verbis Ecclesia debet docere omnes gentes etiam hodie Evangelium Christi; sicut proclamavit Concilium Tridentinum: Evangelium « fontem omnis et salutaris veritatis et *morum* disciplinae omni creaturae praedicari *iussit* » (DENZ. 783: Sess. IV)! Ergo etiam docere ordinem moralem Evangelii Christi est munus et finis Ecclesiae, et in casu huius Concilii, ut promisit toto mundo ille Ioannes XXIII in nuntio citato. Si tali modo determinetur finis schematis, tunc etiam ipsum alio modo redigi potest et debet. Alia ex parte hoc correspondet desiderio omnium gentium: scire scil. quid Ecclesia adhuc doceat de variis moralibus problematibus, quae ipsae sibi proponunt. Verba consolatoria transeunt: principia e contra manent!

2. *Schema caret* sufficienti *doctrina theologica*: hoc est logica consequentiae defectus anterioris. Nam qui finem sui laboris non ponit clare neque ipsam materiam clare et modo determinato tractare potest. Hinc repetitiones, confusionem inter descriptiones et principia, inter aspectus transeuntes et aspectus permanentes problematum. E contra in primis declaranda sunt principia generalia ordinis moralis divini, pro omnibus gentibus valentia: praesertim circa caracteres ipsius ordinis moralis etiam in sua immutabilitate, ne mundus credat quod Ecclesia posset mutare praecepta Christi; aliqua proclamanda sunt circa existentiam et valorem etiam in ordine redemptionis legis naturalis, cui subeunt omnes gentes, et circa competentiam Ecclesiae pro custodiendo et declarando omnibus gentibus ipsum ius naturale; deinde circa ipsam naturam et valorem conscientiae moralis in dependentia a lege Dei, Christi et Ecclesiae. Haec omnia pertinent ad ipsam missionem Ecclesiae. Iuvat recolere principium a Ioanne XXIII etiam repetitum: « Divinae Revelationis ea quoque est pars, quae officia ad mores pertinentia docet » (Synodus Romana 1960, art. 211: cui collegantur verba Pii XII, Nuntius radiophonicus 23 martii 1952: in *A.A.S.,* 44 [1952], p. 272). Aliae res circa modum dialogi etc. sunt potius methodologiae apostolatus Ecclesiae.

Et quoad problemata particularia, affirmata naturali et supernaturali dignitate personae humanae, proclamanda sunt principia doctrinalia quibus ordo coniugalis et familiaris, ordo oeconomicus, ordo socialis regi debeat. In praesenti schemate aliqua adsunt, sed non proprie per modum principiorum bene ordinata. Et in specie proclamare oportet clare iura et officia ex *primo, quinto, sexto* et *septimo* Decalogi praecepto manantia: prius utique in forma positiva; sed neque putandum est quod Ecclesia debeat docere *solum* quod liceat, tacendo id quod non est verum vel quod non

liceat. Ipse enim bonus Papa Ioannes XXIII dixerat in illo Nuntio, quod Concilium debet etiam dicere quod non est verum vel quod non liceat in ordine morum. Audiatis quid proponebat: « Le dottrine fautrici di indifferentismo religioso, negatrici di Dio e dell'ordine soprannaturale, le dottrine, che ignorano la Provvidenza nella storia ed esaltano inconsideratamente la persona del singolo, con pericolo di sottrarlo alle responsabilità sociali, è dalla Chiesa che devono risentire la parola coraggiosa e generosa... » (*l. c.*). Et paulo postea, quoad alia praecepta, en verba eiusdem Ioannis XXIII: « Ogni offesa e violazione del quinto e sesto precetto del Decalogo santi: il passar sopra gli impegni, che conseguono dal settimo precetto: le miserie della vita sociale, che gridano vendetta al cospetto di Dio: tutto dev'essere chiaramente richiamato e deplorato »! (in *L'Osservatore Romano,* 12 sept. 1962): Sic loquebatur et proponebat themata a Concilio discutienda, ille Pontifex, qui etiam finem pastoralem Concilii proposuit. Hoc facit bonus pastor, non ut avertat oves a se, sed ut illas illuminet (et Ecclesia dicitur lumen gentium) in illis quae sunt bona et in illis quae sunt mala!

Haec omnia aderant quoad principia in antecedentibus constitutionibus de *ordine morali,* de *matrimonio et familia,* de *ordine sociali,* etc. a commissione theologica praeparatoria parata. Cur nova redactio non sumpsit illa principia? Non est igitur rectum quod dicitur in relatione, defuisse scil. pro isto solo schemate laborem et materiam commissionis conciliaris praeparatoriae.

3. *Caret schema prudenti methodologia*: nam quando, sicut in praesenti, aliquod schema conciliare utitur methodologia aequivoca vel non satis praecise, theologice, evenire potest sicut iam de facto evenit in ephemeridibus, quod ipsa doctrina Ecclesiae e. g. circa matrimonium, circa pacem, etc. vario et non recto modo intelligi possit. Totum autem schema non raro datum est ut pertinens ad sic dictam Ecclesiam ad extra! Quid significat hoc? Forsan quod ipsa dignitas et vocatio supernaturalis personae humanae, vel ipsa principia moralia, vel ipsum matrimonium non pertinet ad ipsam *vitam* Ecclesiae? Caveamus a confusionibus.

Conclusio: Igitur de istis rebus gravissimis, quae in hoc schemate tanguntur, vel cum omni praecisione theologica et ideo modo poenitus diverso redigantur, vel nihil dicatur. Si primum a Concilio seligitur tunc alii advocandi sunt redactores sumptis principiis, quae in constitutionibus doctrinalibus commissionis praeparatoriae iam adsunt. Forsan melius erit de matrimonio et familia in Constitutione separata agere, quae tamen iam parata est et Patres habuerunt in prima sessione Concilii.

Venerabiles Patres: alii dant progressum et artem et res terrenas: Ecclesia dat quod habet, scil. veritatem et caritatem et Dei, « qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (*1 Tim.* 2, 4), secundum praecepta et gratiam Christi Iesu, Domini nostri. Tali modo revera Ecclesia est « lumen gentium »!

4

Exc.mus P. D. ALFREDUS ANCEL

Episcopus Myrinensis, aux. Lugdunensis

Forsan notastis quae ab exc.mo relatore dicta sunt de difficultatibus quae fuerunt propriae huic schemati. Vellem aliqua proponere ut profundius solvatur difficultas quae sub n. 2 et littera C pag. 42 ponitur. Ita enunciatur: « Duae positiones extremae vitandae erant, nempe: ut ex una parte Ecclesia quasi indifferens appareret circa realitates temporales, ex alia parte, ne videretur Ecclesiae munus esse totam sese impendere ad solvenda problemata huius temporis ».

Haec secunda difficultas maxima est et sub formis diversis sese exhibet.

Non enim desunt inter christianos qui, quamvis ore affirment scopum Ecclesiae esse spiritualem et etiam transcendentem, in facto tamen ita se gerunt ac si Ecclesia unice ordinaretur ad solvenda problemata huius temporis aut saltem ad animationem spiritualem eorum qui civitatem terrenam aedificant.

Inter non christianos autem plures ausi sunt affirmare Ecclesiam renuntiasse missioni suae spirituali. Secundum eos, Ecclesia videns oppositionem aut indifferentismum mundi hodierni circa hanc missionem, mutavit scopum suum ut mundo hodierno sese aptet et ab eo recipi possit. Ideoque omnes vires suas spirituales et totam suam potentiam affert aedificationi civitatis terrenae.

Denique tandem invenimus inter non-christianos aliquos qui putent Ecclesiam fraudulenter et dolose agere. Secundum ipsos Ecclesia nullo modo renuntiasset missioni suae sed fingeret sese renuntiasse fini suo, ut facilius homines suis retibus caperet.

Certe possemus obiectiones istas despicere, sive quia in schemate doctrinali *de Ecclesia* iam praeoccupatae sunt, sive quia in nostro schemate saepe saepius de his ratio habetur sive directe et explicite, sive saltem implicite.

Attamen, praecise quia hoc schema directe agit de relatione Ecclesiae cum problematibus huius mundi, magis etiam debemus his difficultatibus attendere, ne forte aliqui aut specie boni in errorem incidant aut timore erroris capti, omnem praesentiam realem huic mundo recusent.

Unde, quamvis schema mihi vere placeat, necessarium puto ut clarius et explicitius ostendatur quomodo munus Ecclesiae circa problemata humana et res temporales, minime sit alienum missioni suae.

Propono igitur ut ab initio textus nostri clare et solemniter recolatur quis sit finis essentialis missionis Ecclesiae. Quidquid sit enim momentum problematum hodiernorum, semper stat verbum Christi: « Quaerite primum Regnum Dei et iustitiam eius ».

Simul autem affirmandum esset, et hoc etiam ab initio schematis, missionem Ecclesiae non posse plene et integre adimpleri sine relatione ad res

temporales, in quibus homo vivit et quas ordinare debet secundum voluntatem Patris.

Hoc autem duplici modo ostendi potest, sive recolendo unitatem consilii divini, sive exponendo quomodo ipse Christus sese gesserit relate ad homines et ad res temporales in sua vita terrestri.

Recolenda est imprimis unitas consilii divini. Aliqui etenim quasi separant ipsam creationem quae ad ordinem mere naturalem pertineret et redemptionem quae sola ad ordinem supernaturalem sese referret. Certe creatio distinguenda est a redemptione et, a fortiori, ordo naturalis distinguendus est ab ordine supernaturali. Sed de facto omnia subsunt unico consilio Dei qui omnes homines creavit subiiciendo eis res terrenas et qui, in reparatione peccati, eosdem redemit. Hoc consilium autem manifeste nobis tradidit S. Paulus dicens: « Elegit nos in ipso, ante constitutionem mundi, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate » (*Eph.* 1).

Propter hanc unitatem consilii divini, non possumus reiicere res terrenas quasi mala essent aut sint valore, neque transitoria damnare quasi per se opponerentur eis quae sunt aeterna. Immo ad consilium Dei pertinet non solum ut homo transeundo per bona temporalia non amittat aeterna, sed etiam ut vitam suam terrenam, quae iam proprio et magno gaudet valore, ita vita divina induat ut valorem aeternitatis acquirat.

Unde quando Ecclesia rebus terrenis sese impendit, nullo modo extra missionem suam versatur, dum, ut clare et saepius notat textus noster, eo modo sese eis impendat, qui respondet missioni suae. Si, e contra, Ecclesia negligeret res terrenas, non vere responderet missioni suae.

Propterea quando Ecclesia, in tempore Concilii, magis se vertit ad res terrenas, nullo modo exit a missione sua, sed perfectius vult eam adimplere. Neque dolose agit, sed duo clare affirmat, primo quidem missionem suam ordinis esse spiritualis et transcendentis, secundo autem hanc missionem non posse plene adimpleri sine relatione ad res temporales. Non enim poterunt homines in vitam aeternam ingredi, si terrena sua officia neglexerint aut si cum aliis hominibus renuerint laborare ad bonum commune omnium.

Quae autem diximus de unitate consilii divini, accurate manifestatur in vita Domini Nostri Iesu Christi qui in hunc mundum a Patre missus est ut homines a peccato liberaret atque eis suam vitam aeternam communicaret. Haec missio certe spiritualis est sed nullo modo a mundo et a curis humanis aliena est.

E contra, ex Evangelio clare manifestatur quantam reverentiam Christus exhibuerit singulis hominibus, non tantum adultis sed etiam pueris, non tantum viris sed etiam mulieribus, non tantum Iudaeis sed etiam Samaritanis et ceteris alienigenis, non tantum iustis sed peccatoribus, non tantum doctis, divitibus aut potentibus huius mundi, sed etiam et praecipue parvulis et pauperibus.

Item, non tantum regnum caelorum praedicavit, sed etiam ad nuptias

adstitit, panes multiplicavit, aegrotos sanavit et dolentes consolatus est. Vere transiit benefaciendo.

Certissime erraret qui separationem introducere vellet inter duos illos aspectus vitae Domini Nostri Iesu Christi. Eadem missione, eademque caritate peccatores et leprosos mundavit, pane terrestri et caelesti nos nutrivit.

Quae autem de Christo diximus, etiam de Ecclesia dicturi sumus. Eadem enim est missio Christi et Ecclesiae, et Ecclesia in se faciem Christi quasi ostendere debet. Unde possemus dicere quod studio Ecclesiae in nostro Concilio aliqua defuissent, si schema nostrum schemati doctrinali Ecclesiae non additum fuisset.

Ideoque problematibus huius mundi studentes, nullo modo e missione nostra egrediemur, dummodo fideles maneamus in affirmanda prioritate absoluta orientationis transcendentis Ecclesiae et problemata temporalia consideremus eo modo qui Ecclesiae competit ratione missionis suae.

5

Exc.mus P. D. IOSEPH ARNERIĆ

Episcopus Sebenicensis

Ad ideam generalem et structuram schematis quod attinet, liceat animadversiones quasdam humiliter facere, laude prius dicta intelligentiae et diligentiae redactorum schematis.

Idea enim generalis et structura schematis optime descripta est in pag. 42 ab exc.mo relatore, quae vero nostris verbis ita reddi potest: concilium nempe repraesentans Ecclesiam universam, deberet prospicere principaliora problemata aetatis nostrae eisque accedere illuminatum veritate Christi atque eius amore inflammatum. Cur ita deberet accedere? Absque dubio ut imprimis christifideles doceret quomodo se gerere deberent erga eiusmodi problemata iisque daret normas practicas et concretas erga ea christiane se habendi, deinde ut de istis problematibus amicale verbum cum aliis extra Ecclesiam degentibus institueret.

Ergo in hoc schemate Ecclesia deberet instituere dialogum cum seipsa et cum aliis.

Si autem sub luce istius ideae generalis schema propositum perscrutamus, liceat mihi saltem dubium movere, scilicet num reapse schema nostrum bene in suo intento successerit. Cuiusmodi dubii sequentia fundamenta aliis vero omissis esse videntur.

1. Schema non percepisse videtur omnia principaliora problemata nostrae aetatis, e. g. exploratum est enim principale problema nostrae aetatis pro omni credente in Deum, praesertim pro amante Christum eius dolorosam et cruentatam quandoque inundationem atheismi sive marxistici sive capitalistici, sive practici sive theoretici, parum refert, sed consequentias eius pro dolor quo-

tidie experimur, et schema de hoc principali problemate Ecclesiae et humanitatis omnino tacet vel si illud aliquatenus alludit, id tam caute facit, ut merito dubitari possit num a Concilio Vaticano II hoc problema consideratum sit tamquam verum et principale eius problema.

Prae oculis habita ex altera parte tam magna diffusione atheismi et ex parte sat magna expectatione populi christiani atque universi mundi de hoc problemate, proposuerim ut a Concilio non tantum de eo sermo specialis institueretur in nostro schemate verum etiam speciales quaedam litterae tum ad nostros fideles tum ad omnes credentes dirigerentur quibus omnes ad vigilantiam particularem revocarentur qua seipsos ac filios suos ab hoc periculo inter pericula pro salute animarum hodierna maximo praecavere possent. Istae litterae nullo modo rei cuiusdam politicae vel imprudentiae pastoralis Concilium accusare possunt, quia pericula animarum praevidere ad eaque animum fidelium convertere necnon expressis verbis denuntiare ad munus veri Christi Pastoris pertinere, nemo vir catholicus negare potest, ita quoque negari nequit ab episcopo in nullo alio loco munus pastoris umquam tantum exerceri quantum in Concilio exercetur. Quod vero pertinet ad quemdam dialogum cum atheismo militanti instaurandum, de quo vox quaedam iam audita est in medio nostro, opinionem fidelium inter fideles fidelissimorum ausim proferre, scilicet antequam ad hunc praesum faciendum procederemur, facta bonae voluntatis non vero verba vel promissiones prius ab eo exquirenda essent, ne ab ipsis praecipites in agendo aestimaremur et prudentiae quae potius est carnis quam crucis Christi accusaremur.

Cum autem istud problema sit omissum, per se patet ut in schemate christifidelibus fere nullae formae practicae ac concretae sint datae de modo christiane se habendi erga atheos, praesertim organizatos et militantes. Etiam de alio gravissimo problemate saeculi nostri, quod vero omnes pastores et veros christifideles maxima cura et sollicitudine afficit, scilicet de facto quod apud multos homines nostrae aetatis sensus peccati omnino evanuit, schema omnino silet de relativismo autem theoretico et practico, qui vero multis nostris coaetaneis unicum verum est systema visionis mundi et qui pro dolor incipit invadere et penetrare animos tum fidelium tum sacerdotum, cui pro dolor saltem pro nostris fidelibus haud parvam ansam ipsum Concilium nostrum Vaticanum II praebuit, ut bene mihi id constat, schema nec verbum quidem facit.

2. Schema vult dialogare tum cum filiis tum cum aliis extra sinum dimorantibus, sed incipit a Christo Domino; sed liceat mihi quaerere num ita procedere, possit ad felicem exitum conducere? Sane nobis credentibus Christus est vita et resurrectio nostra, sed quis est Christus illis, qui nolunt de eo nec verbum quidem tamquam de Filio Dei audire? Iste modus procedendi parum conciliari posse videtur cum spiritu oecumenico a Vaticano II instaurato? Ideo ex meo humili iudicio melius esset proficisci in hoc schemate via qua profectus erat Ioannes XXIII in litteris encyclicis *Pacem in terris,* scilicet incipiendo a Deo, a lege naturali et terminum colloquio imponendo cum

Christo Domino, prout fecit hic Pontifex Magnus. Sub luce enim Dei et legis naturalis ad multa problemata hodie actualia et urgentia viribus unitis cum multis etiam non christianis possumus accedere ac de eorum solutione commune verbum invenire. Vel si volumus in nomine Christi incipere, tunc omnino faciendum esset id quod fecerat Summus Pontifex f. r. Paulus VI in encyclica *Ecclesiam suam,* scilicet primum de problematibus exclusive ad Ecclesiam catholicam pertinentibus, deinde de illis qui nobis cum christianis communia sunt, tum de illis qui nobis cum non christianis sed credentibus sunt communia, tum de quaestionibus nobis communibus cum non credentibus, postremo de problematibus inter nos et nostros persecutores existentibus.

3. Schema primatum caritatis vult extollere. Procul dubio caritati dandus est locus qui eam spectat. Sed in bona theologia fides praecedit caritatem, fides est fundamentum organismi spiritualis et moralis; caritas est effectus fidei, ideoque ex meo humili iudicio danda esset praecedentia in vita practica, in vita morali et sociali veritati seu quo rectius et pressius mentem meam aperiam auditores S. Pauli docentis: « Veritates facientes in caritate » (*Eph.* 4, 15). Magni momenti esse videtur in rectam lucem ponere veritatem, praesertim nostris diebus cum tantum extollitur spiritus oecumenicus. Veritas enim debet praecedere, veritas debet semper illuminare: gressus enim faciendi pleni amore sed ducti stella veritatis. Quod vero et Christus Dominus docuit dicens: « Veritas liberabit nos » (*Io.* 8, 32).

Veritas enim fundamentum est et libertatis. Ioannes XXIII in litteris encyclicis *Pacem in terris* proprio voluit extollere momentum veritatis tum pro iustitia tum pro caritate tum pro libertate: docuit enim non dari nec iustitiam nec caritatem nec libertatem quidem absque veritate. Ideoque propono ut in schemate ubi est sermo de relatione inter iustitiam, caritatem, libertatem et veritatem in primo loco semper ponatur veritas, ut ita memoria doctrinae Ioanneae in animis fidelium semper viva maneat.

4. Schema spiritu optimistico aliquatenus exaggerato scriptum est, ut patet ex pag. 6, linn. 9-13. Christianus enim revera optimista esse debet, quia victoria finalis semper est Dei, sed hisce in terris non omnes vicissitudines mundanae ducunt corda omnium hominum ad Christum uti in textu insinuatur. Quid significat optimismus exaggeratus, id optime nos pastores Ecclesiae silentii scimus, dum conspicimus iuvenes nostros fidem in Christum eiusque mores perdentes, dum cognoscimus coniuges nostros sine benedictione Christi unitos et moribundos ad Patrem absque pace Domini abeuntes et pueros nostros materialismo dialectico quotidie imbuentes, dum constatamus quod misericordiae Domini est quod adhuc non sumus consumpti.

Omnibus omnibus prae oculis habitis, humiliter propono ut schema propositum etiam iuxta humiles observationes meas corrigatur.

6

Exc.mus P. D. MICHAEL BALAGUER

Episcopus tit. Castellominoritanus, aux. Montisvidei

Se ha pedido por varios Padres la condenación del Comunismo; pero en la redacción de esa condenación se debe andar con suma prudencia. El Comunismo, en sus dirigentes y teóricos, es fruto de una filosofía materialista y atea; pero, en la gran masa de sus seguidores, es sólo la esperanza de mayor justicia social, de una mejor distribución de las riquezas, y de la supresión de los explotadores, y de los que viven con gran lujo sin trabajar, mientras ellos trabajando, viven con grandes dificultades.

Por eso creo que se debe distinguir perfectamente lo que se condena en nombre de las verdades reveladas. Non se condena en nombre de ellas, una organización social en que los medios de producción sean de propiedad estatal, no se condena una socialización que mañana quizá tendremos que aprobar, como hemos aprobado, después de rechazarla más o menos claramente, la Democracia, por ejemplo.

Esa organización social se podrá considerar equivocada, y aún perjudicial para el hombre por muchísimas razones; pero esas razones no pertenecen al acervo de nuestras verdades reveladas. En fin esto lo podrà condenar el ciudadano; pero no la Iglesia.

Que se condene sí, el materialismo y el ateismo de los actuales teóricos y dirigentes del Comunismo con bases marxistas, que se haga ver que, a pesar de las grandes promesas con que se presenta a los que sufren, una vez llegado al poder, los dejará a todos sin libertad para el ejercicio de su religión y para muchas cosas más, que son tan caras a la naturaleza humana, que no puede el hombre vivir sin ellas —aunque tenga lo esencial para vivir— y que por las mismas, después querrá renunciar a todo con tal de recuperarlas; pero ya no podrá nada hacer para cambiar su situación. Que se les haga ver que, una vez llegado al poder, pretenderá adueñarse de su espíritu y determinar lo que debe pensar, lo que debe conocer e ignorar, y que organizará la sociedad de tal modo que hará imposible al hombre reclamar lo que desea. Todo esto se puede hacer ver con la realidad existente en los paises de detrás de la cortina de hierro, donde es necesario impedir que los hombres se escapen, como se hace en una cárcel, pues de haber posibilidad, la fuga sería enorme.

Pero que, al mismo tiempo, se condene el Capitalismo que maneja la producción de los bienes que necesita el hombre, no en función de esas necesidades, sino de mayores y más fáciles ganancias, impidiendola cuando ella, a pesar de beneficiar a los más, perjudicaría sus fáciles ganancias; el Capitalismo que no hace al trabajador que produce, partícipe de los frutos de su trabajo, debiéndose éste contentarse siempre con un salario, y nada más. Con esto el Capitalismo hace que el trabajador no tenga interés en producir

más, aún pudiendo hacerlo, pues tal cosa no lo beneficiaría más a él, sino sólo a los dueños del capital que ya ganan bastante, con lo que perjudica también a la masa que necesita de más bienes producidos.

Que se condene el Capitalismo que maniobra con su dinero sacándolo del pais en el momento que considera peligroso dejarlo allí, empobreciendo aún más a la nación ya en dificultades, paralizando fuentes de trabajo y provocando, por consiguiente, la desocupación de los más necesitados, pues para él no existe ni patria ni nada, sino su ganancia, su mayor y más segura ganancia.

Sólo así los pobres verán que nuestras condenas del Comunismo no son veladas defensas del Capitalismo, y no se irán alejando cada vez más de nosotros.

* * *

Uno de los males más graves que tiene que sufrir la civilización cristiana, y que ha hecho, hace y amenaza hacer mucho daño es el *laicismo,* sobre todo el escolar. Con pretexto de neutralidad en muchos paises las escuelas estatales, que son de la mayoría de los estudiantes, por ser gratuitas, son laicas, es decir que en ellas está prohibida la enseñanza religiosa, sea de la religión que sea, y porque prohiben la enseñanza de toda religión, creen ser neutrales aparentando no darse cuenta que entre el materialismo que no quiere ninguna religión y el espiritualismo que quiere la que cada uno cree la verdadera, se inclinan por el materialismo.

Por ser gratuitas los pobres se ven obligados a enviar a ellas a sus hijos, y ellos son los que están en peores condiciones para suplir la enseñanza omitida en la escuela, con la impartida en el hogar, y por lo tanto las clases pobres sufren una paulatina descristianización.

En la enseñanza superior en los paises laicistas la docencia es francamente anticristiana. Con pretexto de ciencia, la Historia, la Filosofía, las Ciencias Naturales, la Literatura se convierten en medios para inculcar la irreligión.

En muchos paises pasar por la Universidad es la más dura prueba contra la fe, y la mayoría naufraga. Son hechos por demás conocidos.

¿No es este uno de los peores males del mundo moderno? ¿No tiene nada que decir el Concilio frente a esto?

Lo que se dice en el No. 6 del esquema « De educatione christiana » es muy pobre y no tendrá la influencia que se necesita.

¿No se tiene que condenar claramente la hipocresía del laicismo que disfraza de neutralidad una franca militancia antirreligiosa que prepara los caminos del comunismo?

7

EXC.MUS P. D. SALVATOR BALDASSARRI
Archiepiscopus Ravennatensis

Schema *de praesentia Ecclesiae in mundo huius temporis,* quantumvis quaedam bona contineat, tamen in sua substantia non placet ob deficientias notabiles:

1. Deficit in analysi mundi moderni circa quem habetur aspectus plus minusve formalis: de individuo, de familia, etc. Non negamus mundum modernum, sicuti de cetero mundum omnium temporum, habere haec problemata; tamen videtur anima mundi moderni — et de hac re profundiore debet esse sermo — aliud esse. Analysis uti extat poterat fieri, uti realiter factum est, in omnibus saeculis historiae Ecclesiae.

Mundus modernus versat a saeculis in quaestione de libertate et de solidarietate. Potest asseri a saec. XVIII usque ad nos et vitam et mortem esse in hac difficillima problematica. Sufficit prae oculis habere historiam modernam, etiamsi in suis essentialibus lineis. Nonne hoc praecipue et ordinate erat dicendum uti haberetur analysis vere historica mundi moderni? Et nonne libertas religiosa, anelitus prima mundi moderni, hic melius erat ponenda? Et nonne quaestiones gravissimae quae simul respiciunt et veram libertatem et practicam solidarietatem, scilicet quaestiones de pace et de fame erant hic magis solemniter et fortiter et ordinate proclamandae?

Mundus modernus videtur quasi habere animam technicam et vivere de technicismo. Et hoc in analysi erat praecipue et ordinate dicendum. Et schema — hodie decretum — « De mediis communicationis socialis » quod magna ex parte respicit technicismum, melius hic exstasset, sed, mihi parcite, alia forma, forma scilicet quam mundus expectabat, et iuste expectabat.

Circa culturam rem hodie tam complexam et difficilem, schema pauca et minima habet. Qui legit potest dubitare nos rem quasi superficialiter tangere, dum expectatio mundi est examen, nisi completum, saltem profundum.

2. Deficit nostrum schema quia videtur haec praesentia Ecclesiae in mundo hodie habere initium, ac proinde esse sine traditione, dum e contra semper in sua historia Ecclesia hanc quaestionem maxime consideravit. En celebre caput Epistulae ad Diognetum ubi tractatur de Christianismo « Anima mundi », en « De civitate Dei » quae eamdem quaestionem tractant, quamvis solutionem pessimisticam, et ne vobis taedium afferam exponendo synthetice in hac parte historiae Ecclesiae veniam ad aetatem sic dictam « de Rinascimento », ubi inter multas difficultates apparet praesentiam Ecclesiae in mundo illius temporis. Forsitan haec praesentia minuitur in periodo controreformationis ob obvias rationes, sed hodie mirabiles sermones Pii XII, *Pacem in terris* Ioannis XXIII, saltem pars *Ecclesiam suam* ubi de dialogo, nonne demonstrant continuitatem traditionis ex qua haurire erat peropportunum, immo et necessarium?

Ex deficientia circa analysim et traditionem venit consequenter deficientia ipsius praesentiae.

a) Praesentia est ante omnia « testimonium » (testimonianza). Si Ecclesia vivit suam vitam est vere lux mundi. Hoc clare et semper asseritur in traditione.

b) Praesentia stat in recognoscendo valores humanos, scilicet testimonia animae naturaliter christianae. Quod habetur in traditione apud apologetas, apud nonnullos alios Patres, in aetate humanistica. Quandoque in traditione hoc non habetur, sed hodie videtur res necessaria uti praesertim apparet ex *Pacem in terris*.

c) Praesentia est sinceritas clara, et ubi dicendum est « non licet » haec verba debitis modis dicenda sunt; attamen curandum semper erit ut « non licet » scateat ex Evangelio et ex Doctrina vera Ecclesiae et non ex nostris opinabilibus ideis.

d) Praesentia stat in evangelizatione mundi iuxta verba Domini « praedicate Evangelium omni creaturae », sed haec evangelizatio habet opportunos modos iuxta varia tempora. Puto schema « de libertate religiosa » nos aliquod practicum dicere circa modum evangelizationis mundi huius temporis.

Conclusio patet: meo iudicio schema est reformandum.

8

Exc.mus P. D. MICHAEL BROWNE
Episcopus Galviensis et Duacensis

Thema huius schematis maximi momenti est, sed in mea opinione datur alius modus tractandi hoc thema qui magis practicus et positivus est.

Idea dominatrix mundi moderni est idea progressus. Revera progressus multiformis continuus et constans factus est et quotidie fit.

Ecclesia debet tum ideam tum factum progressus benevolenti animo accipere et suam cooperationem profiteri.

Schema clare describit formas praecipuas moderni progressus: formam scientificam et technicam qua tum necessaria tum commoditates humanae vitae maximopere augentur: forma politica qua plures nationes libertatem et independentiam adepti sunt, forma socialis qua servitus pauperum minuitur et aequalitas civilis pro omnibus classibus vindicatur.

Sed, proh dolor!, plurimi homines progressum tamquam argumentum fortissimum contra religionem considerant. Asserunt humanum genus moderni temporis non indigere auxilio divino sed posse ex suis viribus omnem veritatem et potentiam ad suam felicitatem necessarias obtinere.

Haec est deceptio humanismi et atheismi. Hic est error qui clare et viriliter refellendus est.

Hoc schema ostendere debet progressum non automatice felicitatem producere: effectus eius possunt esse pessimi.

Hinc oriuntur angor, metus et desperatio quibus tam multi moderni affliguntur.

Effectus boni et benefici obtineri possint tunc tantum cum progressus sano fundamento et debitis conditionibus nititur; sola religio hoc fundamentum et has conditiones praebere potest.

Libertas politica et socialis fundatur in doctrina dignitatis et aequalitatis humanae personae. Systemata socialia quae dignitatem et immortalitatem humanam reiiciunt libertatem destruunt. Ecclesia catholica maximum beneficium progressui et felicitati humanae reddidit quia indefesse valorem humanae personae defendit.

Secundo: progressus oeconomicus non est vere beneficus si aequam distributionem bonorum non providet et haec non obtinetur sine doctrina et praxi iustitiae socialis.

Tertio: pax inter nationes et inter classes sociales non obtinetur nisi super fundamento doctrinae catholicae de virtute caritatis. Ii sunt inimici pacis et familiae humanae hostes qui bellum inter classes sociales et odium inter nationes praedicant et excitant.

Quarto: felicitas vitae humanae et vera civilizatio pendet ex instituto matrimonii et familiae. Non datur vera civilizatio ubi status mulierum inferior est et formae servitutis et degradationi aequivalet. Ecclesia catholica maximum beneficium humanae societati confert cum sanctitatem matrimonii et familiae praedicat.

Sed non sufficit doctrina sana; ad vitanda ingentia mala quae ex peccatis et criminibus hominum profluunt requiritur auxilium educationis et super omnia requiritur auxilium divinae gratiae.

Ex his et aliis rationibus evidens est progressum verum et beneficum non dari nisi super his conditionibus, nempe fides in Deum, moralitatis norma certa et obiectiva, et auxilium gratiae divinae.

Ecclesia catholica quae haec tria beneficia humanae societati contulit maximum influxum in opus civilizationis contulit et adhuc confert. Historia hoc abundanter probat. Libenter etiam agnoscimus alias Ecclesias christianas quae easdem doctrinas evangelizant magnopere contribuisse civilizationi et libertati.

Necesse est distinguere inter beneficium quod Ecclesia catholica individuis hominibus obtinet et beneficia quae societati humanae obtinet. Mihi videtur melius esset loqui de societate humana, non de mundo.

Conclusio est Ecclesiam catholicam maximum et nobilissimum servitium humanae societati obtinuisse et adhuc obtinet quia mediatrix est sanae doctrinae, moralitatis purae et auxilii divinae gratiae.

Si thema huius schematis hoc modo evolvitur vera imago missionis Ecclesiae hominibus daretur.

9

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CARLI
Episcopus Signinus

1. Quid est schema *de Ecclesia in mundo huius temporis?* Si eius titulum inspiciamus, non est constitutio, non est decretum, non declaratio, non expositio, non instructio. Nullum genus litterarium eius auctores invenerunt sub quo illud collocarent. Forsan ex hac originaria naturae schematis incertitudine plurimi ex eius defectibus promanant!

2. Plures schematis numeri mihi videntur radicitus recognoscendi. Sufficiat unum n. 21 de dignitate matrimonii et familiae commemorare, in quo frustra quaeritur clara et adaequata expositio doctrinae catholicae de finibus matrimonii ac de coniugum agendi ratione; immo quaedam inveniuntur quae dissonare videntur a verbis recentioribus Summi Pontificis Pauli VI, affirmantis retinendas esse, relate ad usum matrimonii, normas a Pio XII definitas quoadusque Ecclesia aliter certo decreverit esse statuendum.

3. Fortiter esset confirmanda in schemate relativitas et temporaneitas — parcatis mihi ob barbara vocabula — mundi huius, necnon eius progressionis seu perfectibilitatis essentialis limitatio, ne videamur quadamtenus indulgere poetico illo, at parum scientifico, optimismo theilardiano qui multorum hodie phantasiam excitat ac superexaltat.

4. Ne evacuetur Crux salvifica Christi, clare et fuse esset hoc principium explanandum: inter modos legitime et rationaliter utendi hoc mundo connumerandus est etiam modus ille, qui consistit in abstinendo, ob « valores » seu rationes supernaturales, a mundanis rebus: quae abstinentia certo quodam gradu est de necessitate salutis pro omnibus Christi crucifixi asseclis, gradu autem altiore est quidem supererogatoria at laudanda et commendanda. Et sic in tuto ponitur « valor » et « rationalitas » sive communis asceticae christianae, sive praesertim voluntariae virginitatis, paupertatis ac oboedientiae.

5. Pariter clare enuntiandum esset principium quod sequitur: non omnia quae valent pro communitatibus humanis, simul sumptis, necessario ac semper valent pro singulis personis, et viceversa. E contra in schemate aliquando videtur fieri illicitus transitus ab uno ordine ad alterum.

6. Schema totum versatur circa phaenomena quae, licet sint gravis ponderis ideoque, saltem sub specie aeternitatis, Ecclesiae consideratione haud indigna, tamen ordinem dumtaxat naturalem directe spectant. At mirum est silentium schematis de phaenomeno quod, proh dolor, in mundo huius temporis exsistit; quod ordinem naturalem simulque supernaturalem pressius attingit; quod angorem et luctum Concilii — prout legitur in prooemio — non minus ac fames aut incrementum demographicum provocare deberet, quippe cum tot millia millium hominum angoribus et luctibus affecerit et afficiat. Phaenomenon dico marxismi, intrinsece perversi eo quod « *adver-*

setur et extollatur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus » (*2 Thess.* 2, 4); marxismi qui, veste oeconomiae aut politice callide indutus atque violentia physica usus, in plus quam dimidiam partem mundi saevit, reliquae insidians, tot luctus et tantum doloris inter catholicos, inter fratres christianos seiunctos, inter denique homines cuiusvis religionis seminans. Eius doctrina et praxis de Deo, de homine, de mundo, de eschatologia est radicitus opposita, immo infensissima, doctrinae ac praxi christianae.

Dialogus cum marxismo impossibilis videtur; at saltem monologus non desit. Ecclesia enim catholica quae tale phaenomenon ante oculos suos cernit, immo in sua viva veluti carne persentit ac patitur, non potest, non debet de eo silere aut euphemistice tantum loqui!

In hac tertia Concilii sessione multos audivimus Patres sollicitos de celebrando summario processu circa responsabilitatem Iudaeorum in occisionem Domini Nostri Iesu Christi. Qui quidem processus, ne dicam uni iustitiae ac misericordiae Dei omnino relinquendum, saltem difficillimus mihi videtur sive ob nimium temporis intervallum a delicto, sive praesertim ob ingentem molem locorum biblicorum et patristicorum qui ad severam trutinam exegeticam essent revocandi, quin iudicum aequabilitas ullo umquam modo moveri possit illa humana atque christiana pietate quae iure merito debetur populo, perdurante ultimo bello, atrociter impieque vexato. Agedum, nonne esset stupendum quod Concilium nostrum, de illo processu historico tam sollicitum, nullum verbum faceret, nullum iudicium proferret, sollicitudinem nullam habere videretur de lugendo phaenomeno nostri temporis, quod nomen gerit communismi marxistici?

Dixerit fortassis quispiam: at iam iudicatus est per magisterium pontificium communismus! Respondeo: non infitior, attamen etiam ea omnia quae in hoc schemate et in nonnullis aliis continentur a Summis Pontificibus, praesertim a Pio XII v. m., et clarius et fusius et rectius enuntiata fuerunt, et nihilominus Concilium nostrum ea censet sollemniter ac synodaliter esse repetenda.

Rogo igitur ut etiam de hac summa haeresi nostri temporis explicite ac competenter tractetur, ne posteri opinari possint Vaticanum II toto orbe catholico in pace composito esse celebratum. Ecclesia ne satis habeat pati et ingemiscere et fugere sed, Apocalypsis mulierem imitata (*Apoc.* 12, 2 s.), sine timore clamitet a facie draconis rufi; testimonium sollemne et collegiale reddat veritati; servitium ac solacium oecumenicum ne recuset suis episcopis, sacerdotibus et laicis, sed etiam seiunctis fratribus christianis, immo omnibus religiosis viris qui famem, carcerem, exsilium, persecutionem, mortem patiuntur per manus marxismi; maternum denique monitum resonare faciat pro catholicis, praesertim operariis et viris doctis, qui, sub specie progressionis oeconomicae aut falsi nominis scientiae, hac pestifera doctrina decipiuntur et in suo errore, ob Concilii silentium, confirmari possent. Edicat plane Ecclesia qua ratione ipsa eiusque filii erga marxismum huius temporis

sese gerere debeant; quibus tandem mediis ad rectam semitam deceptos reducere intendat!

Venerabiles Fratres: sententiam meam de hac re vobis aperte manifestavi. Sed in dicendo veluti exsecutor testamentarius mihi visus sum desideratissimi confratris archiepiscopi Iosephi Gawlina, nuper e vivis erepti, qui pluries ante necopinatam mortem, qua pollebat scientia et viva in hac re experientia, mecum conquestus erat de mirando schematum silentio circa problema doctrinale ac pastorale tanti ponderis.

10

Exc.mus P. D. ALFREDUS CAVAGNA
Episcopus tit. Tianus

Verum est quod hoc schema debet solummodo tractare de rebus quae hodie in mundo urgentiores sunt, ut Ecclesia demonstret suam providam activitatem.

Tamen mihi videtur quod non debentur omnino negligere animae fratrum nostrorum in purgatorio degentium, maxime quod in diebus nostris numerus eorum qui omni die moriuntur augetur, non solum propter augmentum populationis humani generis (cf. immo propter hoc mitigatae sunt normae circa cadaverum cremationem), sed quia numerus morientium augetur propter pericula novarum inventionum et cotidie propter numerum vere deplorabilem victimarum novorum mediorum locomotionis. Et sic non solum augentur animae purgatorii sed etiam earum qui in hoc mundo sunt in tribulatione magna.

In hoc schemate profundius et sapienter omnes invitantur in fraterna concordia et in animosa caritate pro his qui degunt in tribulatione propter famem et lepram. Quomodo autem eadem fraternitas non debet urgeri ad salvandas animas fratrum nostrorum qui in purgatorio graves poenas cruciantur, sine dubio maiores earum quae sunt huius mundi etiam gravissimae ut famis et lepram.

Qua propter humiliter peto ut hoc problema — de quo nil dicitur in aliis schematibus etiam in illo de indole eschatologica vocationis nostrae — melius loquatur in forma secundum hodiernam mentalitatem.

Ceterum non est necessarium adiungere novum numerum, sed sufficit in conclusione arctiori sed fraterno modo incitare omnes in hanc collaborationem spiritualem quae maxime urget. Dilectae animae purgatorii, de earum gravissimis poenis liberatae, erunt providae interceditrices apud Dominum ut problemata in hoc amplissimo schemate tam bene proposita obtineant plenam et felicem exsecutionem.

11

Exc.mus P. D. IRENAEUS CHELUCCI

Episcopus Ilcinensis

Ego humillimus infrascriptus episcopus Ilcinensis, qui infirma valetudine, ut iam certiorem feci exc.mum Concilii secretarium, magno cum moerore congregationibus interesse non potui, pro viribus tamen acta sum secutus, precibus suppliciter admotis una cum clero et populo fideli. Magnopere igitur exoptans ut omnia prospere procedant, veniam peto si aliqua de quaestionibus nuperrime disputatis exprimere audeo, cum de praecedentibus quae animadvertenda putavi sive per secretarium Concilii, sive per secretarium conferentiae episcopalis italicae sive denique per praesidem conferentiae etruscae nota feci.

Schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* laude quidem dignum est, neque dubitandum quin mendae quas multi Patres notaverunt corrigantur quo magis fini respondeat Ecclesiae missionis manifestandae qui in redemptione Christi applicanda consistit per fidem, per mysterium Crucis, per iustitiam et caritatem opitulante gratia cuius fons praecipuus liturgia iure meritoque habetur.

Cum dialogus etiam commendetur ad hunc finem consequendum clara notio exponatur mundi oportet, qualis ex Evangelio et apostolico magisterio depromitur ad confusionis pericula vitanda et falsi irenismi.

Dialogus autem non omnibus indiscriminatim commendetur sed iis qui doctrina et exemplari vita praestent ne convertentes pervertantur.

Recte Ecclesia pauperum praedicatur, non ita tamen ut omnes aspernetur divites. Divitiae quidem a Domino *mammona* appellantur iniquitatis, sed non negatur divitiis fieri posse amicos qui in aeterna tabernacula introducant. Ceterum inter discipulos Iesu non desunt divites ut Nicomedes, ut Lazarus frater Mariae et Marthae, ut Zacchaeus, Ioseph ab Arimathaea. Sunt igitur pauperes quos pecuniam inhiantes inter divites evangelico sensu recensere oportet et sunt divites qui inter pauperes spiritu animis a divitiis alienatis laudem iure merentur. Neque paupertatis spiritus obstat cultus splendori et templorum maiestati. Non sine ratione antiqua sapientia magnae laudi reipublicae romanae tribuit parcam fuisse domi, magnificam in templis deorum.

Si Ecclesia officio suo deesse nequit iura tutandi pauperum et eorum miserrimam condicionem sublevandi possidentes admonendo gravis obligationis id quod superest in pauperes erogandi et iustam mercedem iis tribuendi pro laboribus, valorem et meritum non desinet paupertatis extollere, officia inculcare patienter dolores huius vitae tolerandi et ab eversoribus sese abstinendi.

Ut ad alia transeam, quae audita sunt de episcoporum clericalismo plane displicent. Sub nomine enim clericalismi usu venit ut significetur obsequium

quod hierarchiae debetur et humilis subiectio, cui opponitur anticlericalismus qui totis viribus sacrum ministerium et religionem christianam impugnat.

Potius quam episcoporum clericalismus condamnetur, magna inculcetur reverentia et oboedientia erga hierarchiam, cuius honorem Summus Pontifex hierarchiae caput tamquam suum habet, ut Gregorius Magnus aiebat.

Optandum denique est ut aequivoca verba vitentur aut adhibeantur significatione prius clare determinata, ut clericalismus, de quo dixi, mundus, aequalitas, libertas, natio, ne errori ansa praebeatur. Alia enim sonant haec verba in ore Ecclesiae, alia in ore sectatorum systematum materialistarum, idealistarum, existentialistarum, storicistarum etc. Ecclesia intelligit v. g. aequalitatem in paritate iurium et meritorum, non adaequationem universalem, libertatem vim electivam mediorum ordine servato finis, non quarumlibet rerum sine ulla discriminatione boni et mali, liciti et illiciti, iusti et iniusti.

Systemata erronea longe lateque diffusa quae directe vel indirecte fidem negant vel corrumpunt non modo exposita veritate refutanda sed etiam aperte impugnanda esse censeo et Concilio damnanda. Praesertim vero reprobentur velim hedonismus, subiectivismus moralis, autonomia conscientiae ex qua ceterae autonomiae oriuntur omnem subvertentem ordinem, naturalismus qui omnia iustificat in ordine intellectuali, morali, sociali, reicit ordinem supernaturalem initio generis humani a Deo instauratum, a Christo Domino novissime reparatum sine quo nec perfecta iustitia habetur nec vita possidetur aeterna.

Ad ea quae in prioribus tribus paginis exposui mihi addere liceat votum ut in schemate de Oecumenismo clarius affirmetur, sicut olim ita hodie, ab Ecclesia damnari libertatem conscientiae illam quam rationalismi fautores praedicaverunt. Ratio voti est quia principium quo nititur haec damnatio videlicet doctrina catholica de hominis dignitate aliquantum enervari videtur iis quae sequuntur: « Ast hoc idem principium nostris his temporibus ad novas ducit conclusiones ».

Nimis vero confidenter id affirmari videtur ad eliciendas novas conclusiones periculum non iam adesse ne falsi nominis libertas hominis dignitati iniuriam faciat quod olim accidit.

Ut non dicam semel admissa falsi nominis libertate semper admitti, innumerabilia et gravissima sunt damna quae ordini morali ex falsi nominis libertate oriuntur, proindeque ordini quoque religioso ex intimo nexu qui inter eum intercedit et ordinem moralem.

Cum autem Ecclesiae iure meritoque magna laus tribuatur quod libertatem strenue defendendam susceperit, inter alias libertates minime erit negligenda libertas docendi quam publicum monopolium scholasticum destruit inductum etiam in regiones ubi maxima pars incolarum religionem catholicam profitetur.

Quod attinet ad culturam rite promovendam, res ita Ecclesiae conve-

nit ut vix contrarium credibile sit. Nemo enim ignorat Ecclesiam inde ab initio quaecumque vera, quaecumque bona vel pulchra reperisset sua fecisse ad Dei gloriam et animarum salutem. Progrediente tempore, post libertatem adeptam scholae apertae sunt unde viri permulti exierunt doctrina praeclari non solum theologica sed etiam philosophica et omni genere scientiarum et artium. Merita autem ordinis S. Benedicti et ceterorum ordinum vel societatum religiosarum diversi nominis sed non diversi studiorum amoris, tale culturae incrementum dederunt ut si omnia quae in hac provincia nationes excultae Ecclesiae debent tollerentur, desertum fieret. Non est sine aliquo stupore quod neglectae culturae a nonnullis accusetur Ecclesia. Haud scio autem cur Ecclesiae obiciantur philosophia et theologia scholasticae quasi essent omni valore destitutae et Ecclesia erraret cum eas praescribit verbis tam disertis tam instantibus ut in can. 1366 par. 2 C.I.C. Si relinquenda est philosophia scholastica, quaenam adhiberi poterit eius loco? Omnes norunt systemata philosophica huius temporis. Ne unum quidem reperitur quod erroribus gravissimis careat. Quomodo solventur quaestiones maximi momenti de substantia et accidentibus? de natura et persona? de materia et forma? de quantitate? de atomismo? de essentia et exsistentia? de cognitione intellectiva et sensitiva etc. etc.?

Opponitur theologiae scholasticae *kerygma.* Si vero kerygma ponitur in genere Dei verbi promulgandi antilluministico, ut aiunt, et antirationalistico vel in simplici enuntiatione salutis mysterii omnes difficultates supra relatae manent, neque videtur quomodo aliqua apologetica tam necessaria fundari possit ad praeiudicia repellenda et errores.

12

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CIVARDI

Episcopus tit. Thespiensis

Desidero fare prima alcune osservazioni di ordine generale; poi su alcuni punti particolari dello schema.

I. *Osservazioni generali.* Lo schema può essere accettato come base di discussione, perché contiene parecchi concetti pertinenti al tema, e assai interessanti. Ma ha bisogno di una rielaborazione, sia circa la *forma,* sia circa la *sostanza.*

1. *Circa la forma.* Talvolta è dura e ambigua; quindi poco comprensibile da persone non avvezze alle elucubrazioni; mentre il documento conciliare dev'essere rivolto a tutti gli uomini di buona volontà, cattolici e non cattolici. Inoltre lo stile in qualche punto ha l'intonazione più del *messaggio,* che del *decreto conciliare.*

2. *Quanto alla sostanza.* Trattandosi di un testo conciliare, dovrebbe avere — come parecchi Padri hanno pure osservato — un più ricco fondo dottrinale. Alcune affermazioni — come quelle sulla dignità della persona

umana — dovrebbero essere appoggiate anche a testimonianze bibliche, per essere maggiormente avvalorate.

Più nutriti, dal punto di vista dottrinale, mi sembrano gli *annessi*. Ragione per cui mi permetto questa proposta concreta: travasare la dottrina degli *annessi* nello *schema,* e abbandonare l'idea degli *annessi* medesimi. I quali, se non saranno approvati neppure dalla commissione mista conciliare, non avranno che un valore privato, e quindi praticamente di scarso interesse.

13

EXC.MUS P. D. THOMAS COORAY

Archiepiscopus Columbensis in Ceylon

I. *De necessitate schematis et de modo procedendi.* Ad mundum perditum salvandum Verbum Caro factum est et habitavit in nobis. Ad opus salutis in mundo usque ad consummationem saeculi exercendum Verbum Incarnatum adhuc in mundo mystice habitat per Ecclesiam suam. Ecclesia enim est mysterium Christi in mundo permanens.

Unde missio seu munus Ecclesiae concreditum illud est ut omnes gentes — ergo mundum universum — doceat omnia quaecumque ipse mandavit (*Mt.* 28, 20) et ita sicut et ipse testimonium perhibeat veritati (*Io.* 19, 37).

Ex quibus breviter praemissis patet quod debet Ecclesia in hoc mundo facere:

1. Ex una parte tenetur Ecclesia, sicut et Christus, mundum illuminare de omnibus rebus ad salutem pertinentibus.

2. Ex altera parte Ecclesia in persona Christi agens debet eo modo agere quo Christus: i. e. *a*) sicut auctoritatem habens, ergo non timide, hesitanter, apologice; *b*) bene discernens inter res divinas et mere mundanas, dans Caesari quod est Caesaris et Deo quod est Dei; *c*) non se immiscens in contentionibus quae responsabilitati uniuscuiusque personae vel coetus relinquendae sunt (cf. verba Domini: « quis enim me constituit iudicem super vos »).

Unde patet tam necessitas schematis praesentis quam modum in eo procedendi.

II. *De scopo schematis.* Schema intendit attingere tam christianos quam non-christianos. Unde debet eo modo tractari quo ab omnibus sine difficultate intelligi possit. Sed textus praesens tanta cum congerie textuum et allusionum scripturalium (cf. praesertim prooemium, capp. I et II) paene inintelligibilis evadet non-christianis. Attendendum ergo est in dictione ad culturam et mentalitatem lectorum, et textus illorum captui accommodate exarandus.

III. *De ipso schemate exarato.* Schema videtur esse opus maximo labore

confectum de re quidem difficillima: unde laudandum. Attamen multa adhuc amelioranda manent. Unde sequentia humiliter propono.

1. *Quantum ad ordinationem materiae. Defectus*: in dicendis deest ordo logicus et ordinatio organice articulata: unde obscuritas ne dicam confusio.

Amelioratio: humili meo sensu melius esset sic procedere: *a*) In prooemio: declarantur « signa temporum » sine discussione, sine commento nisi omnino necessario et tunc brevissimo, sine exhortationibus: erit quasi status quaestionis. Ex una parte dicatur de progressu humano in mundo huius temporis in re culturali, politica, oeconomica (industriali), technica, scientifica, etc. Ex altera parte de absentia pacis, concordiae, tranquillitatis mentis inter homines etc. et praesentia penuriae, angustiarum, incertitudinis, timoris etc. (cf. e. g. p. 9, linn. 31-37; p. 10, linn. 10-11, etc.).

b) In cap. I: de vocatione hominis (sed diversimode tractanda). *Quid sit homo de quo agitur?* Prout a ratione tantum cognosci potest (nos loquimur cum mundo ubi permulti nihil sciunt de ordine supernaturali): Homo corpore materiali et anima spirituali constitutus; sibi insufficiens; in omnibus actibus suis humanis petens satietatem seu beatitudinem per acquisitionem rerum externarum sibi realiter vel apparenter necessariarum seu sibi bonarum; numquam satiatus per res creatas et finitas; satiandus tantum acquisitione boni infiniti a quo nulla ratione se avertere potest. Unde vocatio seu finis ultimus est acquisitio boni infiniti sine quo homo plene felix esse non potest. Unde homo est ordinatus ex sua natura ad bonum infinitum seu Deum, et ista ordinatio dat homini suam dignitatem personae humanae, quae nemini ordinis creati, ne quidem statui civili per se subordinari potest. Existentia autem Dei non tantum exigitur ob tendentiam hominis ad bonum infinitum sed clare probatur ut causa ex effectibus.

Hinc i. e. ex dignitate personae humanae, origo iurium fundamentalium hominis in hoc mundo viventis, nempe iura necessaria ita ut per vitam mortalem finem suum ultimum attingatur: 1. Iura individualia; 2. Iura familiaria; 3. Iura socialia; quae omnia clare exponi debent in textu. Haec iura important munera hominis tam ad semetipsum quam ad alios et maxime relate ad suum finem ultimum. Sed homo infirmitate laborat in iis muneribus adimplendis, quae infirmitas roborari debet per habitus honestos exercitio virtutum acquisitos.

c) In cap. II: *Ecclesia.* A principio generis humani Deus sese revelavit homini ut eius Creatorem et finem ultimum. Haec Revelatio divina saltem a quibusdam hominibus semper conservata, et decursu temporis a prophetis populo praesertim a Deo electo in memoriam revocata et ulterius clarificata, a Christo Domino est complecta et perfecta. Nam prout dicit Sanctus Paulus: « Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio » (*Hebr.* 1, 1-2). Ad docendam doctrinam huius revelationis hominibus et eos ad Deum finem suum ultimum ducendos, Christus Dominus aedificavit suam

Ecclesiam super fundamentum Apostolorum, tribuens huic Ecclesiae potestatem servandi et communicandi revelationem illam sine errore usque ad finem mundi (hic danda est Ecclesiae doctrina de homine, de eius iuribus, de eius elevatione ad ordinem supernaturalem et monstranda conformitas eiusdem doctrinae cum vocatione humana prout iam exposita est in cap. II).

d) In cap. III: *De quibusdam problematibus mundi huius temporis.*

Hic sumenda sunt ea quae dicta sunt in cap. IV schematis et similia.

Quantum ad modum procedendi de unaquaque re tractanda mihi videtur sic procedendum esse: 1. Res secundum ius naturale exponendae; 2. Conatus et tentamina et etiam defectus humani hac de re in mentem revocandi; 3. Doctrina Ecclesiae circa eadem clare statuenda; 4. Solutiones difficultatum, monita, exhortationes, etc.

Notandum: In declarando doctrinam Ecclesiae, clare et positive statuenda sunt principia, non vero dandae solutiones casuisticae: v. g. relate ad arma nuclearia, non pertinet ad Ecclesiam dare decisiones concretas: Ecclesiae munus est formulare leges generales, prohibendo non usum sed abusum talium armorum. Si Ecclesia ea irrespective et totaliter prohibuerit magna posset esse iniustitia erga nationes quorum cives conscientia tenentur Ecclesiae oboedire. Illas enim aliae nationes sicut quae Communismum fatentur et quae nullo modo Ecclesiae legibus obtemperant, possunt omnino annihilare. Relate ad abusum responsabilitas relinquenda est vel personae vel competenti auctoritati quae ita abutitur. Pericula tamen abusu exoriunda tam magna sunt ut Ecclesia potest omnes exhortare ut omnino abstineant ab armis nuclearibus.

e) In cap. IV. Hic ponatur cap. III schematis *de ratione christianorum se gerendi in mundo in quo vivunt,* emendatum et ampliatum ubi est necessarium. Magis autem insistendum esse mihi videtur de exemplo christifidelium in lege divina servanda.

Ita de ordinatione. Nunc aliquid de stylo dicendi.

2. *De stylo dicendi. Defectus*: *a*) Primus defectus est ex ordinatione inepta quae reddit textum obscurum. Creatur insuper in mente lectoris sensum seu impressionem cuiusdam ut ita dicam superficialitatis. Iste sensus superficialitatis, in quantum video, creatur non ex ipsis dictis — multa prolata enim sunt valde profunda — sed ex modo dicendi non satis profunde excogitato.

b) Ista obscuritas augetur ex nimiis et valde permixtis rebus simul tractatis: v. g. simul de mundo, de Ecclesia, de ordine supernaturali, de muneribus fidelium etc.; ex repetitionibus, et divagationibus explicativis inapte introductis et permixtis cum monitis et exhortationibus; ex congerie textuum et allusionum scripturisticarum. Saepe saepius, prout dicitur anglice "One cannot see the wood for trees" (non possumus decernere silvam propter congeriem arborum).

c) Praesertim ubi lectores sunt non-christiani, magna pars textuum ex Scripturis Sacris allatorum sunt inutilis ne dicam inintelligibilis.

d) Latinitas est etiam valde defectiva et proinde obscura.

Amelioratio: 1. De ordinatione iam locuti sumus. 2. Evitandum est quidquid obscurat fluxum ideae matricis prout sunt ornamentationes, haud necessariae, explicationes mentem distrahentes etc. 3. Ubi quaestio est de non-christianis sicut praesertim in prooemio et capp. I et II, textus scripturales quos illi non bene intelligunt, evitandi sunt. 4. Generatim stylus dicendi adaptatus esse debet culturae et menti lectorum — eorum modo loquendi, cogitandi, ratiocinandi.

14

Exc.mus P. D. IOSEPH D'AVACK

Archiepiscopus tit. Leontopolitanus in Pamphylia

Candide fateor me prius haesisse ancipitem de opportunitate huius mei interventus; sed hisce diebus magis magisque mihi suasum est de eius opportunitate immo fere de necessitate pro plena disceptatione de schemate.

Dicam igitur quae sentio:

In schemate, acuto et copioso, desideratur tamen « unum necessarium ». Revera Christus Dominus Ecclesiae suae — et *uni* Ecclesiae suae — commisit veram fundamentalem solutionem ad problemata mundi cuiusvis temporis. Sed de hoc in schemate fere nihil.

Parcite mihi si notissima sed necessaria brevissime revoco.

Post peccatum et redemptionem, manente destinatione hominis ad ordinem supernaturalem; manente praecepto originali generali: « Crescite, multiplicamini... subiicite terram »; manent etiam consequentiae peccati unde homines trahuntur inordinate ad voluptates terrenas, ad « amorem sui usque ad contemptum Dei »; et exinde promanant omnia mala in re morali, sociali, oeconomica, politica, etc.

Unde praecepta peremptoria Christi: « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum... Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam ». « Qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus » (*Mt.* 16, 24-25; *Lc.* 14, 23). Et « verba mea non praeteribunt ».

Haec est essentia christianismi: caritas per Crucem; per Crucem Christi Capitis, prosequendam in membris.

Sine caritate, genus humanum non potest recte vivere; sed ad caritatem perveniri non potest nisi — gratia adiuvante — sanando inordinationem consequentem peccatum.

Ut mundus bene se habeat, oportet: habere bona et amorem et delectamenta temporalia tamquam pignora felicitatis aeternae, et incentiva ad cooperandum cum divina Providentia in gubernando mundo; bona quidem — et homines possunt ea quaerere, iis frui —; sed inferiora, caduca, transcendenda; et periculosa nobis peccato corruptis. Unde apostolus: « Qui utitur, tamquam non utatur »; oportet semper cum Deo cooperari — licet defi-

ciant incentiva — ut lucrando « talenta » genus humanum progrediatur etiam materialiter prout necesse est et urgens iuxta praeceptum divinum « Multiplicamini... subiicite terram »; sed tali modo ut progressus inserviat non ad commodum et luxum immoderatum nonnullorum, sed ad convenientem sustentationem universorum; oportet abnegare amorem sui inordinatum, quo homo opponitur Deo et proximo.

Hoc est *remedium fundamentale,* sine quo cetera — vel optima et sapientissima — sunt illusoria immo impossibilia; *uni Ecclesiae* commissum; quod Ecclesia tenetur praedicare « opportune importune » eo quod obsit profundissimis tendentiis in homine.

Sed quaerendum est: numquid mundus huius temporis erit capax audiendi et accipiendi remedium hoc?

Ad respondendum: serio meditanda sunt verba S. Pauli in *1 Cor.* 1-2: « ... Iudaei signa petunt, Graeci sapientiam quaerunt; nos autem praedicamus Christum Crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam ». « Praedicamus », scil., non tantum christianis sed *Iudaeis* et *Graecis.* Nam et Iudaei et Graeci et homines omnes, licet et atheistae, creati sunt a Deo ordinati non ad ordinem naturalem sed ad ordinem supernaturalem; habent igitur quamdam velut innatam capacitatem capiendi crucem Christi et caritatem, fortasse non minus — aut vel magis? — quam simplicem ordinem naturalem.

Absque dubio, igitur, mundo huius temporis, qui angitur problematibus immanibus (de pace, de fame innumerabilium multitudinum; de quaestione demographica, etc.); et qui etiam propter progressus scientificos et technicos longius abiit ab illis praeceptis Christi, Ecclesia potest et debet praebere illud remedium. Praebere — inquam — non tantum docendo, sed et ostendendo vitam suam et suorum membrorum et operum ipsorum et institutionum. Nam hodie homines volunt *videre*; non iniuria nobis aiunt: « Vos dicitis vestram religionem esse vitam; ostendite nobis quomodo hac vita vivatis ».

At hic quaerendum est: si iam suo tempore, s. Gregorius Magnus monebat: « Necesse, scil. inevitabile est etiam religiosa corda aliquantum mundana pulvi sordescere », quid dicendum hodie?

Cum agatur de mediis ad caritatem theologalem, responsio nunquam potest esse satisfaciens.

Audeo igitur dicere quod profundum inexorabile examen; plenus, inconditionatus, simplex reditus ad paupertatem et simplicitatem evangelicam — in singulis et in institutis et moribus —, ad observantiam positivam illorum praeceptorum Christi, et sic ad caritatem veram; est primum et fundamentale remedium quod Ecclesia debet praebere mundo huius temporis: qui rursus possit dicere: « Videte quomodo se amant »; et videndo credat, et credendo vivat.

Haec sunt quae Ecclesia, prae — non sine — prae et ante cetera debet mundo; et ad haec instantissime et firmiter hortari debet et corripere suos filios praesertim sibi propinquiores, fideliores, quomodocumque connexos

pro salute eorum, pro salute mundi, pro utili et salutari instituendo dialogo cum mundo huius temporis.

Ceteroquin haec omnia respondent spiritui pastorali et oecumenico Concilii nostri: spiritui pastorali annuntiando et non extenuando plenam veritatem: per crucem ad vitam; spiritui oecumenico, quia — et hoc est *summi momenti* — de his invenire possumus plenam concordiam cum omnibus fratribus seiunctis.

Haec omnia utique subsunt in nostro schemate; sed ratione nimis implicita, timida, debili. Et — certe, praeter quamvis intentionem — schema videtur valde sollicitum proferendi acceptabilia ab iis qui habent in bonis, sed valde minus sollicitum evangelizandi et iuvandi pauperibus: qui utique sunt maior pars mundi huius temporis.

Haec ausus sum, venerabiles Patres, subiicere vestrae considerationi. Sanctus Paulus, qui nihil aliud volens scire praeter Christum Crucifixum et « stultitiam Crucis » factus est Doctor Gentium, ille nos illuminet et roboret.

15

EXC.MUS P. D. EUGENIUS DE ARAÚJO SALES

Episcopus tit. Thibicensis, adm. ap. Natalensis

1. Os destinatários do Esquema devem ser fundamentalmente todos os homens, embora especialmente trate dos cristãos. O estilo e a apresentação devem estar de acôrdo com os destinatários.

2. Impregnar-se de uma tomada de consciência mais objetiva, ampla e profunda da situação em que se encontra hoje toda a humanidade (signa temporum), com seus valores e contra-valores.

3. A questão fundamental que se coloca o homem de hoje é o próprio sentido de sua natureza, de sua existencia e de seu destino. É nesta base que se poderá entabolar o diálogo Igreja-Mundo. É necessário formular uma antropologia acessivel ao homem moderno e que responde ás questões fundamentais que o angustiam.

4. Desenvolver melhor a apresentação do mistério de Cristo como o homem perfeito, centro e recapitulador de toda a história.

5. Os grandes problemas e as grandes questões que constituem as interrogações do mundo contemporâneo, sejam iluminadas a refletidas á luz desta antropologia: familia, cultura, sociedade econômica, comunidade internacional, etc.

6. A Igreja em diálogo com este mundo. Marcar as linhas, as condições deste diálogo.

16

Exc.mus P. D. ALBERTUS DEVOTO

Episcopus Goyanensis

Circa modum loquendi. Quamvis in unoquoque schemate, doctrina contenta semper elementum principale sit, tamen in hoc *de Ecclesia in mundo huius temporis,* modus loquendi etiam magnum momentum habet, ita ut schema revera instrumentum aptum sit ad inchoandum dialogum, seu colloquium, cum mundo hodierno.

Hac de causa mihi videtur, sequentes conditiones adimpleri debere, ut finis praedictus reapse assequatur:

1) Imprimis, modus loquendi debet esse *authenticus,* simul et *simplex,* ita ut ab omnibus intelligi possit;

2) Quamvis sermo elegantior evadat, *excludenda* est omnino omnis *locutio adornata*;

3) Ubi necesse sit, adhibeatur modus loquendi qui cum sermone *scientifico* plane conveniat (cf. Allocutiones Pii XII);

4) Tonus adhibendus non sit mere expositivus — ne videatur Ecclesiam aliquomodo ab his problematibus alienam esse — sed tonus *exhortativus,* ita ut homines ad solutiones quaerendas efficaciter moveantur;

5) Fortasse schema hoc modum loquendi *omnino proprium* requirat, immo etiam diversum ab his qui in aliis schematibus adhibetur.

[*Subscripserunt etiam*] Jeronimo José Podestà, ob. Avellaneda; Vicente Zazpe, ob. Rafaela; E. Pironio, ob. tit. Ceciri; Gerardo Reis, ep. Leopoldinensis; José M. Medina, ob. aux. Mendoza; Enrique Angelelli, ob. tit. Listra; Roberto Cáceres, ob. Melo.

17

Exc.mus P. D. MAXIMILIANUS DRŽEČNIK

Episcopus Mariborensis

De fundamento theologico relationis Ecclesiae ad mundum.

Schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* maxima gaudet actualitate. Homines nostri temporis, non tantum catholici et christiani, sed etiam non-christiani, immo etiam mundus atheus, ut compertum habemus, maximo cum interesse exspectat, quid Concilium oecumenicum de hac re dicturum sit.

Imprimis assentire vellem iis, quae hucusque dicta sunt a multis Patribus in favorem schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis,* quatenus fundamentum solidum constituit ad ulteriorem discussionem et perfectionem. Placet praesertim modus positivus exponendi doctrinam catholicam absque formali oppositione vel contrapositione erga materialismum seu atheismum hodierni temporis. Quod ultimis diebus a quibusdam Patribus

expostulabatur. Talis contrapositio schemati non prodesset, sed officeret. Nam schema sic indueret characterem polemicum, quo porta clauderetur colloquio Ecclesiae cum mundo hodierno, praesertim, cum mundo atheo. Quod esset contra finem huius schematis. Tale enim colloquium pro Ecclesia est imperativus categoricus nostri temporis, ut experientia Ecclesiae in regionibus sub ditione atheorum constitutis docet. Nuperrime tale colloquium feliciter initum est ab ipsa S. Sede, quod novissimi eventus in Hungaria demonstrant. De quo episcopi Hungariae hisce diebus S. Pontifici gratias egerunt. Numquid Concilium Oecumenicum posset, immo vellet tale colloquium frustrare vel ipsi finem imponere? Sed iam dixi hoc esset contrarium ipso fini Concilii et speciatim fini huius schematis.

Quoad doctrinam generalem schema inspiratur ideis encyclicarum Ioannis XXIII f. r. *Mater et Magistra* et *Pacem in terris*. Nota eius characteristica est optimismus, qui certo generaliter placet. Sed videtur in hoc puncto etiam deficere, cum non satis rationem habeat exsistentiae peccati in mundo et propterea videtur saepe nimis optimistice procedere sicut nuper dixit exc.mus D. Höffner relate ad schema *de apostolatu laicorum,* ubi de ordine temporali instaurando sermo erat; videtur quodammodo praeterire theologiam crucis. Haec quaestio connectitur cum fundamento theologico relationis Ecclesiae erga mundum, etiam hodiernum. De hoc fundamento vellem quaedam pauca dicere.

Relatio Ecclesiae ad mundum concipi debet et explicari in luce christologica. Ecclesia non solum Christum imitatur eumque sequitur, sed quia ipsa Corpus Christi est, eandem viam in mundo ingredi debet ac ipse Christus, viam scil. incarnationis, redemptionis antequam ad finalem et eschatologicam perveniat resurrectionis gloriam.

Tamquam fundamentum theologicum nostri schematis clare apparere debet simul duplex aspectus oeconomiae salutis. Una ex parte, opus Ecclesiae in mundo quasi sub reflexu quodam glorificationis evolvitur, inquantum mundus Christum accipit et Ecclesiae Christum annuntianti obsecundans in viis veritatis progreditur et ita melior ipse efficitur: de hoc aspectu satis constat in schemate. Sed adest et alia pars veritatis et realitatis. Necessaria in hac expositione est etiam theologia crucis, tam centralis in opere salvationis et numquam absens in historia nostri humani generis. Progreditur opus Ecclesiae in mundo in medio angustiarum et contrarietatum. Ecclesia quidem revera sincere promovet progressum: sed mundus hanc actionem Ecclesiae quandoque quidem benevole accipit, non tamen semper. Inevitabiliter etiam conflictus eveniunt. Variae possunt esse huius conflictus causae; non solum malitia inimicorum Christi, sed quandoque etiam defectus mutuae comprehensionis sive ex una sive ex utraque parte. Ipsa realitas vitae hominum in mundo valde complexa est et intellectu difficilis, ita ut etiam Ecclesia non semper illico et primo ictu optimam problematum solutionem invenire et proponere possit, nec humanas difficultates divinis revelatae doctrinae radiis et auxiliis statim et sine haesitatione illuminare et permeare

queat, sed solummodo post quaedam tentamina ac laboriose discernit et distinguit, quid proprie in variis hominum conatibus sit genuine bonum vel saltem aliquomodo acceptabile, quid autem sit definitive et insanabiliter malum ideoque reiciendum. Talis, ut ita dicam, discretio spirituum, saepe valde difficilis est et de facto solum post longum processum historicum et post multas preces et sacrificia obtinetur. Colloquium Ecclesiae cum mundo non sine acribus et dolorosis tensionibus est. Historia Ecclesiae relate ad mundum modernum eiusque culturam satis superque nos de hac realitate edocet. Haec saepe humana tragicitate plena realitas debet aliquo modo elucere in fundo nostri documenti, secus sermo noster non erit hominibus nostri temporis neque intelligibilis neque efficax. Certo res etiam in futuro per easdem arduas vias, non continuo rectas tantum sed etiam tortuosas, procedere videbimus, inquirendo salutarem illam comprehensionem et concordiam, quam optamus inter Ecclesiam et mundum realem. Aliud non est exspectandum. Ideo unica via illa est incarnationis, crucis et finalis denique glorificationis, quae ad aeternitatem magis spectat ac ad tempora nostra. Utrumque igitur, et theologia lucis incarnationis et theologia crucis passionis, antequam fulgens gloria transfigurationis totalis coruscatur, intime cohaerent.

Hisce in terris Ecclesia Christi firma spe futurae gloriae suffulta, sed adhuc sine re, etsi non sine quodam reflexu resurrectionis Christi, progreditur in medio humanitatis, vestigia premens Salvatoris et Capitis sui.

Conclusio. Propono, ut idea exposita in schemate in convenienti loco et convenienti modo exprimatur.

Propono etiam quasdam particulares emendationes, quae scripto tradam.

1. Cap. II, n. 12: « exercitio iurium quorundam renuntiabit »: Dicitur nimis indeterminate. Oporteret determinare, de quibus iuribus agatur et in quanam mensura ipsis potest renuntiare. Praeterea agitur hic de libertate religiosa, quae fuit obiectum specialis schematis.

2. Cap. III, n. 17: de paupertate: loquitur moderate, ut satisfiat multis, quae in Concilio de hoc prolata sunt. Sed paupertas dicit renuntiationem, quod supponit bona creata posse esse « bivalentia » et periculosa, quapropter debet homo vincere concupiscentiam i. e. peccatum, quod in schemate non sufficienter exponitur.

3. Ibid. n. 18: De dialogo: non esset prudens in hac re ignorare peccatum i. e. malam voluntatem et malam fidem, quae exinde oriuntur. In dialogo necessaria est bona voluntas et bona fides reciproca.

4. Cap. IV, n. 22. Ordo valorum: nimis indeterminate. Deberet dici, de quibus valoribus agatur, de quo ordine et relate ad quid. Qui dicit valorem et ordinem, dicit aliquem finem ultimum, ad quem referuntur. « Bona » sunt « bona » et admittunt gradus seu classificantur per ordinem ad aliquod Bonum supremum.

N. 23. Econtra fortiter enuntiatur bivalentia progressus oeconomici et technici. Sed hic numerus, sicut praecedens de cultura refertur ad nationes

non excultas. Magnum periculum huius schematis est in eo, quod vult esse universale, exemplar vero desumit ab Europa occidentali, ubi suum ortum habet.

Nn. 24 et 25 de solidarietate internationali ad promovendam pacem sunt excellentes et respiciunt id quod possibile est et quod non.

18

Exc.mus P. D. DOMINICUS EKANDEM

Episcopus de Ikot Ekpene

Now that the whole Church has assembled in this Sacred Council as the "Light of the World" and as a city seated on a mountain, to send out to the world Christ's message of the universal brotherhood of mankind, a message of love, peace and unity, the question of racial discrimination, of inhuman cruelity and shameful indignities to which the members of the negro race are subjected in certain parts of the world, particularly in South Africa and the United States of America should not be lightly passed over. Thanks should be given to the United States Government for passing the Civil Rights Bill.

For many reasons the negroes, particularly those in the Continent of Africa welcomed with immense joy and great enthusiasm the Convocation of the Ecumenical Council by His Holiness Pope John XXIII of happy memory because they felt confident that definite pronouncements, decisions and decrees affecting their spiritual and temporal welfare as a race in the process of development will be made in the light of true Christian faith. It will therefore be a bitter disappointment if this question of race persecution and segregation and apartheid which is certainly impeding both the material and spiritual progress of this section of the people of God does not receive from the Council the consideration it deserves and if these abuses are not roundly condemned.

From this Council also should come forth words of praise and encouragement to those members of our clergy and laity and to those non-Catholics who in their struggle to vindicate the fundamental rights of this section of the People of God and to protect them, have been subjected to persecution and have in some cases even lost their lives.

Such an open declaration by this Council is not only commendable but also necessary. It stands out as one of the duties that this Council came to perform for the glory of God and the security and salvation of all mankind. For how can the Council be fruitful when within the bosom of Our Holy Mother Church itself the Christians of one race violently resent contact with Christians of another race? How can we preserve the souls already born to the Church when some of our Catholics refuse to kneel side by side with others at prayer or at the communion rails? How can

ecumenical dialogue with the separated brethern of the negro race when some negroes are already leaving the Church because of racial discrimination, and finally how can these negroes be induced to have confidence in the Church if the Sacred Synod fails to make her voice heard in the condemnation of the manifest, scandalous and terrible injustice they are made to suffer.

The Communists are doing everything to preach and practice the doctrine of universal brotherhood and are succeeding in winning the negroes over by their expressions of sympathy. Is it not therefore a cause of sorrow and grief for the Church so eminently placed in our modern world to see some of her children practise race segregation, which besides causing other evils effectively detains a section of the People of God outside her fold.

19

EXC.MUS P. D. IOSEPH FADY

Episcopus Lilongwensis

1. Placet. Placet iuxta modum. Je m'exprime en français, faute de temps. Le schéma est long. Et c'est mieux. On peut toujours couper et résumer. S'il était court et tronqué, il lui arriverait ce qui est arrivé au schéma des prêtres. Il fallait trop ajouter.

2. *Il ne suffit pas de critiquer* et proposer à la place les Encycliques des Papes. Elles sont généralement très au-dessus du peuple et ne sont pas lues par lui; même des prêtres ne les lisent pas toujours. Ne disons pas de mal des évêques!

Un document émanant du Concile en union avec le Saint Père *fera impression.* Les évêques viennent ex omni tribu et lingua, avec les problèmes de tous les pays, développés et sous-développés, de toutes les civilisations. *Ce sera une charte unique en son genre.*

Certes, critique il faut, mais *critique constructive,* pas de subtilités de détails dès le début. Le travail de polissage vient à la fin et à propos des différents chapitres et numéros.

3. Le schéma doit être *une réponse à l'homme tout court,* partout où il est; à l'homme de la rue qui est l'immense majorité. Le chauffeur de taxi, le cheminot, le marchand de légumes, l'instituteur, la femme au foyer, la femme à l'usine, la jeune fille au bureau et l'étudiant au collège et à l'université. Les gens humbles de nos brousses africaines, les pauvres, les malades — oui, les pauvres de ce monde.

Tout ce monde a ses problèmes. L'Eglise a-t-elle quelque chose à leur dire? Autre chose que des consolations. Il y en a qui n'ont pas la grâce d'être nés dans une famille catholique comme nous, d'être éduqués chrétiennement comme nous. Ils sont comme perdus *dans un monde souvent hostile* et égoïste.

4. Il ne faut *pas planer* trop haut *au-dessus des mortels,* comme des cos-

monautes qui voient de trop haut et de trop loin. *Il fait voir les problèmes* des gens qui peinent, qui se heurtent à des difficultés tous les jours.

Il faut les interroger, se mêler à eux, comprendre leur language, leurs difficultés, leurs préoccupations, leurs joies aussi. Oui, leurs joies, leurs loisirs; il y a plus de bonheur dans ce monde que nous ne soupçonnons. Il ne s'agit donc *pas d'apitoyer* les hommes, c'est trop facile.

Pas de pessimisme, il n'a jamais rien construit. Pas d'optimisme béat qui résout tous les problèmes dans un bureau, *c'est trop bon marché.*

Mais optimisme quand même *basé sur* la grande *bonté de notre Père du Ciel.* Un *optimisme à la façon de Notre Seigneur. Il se mêlait à la foule et parlait leur language,* un language compris à la fois par les hommes instruits et les simples.

5. Il est par conséquent *indispensable d'écouter les hommes,* le peuple de Dieu, catholiques, chrétiens, croyants et non croyants, répandus à travers le monde. Les évêques seuls, les prêtres et religieux seuls, ne suffisent pas. On ne bâtit pas une pyramide en commençant par le sommet. Les laïcs savent mieux où leurs pieds leur font mal. Ce n'est qu'alors que nous pouvons leur procurer des chaussures adaptées à leurs pieds.

A nous de *trouver — après ce dialogue —* (ce qui sans doute exigera *une 4e session*) *un modus vivendi* qui s'accorde avec l'Evangile.

Ils veulent une *réponse claire, pas évasive. Si nous nous dérobons, ils chercheront ailleurs.* Y a-t-il d'autres ailleurs, qui sont mieux équipés que nous, à qui Notre Seigneur a confié les hommes rachetés par Lui?

Y a-t-il au monde une institution *mieux* éclairée que *le Concile* où nous invoquons tous les jours *le Saint-Esprit* promis par Notre Seigneur pour nous éclairer? Certes, cette promesse n'exclut pas le travail et c'est une courtoisie divine à l'égard des hommes de ne pas se passer de nous et de notre activité. Comme il n'y a pas en ce domaine un « deus ex machina », il faut appliquer l'axiome « festina lente ». Cent fois sur le métier etc.

6. Sans doute, *si tout le monde était bon catholique* ou bon chrétien — ce qui n'est pas le cas —; *si tout le monde se conformait aux enseignements de l'Evangile* — ce qui n'est pas le cas non plus — il y aurait peu de pauvres, peu de malheureux même dans notre monde déchu par le péché originel.

Alors le schéma de l'Eglise dans ce monde d'aujourd'hui serait du coup superflu.

Mais tous les hommes ne lisent pas l'Evangile — même beaucoup de chrétiens catholiques — ne le connaissent que bien superficiellement.

Si le Concile réussit à parler à cet homme tout court un language vraiment humain, empreint de bonté, d'espoir, d'enthousiasme, qui le conduit à l'Evangile et par l'Evangile à Notre Seigneur et à son Eglise, alors, oui alors il aura fait une œuvre constructive.

Utopie! direz-vous peut-être. Je réponds par un exemple: En moins de trois ans le Nyasaland est devenu un pays avec « self-government », puis

indépendant sous le nom de Malami. D'un bout à l'autre du pays des groupements organisés se sont formés. L'idée d'indépendance, de liberté, de bien-être etc. a été prêchée jusque dans les moindres villages de la brousse. On dit que les idées mènent le monde — oui, mais ces idées étaient *lancées et cristalisées, incarnées dans un homme.* Ceci s'est répété dans les autres pays d'Afrique.

Or, nous aussi nous avons un Homme, mieux, un Homme-Dieu, le Verbe de Dieu lui-même incarné. C'est à lui qu'il faut amener l'homme de ce monde d'aujourd'hui. Car c'est un homme vivant! Le vrai libérateur qui rend l'homme libre, Notre Seigneur Jésus Christ.

20

EXC.MUS P. D. ANGELUS FERNANDES

Archiepiscopus tit. Neopatrensis, coad. c.i.s. Delhiensis

Ecclesia in mundo hodierno non est nisi Ecclesia, in suo divino mysterio omnia hodierna complectens. Ideo exordium sumat nostra expositio a mysterio Ecclesiae.

Ecclesia est continuatio Christi, qui venit a Patre et vadit ad Patrem. In mundo apparens, sapientiam et amorem Patris manifestat; ad Patrem omnia referens, per Spiritum omnes filios Dei facit, et ideo inter se fratres.

De schemate hoc prima quaestio est: sub quo angulo mundum considerare debet? Iam prolata est quaerela, quod mundum oculo occidentali respicit, pressius dictum, quod evolutionem mundi occidentalis ubique terrarum eventuram praenuntiat, et ideo remedia quae his conditionibus apta videntur praescribit. Sed, dato non concesso quod haec visio vera sit, cur hoc modo empirico et mere humano proceditur? Schema dicat nobis quid Christus, si nunc in mundum esset redux, faceret et doceret in gloriam Patris et salutem hominum.

Omnino primum, sensum rerum spiritualium inculcaret. Nam quanto magis locuples in materialibus, tanto magis indigens in spiritualibus esse videtur mundus hodiernus.

Sed etiam, novo quidem modo et iuxta conditiones mutatas, caritatem exercendam doceret. Misereor super turbam: haec verba tanto maiori cum affectu repeteret, quod nunc turba egestate laborans amplius bis millies milliorum, amplius quam duo e tribus partibus generis humani complectitur.

Et duo facienda discipulos inculcaret, utpote magis urgentia. Primo ut famem depellant, secundo, ut omnes homines, cuiusve stirpis, affectu et effectu fratres suos habeant.

Primo ergo ut famem depellant. Si veniret, non iam in parva et in se clausa communitate qualis erat tunc populus Iudaicus, sed in hoc mundo per technicam unificato, in quo omnes populi unus ab altero pendent quin tamen vera caritate coniungantur, Christus ut supremum criterium secundum quod

iudicabitur homo, id est secundum quod statuetur num eius existentia sensum habuerit, curam proponeret non tantum de individuis adiuvandis, sed de communi actione ad communes necessitates sublevandas.

Nonne diceret — sit venia paraphrasi —: « Esurivi, et adiuvistis me ad productionem agrariam augendam; illiteratus eram, et docuistis me; aegrotus, debilitatus, et servitia medicalia organisavistis; incapax bona industrialia producendi, et fabricas mihi aedificastis ». Et populis ditioribus ac singulis membris eorum, indignatione sancta impulsus diceret: « Vae vobis divitibus, nisi divitias vestras in adiuvandis pauperibus adhibeatis ».

Alterum quid summo conatu etiam nunc inculcaret: amorem nempe universalem. Quas suo tempore applicationes dederat ipse et apostoli sui, de transcendendis differentiis tunc inter suos auditores existentibus agebant, v. g. inter servum et hominem liberum, pauperem et divitem, Iudaeum et Graecum, virum et mulierem. Sed tunc temporis coetus hominum stirpe homogenei erant, et quasi non erat contactus inter stirpes diversas. Quae conditio nunc radicaliter mutata est. Migrationes stirpes ita miscuerunt ut intra ipsas quasdam nationes coexistant. Itinera, studia extra patriam peracta, tota hodierna vita oeconomica, homines diversae stirpis inter se commiscuit. Et haec commixtio etiam augeri deberet, nam emigratio omnino fovenda est. Sed differentia immediate dignoscitur: residet in colore pellis, in ipso typo corporali. Atqui si quaevis differentia in despectum et aggressivitatem vergit, nisi adsit caritas quanto magis illa! Hanc praecise differentiam dilectione vincendam esse, Christus nunc inculcaret.

Ecce programma Christi, ecce programma Ecclesiae. Signum levatum in gentibus Ecclesia tantum vocari poterit quantum summo conamine hoc programma exsequitur.

Nam urget tempus, gravissimae conflagrationis periculum mundo imminet. Oportet ut Ecclesia modo Ioannino totam communitatem internationalem inspiret et excitet ad problemata famis et racismi solvendum. Et praeprimis Ecclesia hoc potest: nam, tametsi ei non competit technicos aspectus solutionis proponere, dynamismum tamen amoris, sine quo in hac materia quaevis technica debilis est, ipsa sola mundo communicare valet. Sub hac ergo praesertim perspectiva fiat reductio schematis.

Quodnam in hac re munus Concilio competit? Non tam textum approbare quam motum initiare. Et hoc iam fecit, in Constitutionibus iam promulgatis vel approbatis. Nam quid racismo et individualismo nationali magis opponitur quam spectaculum unitatis in reciproca aestimatione legitimae diversitatis? Et hoc est spectaculum quod mundo Ecclesia dabit, si quae de Liturgia, de Ecclesiae unitate in decentralisatione, de Oecumenismo statuta sunt, plene applicantur.

Haec, venerabiles Fratres, de essentia ipsa schematis. Nunc quaedam particularia brevissime tantum enumerabo.

1. Statuat Concilium erectionem secretariatus: 1) de modernis problematibus indagandis; 2) ad evolutionem mundi christiano modo fovendum;

3) ad fraternitatem universalem fovendam. Id est secretariatus studii et actionis. In eum cooptentur ex toto mundo periti, pro bona parte laici, etiam si casus fert, non catholici.

2. In definitiva redactione schematis, includatur substantia eorum quae in annexis dantur, et quidem interea ameliorata.

3. Stylus schematis eligatur magis directus, qui in multos profundam impressionem defigere valeat.

Venerabiles Fratres, ut initio dixi, hoc schema de actione Ecclesiae in mundo a suo intimo mysterio exordium sumere debet. Operari sequitur esse. Sed liceat mihi huius principii aliam applicationem dare.

De Ecclesia in suo esse longa et profundissima disceptatio facta est. Per tres sessiones, decursu sex hebdomadarum, textus semper magis emendatus examini subiacuit. Nam quaestioni « quid dicis de teipso? » Ecclesia serio respondere voluit.

Sed, Fratres, nonne hoc schema de Ecclesia in suo agere saltem eiusdem, immo sub quodam respectu etiam maioris momenti est? Quaestioni « ad quid venisti? » nonne responsio nostra stare debet sicut pharus, anglice "lighthouse", qui mundum illuminat? Liceat mihi proponere ut disceptatio sit intensa et profunda, et ut commissioni amplum tempus postea detur ad redigendum quam optimum textum, qui denuo in sequenti sessione serio examini Concilii subiciatur, ita ut ante definitivam suffragationem etiam perfici possit. Ne putemus Concilium iam fere opus absolvisse. Praecipuum faciendum remanet. Quam optime fiat!

21

Exc.mus P. D. AUGUSTINUS FROTZ

Episcopus tit. Coradenus, aux. Coloniensis

Thema generale animadversionum (pag. 5, n. 2 schematis): *De signo temporis nostri,* quod Summus Pontifex Ioannes XXIII in litteris encyclicis *Pacem in terris* uti signum summi momenti pro pace condenda et stabilienda indicavit, nempe *de mutatione fere totali conditionum vitae mulierum et de quibusdam sequelis, quae ex hoc facto evolutionis oriuntur et ab Ecclesia praeteriri vel negligi non possunt.*

Breviter loqui velim:

1. *De ipso facto mutationis.*

2. *De momento huius mutationis*: *a*) pro mulieribus ipsis; *b*) pro matrimonio et familia; *c*) pro societate civili; *d*) pro Ecclesia.

3. *De habitudine Ecclesiae erga hoc factum evolutionis*: *a*) videre et agnoscere positive ut evolutio necessaria, in se bona; *b*) fovere et promovere hanc evolutionem: formatio intellectualis et spiritualis; aditus ad studia et altiorem culturam, ad omnes positiones, etiam in Ecclesia, pro quibus dotes

requisitas habent; modus adaequatus relationis et cooperationis inter viros et mulieres in Ecclesia (praesertim sacerdotes inter et mulieres).

4. *De effectu exspectando*: *a*) mulieres Ecclesiam ut veram protectricem dignitatis personalis mulierum, refugium, matrem, habebunt; *b*) mulierum activitates praesertim pro suis ipsis causis crescent; *c*) vocationes spirituales tam pro vita religiosa tam pro vita evangelica in mundo augmentabuntur; *d*) generatim autem divitiae dotum, quas Deus Creator et Salvator mulieribus dare dignatus est, mensura maiore in meliorem evolutionem mundi hodierni influent.

Propositio: 1. mutatio conditionis vitae mulierum in schemate expresse nominetur et agnoscatur; 2. evolutio ab Ecclesia summo studio foveatur ac promoveatur; 3. fiducia et spes Ecclesiae exprimatur, ut mulieres, maiorem responsabilitatem colentes, viribus unitis dignitatem personalem mulieris defendant, ubicumque haec pedibus conculcatur, et influxum suum bonum in toto vitae modernae ambitu exerceant.

22

Exc.mus P. D. ANTONIUS FUSTELLA
Episcopus Tudertinus

Simplex suggestio ad materiam ordinandam: Idearum processus ab homine — in se et in familia societate humanitate — consideratio, procedere potest.

Che dice e fa la Chiesa perché io uomo possa risolvere i miei problemi personali? Trovo presente, e come, la Chiesa nei diversi contesti in cui svolgo la mia vita?

Practice Ecclesia sic se praebet:

homini ut tali: vitae hominis interpretationem sacram dat (quid et cur sit, quo tendat) eiusque maximum valorem in interioritate-spiritualitate, ex quibus libertas nascitur et in dies alitur, ponit; supernaturalis salutis donum Dei, quo, laboriose utique sed efficaciter, homo mundum superare ipsumque Deum aeterne lucrari potest, praebet;

homini in formationis aetate: in familia: matrimonii indissolubilitatem tuendo, prolisque completam educationem quam maxime inculcando, de facto ambiens integrae et bonae formationi aptum fovet; in societate-humanitate: etiam hic uniuscuiusque societatis et integrae humanitatis bonum commune stimulando, bonum commune scilicet maximum possibile singulae personae humanae, atque impediendo ne singuli communitati tantum serviant, practice non parum felicitati humanae inservit;

homini in totius vitae decursu: aliis: in operibus religionis et caritatis et humanitatis Deo et proximo totam vitam, Deo vocante, vovere possibilitatem dat; aliis: qui vitam ordinarie in mundo agunt, fere omnia hominum

problemata passim inveniunt (matrimonio e famiglia, lavoro, cultura, arte e tecnica e scienza, divertimento, stato, pace ecc.), in quibus de facto Ecclesia praesentiam manifestare potest, maxime invitando homines ad iustitiam et aequitatem et verum bonum personae humanae.

Quibus necessitas ut Ecclesia in mundo hodierno, Dei providentis in natura et in hominum historia praesentiam studium inquirendi, et legis naturalis generaliora principia diffundat adiungi potest.

Quibus omnibus Ecclesia evadit lux mundi et sal terrae et, ut Christus, in terra revera percipitur praesens propter nos homines et propter nostram salutem.

23

Exc.mus P. D. PRIMUS GASBARRI

Episcopus tit. Thennesiensis, adm. ap. Grossetanus

1. Aperte fateor priorem lectionem textus huius schematis, horis subsecivis tamen absolutam, parum me tetigisse: at non ita lectionem alteram, praesertim quod acceptas retinebam impressiones eorum quae adnexa, his praestantiora quibus adnectuntur, schemati sunt. Scil. quae in schemate dicuntur considerari debent initium utilis disceptationis, cum textum oporteat accommodare menda, quae illum dilacerant, vitando. Menda haec sunt:

a) distributio artificiosa argumentorum quae imparem contextum improvidumque idearum processum saepe inveniunt;

b) assiduae ne dicantur continuae iterationes conceptuum qui tamen et perficiuntur et introspiciuntur numquam;

c) propositiones audaciores, quas forte nimia excusat incuria verborum in textu apparando, quales, v. g., in pag. 15, linn. 27-33;

d) penuria per totam dissertationem afflatus supernaturalis;

e) delineatio nec subtilis, nec finita, sub aspectu philosophico et theologico, « mundi » et nostrae aetatis culturae, quae nempe solet melius indicari voce germanica « Weltanschauung ».

2. Duo erunt, quae totam disceptationem complectuntur, exquirenda et pressius indaganda.

A) Imprimis hoc statuendum: mundus universus, sive homines, eo tendunt ut ex multis populis ac gentibus, ex diversis culturis ac ingeniis, unum quid fiat. Quod tamen — sane dolendum — tum Ecclesiae placitis neglectis fieri, tum etiam spretis. Sunt quidem in Ecclesia Christi et vires magnae et ingentes, quibus, si recte utamur, possint maximae christianae societati utilitates et commoda oriri. Fatendum tamen est in hac re, aliter ac esset in votis cessisse, ea fortasse de causa quod quidquid esset virium in unum contractum non est. Cui rerum conditioni mederi oportebit. Ad unitatem vero agendi, eam maxime conducere puto quam Pius XII, per apostolicas litteras *Mystici Corporis Christi* et extulit et promovendo inculcavit caritatem. Hodie sane

multum et « novitas » laudatur et omnia incepta et instituta religionis ad aetatis nostrae placita accommodanda esse contendunt: non tamen asseveratione eadem affirmatur supremam sacratissimamque omnium aetatum legem Evangelio contineri atque caritatem vocari. Quam per omnes Ecclesiae Sanctae artus et vitam pervadere oportere, tamquam incendium per agros, ut Ecclesia sua fungi possit missione pro mundo huius aetatis universo, necesse est.

B) Solent laicis praedicatores verbi Dei suadere: « haec est hora vestra ». Quibus verbis significant: *a*) mundum progredi indesinenter, versus sic dictam « saecularizationem » sub variis adspectibus, scilicet oeconomico, scientifico, technico, culturali, politico etc., quae iam saeculo Humanismi et Renascentiae ortum habuit. Reor non omnia esse condemnanda in tali progressu quem, quodammodo, et Christus adprobavit dicens: « Reddite quae sunt Caesaris, Caesari ». Damnanda est tamen interpretatio talis phaenomeni socialis quam praebet laicismus contendens regulam ultimam progressus mundani esse ipsum hominem et commodum ipsius hominis materiale. Ex quo oriuntur idealismus, existentialismus, freudismus, communismus materialista... Consequitur saecularizationem vocem esse et realitatem ambiguam. *b*) Laicos, qui sunt in mundo, constituere fermentum spirituale societatis in qua vivunt, in quorum munere nullum alium, haud raro, substitui posse. Ipsis competit convertere, ad normam evangelicae doctrinae, civitatem hominum, praesertim testimonio vitae, in parte vel laboris, vel professionis, vel studii, vel negotii quae agunt, ut Christus in fidelibus vivens manifestus esse possit (cf. *1 Pt.* 2, 12 sqq.; *Phil.* 4, 9; C. X *Ep. ad Eph. S. Ignat. Antioch.*). Tale testimonium, felicissima intuitione, Pius XII vocavit « Mundi consecrationem », quae essentialiter opus est laicorum. De qua miror schema siluisse, instans de pari gressu promovendis sapientia et arte technica, cum, econtra, sermo esse deberet de arte technica (et in genere cultura seu vita universa) informanda sapientia christiana.

Post praecipuum modo laudatum sermonem, alteri conventui terrarum orbis de apostolatu laicorum agendi, non semel Pius XII ideam eandem resumpsit, evulgavit, altius prescrutatus est, sive dicens, sive scribens; et post ipsum Ioannes XXIII rem fecit suam in Encyclicis Litteris *Mater et Magistra* et *Pacem in terris*; necnon Summus Pontifex Paulus VI, qui rem sine intermissione renuntiat in suis orationibus quae notitia doctrinarum progressionis, scientia rerum et pervestigationum hominum qui hodie vivunt et afflatu pastorali admiratione omnes afficiunt. Nec est silendum Litteras Encyclicas *Ecclesiam suam* offerre recens exemplum et specimen amplissimum officii quod universo mundo est ab Ecclesia praestandum ut ipsa reintegrationem mundi, qui salutem expectat, operetur.

Schema nostrum per has Encyclicas Litteras substitui propono et enixe rogo. Rem faveant videre Patres.

24

Exc.mus P. D. MICHAEL GONZALEZ IBARRA

Episcopus Rivoriensis

Paulo post Vaticani II Concilii initium, conciliares Patres in mundum aliquod nuntium miserunt, quod optimam in toto orbe sympathiam speique germina protulit.

Venerabiles Patres: antequam huic praeclaro conventui finis imponatur, iterum obligatione tenemur orbi nuntiandi, Ecclesiam non oblitam esse illius promissionis, sed econtrario, post tot conciliares disceptationes, de mundi necessitatibus magis magisque in dies fieri consciam, et nunc, ut cum maxime, se intelligere mundo esse arctissime coniunctam identitate unius eiusdemque communis missionis, Ecclesia Concilii Vaticani II omnibus patere, omnes suscipere, omnibus loqui, omnibus adstare desiderat.

Actualis mundus in gravibus periculis versatur: acerbi duorum universalium bellorum eventus, periculum belli atomica vi gerendi, quod hisce diebus ei imminet, sicut olim, omnia delere potest; minaces ideae ubicumque grassantur: Marxismus militans, existentialismus atheus et intellectuales illae tendentiae quae sic dictae philosophiae absurdi et desperationis ansam praebuerunt.

Ex alia parte, « élites » ubicumque florent et fructus suos afferunt. Nunquam mundus, sicuti nostris diebus, tam procul ab Evangelio aberravit simulque tam prope Evangelio accessit. Numquam Deo propior et a Deo remotior progressus est. Spe orbatus, Deum quaerit, ad eum clamat et a nobis spei verba efflagitat.

Nostrum igitur schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* nihil aliud est nisi phaenomenon, quod ex problematibus horae praesentis tanquam consectarium exsurgit. Attamen dicendum est eius analysim magis nationalibus et staticis rationibus adstrui, non esse satis concretum, neque vere existentialem. Ut nostra de Ecclesiae praesentia in mundo declaratio, dynamica esse possit, oportet ut verum spei nuntium mundo afferat et in mundum « novi cuiusdam Pentecostes » spiritum infundat.

Aeterna Ecclesiae missio in eo sistitur, quod Evangelii sub luce, omnium generationum omnia problemata solvere conetur, quam responsabilitatem nostris hisce diebus ipsa effugere nequit. Sed ne timeamus, Christus pro Ecclesia exoravit: « Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo »... Unde sequitur Ecclesiam illa principia docere debere, ex quibus hodiernae nostrae aetatis problemata maiora et ineluctabilia solvi possint, uti personae humanae dignitas eiusque inviolabilis libertas, familiae et scholae consolidatio, laboris et socialis iustitiae organisatio, operarii dignitas, fundamentalis aequalitatis hominum proclamatio, fames et analphabetismus in nationibus « progredientibus », prolis limitatio, vis atomicae usus, pax et bellum etc.

Ut iis omnibus Ecclesia respondeat mundus desiderat.

Ecclesia Spiritum Sanctum consulat, lucem hominibus afferat sub impulsione novi Pentecostes, fraternas inter homines relationes evangelico spiritu promovendo.

Non solis nostris hodiernis problematibus circumscribamur: maxima Concilia, uti Vaticanum II historiae visionem ad multa saecula proiiciunt et extendunt.

In nostra Ecclesia mundus praesentiam Spiritus Creatoris percipiat, qui capax est omnia difficilia superandi, orbem transformandi atque Ecclesiam per tot saeculorum cursus « christificandi ».

Conclusio. Duo igitur sunt mihi proponenda. 1. Quod nostrum schema *normas practicas* proponat, quae nos pastores ducant ad plene agnoscendam obligationem, quam habemus, realem reddendi praesentiam Ecclesiae in mundo. Utinam hae normae media ad cleri et laicorum formationem suggerant, ita ut in illis et per illos Christus in mundo praesens fiat.

Schema proinde perspicue et profunde in nobis imprimat valorem rerum aeternarum, temporalium et humanarum, ita ut christianus probe noscat se, terrenam civitatem modo christiano aedificando, ad divinae voluntatis implementum et ad Regni Dei extensionem conferre.

2. Quo nos fideles inveniri possimus intuitioni Ioannis Papae XXIII, — quam Sanctissimus Dominus Noster Paulus, Divina Providentia Papa VI suam fecit —, postulo ut nostrum schema, expressis verbis, decernat se in hac declaratione elicienda, spiritu primi Pentecostes moveri, atque, adiuvante Divino Magistro in Ecclesia praesente et in ipsa operante ad finem usque saeculorum, et Auspice Maria, Matre Iesu, Ecclesiam velle Christi et apostolorum missionem perennem reddere, eorumque exemplo ductam, prosequi apud homines « mirabilia Dei ».

25

Exc.mus P. D. MARCELLUS GONZÁLEZ MARTÍN
Episcopus Asturicensis

Non possum non laudare in schemate: *a*) intentionem et propositum; *b*) calorem vitalem, ut ita dicam, quo ornatum est (élan); *c*) stylum, non literarium, sed internum, id est animationem ideologicam qua movetur.

Necessarium est loqui de Ecclesia in mundo hodierno, et adhuc magis necessarium ita loqui ut quod dicamus non alienum sit a munere nostro neque per excessum neque per defectum. Excessus, hic, esset visionem nimis imaginativam mundo praebere et ingenuum optimismum patefacere; defectus staret, e contra, in derelictione istius propositi colloquendi cum mundo hodierno eo quod difficile sit, quod, si fieret, antievangelicum esset et maiorem separationem quam quae hodie existit inter Ecclesiam et mundum gigneret.

Sed, quomodo conficienda est declaratio conciliaris, quae, utpote talis, est vox Ecclesiae, ad hoc ut utrumque vitari possit? Puto fundamentale esse ut concordes simus, prius in sensu quo adhibendi sunt duo conceptus, nimirum *Ecclesia* et *mundus hodiernus*.

A) *Mundus hodiernus*. Estne licitum Ecclesiae loqui de mundo hodierno sicut loquitur moralista, sociologus, culturalista, politicus? Minime. Ecclesia, iudicans de mundo, iudicia sua proferre debet ut Ecclesia. Semper. Quod significat ut numquam Ecclesia, in suo iudicio ferendo, potest praescindere ab hac consideratione: quod, non obstantibus pulchritudine et bonitate rerum terrestrium, mundus — (non loquor de mundo in maligno posito, pro quo Christus non rogavit ad Patrem) — radicitus laborat gravibus defectibus, quia est creatura et ideo obnoxia limitationibus et quia voluntas libera hominum constanter ad malum inclinatur. Hoc debet dici semper de mundo, hodierno, hesterno et futuro.

Hac consideratione posita, addi possunt cetera alia quae de valore rerum humanarum agunt. Eam omittere vel in plano subordinato apponere, periculum gigneret creandi falsam perspectivam.

Haec idea de defectibus mundi et de deordinata inclinatione voluntatis humanae ad malum continuo asseritur a theologia catholica (Thesis de Revelatione: « Moraliter impossibile est ut homo lumine rationis naturalis Deum cognoscat certo, expedite, et modo omnibus accommodato ». Thesis de Gratia: « Moraliter impossibile est ut homo possit diu adimplere praecepta legis naturalis sine auxilio supernaturali Dei ». Quod, si valet de homine individuatim sumpto, multo magis de societate humana ut tali, i. e. de mundo).

B) *Ecclesia*. Ecclesia, coram mundo, in recto et directe, unam missionem habet, nimirum salvificam. Posita est ad idipsum ad quod Iesus venit: « salvum facere quod perierat ». Cetera omnia quae Ecclesia agat, loquatur, moveat, proponat, ordinata sunt et debent ordinari ad hanc missionem adimplendam.

Ecclesia non est organismus sociologicus promotionis culturalis vel socialis relate ad mundum. In hypothesi e. g. quod Deus vellet salvare homines alia via distincta ab Ecclesia, nulla ratio esset cur ista exsisteret hodie. Ecclesia incarnata est in mundo, certe, sed ad eum sanctificandum, sicut Verbum assumpsit naturam humanam, et assumens, eam sanctificavit.

At non datur sanctificatio mundi nisi per gratiam. Perfectio progressiva rerum terrestrium, quamvis maxima, in ordine pure naturali, i. e. progressus in labore, cultura, aequalitate oeconomica, salute corporali, pace sociali, etc., sine gratia sanctificante, non esset progressus quem Christus intendit et Ecclesia prosequitur. Minime dixerim valores istos aspernendos esse. Eis mediantibus creatio glorificat Creatorem. Sed ad aliam gloriam, eamque superiorem, procurandam venit Christus in mundum.

Applicatio ad nostrum schema. Quae cum ita sint, quaerendum est utrum schema haec sub clara luce ponat. Primo intuitu respondendum videtur affir-

mative, nam loquitur schema de vocatione integra hominis, de adventu Christi in mundum ad eum salvandum, de supernaturali missione Ecclesiae.

Iam vero, cum transitus fit ad loquendum de mundo, quoniam terminus iste « *mundus hodiernus* », habet amplissimam et fere inexhauribilem significationem, accidit ut quod dicimus de Ecclesia relate ad mundum est aliquid vacuum, levissimum, fere inefficax. Nam nihil aliud exprimitur nisi summa affirmationum indolis catechisticae elementaris, quibus adduntur quaedam recommendationes de actitudine christiani erga pacem, culturam, distributionem divitiarum, familiam, etc. At haec omnia dicuntur modo generali quin aliud assequamur nisi repetere ea quae pluries dicta sunt in documentis Summorum Pontificum, episcoporum, in articulis ephemeridum et in libris qui de hoc pertractant. Hoc vero causa erit magnae defraudationis.

Quid igitur faciendum? Meo iudicio, oporteret declarationem magis sobriam et breviorem conficere in qua, liberi a quadam quasi obsessione sympathiam mundi concitandi (bene est intendere ut mundus audiat nos, sed potest esse nocivum immoderatum desiderium exitus in eo quod intenditur), dicamus quid est et quid non est Ecclesia, quid ea mundo offert, quid spectat ac petit a mundo, quid iste potest et quid non potest ab ea sperare. Hoc exigunt diversae rationes:

1. *Dignitas Concilii.* Non aequum videtur, post tantam exspectationem provocatam, declarationem adeo vacuam proferre.

2. *Realismus.* Victimae sumus omnes, forsan, cuiusdam excessus imaginationis propter intemperantiam propagandae et publicitatis.

3. *Impossibilitas practica.* Quid possumus et debemus dicere mundo hodierno qui simul est mundus asiaticus, europaeus, africanus, americanus..., mundus subevolutus et supertechnicus..., mundus pauperum et divitum..., mundus materialista, communista, amoralis... etc.? quod culturam diligimus et ignorantiam supprimere volumus? quod pacem fovemus et bellum impugnamus? quod magis iustam distributionem divitiarum materialium desideramus? At haec omnia digna sunt quae Concilium affirmet? Et si ad magis concreta descendimus, quinam audeat concretizare?

Nova redactio. Attamen, quoniam loqui necesse est et propositum commissionis omni laude dignissimum mihi videtur, en nova structura declarationis quae, meo iudicio, proponi posset:

1. Manifestatio amoris Ecclesiae erga mundum hodiernum et aperta recognitio valorum quos habet.

2. Propositum Ecclesiae colloquendi et participandi, in quantum ad eam pertinet, in elaboratione et assecuratione omnium bonorum ad quae mundus hodiernus aspirat, et hoc tamquam servitium clare et humiliter oblatum.

3. Enumeratio quorumdam problematum maioris momenti quae mundus hodiernus patitur, et assertio quod, licet nunquam definitive solvantur, reduci possunt quamplurimum cum leges naturae servantur et cum homines pro-

fitentur spem et amorem christianum (hoc fundamentari posset historice et theologice).

4. Transitus deberet fieri nunc ad claram et apertam affirmationem sine ullo metu et tremore, de Ecclesia ut mysterio salutis, in mundo posita ad hoc ut eum vivificet, illuminet, et salvet utpote confirmatrix actionis Christi Redemptoris. Itemque, et quapropter, viva expressio doloris Ecclesiae perspicientis tribulationes hominum erga quas nullatenus indifferens esse potest. Ideo, colloquium cum mundo (diálogo) vult magis magisque statuere, sicut toties dixit Paulus VI, praesertim in *Ecclesiam suam*.

5. Ad hoc ostendendum, nimirum, suum propositum colloquendi et adlaborandi cum et pro mundo, referentia ad hoc quod Ecclesia intendit facere in ipso Concilio, quod quidem si attente perspicitur est clara manifestatio propositi Ecclesiae erga mundum, et quidem offerendo in primis illud quod Ecclesia habet, thesauros suos, quod specifice ad eam pertinet.

Explico. Renovatio vitae liturgicae intendit faciliorem reddere conversationem hominum cum Deo; exaltatio laicatus demonstrat quanti aestimat hominem Ecclesia; collegialitas episcoporum indicat propositum mobilizationis omnium possibilitatum Ecclesiae ad mundi servitium; Secretariatus Unionis Christianorum, appellatio ad alias religiones prae se ferunt clarum designium e medio tollendi hostilitates, immo et absentiam mutuae relationis; renovatio vitae in munere pastorali episcoporum et sacerdotum ostendit voluntatem maioris accommodationis ad exigentias mundi hodierni... Nonne haec omnia clarius patefacerent positionem Ecclesiae erga mundum quam innocuae declarationes de cultura, familia, oeconomia...? De his omnibus fere nihil novum possumus dicere nunc nisi quod iam saepe saepius dictum est. Organizationes technicae civiles in mundo exsistentes dicunt plura et meliora quam quae nos possumus dicere in concreto.

6. His positis, nunc veniret novus gressus, et quidem *maximi momenti*, in declaratione. Consisteret in affirmando proposito Concilii creandi Organismum Centralem, laicis et ecclesiasticis compositum, cuius missio erit: *a*) de quaestionibus quae agitant mundum hodiernum sese occupare; *b*) rigore doctrinali, opportunitate et frequentia dictamina offerre; *c*) cum organizationibus civilibus nationalibus et internationalibus collaborare (O.N.U., U.N.E.S.C.O., O.I.T., etc.); *d*) iuvamen suum praebere eis qui officio pastorali incumbunt.

Quod propono est aliquid distinctum a magisterio doctrinali Summorum Pontificum, quod intangibile manet. Reapse dicendum est Summos Pontifices, a Leone XIII hucusque, egregie hoc munus adimplevisse. At exspectatis conditionibus mundi hodierni, praeter hoc magisterium fidei et morum, videtur necessarium instituere organum aliquod, inter tot quae in Ecclesia dantur, quod curet de exarandis studiis et responsionibus praebendis ad problemata nostri temporis, non postquam falsae orientationes mentes hominum invaserint, sed antea. Accusamur enim, et non iniuste, quod procedimus fere semper nimia retardatione.

Hoc est quod antiquitus fecerunt Universitates in Ecclesia, e. g. Sorbona Parisiensis, Salmanticensis in Hispania.

7. Post hoc, tractatio, iam in concreto, de quibusdam quaestionibus hodiernis, seligendo inter ea quae schema offert, aliquas tantum de quibus possimus dicere — si possibile sit — aliquid quod hominem hodiernum ad seriam reflexionem invitet. Timeo enim ne, stante declaratione prout iacet, potius increpent nos de inanitate et evasione.

Seligerem inter has quaestiones, sequentes: *a*) de vita oeconomica et sociali; *b*) de pace et bello; *c*) de solidaritate internationali; *d*) de compromisso Ecclesiae novum iter aggrediendi.

Conclusio et summarium totius voti. Schema est necessarium. Interest quam maxime mundum hodiernum diligere, adiuvare, ei servire, eius valores agnoscere, et distantiam inter mundum et Ecclesiam supprimere. Sed magna cura habenda est ne in colloquio cum mundo et valoratione rerum terrestrium, obscuretur unquam visio quam Ecclesia de se ipsa debet offerre et finis qui eam movet, nimirum, vita supernaturalis fidei et caritatis ad quam tota eius actio tendit.

1. Optimum schema propter suum propositum, sed indigens profunda reelaboratione.

2. Desideratur maior praecisio theologica praecipue in duobus conceptibus de *Ecclesia* et *mundo hodierno,* iuxta ea quae in voto proponuntur.

3. Desideratur etiam maior vis paedagogica, h. e. quod appareat clarius angulus visionis (el enfoque) et linea doctrinalis totius schematis, ne deveniat simplex congeries affirmationum.

4. In consideratione quae fit problematum mundi hodierni, cap. IV, magis sobrii deberemus esse in nostro intento et tantum agere de duabus vel tribus quaestionibus maximi momenti, de eis dicentes quantum possimus, et cetera relinquentes, ne cum plura intendamus, in plures generalizationes cadamus. Opportunum esset commendare quibusdam specialistis studium harum trium quaestionum faciendum proxima intersessione ut nobis offeratur opportune et possimus de eo agere postea. Nimia festinatio vitanda est. Interest talia dicere et tali modo, ut mundi fiduciam excitemus pro futuris actuationibus.

5. Maximi momenti esse puto, propter fidelitatem ad id quod est Ecclesia coram mundo, et ne iste foveat immoderatam spem respectu Ecclesiae, asserere multas aerumnas non posse habere nunquam solutionem completam hic in terris. Historia et theologia in hoc concordant et homo hodiernus debet hoc admittere ne in illusionem deveniat.

6. Fructus istius schematis esset potius quam in eis quae dicat, in promovenda magis viva et christiana actuositate hominum et in praebendo, e parte Ecclesiae, exemplo magis authentico servitii, paupertatis, spei, amoris.

7. Ideo, et iuxta haec omnia, supra propono synthesim eorum quae schema deberet offerre.

26

EXC.MUS P. D. RICHARDUS LESTER GUILLY
Episcopus Georgiopolitanus

Saepe saepius in aula conciliari sermo factus est de paupertate et de mediis aptis ad ipsam sublevandam. Speciatim autem thema paupertatis in schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* tractandum est. Ideo propono ut in hoc schemate sequentia principia fundamentalia explicite statuantur ac exponantur:

1. Omnes homines in caritate tenentur ut in favorem pauperum disponant de illis bonis quae vere superflua ipsis sunt, hoc est: quae ad eorum substentationem honestam proprio statui accommodatam nequaquam requiruntur sed mere acervantur.

2. Bona autem materialia quae sic ad sublevandam paupertatem et famem disponibilia fiunt, duplici modo adhibenda erunt:

a) ubi agitur de adiuvandis infantibus, senibus, infirmis aliisque qui proprio labore sibi providere non possunt, bona materialia ad modum eleemosynae (hand-out) ipsis tradantur, et quidem mediantibus appositis organizationibus socialibus et caritativis;

b) ubi vero agitur de hominibus qui ad laborandum capaces sunt, subsidia finantiaria ita ipsis applicentur ut fiant media productiva quibus ipsi pauperes propriis exigentiis providere possint. In hoc ergo casu nostra iuvamina eo tendere debent ut pauperes sufficientia media (instrumenta agricola, machinas industriales etc. ab una parte, sufficientem instructionem, culturam etc., ab altera parte) acquirant quibus eorum situatio depressa gradatim superatur: adiuvandi sunt ita, ut seipsos in posterum adiuvare possint.

Hac sola enim methodo problema paupertatis in sede oeconomica ultimatim sanari poterit, dum simul hac sola via providetur christianae dignitati personae quippe quae, in genere loquendo, postulet ut homo adultus proprio labore sibi et suis provideat et exinde conscientiam proprii valoris in societate hauriat.

Haec doctrina, quae iam pluries in variis Encyclicis socialibus proposita fuit, in documento conciliari adhuc magis inculcari debet. Uti notum est, hae ideae a plurimis missionariis condividuntur et etiam ab organizatione FAO iam activo modo in praxim reducuntur.

27

Exc.mus P. D. PAULUS GÚRPIDE BEOPE
Episcopus Flaviobrigensis

Conspectus generalis. A) Id quod dicitur in pag. 42 ss., magni momenti est ad intelligendum schema; similiter n. 5, pag. 41.

B) Totum schema est valde pulchrum quoad fundamentum doctrinale, aliqua adnotatione posita.

C) Modus exponendi redolet aliqua obscuritate et duritia: adsunt modi dicendi non bene intelligibiles. Quod ipsi auctores schematis iam viderunt (cf. pag. 41, n. 5).

D) Videtur ordo logicus in expositione non bene obtentus esse: repetitio idearum, interferentiae, etc. Sic dicitur in pag. 41, n. 5 *a*). Confert pag. 8, n. 6. Hoc numerum propter suum momentum deberet melius componit et exponit. Similiter quasi totum n. 9, pag. 10, 11. Est repetitio idearum iam antea dictarum. Similiter n. 12, pag. 12, in prima paragrapho. Confert etiam prima paragr. n. 20, in quo res iam dictae repetuntur.

E) Cur non dicere aliqua de modo sese agendi religiosi quoad mundum actualem?

Observationes ad numeros. N. 3. Mihi videtur convenire *maius momentum tribuere* ideae secundum quam Ecclesia non vult hoc decreto vel schemate dominium ex aliquo genere, sed servitium generosum in bonum humanitatis. In conclusione posset simile aliquid dici.

N. 12. Cur non distinguere nationes catholicas a non catholicis? Videtur modus agendi alius esse debere, quamvis schema dicat mundum considerare *globaliter*.

N. 14. In hoc numero includuntur quaestiones et responsabilitates magni momenti; initium vel competentia *pastorum et populi Dei* exprimuntur modo ita generali ut nulla conclusio deducatur. Quid sibi vult illud *essentialiter* lin. 20, pag. 15 et ad quaenam extenditur?

N. 16. Cur non loqui de positione Ecclesiae quoad errores doctrinales actuales? Sciacca pulchre scripsit de hac re in libro: « Ecclesia et mundus modernus », nisi fallor.

N. 17. Hic invenio magnum errorem. Parve prae oculis habetur, non bene consideratur valor divinus, humanus et culturalis doloris, sacrificii, mortificationis. Hoc si voluisset mundum nimis pulchrum depingit. Vix aliquid dicitur de poenitentia; non sic locuti essent S. Juan de la Cruz vel Pedro de Alcantara.

Videtur etiam in schemate neglecta esse paupertas, cura et praedilectio Ecclesiae pro pauperibus.

N. 18. Cur non citantur verba vel saltem ideae Papae circa illas nationes

cum quibus saltem hodie dialogus non est possibilis, quin tamen amittamus spem in eo quod evolutio factorum (non doctrinarum) aliquando hanc possibilitatem dabit?

Similiter, conveniens esset aliquid dicere de dialogo et cooperatione cum societatibus ab Ecclesia prohibitis, v. g. massoneria.

N. 19. ... *ad quasdam* ... sine dubio refertur ad alias necessitates nostri temporis sicut eae apparent in Adnexa; proinde magni momenti erit doctrina et valor Adnex. Conf. Appendix.

N. 21. Non intelligo pag. 23, 1: « Sed cum familia... natura ». Quid sunt conditiones paedagogicae par. 3 in fine? Conveniet necne conservare par. 4? Posita difficultate *confitetur impotentia Ecclesiae hodie* ad illam solvendam, non influet male eos qui extra Ecclesiam sunt?

N. 22. Loquitur de cultura et culturis; daturne sensatio necne omnes culturas eadem res esse? Cur non dicere in multis adesse elementa negativa simul cum positivis? Dicitur *humana cultura, germana cultura, vera cultura,* sed non bene apparet extensio horum verborum.

N. 23. Pulchrum mihi videtur, sed illud teneo pro semine inter spinis seminator; ex alia parte magnae quaestiones hic adnotantur.

N. 24. Esset necne utopia vel saltem quid inconveniens proponere ut *ideale christianum* omnes homines sine distinctione generum, linguarum, efformare unam tantum familiam sub Patre caelestiale, suppressis quantum possibile sit diversitatibus et etiam limitibus politicis, vel saltem hanc tendentiam adiuvare?

N. 25. In prima par. apparet idea *familia gentium quae est Dei familia.* Hoc videtur confirmare hic quod dico in n. 24.

Hoc num. 25 est pulcherrimum sicut conclusio.

28

Exc.mus P. D. PAULUS HNILICA

Episcopus tit. Rusaditanus

Unam considerationem schema XIII spectantem vestrae sollicitudini commendo. Schema quaestionem graviorem et in mundo huius temporis maxime vivam omittit, scilicet examen expressis verbis de atheismo. Quae ibi passim inveniuntur minime sufficiunt, ut problema istud nostrorum dierum maximum a Concilio pro eius munere pastorali digne et efficaciter solvatur. Officium Concilii in tam gravi quaestione exposcit, ut eius excussioni saltem unum caput detur, si non schema speciale. Capiti nomen « De atheismo eiusque causis et remediis » imponi potest.

Meminerint Patres venerabiles ista quae nunc dicentur non esse theoriam quamdam, sed in ipsis experientiam et passionem plurium millium sacerdotum et fidelium magnae partis Ecclesiae contineri.

I. *Rationes* propter quas caput « De atheismo eiusque causis et remediis » addendum commendatur paucae non sunt.

1. Atheismus praecipue ille qui pugnax et vi politica et oeconomica utens doctrinam suam tamquam unicam et exclusivam omnibus imponit nostris temporibus maior et periculosior error existit, a quo religio, Deus, spiritus et ordo supernaturalis modo totali negantur. Est morbus et maxima aerumna societatis hominum huius temporis, qui afficit etiam Corpus Christi mysticum, cui permulta membra in apostasim ruentia tollit. Sed Apostolus nos monet, quod si unum membrum dolet, omnia condolere debent.

2. Christifideles et totius orbis terrarum incolae expectant verba clara et sine ira et studio de isto problemate audire. Eo magis in Christum credentes et membra Ecclesiae et cives talium rerum publicarum oculos suos ad hanc Synodum convertunt in eius verbis veritatis et viae spem habentes. Ex quadam ephemeride atheistica scio ipsos asseclas atheismi militantis cogitavisse fore, ut Concilium de atheismo tamquam quaestione principaliori loqueretur. His perpensis scandalum esset et damnum, si fideles et homines doctrinam claram et solutionem propriam de atheismo minime audirent.

3. Certissime dialogus noster nequaquam cum doctrina iniendus putatur, tamen cum hominibus praesertim bonae voluntatis impossibile est, ut non tractetur. Factum atheismi militantis negari nequit et permultas habemus cum asseclis eius quaestiones communes, quae nos ad colloquendum cogunt. Ceterum multi episcopi, sacerdotes et fideles cum atheismum profitentibus vivunt, laborant, quaestiones civiles et alias habent, neque quotidie cum ipsis colloquium effugere queunt. Denique, procul dubio, dialogus huiusmodi utrique parti valde utilis esse poterit.

4. Si Concilium solutioni huius problematis operam dabit, bonam voluntatem, aestimationem et amorem omnium demonstrabit, dum e contra omissio quaestionis e limine signum odii esset, quasi Concilium asseclas atheismi sperneret.

II. *Modus quo* Concilium agere debet erit pastoralis. 1. Nobis non quaestiones politicae vel regiminum sed religio interest. Ecclesia amore Dei et veritatis et caritate animarum ducitur, quae tanto maioris misericordiae indigent quanto longius a Deo ambulant.

2. Concilium etiam cum asseclis atheismi bonae voluntatis modum vivendi saltem humanum quaerere, ea quibus omnes homines uniuntur detegere et illis in quibus dividimur ad minimum in quantum possibile est reducendis studere, ita ut nec quidem aestimare possint nos illis infensos esse, immo certiores fiant nos bonam voluntatem omnium faciliter profiteri. Nos maiorem cognitionem mutuam exoptamus, quia semper ignorantia partium causa fuit odiorum et divisionum. Quam multi Deum negarunt, quia decepti Deum esse amicum divitum et instrumentum oppressionis putabant. Ideoque nostrum erit non verbis, sed fide quae operatur in caritate, Deum verum et vivum demonstrare.

3. In spiritu litterarum encyclicarum *Pacem in terris* et *Ecclesiam suam* instruimur Ecclesiam errorem damnare, qui potius a seipso et a veritate damnatur, sed hominibus veritatem et lucem evangelii praebere. Nolumus, ut mundus quasi in duas partes magis ac magis dividatur, memores verborum Christi Domini: Veni quaerere quod perierat.

III. *Quid contineat* caput « De atheismo eiusque causis et remediis ».

1. De atheismi militantis problemate eiusque vigore; de modo quo in vita humana individuali et sociali incarnatur; de eius asseclis ferventibus et apostolis zelantibus fere innumeris; de eius natura, intentionibus, vi secreta ad movendos animos et faciendos asseclas, de causis ultimis et proximis ipsius fortunae.

2. Veniunt remedia, quae certo certius non desunt Ecclesiae in quantum a Spiritu Sancto ducitur. De istis, scilicet quomodo christiani minime parati fuerunt, de erroribus et omissionibus a nobis corrigendis, de exemplo paupertatis, caritatis et unitatis et aliis, alia vice loquendi copiam exopto.

3. Normae tradendae sunt de modo et ratione qua dialogus cum asseclis atheismi instaurari possit, ut vita communis etiam cum non credentibus possibilis evadat.

4. Denique cooperatio omnium in Christum credentium et Deum colentium in superando periculo atheismi sollicitanda est, quia commune omnibus periculum et aerumna.

Conclusionem petens censeo hoc Concilium muneri suo minime satisfacturum, nisi clare profunde et obiective problema atheismi in genere et illius militantis et systematici in specie examini subiiciat. Ecclesia magisterio solemni et extraordinario fungens pro sua auctoritate de hoc problemate maiora in lucem prodere debet. Aliter mundus putabit Ecclesiam pavere vel nullum responsum et nullum remedium ad tam gravia mala opponendum habere.

Multae et graves rationes nobis praesto essent, si atheismum militantem magna cum indignatione damnare cuperemus memores fratrum nostrorum in munere episcopali et sacerdotali, qui in carceribus vel in laboribus et aerumnis positi sunt. Sed malumus potius de Christo in cruce cogitare et nos quoque cum illo dicere: Pater, ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt. Nostra spes et vis in Deo posita est, qui misericordia utitur, ut mundus salvetur. Ego ipse una cum multis sacerdotibus et religiosis persecutione oneratus et in loco laboris constitutus testimonium do nos non de odio, non de vindicta meditasse, sed de venia et de salute nobis male agentium.

Venerabiles Patres, nos quibus credita est salus mundi et animarum, quarum fere innumeres, proh dolor, a fine ultimo salutis excidunt, respicientes turbas populorum praecipue pauperum in apostasiam incidentium, responsum et exemplum mundo praestare debemus, quo modo et qua ratione episcopi, sacerdotes et fideles agere debeant, ut mundus salvetur.

29

Exc.mus P. D. LAURENTIUS JÄGER
Archiepiscopus Paderbornensis

Schema, iam nunc pretiosissimum studii documentum, secundum ipsorum auctorum intentionem adhuc perfici potest. Liceat mihi ideo post discussionem in aula fere peractam quasdam suggestiones proponere, quae magis delineamenta generalia respiciunt:

1. *De illis, quos schema alloquitur.* Schema, nisi fallor, tam omnes homines etiam infideles vult alloqui quam etiam fideles. Quare duae hae partes sunt distinguendae, quamvis non penitus seiungendae. Alloquatur homines non christianos modo illis intelligibili et illis significationem signorum temporis explanare conetur. Hoc in contextu debemus breviter typum hominis novum huius temporis delineare, qui typus ex rationibus historicae evolutionis provenit. Exinde significari oportet novam habitudinem Ecclesiae ad hunc typum novum, quae habitudo v. g. in problemate libertatis religiosae clare elucescit. Hac via etiam quaedam christianorum defectus ex circumstantiis historicis declarantur et schema tali modo maiorem adhuc indolem sinceritatis accipere potest.

2. *De atheismo postchristiano uti signo temporis.* De atheismo contemporaneo militante iam multa praeclara in aula Concilii dicta sunt a Patribus, qui volebant, ut atheismus non solummodo profunde describatur, sed etiam inquantum quaestiones nobis proponit v. g. de insufficiente nostra praedicatione doctrinae de Deo. Apud multos hodiernos homines inviguit quaedam Dei falsa imago, quam respuunt.

Specialiter notandum videtur, quod praeter atheismum militantem exsistit quidam « atheismus humanisticus », quem homines in vita sua honesti et saepius erga proximos solliciti profitentur, qui erga Ecclesiam nullatenus militant, sed eam potius ut quoddam institutum venerabile quamvis archaicum respiciunt et eius salubres effectus in res morales et in civilisationem libenter agnoscunt, attamen eius doctrinam revelatam et indolem supernaturalem ut quoddam residuum praeteritorum temporum considerant. Hic paganismus postchristianus, qui factum incarnationis saltem aliquomodo iam cognovit et salutis nuntium reiecit, profundum vacuum quoddam interius multo magis persentit quam antiquus paganismus, qui vel ante adventum Domini vivebat vel eius evangelium nondum audivit. Unde pessimismus radicalis et profunda desperatio multorum nostrum contemporaneorum provenit, qui v. g. in literatura et arte tam crudeliter manifestatur. Non damnationes tonantes hunc atheismum theoreticum vel practicum superabunt, sed potius conamen illas causas removendi, quae ansam dederunt origini huius atheismi contemporanei aliquomodo coniuncti cum nova evolutione ipsius hominis moderni.

3. *Aspectus historicus illustrat hominis novam habitudinem ad proble-*

mata religiosa. Hunc novum hominis typum intellegere non possumus nisi ex causis evolutionis historicae. Hominis moderni habitudo ad vitam et mundum et ad problemata de hominis fine eiusque perfectione ex novis et diversis rerum circumstantiis provenit, quae diversitatem hominis hodierni ab anterioribus typis hominum producunt. *Non* proponimus consuetas historicas disquisitiones, quae solent incipere agentes de motu humanistico et de renata antiquitate saeculi XV et de reformatione protestantica, ut deinde transeant ad illuminationis motum et ad idealismum hegelianum, ut tandem veniant ad totalitarismum status et ad marxismum et atheismum. Non hoc modo nostrum schema aspectum praebeat historicum, sed solummodo hodiernum typum hominis in sua proprietate a praecedentibus typis distinguendo eiusque necessitates aperiendo. Hac via v. g. in lucem ponatur hominis moderni propria habitudo ad causas secundas, quas scientifica inquisitione perscrutatur et quibus modo semper perfectiore dominatur, cum e contra homines mediaevales potius ipsum rerum omnium principium et finem contemplabantur neglectis haud raro causis secundis, quas magna ex parte ignorabant. Muneris nostri erit ex una parte agnoscere et approbare quandam autonomiam aliarum scientiarum, ex alia parte Deum ut non solummodo supremam, sed transcendentem causam demonstrare, qui non intrat in ipsam seriem causarum naturalium, sed eas ineffabiliter transcendit, quamvis omnes aliae causae ab eo sunt creatae et indesinenter conservantur. Talis clara expositio transcendentiae Dei super omnia, quae praeter ipsum sunt, iam multas solvit obiectiones atheistarum modernarum et insuper insufficientiam illius imaginis Dei demonstrant, quam atheistae oppugnant.

4. *De civitate Dei.* Iam a pluribus Patribus postulabatur, ut momentum cosmicum incarnationis Filii Dei secundum epistolas Sancti Pauli — praesertim ad Colossenses — in lucem ponatur. Hoc iure meritoque dictum est, attamen suppleatur et confirmetur oportet per illum historiae salutis aspectum, qui in Apocalypsi Sancti Ioannis proclamatur et per Sanctum Augustinum in suis libris *De civitate Dei* mirando modo evolvitur.

Duae istae civitates sibimetipsis adversantia caute et sobrie interpretentur et ad hodiernum mundum applicentur: Civitas Dei non est simpliciter Ecclesia, nam ad eam — ut ait Sanctus Augustinus — omnes pertinent praedestinati, qui hac in vita per fidem et spem et caritatem Deo coniunguntur et proximos vere amant et adiuvant.

Hac via oecumenismus in nostrum schema latius intraret, nam omnes Deo viva fide adhaerentes sunt cives huius Civitatis Dei, quae cum Ecclesiae adspectabilibus limitibus non coincidit, attamen ab Ecclesia certo modo ita repraesentatur, ut beatus Augustinus aliquando etiam dicere potest: Civitas Dei, quae est Ecclesia.

Valde caute de Civitate Terrena loquendum erit, ne ista de civitatibus terrestribus ut talibus false intelligatur. Nam Civitas Terrena vel diaboli complectitur omnes homines, qui non Deum, sed solummodo seipsos amant et vana de se persuasione aliis utuntur ad propriam suam utilitatem. Duae

illae civitates hac in vita et per totam historiam ab Adami peccato usque ad adventum gloriosum Domini ex una parte sunt absconditae et permixtae, ex alia parte visibiles in suis membris humanis eorumque operibus.[1] Cum civitates istae sibimetipsis radicaliter adversentur, earum conflictus rhaedas historiae provehit, et ita historia humana fit spectaculum scaenicum, non quidem verborum rhetorica sed factorum. Nam vires sibimetipsis contrariae profundeque oppositae sunt fides et infidelitas hominum, quorum principes adversantes sunt Deus et diabolus, qui in Evangelio princeps huius mundi vocatur.

Ita apparet indoles dynamica historiae salutis et sublato omni levitatis optimismo etiam aspectus tragicus historiae humanitatis in lucem ponitur. Nam per incarnationem Domini nostri haec contrarietas fundamentalis non est diminuta sed potius acrior et atrocior facta. Christus quidem per crucem et resurrectionem suam devicit diabolum eiusque civitatem, attamen adversarius infestissimus nondum destitit a seductione hominum et a pugna contra civitatem Dei, accensus ira magna « sciens quod modicum tempus habet » (*Apoc.* 12, 12). Ex hoc conflictu proveniunt plurimae calamitates et catastrophae in historia humana, ubi persaepe et per longum tempus civitas diaboli quasi dominare in gentibus videtur. Hac via oritur apud multos contemporaneos nostros etiam christianos quidam diffidentiae torpor, qui cordibus eorum irrepsit, dum vident malignas potestates superbe dominantes et Deum quasi absentem et silentem. Locutio de absentia Dei in mundo praedilectum est propositum literaturae modernae, nam multi homines etiam bonae voluntatis anxietate et fere desperatione oppressi quaerunt signa Dei eiusque potentiae in hoc mundo et putant Deum dereliquisse seipsos, immo totum mundum, et fato anonymo vel potestatibus daemoniorum sub hoc fato absconditorum mundum traditum esse.[2]

Responsio ad hanc quaestionem non est nisi via crucis, qua Dominus Iesus ipse nobis praecessit et insuper et imprimis eius resurrectio, quae fidelibus signum est evidentissimum finalis victoriae Dei in glorioso adventu Domini nostri, qua spe omnes confortantur, qui diligunt adventum eius.

---

[1] Hinc apparet diversitas illorum duorum conceptuum mundi, de qua locuti sunt multi patres in aula conciliari et quae in Evangelio Ioannis persaepe proclamatur.

[2] Liceat mihi ad modum corollarii hoc adiungere: Conventus Unionis Lutheranae Mundialis anno 1963 in civitate Helsinki habitus sibi proposuit solvere quaestionem, quomodo hominibus huius temporis doctrina de iustificatione ita praedicari posset, ut eam intellegerent. Sed iam ab initio a plurimis delegatis declarabatur, homines modernos non fortiter moveri ab illa quaestione, quomodo invenirent Deum sibi propositum et remittentem peccata, sed potius desperare de sensu vitae humanae et nimia anxietate opprimi propter pericula atomica et comminationes bellorum aliaque pericula. Hac via illos homines timere, ne Deus dereliquisset mundum ita ut omnino absens videatur.

30

EXC.MUS P. D. ADAM KOZLOWIECKI
Archiepiscopus Lusakensis

Proponere velim ut in schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis,* opportuno in loco sequentium considerationum ratio habeatur:

1. In hodierna politica internationali axioma fere communiter receptum est, quod nulli nationi vel organizationi supra-nationali licitum est « sese ingerere in res internas alicuius Status ».

Fieri ergo potest quod in hac vel illa natione iura fundamentalia personarum violantur et dignitas humana minime fit, quin alii Status vel organizatio supra-nationalis quidpiam se facere posse censeant, cum omnis huiusmodi interventus publice consideraretur tamquam illegitima ingerentia in res internas illius nationis.

Opportunum ergo esse videtur ut in schemate aliqua saltem de hoc problemate delicato quidem, sed valde actuali et urgente, dicantur. Qua in re forsan non abs re erit statuere quod in sede internationali et supra-statali convenienter elaboraretur quaedam charta magna illorum iurium cuiusvis personae humanae quorum violatio actionem iuridicam coram tribunali supranationali necnon sanctiones publicas et immo interdum ingerentias directas in internum regimen alicuius nationis secumferret.

2. Quod in specie urgendum esse videtur circa sic dicta homicidia politica quae, proh dolor, hodie ita frequentia sunt ut opinio publica, rite de illis edocta, saepius iam non vel vix moveatur.

31

EXC.MUS P. D. MARCELLUS LEFEBVRE
Archiepiscopus tit. Synnadensis in Phrygia

Ut scopus schematis de Ecclesia in mundo obtineatur efficaci modo, in doctrina certa, in spatio temporis relative brevi, v. g. pro proxima sessione, en, humiliter, meum propositum:

Suppositum et status quaestionis schematis maximas difficultates faciunt, quia quodam idealismo laborant.

Unde realitati cedere oportet, et ut aiebat sapientissime Ioannes XXIII « Ne complexas res faciamus, quando res sunt simplices et si complexae sunt ad simplicitatem eas reducere debemus ».

In primis, breviter loquemur de supposito et statu quaestionis.

Suppositum videtur falsum, i. e. quod multa sunt problemata mundi huius temporis quae solutionem non habent vel non habuerunt ab Ecclesia.

Omnia problemata essentialia hominis semper solutionem habuerunt ab initio mundi et praesertim a Domino Nostro Iesu Christo.

Quodnam problema huius temporis evocatum in schemate adhuc non habuit solutionem, nisi forsan problema de usu matrimonii relate ad aliquas recentissimas inventiones?

Timeo ne illi qui ab Ecclesia solutiones problematum petunt praecise solutiones quaerunt quae iam ab Ecclesia datae sunt, sed his responsis Ecclesiae oboedire nolunt, sicut ii pauci catholici et aliqui non catholici qui scribunt, voce elata loquuntur. Hi famosi homines sunt « mundus hodiernus ». Multa problemata inveniunt et faciunt ut Ecclesia in hoc tempore contradicat doctrinae traditionali suae.

Utrum vocatio humanae personae, familia, matrimonium, relationes sociales-oeconomicae hominum, civitates civiles, pax, atheismus militans, etc. sunt problemata nova in Ecclesia? Quis audebit hoc dicere?

Unde suppositum videtur omnino imaginativum.

Status quaestionis, ut iam dixerunt multi, sive de Ecclesiae notione in schemate, sive de mundo, multis ambiguitatibus latet.

Sed ad *solutionem propositam* venio. Redeamus ad Ecclesiam Romanam, quae est Mater et Magistra omnium nostrarum Ecclesiarum, in qua omnes nos convenire debemus, quae sola inter omnes Ecclesias est indefectibilis in fide.

Audiamus iterum vocem Summorum Pontificum et speciatim vocem Pii XII qui vere adhuc est doctor Ecclesiae in mundo hodierno.

De quonam problemate hodierno ille Summus Pontifex non locutus est? Numquid dicere possumus quod documenta illius Summi Pontificis non sunt amplius accommodata nostro tempori?

Labor Commissionis multo facilius fit si ad documenta Summorum Pontificum commissio redeat. Cur derelinquendus esset ille thesaurus tanti momenti?

Nonne esset verum scandalum pro omnibus sacerdotibus, fidelibus et non fidelibus, si pro nihilo haberemus omnia tam praeclara documenta Summorum Pontificum edita in saeculo elapso, dum de iisdem rebus, de eadem materia loquimur?

In gravi damno pro magisterio Ecclesiae haec omissio verteretur. Numquam oblivisci debemus Ecclesiam Romanam esse Matrem et Magistram nostram secundum effatum: « Roma locuta est, causa finita est ».

Caveamus ne tacendo in nostro schemate de his documentis, ab omnibus hominibus haec omissio appareat ut defectus devotionis et pietatis nostrae erga Matrem et Magistram nostram, cum damno gravi pro Ecclesia universali. « Honora Patrem tuum et Matrem tuam et benedictus eris ».

32

EXC.MUS P. D. MARIUS MAZIERS

Episcopus tit. Augustopolitanus in Phrygia, aux. Lugdunensis

Momentum pastorale schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* omnibus evidenter patet.

Attamen, ut melius appareat praesentia Ecclesiae in hoc mundo, et eius dialogus cum hominibus huius temporis, necnon adimpletio eius missionis salutis, hoc proponerem, ut fiat nova distributio argumentorum in schemate, propter sequentes rationes.

1. Prima pars schematis considerari posset tanquam prooemium, vel tanquam primum capitulum. In hac prima parte Concilium oecumenicum deberet universum mundum peramanter conspicere, et cum attentione clara et fraterna perpendere problemata hominum huius temporis, quorum vitam condividimus.

Ratio est, quia in Christo coadunati, eius testes sumus in hoc mundo. Iam ab initio laboris nostri conciliaris, ea fuit cura nostra maxima, ut per opus Sacrosanctae Synodi Ecclesia omnibus appareret sicut signum spei et salutis.

Infeliciter, signum hoc salutis a plurimis non videtur, a plurimis aliis videtur quidem, sed non intelligitur; ab aliis tandem voluntarie non agnoscitur, et ab eis reiicitur quatenus obstaculum vero progressui humanitatis.

Talis ignoratio et incomprehensio Ecclesiae non semper pendet ex mala voluntate hominum; originem etiam trahit ex nostra cura insufficienti, et ex nostra negligentia relate ad vicissitudines eorum vitae, relate ad problemata quae quotidianum angorem eis efferunt.

Cum Christo, qui homo factus est ut vitam hominum experiretur, debemus in hoc primo capitulo ostendere quomodo etiam nos, qui homines sumus inter homines, vitam eorum condividimus cum suis angustiis, cum suis tribulationibus, sed etiam cum sua fiducia.

Ut iam fecit Ioannes XXIII in diversis adiunctis, et speciatim per litteras encyclicas *Pacem in terris,* ita ut tanquam vox huius temporis agnitus fuerit, etiam in hoc schemate exprimere debemus maiores necessitates mundi in quo vivimus; scil.: necessitas ab omnibus agnita, speciatim ab iis qui in paupertate versantur, ut tam personae considerentur et honorentur et diligantur; necessitas iustitiae in distributione bonorum materialium, culturalium, spiritualium, necnon in distributione responsabilitatis; necessitas pacis et amoris; necessitas intelligendi rationem vitae et existentiae.

2. In secunda parte schematis ostendere oporteret quomodo Ecclesia respondere valeat interrogationi hominum circa necessitates huius temporis; ostendere, scil., quomodo Ecclesia humiliter sane, sed alacriter et fortiter explicare possit sensum quem Christus dedit vitae hominum, responsum quod attulit eorum quaestionibus.

Paralytico, qui oculos suos ad eum convertebat, dixit Petrus apostolus: « Argentum et aurum non mihi est; quod autem habeo, hoc tibi do: in Nomine Iesu Christi Nazareni, surge et ambula! ».

Mundo qui nos respicit dare non possumus aurum vel argentum vel artes technicas, vel rationes agendi in campo sociali aut politico; sed ei dare debemus quod est maxime necessarium, id est lumen fidei, in quo possit ambulare quatenus homo liber, quinimmo, quatenus filius Dei.

Debemus et possumus ei annuntiare dignitatem personae humanae quae in Iesu Christo fundamentum suum habet, sensum et valorem ex tali dignitate promanantem pro amore mutuo, pro familia humana, pro laboribus, pro vita sociali, pro aedificatione civitatis terrestris, et super omnia sensum quem dare potest suis tribulationibus et ipsi morti. Etiam in mentem revocare debemus humanitati huius temporis quod solus Christus eam liberare possit a corruptione peccati, et eo ipso, ut docet Paulus Apostolus, integram creationem immunem facere a vanitate cui subiecta est propter peccatum hominum.

Denique, omnibus proclamare debemus plenitudinem perfectionis quam in vita Christi possidet iam in hac vita, et plus etiam in futura gloria divina.

3. Postquam haec omnia in memoriam evocata fuerunt quoad significationem vitae et huius mundi, ut a Christo revelatur, capitulum tertium denuo indicare deberet exigentias vitae, quae conformis sit praeceptis Evangelii ex parte christianorum, in omnibus campis hodiernae vitae degentium, ut in cap. IV enumerantur: vita personalis, vita familiaris, vita culturalis, vita socialis et oeconomica, vita internationalis.

4. Denique, capitulum quartum iterum asserere deberet conditiones primordiales praesentiae christianae in hoc mundo, scil.: dialogus et eius conditiones, spiritus paupertatis et caritatis, missio hierarchiae in Ecclesia in servitium humanae familiae, relationes inter institutiones Ecclesiae et potestatem temporalem.

Conclusio deberet esse actus spei, quem in Sancta Missa quotidiana facere exhortamur « in resurrectione tua caeli et terra laetentur ».

* * *

Nova distributio schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Prooemium: Dialogus cum mundo hodierno: extensio habitualis vitae Ecclesiae iuxta *Ecclesiam suam.*

Cap. I: Mundus huius temporis. Tempus rapidissimae mutationis. Tempus praestantiae et progressionis. Tempus angustiae. Necessitas ab omnibus agnita, speciatim ab iis qui in paupertate versantur, ut tam personae considerentur et honorentur et diligantur. Necessitas iustitiae in distributione bonorum materialium, culturalium, spiritualium, necnon in distributione responsabilitatis. Necessitas amoris et pacis. Necessitas intelligendi rationem vitae et existentiae.

Cap. II: Responsio Ecclesiae ad interrogationes hominum. Dignitas hominis in Christo. Dignitas sacramentalis familiae. Significatio laboris et activitatis creatricis. Significatio vitae socialis. Significatio doloris et mortis.

Cap. III: Actio et testimonium christifidelium in variis campis vitae humanae hodiernae. Dignitas personae fovenda. Dignitas matrimonii et familiae restauranda. De cultura rite promovenda. De vita oeconomica et sociali. De « solidarietate » familiae populorum promovenda. De pace firmanda.

Cap. IV: Conditiones praesentiae christianae in hoc mundo. Dialogus et eius conditiones. De communione fraterna in spiritu paupertatis et caritatis. Officium hierarchiae in servitium mundi. Habitudo Ecclesiae ad potestates terrenas.

Conclusio. Actus spei in lumine mysterium Crucis et Resurrectionis Christi.

33

EXC.MUS P. D. SERGIUS MÉNDEZ ARCEO

Episcopus Cuernavacensis

In hoc mirabili consessu in quo spiritu caritatis moti in perscrutanda veritate evangelica ad quam nos ducet Spiritus veritatis viribus collatis contendimus, liceat mihi iterum indigitare aliquam lacunam schematis quae nullo modo deficere potest cum de Ecclesia in mundo huius temporis agamus. Loquar nempe de activitate politica christianorum, de qua, licet in Adnexis quaedam dicantur, schema altum silentium servat.

I. *Momentum activitatis politicae.* 1. Iam vero, cum politica sit scientia et ars in prosecutione boni communis, politicam ignorare nefas est, nam non tantum procurat bona particularia sicut activitas socialis, oeconomica, culturalis — de quibus in schemate sermo est —, sed munus suum ut in *Pacem in terris* explanatur, est procurare omnibus membris societatis civilis exercitium eorum iurium et perfectionem eorum facultatum et capacitatum in communitate civili. E sapienti et recta activitate politica procedit progressus oeconomicus, socialis, culturalis, pax interna et internationalis, etc. E contra, inter causas quae opponuntur progressui populorum defectus maturitatis politicae magnum influxum habet et plures frustrationes procurat et procurabat, etiam populis in sensu sociali, e. g., maxime evolutis.

2. Alia ratio in peculiaribus adiunctis hodiernis urgentiorem reddit activitatem politicam, ingens nempe conatus « tertii mundi » ad transeundum ex conditionibus subevolutis ad statum socialem, oeconomicum et culturalem hominibus dignum. In America Latina necessitas huius transitus et progressus urgentior experitur, tum ob acutam disparitatem in possessione bonorum, tum ob amplam diffusionem mediorum communicationum (« Mass media »: radio, televisio, cinema, praelum) quae in hominibus gignunt intensiorem desiderium talis progressus.

Inde fit ut ideologiae hodiernae quae in nostris nationibus adhaesionem popularem sibi disputant, sese ostendant praecise ut afferentes solutionem pro problematibus conditionibus subevolutae, quam societas catholicismum massive professa noluerat vel impar fuerat invenire, quacumque ex causa.

3. Urget ergo ubicumque necessitas pastoralis ut catholici conscii fiant participationem in vita publica exigentiam esse tam dignitatis humanae, ut efficaciter cooperationem praebeant suis concivibus in assecutione boni communis ut iustitia, veritas, caritas et libertas in dynamica et accelerata evolutione mundi hodierni veluti incarnentur; tam fidei nostrae, ut et ipsi testimonium praebeant christianae interpretationis huius mundi et viam sternant et impedimenta tollant liberae proclamationis Evangelii necnon libero exercitio vitae christianae in communitate ecclesiali a Christo ordinata.

II. *Natura activitatis politicae.* Ecclesia vero in schemate testimonium praebere debet mundo hodierno cum christianos circa activitatem politicam adhortatur de recta intelligentia eiusdem naturae.

a) In primis activitas politica fundari debet in altioribus principiis et occasio est pro christianis manifestandi caritatem qua a Spiritu Dei aguntur, sed in concreto actio politica exprimitur in propositionibus et in programmatibus, quae nullo modo absoluta sunt et inter ipsos christianos et catholicos disputationibus obnoxia sunt.

b) Actio politica aliunde non intendit affirmationem principiorum sed applicationem idearum quae opportunae aestimantur. Lex activitatis politicae est efficacitas; non quidem sine lege morali, sed efficacitas quae procedit ex bene intellectis technica et legibus propriis huius artis, quae secundum indolem, mores et evolutionem populorum diversae sunt sed ex sese hoc intendunt ut coetus quidam hominum efformetur et munera publica adipiscat vel saltem influentiam in rem publicam gerendam partialiter exerceat.

c) Actio politica consequenter competitionem, immo et luctam supponit, quae in populis bene ordinatis per organizationem factionum politicarum, per electiones, per alternas vices oppositionis sic dictae vel regiminis politici, disponuntur.

III. *Principia fundamentalia.* Quae cum ita sint pro catholico quaedam principia in tuto semper manere debent.

1. Distinctio societatem civilem inter et Ecclesiam. Societas civilis fundatur in ordine creationis; Ecclesia in ordine salutis a Christo condita. Finis societatis civilis est procurare bonum commune temporale, bonum scil. totius hominis; finis vero Ecclesiae est annuntiatio salutis a Christo allatae et traditio mediorum ad salutem hanc attingendam. Ex hoc claro et nitido distinctionis principio manat principium collaborationis unaquaeque in suo ambitu, ideo efficacioris, quo adhaesio distinctioni firmior perseveret.

2. Inde procedit alia distinctio maximi momenti: Hierarchiae, quae est diaconia salutis, non incumbit agere in ordine politico concreto. Ei certe incumbit docere veritatem, i. e., dare normas doctrinales quibus christiani in

prosequendo bono communi illuminentur. Laici vero, quorum est in structuris temporalibus insertos esse, agunt et agere debent in ordine politico ita portantes eorum fidem ut usque ad ultimam incarnationem in « hic et nunc » realitatis historicae perveniatur.

3. Quapropter Ecclesia tenetur vitari continuam et semper renovatam tentationem utendi potestate politica, ideoque et factionibus politicis, pro opere suo evangelizationis et sanctificationis. Quantum detrimentum ex neglecto hoc principio passa sit causa religionis, etiam in America Latina, experientia nos edocet. Catholici igitur, hierarchia imprimis et laici, prae oculis habere debent, pluralismo in dies ingravescente, usu factionum politicarum et potestatis civilis pro finibus religiosis attingendis, laedi libertatem religiosam aliorum et religionem in medias luctas humanas produci.

4. At pari modo cavendum est omnino ne Status (quidquid sit de accuratiori determinatione huius dynamicae notionis, quae nostris diebus radicali revisione indigere videtur) Status dico, vel factiones politicae in tentationem cadant, religionis vel irreligiositatis causa, sibi subiciendi Ecclesiam pro commodis vel finibus societatis civilis.

5. Ex dictis depromitur conclusio valde practica et agitata. Si forte de pluribus aliis temporalibus institutionibus liceat disputare, utrum tales institutiones confessionales esse et appellari oporteat necne, in schemate dicendum esset, nobis videtur, in societate pluralistica iam non oportere — si umquam desiderabile fuit — ut existant factiones politicae confessionales.

IV. *Conclusio*. Opportunum esset redire ad ampliorem tractationem quae inveniebatur in alia redactione huius schematis ita ut in capite primo huius partis de persona humana in societate numeris distinctis ageretur: *a*) de dignitate personae eiusque iure et officiis fundamentalibus in societate; *b*) de valore vitae socialis et diversorum coetuum (liberae consociationes et consociationes de facto) ad personae humanae perfectionem attingendam; *c*) de communitate politica et de participatione activa civium ad bonum commune communitatis politicae propriae nationis. Hoc modo laici christiani ubique terrarum sed praesertim illi qui degunt in regionibus Americae Latinae assumant responsabilitatem in re politica et absque timiditate, intra limites internae actionis politicae, vitato omni opportunismo et personalismo aliquam ex maximis expressionibus caritatis mundo dabunt (Pius XI, *Oratio ad Studentes,* decembris 1927) et mundo ostendet religionem christianam non alienationem esse, sed progressum veri nominis de facto vere et efficaciter sine indebita immixtione promovere posse.

Oportet tandem, ne obliviscamur, laicos etiam suo labore in campo politico exercendo, arcano modo contribuere ad praeformationem et maiorem splendorem illius aeternae ac manentis civitatis caelestis, Ierusalem scil. novae, in qua nos ut cives Dei in aeternum gaudebimus.

34

Exc.mus P. D. IOANNES EDUARDUS PETIT

Episcopus Menevensis

Labores arduae et continuae commissionis mixtae quae schema hoc confecit, ab omnibus recognoscendae sunt. In memoriam revocandum est istam commissionem cum tempore et difficultatibus et periculis consequentibus contendere.

Finis et conatus schematis, ut dixit exc.mus relator, est responsionem hominibus dare qui interrogant Ecclesiam et expectant ab ea ut clare dicat quid cogitet de homine, de cultura et civilizatione moderna, de cura et studio eorum et scire cupiunt ubinam Ecclesia operam suam praestare velit mundo qui in novam epocam ingreditur.

Consentire oportet finem hanc latissime patere. Sitne possibile illam attingere intra limites unius schematis? Prima facie nonne videtur plus quam schema unicum necesse sit ut obiectum horum conatuum verificetur?

Meo iudicio schema hoc exspectationi hominum nec respondet nec respondere potest quia schema hoc problematibus maximi momenti quae conscientias christifidelium, immo multorum aliorum, tormentant, clare non respondet.

Problemata ista vobis non mere bene cognita, sed sine fine et ut ita dicam ad nauseam controvertuntur.

Impossibile est haec problemata resolvere donec effecta et contingentia ex investigationibus vel studiis nunc in manu cognoscuntur, nam investigationes haec non mere sociales et physicae sunt, sed etiam morales.

Moralium doctores, ut omnes scimus, in multis casibus a factis confirmatis dependent ad conclusiones suas efformandas.

Haec Sacra Synodus responsionem claram dare non potest hominibus qui ab Ecclesia claritatem in doctrina exspectant nec vos, Patres conciliares, nisi ex scientia fide digna factorum et contingentium loqui queant.

Haec Sacra Synodus responsabilitatem maximam hoc in tempore habet. Quaestionibus et hypothesi propositis omnino non audeatis respondere.

Aliam considerationem vobis offero. Ecclesia catholica non solum a christifidelibus, sed a multis extra Ecclesiae unitatem degentibus ut Doctor in re morali egregius reputatur. Et re quidem vera, nam Deus illae mandavit docere omnes gentes.

Nonne responsabilitatem nostram abdicemus et mandatum contradicamus si, ut dicit schema, « Fideles vero ne putent Pastores suos competentes vel vocatos esse ut sibi ad omnes quaestiones, *etiam graves,* respondeant ».

Quid hic et nunc agendum sit? Nonne est iudicium privatum elevare ad regulam fidei, respondere ut in ipsis verbis schematis: « Cum normae directivae ab auctoritate ecclesiastica propositae desunt, fideles tamen agere de-

bent ipsi propria responsabilitate consilium capere audeant secundum praeceptum suae conscientiae »?

Omnino consentio schema hanc declarationem qualificare, sed conditiones ad conscientiam formandam pendent non mere, ut ait schema, « ex prudentia christiana quae veritati Evangelii et doctrina moralis Ecclesiae inhaeret, et individuam conditionem in qua agendum est attendit », sed et adiuvatur scientiis humanis omnibus ad singula problemata pertinentibus. Quoniam nec studia scientifica nec moralia ad varia problemata solvenda de quibus in cap. IV tractatur, resolventur, valde periculosum est horum problematum solutionem relinquere christifidelium conscientiis male formatis.

Propono ergo ut omnia problemata huius generis ex hoc schemate tollantur, ne fideles nostri omnino confundentur. Tempore opportuno per magisterium Sanctae Sedis tota haec problemata resolventur.

35

Exc.mus P. D. IOSEPH PONT Y GOL
Episcopus Segobricensis-Castellionensis

1. Gaudendum est quod in hac aula disceptetur de praesentia Ecclesiae in mundo. Nec vacat significatione quod haec eveniant anno 1964, quo quinquies centenaria celebrantur a nativitate Michaelis Angeli Buonarroti et quater a morte Galilei. Optandum enim est quod hoc schemate claudatur tristissimum tempus diffidentiae inter religionem catholicam et spiritum investigationis (diffidentia quae nomine Galilei comprehenditur) et redeatur ad felicem cooperationem inter Ecclesiam et progressum humanum (cuius cooperationis Michael Angelus maximum exemplar extitit). Utinam veniat cum schemate de Ecclesia in mundo superatio divisionis nunc vigentis in vita plurium christianorum inter actuositatem terrenam, cui consecrantur omnes vires, et religionem, cui donatur dimidium horae in hebdomada. Hodiernus christianus iuvabitur in inveniendo sensu christiano-supernaturali suae operositatis terrenae.

2. *Schema placet ut basis disceptationis* et elementa in eo contenta servanda sunt. Quamvis profundae revisioni subiciendum sit. Cum autem una e potioribus difficultatibus sit « invenire iustum aequilibrium inter revocationem grandium principiorum Evangelii — qua certe nos carere non posse videmur — et descriptionem et enodationem praesentium condicionum, quae in luce horum principiorum tractandae sunt » (Relatio super schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* pag. 7, n. 17), cooperari intendens cum laudabili opere commissionis *sententiam meam aperiam circa rationem qua ordinandum esset*:

a) In hoc schemate agitur de rebus quae omnes homines attingunt; ad omnes debet ordinari et ab omnibus intelligatur oportet. Iure et merito commissio intendit « ut tandem ipsum ad universitatem hominum mitti

possit, sive christiani sint, sive non, sive credentes sive athei, tamquam firmae spei nuntium de futuro feliciori tempore parando » (Relatio, pag. 4). Unde incipiat necesse est explanatione eorum quae omnes attingunt, ne in ipso limine non-catholici — aut indifferentes — inveniantur in athmosphaera sibi extranea. Concrete mihi videtur minime incipiendum esse ab expositione principiorum nec a signis temporum, quatenus utrumque supponit visionem religiosam, ne dicamus christianam vel catholicam rerum ac proinde obstat quominus ponatur basis communis corresponsabilitatis et cooperationis in exstruenda civitate terrestri. *Ex his, mihi videtur, ingressus in schema deberet proferre analysim pure historicam* — hodie dicitur phaenomenologica — *status mundi actualis,* in qua incipiendo a radicibus technicis (generatio energiae per machinam vaporis, electricitatem, petroleum, vim atomicam - positiva et progressiva cognitio causarum aegritudinis cum earum remediis in campo tam chemico quam biologico - possibilitas vincendi separationem spatii et temporis per diversas vias communicationis), veniatur ad descriptionem effectuum qui exinde derivarunt in vitam humanam (superatio mortalitatis infantilis - augmentum longaevitatis - explosio demographica) et in ipsam animam hominis (possibilitas in dies aucta educationis - sensus dignitatis singulae personae humanae - sensus frustrationis propter subiectionem personae ad exigentias processus productivi vel consumptivi [propaganda] bonorum temporalium - migrationes - massificatio - vitalismus in idolatria generali expressus - metus coram exitio rerum totali). Simul etiam describenda est situatio eorum qui ob defectum machinisationis inveniuntur in situatione infraevolutionis et fortiter sublineanda sunt eorum desiderium et conatus perveniendi ad plenam possessionem mediorum technicorum quibus gaudent populi evoluti. Inde voluntas unitatis mundi, quatenus de facto mundus totus conscie cupit potiri iisdem bonis, cui tamen coniungitur voluntas servandi valores culturales proprios. Unde etiam potest praevideri sensus evolutionis futurae historiae usque ad constitutionem realem unius humanitatis.

b) *Alter gressus deberet continere valorationem de realitate nuper descripta.* Et ita quidem ut extollatur, quantum possibile sit, valor naturalis eorum quae in mundo praesenti inveniuntur. Et hic liceat mihi crisim quamdam schematis nostri facere. Secundum ipsum res quidem vocem habent bonam et praecisam, sed auditus hominis « psychici » seu naturalis non percipit sensum talis vocis; tantum homo « pneumaticus » seu christianus dicitur per fidem eum intelligere. Sed si homo naturalis non percipit vocem Dei in voce rerum ac istae praebentur tantum ut chaoticae, nonne convenitur cum illis fautoribus existentialismi athei iuxta quos mundus praesens est realitas chaotica absque sensu, quaeque, proinde, non potest asseri opus Dei boni? Fortiter, e contra, asserendum est quod realitas historiae et mundi hodierni non potest reduci ad chaos simplex, sed semper in ipso inveniuntur elementa bonitatis, quae hominem invitant ad Deum bonum agnoscendum; etiamsi

sensus plenus historiae tantum conspiciatur sub luce fidei christianae, seu sub luce Regni Dei vivi et crucis Iesu Christi.

Post doctrinam de generali sensu historiae et mundi hodierni, etiam sub luce naturalis intellectus, agendum esset speciatim de sensu particulari eorum de quibus dictum est in expositione phaenomenologica; ponam exempla: actum est de progressu, et nunc asserendum esset Ecclesiam videre in progressu impletionem primaevi mandati: « Implete terram, et subicite eam... »; actum est de augmento culturae, et nunc asserendum esset quod per tale augmentum homo capax fit exercendi suum plenius dominium super mundum et perficitur in semetipso, unde per progressum culturae homo colit imaginem Dei in se; actum est de explotatione hominis sive ut productoris sive ut consumentis et asserendum esset Ecclesiam damnare quamlibet explotationem in qua homo denigretur ad medium pro aliquo homine, cum ipse sit finis omnium creaturarum soli Deo subiciendus; actum est de inaequalitate (inter evolutos et infra, inter rassas vel linguas diversas, inter liberos et subiectos, inter masculum et feminam) et fortiter asserenda esset aequalitas dignitatis humanae apud omnes. Qua expositione statuerentur fundamenta veri humanismi christiani.

c) Valores et pericula quae quilibet homo potest percipere in situatione actuali et de quibus nuper dictum est, omnes et singulos homines vocant ad operositatem ad hoc ut iuventur valores et arceantur pericula. Pro iis vero qui Deum Creatorem profitentur et speciali modo pro christianis constituunt signa temporum, quibus ipsa vox et voluntas divina manifestantur. *Proinde, agendum iam esset de actuosa praesentia Ecclesiae in tali mundo, quae praesentia potest considerari vel singulorum christianorum vel ipsius Ecclesiae qua talis.*

Singuli christiani, qua homines, tenentur ad operam intendentem dominium mundi (laborem), ad productionem bonorum toti humanitati sufficientium, ad augmentum culturae personalis et socialis, ad iustitiam promovendam, ad dignitatem hominis tutandam, ad conviventiam in pace stabiliendam, uno verbo, ad constructionem in dies perfectiorem civitatis terrenae. Quae officia augentur propter bona supernaturalia christianis a Deo data, ita ut ordo gratiae hunc reddat magis obligatum erga aedificationem mundi humani, quatenus ipse potest maiori gradu praebere elementum maximi momenti erga structuram terrestrem, id est, caritatem. Nec oblivioni danda est specialis obligatio quae tenet christianum qua talem: officium exemplaritatis in opere terrestri recte perficiendo. Christianorum enim est non tantum dialogum habere cum mundo, sed revera mundum exstruere.

Sermo etiam esse deberet de *actuosa praesentia Ecclesiae ut talis* in mundo. Ubi statuendum est cum tota praecisione quid non possit Ecclesia qua talis eo quod exulet a propria missione; quid possit aut etiam debeat in casibus emergentiae, in quibus servitia quaedam non praestantur a societate civili; quidque possit vel etiam debeat semper et ubique ut adimpleat missionem divinam ipsi commissam (indicare valores humanos vel religiosos

rerum naturalium eosque tutari). Ecclesiae enim est, non quidem construere civitatem terrenam, sed dialogum habere cum mundo, ut mediante sua voce verbum Dei perveniat ad mundum. Sed absolute necesse est ut hanc suam cooperationem ad constructionem mundi ponat eo modo quo Christus, qui « coepit facere et docere ». Unde, e. g., non potest serio ab hominibus sumi eius proclamatio in favorem aequalitatis nisi ipsa prius tollat de facto a semetipsa inaequalitates non ex voluntate divina provenientes. Nec in genere amplius patiendum est quod Ecclesia sequatur motus humanos in favorem iustitiae, ut accidit e. g. saeculo elapso cum iustitia sociali, sed eos revera faciens et docens, praecedere debet.

d) Ultimo agendum esset de termino ad quem dirigitur haec diversa operositas christianorum et Ecclesiae.

Finis est progressiva constructio mundi revera humani, id est, societatis in qua singulis praebeantur cum bono pacis bona sufficientia ad sustentationem, valetudinem, culturam, vitam familiarem, libertatem, garantiam dignitatis humanae, responsabilitatem personalem.

Ordo in quo serventur et foveantur tales valores est ordo qui nominari posset « naturaliter christianus ». Nec societas quaelibet, quantumvis se fautricem Ecclesiae praebeat, erit talis si valores illos humanos non tueatur aut foveat. Unde cum Pio XII fortiter asserendum est nullam civilisationem humanam, quantumvis innixam principiis christianis, esse christianam per antonomasiam, non esse regnum Dei in terris, cum e contra « societas » quaelibet iura Dei servans, quaeque contineatur intra limites doctrinae et moralis catholicae iure dicitur christiana ac catholica » (*Discorsi e Radiomessaggi,* IX, p. 77).

Nec schema nostrum potest non considerare factum quod aliquae civilisationes dicuntur hic et nunc christianae. Ac habens prae oculis quod sub nomine christianismi homines aliarum culturarum includunt totum illud quod invenitur in diversis formis culturae occidentalis, elementa inhumana et peccaminosa etiam, praestaret ut Concilium invitationem dirigeret ad homines christianos ab ipsis enixe rogans ut pressius adimpleant sua officia erga homines tertii mundi ac simul abstineant ab usu nominis christiani in iis quae pertinent tantum ad ordinem humanum culturae occidentalis.

Schema posset finire exponens vocationem hominis christiani ad hos omnes valores incorporandos virtute crucis Christi intra ordinem vitae supernaturalis, tam in plano hominis singuli quam in historia totius Ecclesiae, cuius plenitudo et humana et christiana complebitur in Parusia Domini.

Adhaereo his quae sapienter dixit exc.mus Charue super tempore et revidendi et promulgandi hoc schema. Item adhaereo votis exc.mi arch. Konakryensis et exc.mi aux. Valentini circa constitutionem competentis commissionis, sensu ampliori et universaliori.

36

Exc.mus P. D. ERNESTUS PRIMEAU

Episcopus Manchesteriensis

We note with concern that the document under discussion does not take formal notice of that phenomenon which contemporary scholars study as urbanism.

In a general sense, urbanism—that steady and accellerating shift of world society from a rural to an urban base—is intimately and inextricably involved in the entire catalog of moral and social problems to which we address ourselves as the Church in the Modern World. In this sense, urbanism *is* the modern world.

Moreover, viewed simply as a densification of population—as the rise of massive cities, urbanism is hardly a new phenomenon. Biblical cities such as Babylon, classical cities such as Rome and Carthage, oriental cities such as Peking, abound in our historical literature, and their moral and social problems are not unlike those which we face in the urban world today. Perhaps because of these historical precedents, we are tempted to view modern urbanism as simply an amplification in scale of problems to which the Church has often addressed herself.

Yet I submit that the difference is not simply one of scale: that there are problems and opportunities unique to the modern urban situation to which, if we are indeed to be relevant, we must address ourselves.

These unique considerations arise from the intersection of two phenomena: the radical twentieth century technology of communications and transportation, which places millions of people within the possibility of instant and effective communication with each other; and the evolutionary trend toward full political participation, noted with keen insight by His Holiness Pope John XXIII of happy memory in his encyclical letter *Pacem in terris*.

In the modern urban center, at least in those parts of the world where technology has already reached an advanced state, no large sector of the population can be isolated from the advantages and opportunities which modern technology affords to the advantaged in such areas as housing and health; nor can such advantages, in the long view, be denied them, without the threat of violence and a debilitating disrespect for that reasoned public order without which a virtuous society is impossible.

Simultaneously, most individuals in the urban population enjoy, through modern methods of communication and transportation, the possibility of choosing from among millions of others, those with like interest and like competencies, with whom they may join in concert in some association for the public or social good. Whereas, even in the most massive cities of the past, such opportunity had been severely limited by the difficulties of com-

munication and by the relatively narrow base of citizens with available leisure time and had not been stimulated in any sense by the mode of civil organization, today participation in the process of Divine Stewardship, in both the political and ecclesiastical domains, is both possible and necessary to the good order of society.

Finally, the explosive growth of urban centers have, at least temporarily, outpaced the technique of both civil and ecclesiastical organization. The natural tendency of citizens with like backgrounds and circumstances to chose like neighborhoods of residence has fractionalized urban centers into a patchwork of internally homogenous political subdivisions, a condition in which no political jurisdiction can encompass the well being of the whole.

Similarly, the organization of the Church has not kept pace with these uniquely modern trends. The parish, once the basic unit of organization in a setting in which its boundaries encompassed a medieval village or an equivalently stable sector of a large city and in which its parishioners constituted a community by demographic circumstances, now finds itself threatened with irrelevance as the basis of Christian community. Its parishioners, even in well-to-do neighborhoods, move their residences about with bewildering rapidity and seek their social and associational outlets across the entire area of an urban complex which transcends not only parish but civil boundaries. If, indeed, the focus of natural community has now become the urban complex itself, the Ordinary finds himself beset by similar circumstances. His diocese, in many cases, embraces only a fraction of a major metropolitan complex; or, if it embraces all of it, has become so large that he can no longer deal with it with the fatherly care with which wisdom and tradition have charged him.

We do not set forth these problems because we perceive their solutions; nor, indeed, are we confident that we are even fully in possession of their dimensions. But we urge that these problems and the uniquely modern context in which they are framed be given explicit recognition as a vital challenge which the Church must face in the modern world.

We urge that Ordinaries be given the widest latitude to experiment with organizational forms both as to the administrative burdens of the Ordinary and as to the practicality of retaining the parochial structure in its present form; and that, in their experimentation, they be urged to utilize the findings of scholars in those disciplines which have made significant contributions to man's understanding of his organizational potential; and that they be urged to further stimulate and commission these researches in the specific context of ecclesiastical organization; in order that the Church's structure be accomodated to the natural and praiseworthy direction of the modern urban community.

We urge that ecclesiastical authorities, particularly those Ordinaries and Provincials whose jurisdictions encompass massive urban complexes, take special notice that their jurisdictions in many cases are the only organizational

entities which encompass an entire urban complex; and that therefore they enjoy a special, if transitory, opportunity to lead those communities toward an understanding of the nature of social community in its larger sense and toward a realization of the demands which social justice place upon all the members of such a community so defined.

37

Exc.mus P. D. FREDERICUS RINTELEN

Episcopus tit. Chusirensis, aux. Paderbornensis

Von einigen Konzilsvätern wurde gefordert, daß im Schema De Ecclesia in mundo huius temporis eine klare Verurteilung des Kommunismus oder des « militanten » Atheismus ausgesprochen werden solle.

Eine erst jetzt überwundene Krankheit machte es mir unmöglich, in der Aula während der Diskussion dazu Stellung zu nehmen. Ich bitte darum, diese meine schriftliche Intervention zu beachten.

Gegen eine Verurteilung des Kommunismus durch das Konzil scheint mir folgendes zu sprechen:

1. Papst Johannes XXIII betonte in seiner Eröffnungsansprache am 11. Oktober 1962, daß das Konzil nicht verurteilen, sondern Trost und Heil bringen wolle. Würde das Konzil davon abgehen und nun doch verurteilen, dürfte es dann Halt machen bei der Verurteilung des Kommunismus? Müßte es dann nicht weitergehen und den hemmungslosen Liberalismus verurteilen, der dem Kommunismus in der westlichen Welt den Weg bereitet? Müßte es dann nicht die sozialen Mißstände in der Welt verurteilen, die zum Kommunismus geführt haben und weit größere Gefahren für die Welt bedeuten als etwa die kommunistische Propaganda, die ohne diese Mißstände wenig Wirkung haben würde? Wo sollte bei einem nüchternen Blick in die Welt das Konzil überhaupt mit Verurteilungen aufhören?

2. Was verspricht man sich von einer Verurteilung des Kommunismus? Es wird niemand annehmen, daß im « Ostblock » durch eine solche Verurteilung irgendetwas für die Kirche besser werden würde. Es ist auch wohl naiv zu meinen, dadurch könnten kommunistische Bewegungen in der westlichen Welt wesentlich eingeschränkt werden.

3. Es ist kein Zweifel, daß im kommunistischen Ostblock im Laufe der Zeit sich Wandlungen zum Besseren vollzogen haben. Das Rußland von 1964 ist nicht mehr das Rußland von 1920. Auch hat in den letzten Jahren die sogenannte « Entstalinisierung » ohne Zweifel im ganzen Ostblock spürbare Erleichterungen gebracht. Ganz sicher werden innerhalb des Kommunismus Kräfte da sein, die einer Wandlung zum Besseren in unserem Sinne entgegenstehen. Besteht nich die Gefahr, daß durch eine feierliche Verur-

teilung des Kommunismus seitens des Konzils diese Kräfte gestärkt werden? Das würde wahrlich nicht zum besten der Welt und der Kirche sein! Ist nicht das Bemühen des Heiligen Stuhles, durch behutsame und zähe Verhandlungen schrittweise zu einer Besserung der Lage der Kirche im Ostblock beizutragen und dadurch auch eine « Liberalisierung » des Kommunismus zu fördern, ratsamer als eine Verurteilung des Kommunismus?

4. Wenn wir auf eine Wiedervereinigung der katholischen Kirche mit den orthodoxen Kirchen hoffen, so scheint mir eine Vereinigung mit der großen russischen Kirche nur möglich, wenn zwischen der russischen Regierung und dem Heiligen Stuhl keine äußerste Kampfstimmung herrscht; die aber würde durch eine feierliche Verurteilung des Kommunismus wahrscheinlich hervorgerufen werden.

Ich reiche diese Intervention in deutscher Sprache ein, weil es für mich schwierig erscheint, in lateinischer Sprache präzise auszudrücken, was gemeint ist. Eine italienische Übersetzung wäre sicher geeigneter als eine lateinische, den Sinn wiederzugeben.

38

Beat.mus P. D. MAXIMUS IV SAIGH

Patriarcha Antiochenus Melchitarum

Le groupe d'évêques qui, dès les premiers jours du Concile, s'est appliqué à l'étude du grave problème de « l'Eglise et les Pauvres », tient à exprimer à Votre Sainteté sa joie profonde et sa filiale reconnaissance.

Il lui semble en effet que votre première encyclique, qui contient un appel pressant aux Pères du Concile, les invite plus spécialement à s'ouvrir à Votre Sainteté sur le sujet précis du renouvellement intérieur de l'Eglise par l'esprit de pauvreté.

Nous voulons répondre avec confiance à cette exhortation. Notre intention est de vous faire part d'ici quelques jours de la volonté concrète de beaucoup d'évêques de s'engager courageusement sur la voie d'une simplicité plus évangélique dans leurs titres, leurs vêtements, leurs insignes et leur train de vie. Un grand nombre d'entre eux également est disposé à accorder toute sa valeur pratique, dans l'apostolat, à la primauté de l'évangélisation des masses pauvres et des classes ouvrières déchristianisées.

Nous sommes convaincus que l'Evangile est un amour qu'il faut mettre au cœur des hommes, en commençant par les plus pauvres.

Nous espérons ainsi répondre filialement à la première suggestion de votre lettre encyclique: « Comment donner à notre parole et à notre conduite l'empreinte de la pauvreté ».

Nous tiendrons fidèlement Votre Sainteté au courant de nos travaux et de nos efforts, car nous ressentons douloureusement avec Vous, Très

Saint Père, la situation tragique de l'Eglise, trop souvent coupée des masses pauvres, gênée par des apparences de richesse encore trop sensibles et arrêtée dans son effort d'évangélisation des pauvres, les deux tiers de l'humanité, les préférés du Seigneur.

[*Subscripserunt etiam*] Charles-Marie Himmer, év. de Tournai (Belgique); Georges Mercier, év. de Laghouat (Sahara); Georges Hakim, archevêque de Galilée; Alfred Ancel, év. tit. de Mirima (aux. de Lyon), France; Jean Guyot, év. de Coutances et Avranches, France; Gérard Coderre, év. de Saint Jean de Québec, Canada; José de Medeiros Delgado, év. de Fortaleza, Brésil; André Fauvel, év. de Quimper, France; Georges Béjot, év. tit. de Cassandria (aux. de Reims), France; Carlo van Melckebeke, év. de Ningsia, Chine; Pierre-Marie Puech, év. de Carcassonne, France; Adrien Gand, év. tit. de Macriana Minore (coadj. de Lille), France; Raphaël Gonzales Moralejo, év. tit. de Dardano (aux. de Valence), Espagne; Etienne Loosdregt, év. tit. de Amaura (vic. apost. de Vientiane), Laos; Julius Angerhausen, év. tit. d'Eminenziani (aux. de Essen), Allemagne; Antonio Fragoso, év. de Crateus, Brésil; Michel Darmancier, év. tit. de Auguro (vic. apost. des Iles Wallis et Futuna), Polynésie; Nivaldo Monte, év. tit. de Eluza (aux. de Aracuju), Brésil; Edelberto Dinkelborg, év. de Oeiras, Brésil; José Lamartine Soares, év. tit. de Fussala (aux. de Olinda et Recife), Brésil; João da Mota e Albuquerque, év. de Vitoria, Brésil; Valdir Calheiros de Novais, év. tit. de Mulia (aux. de Rio), Brésil; David Picao, év. tit. de Tois (coadj. de Santos), Brésil; José Dalvit, év. de Sao Mateus, Brésil; João da Mota e Albuquerque, év. de S. Luis do Maranhao, Brésil; Milton Pereira, év. tit. de Coronea (aux. de Belém do Para), Brésil; Walfrido Teixeira Vieira, év. tit. de Laranda (aux. de S. Salvador da Bahia), Brésil; Severino Mariano de Aguiar, év. de Pesqueira, Brésil; Adriano Hypolito, év. tit. de Diospoli di Tracia (aux. de Bahia), Brésil; José Costa Campos, év. de Valença, Brésil; Climerio Almeida de Andrade, év. de Vitoria da Conquista, Brésil; José Bezerra Coutinho, év. de Estância, Brésil; Epaminondas de Araujo, év. de Rui Barbosa, Brésil; José Brandao de Castro, év. de Propria, Brésil; Bernardo Bueno Miele, év. tit. de Bararo, aux. de Campinas, Brésil; Octavio Aguiar, év. de Palmeira dos Indios, Brésil; Manuel Pereira da Costa, év. de Campina Grande, Brésil; Jean-Baptiste Gahamanyi, év. de Butare, Ruanda; André Perraudin, év. de Kabgayi, Ruanda; Diego Parodi, év. tit. de Centenaria, prel nul. de S. Antonio de Balsas, Brésil; José Tavora, archev. de Aracaju, Brésil; Manuel Tavares de Araujo, év. de Caico, Brésil; Augusto Carvalho, év. de Caruaru, Brésil; Eugénio de Araujo Sales, év. tit. de Tibica, adm. apost. de S. Salvador et Natal, Brésil; Grégorio Warmeling, év. de Joinville, Brésil; Gérard Huyghe, év. d'Arras, France; André Collini, év. tit. de Zefirio, coadj. d'Ajaccio, France; Helder Camara Pessoa, archev. de Olinda et Recife, Brésil; Pierre Boillon, év. de Verdun, France; Paul Gouyon, archev. de Rennes, France; Géry Leuliet, év. d'Amiens, France; Henri Dupont, év. tit. de Doriléo, aux. de Lille, France; Néophytos Edelby, archev. tit. d'Edesse des Melkites, conseiller patriarcal (Syrie); Franc Franić, év. de Split et Makarska (Yougoslavie); Marcelo Mendiharat, év. de Salto, Uruguay; Youhanna Nouer, év. tit. de Fatano, aux. de Louxor, Egypte; Victor Keuppens, év. de Kamina, Congo (Léopoldville); Alain Leroy, év. de Kilwa, Congo (Léopoldville); Francisco Austregesilo Mesquita, év. de Afogados da Ingázeira, Brésil; Luigi Bettazzi, év. tit. de Tagaste, aux. de Bo-

logna, Italia; José Santos Ascarza, év. de Valdivia, Chili; Vicente Zazpe, év. de Rafaela, Argentine; Juan Iriarte, év. de Reconquista, Argentine; Bernardino Pinera Carvallo, év. de Temuco, Chili; Fernando Romo Gutierrez, év. de Torreon, Mexique; Walmor Batù Wichrowski, év. tit. de Felbes, aux. de Santa Maria, Brésil; Rubío Repulles, év. de Salamanca, Espagne; Maurice Feltin, archev. de Paris, France; Oscar Sevrin, év. tit. de Mossina, Inde; Henrique Golland Trindade, archev. de Botucatu, Brésil; Germain-Marie Lalande, sup. gén. de la Congrég. de Sainte Croix.

39

Exc.mus P. D. IOSEPH SCHOISWOHL

Episcopus Graecensis-Seccoviensis

Cum schemate praesenti incipit Ecclesiae dialogus de mundo hodierno. Praeprimis utique dialogus Ecclesiae internus. Tractatur enim de hominibus eorumque diversis vitae conditionibus, prout Ecclesia ipsa suis oculis eas videt. Quaeritur praeterea, quaenam sit relatio Ecclesiae erga hunc mundum; disputatur, quonam modo Ecclesia hunc mundum iuvare divitiisque suis ditare possit.

Haec omnia iusta sunt et digna! Quaerendum tamen manet, num Ecclesia cum suis expositionibus, aliquatenus saltem, ab ipso mundo intelligi et grato animo recipi possit! Hoc, proh dolor, nequaquam videtur! Propterea non sufficere potest, sicut iam saepius in hac aula audivimus, Ecclesiam de problematibus huius mundi meditari, sed pari modo debet et ipsa dialogum cum reali mundo incipere, lingua, quae huic mundo intelligibilis est; mea sententia ergo est: schema de hac re agere deberet, et quidem occasione singulari primi capitis schematis nostri!

Ecclesia mundum huius temporis, id est hominem modernum allocutura, praeprimis hominem concipere debet talem, qualis revera hoc tempore exsistit! Maior autem pars hominum consistit ex non-christianis et inter ipsos baptizatos minor tantum pars revera fidelis est. Perpauci ergo homines parati sunt verbum Ecclesiae sine ulla dubitatione et haesitatione audire, praesertim si de sua ad mundum huius temporis relatione agit.

Homo huius temporis cum Deo commercium amisisse videtur. Opus Christi salutiferum cor eius immotum relinquit, quia sensus supernaturalis in eo destructus apparet. Homo huius temporis per *diem* operatur et lucrum facit in mundo, quem ipse construxit, cuius quasi deus et dominus ipse se sentit. Per *noctis* partem mundo ficto delectatur, stimulatus et obcaecatus persaepe dulcibus venenis. Consequenter ei deest desiderium supernae lucis et veritatis, immo ipse accessus ad eam praepeditus esse videtur.

Si hominem huius temporis alloqui volumus, ita ut aurem nobis praebeat, nequaquam hominem « capientem quae sursum sunt » supponere debemus, sed hominem, in quo homo modernus seipsum quasi in speculo reco-

gnoscat: Hominem de seipso praeoccupatum, cui ad Deum transcendentia omnino aliena est.

Ipsi autem dona sunt propria, ad quae annectere possumus.

Nempe certissime, in oppositione ad mundum, qui ipsum circumdat, semetipsum experitur tamquam personam, quae individualem vitam gerit, quae operatione sua spirituales explicat vires, per suam loquelam et culturam scilicet, per sua studia et artes. Dialogum cum homine moderno appetentes, etiam fidei solutiones ipsi suasuri, *hinc* sermonis initium facere debemus. Iam persona humana *sic* intellecta, summa ornatur dignitate, quae et a nobis, cum omnibus suis consequentiis, libentissime agnoscenda est, etiam quoad homines, qui fidem non habent.

Deinde plurimi moderni de spiritualitate vitae suae firmiter conscii sunt, etiamsi de ultimo dignitatis suae fonte utique nesciunt. Ecclesiae, nostri, esse debet, eos adducere ad hoc, ut spiritum, quem in seipsis operantem sentiunt, indestructibilem, immortalem agnoscant. Ex hominibus huius temporis non pauci aperte confessi sunt, cum affirmatione vel negatione immortalitatis animae etiam decerni de totius mundi conceptione, immo de totius vitae ductu. Priusquam de Deo loquatur, de sua ipsius anima homini persuaderi debet. Quod et in schemate nostro praetereundum non videtur!

Porro probabilior via ad acquirendam sui ipsius rectam cognitionem, propriae moralis conscientiae consideratio esse videtur. Homo modernus omnino promptus est ad agnoscendum propriae conscientiae iudicium, licet non habeat, quo de eius origine mysterioso rationem sibi reddat. Semel adductus ad hoc, ut diligentius se occupet cum hac sibi innata conscientiae facultate, promptius et intelliget simul cum morte, nequaquam omnia sua finem habere.

Denique homo huius temporis, plus quam antea, experitur seipsum tamquam ens sociale: ante omnia per suam realem participationem in bonis communibus, maxime vero per suam cooperationem et cum aliis associationem, ut horum bonorum particeps fiat. Quocum tamen se coniungit profundissimum desiderium universalis iustitiae crescentisque fraternitatis. Etiam hic de habitibus vere humanis agitur, qui bene perspecti et considerati hominem, et huius temporis, adducere possunt, ut et ipse realitatem, huic mundo terrestri superiorem, libentius affirmet.

Ab his factis et tendentiis humanae naturae communibus, schema nostrum in primo suo capite initium sumere debet. Ipsis suppositis et enucleatis, nuntius noster de homine, sicut Deus eum videt et eum vult, facilius, immo grato animo accipietur, ab huius temporis hominibus, qui et ipsi filii Dei sunt!

40

Exc.mus P. D. FRANCISCUS SIMONS
Episcopus Indorensis

Antequam remedia afferre possumus attendere debemus rationes maiores quae minuunt vel destruunt influxum Ecclesiae in homines. Sunt rationes quae destruunt credibilitatem Ecclesiae in oculis eruditorum, aliae alienant multitudines operariorum, propter alias Ecclesia iam apparet ut institutum nimis clericale, demum sunt homines qui repelluntur propter leges divinas quas Ecclesia inculcare semper debet.

Sed est ratio quae videtur esse ex omnibus maxima, quae afficit homines ex omnibus generibus, nempe impositio, sub obligatione gravis peccati, legum quae iam speciali modo « leges Ecclesiae » nominantur. Inter has eminent lex audiendi Missam diebus dominicis et festis, lex confitendi peccata, aliae.

Ex traditione saeculari nos episcopi et sacerdotes has leges ut sacrosanctas habent, dum obliviscimur has leges tantummodo medio aevo, sub tali obligatione gravis peccati impositas esse.

Nemo non novit in fere omnibus terris christianis longe maiorem numerum catholicorum non attendere Missam diebus dominicis, immo in multis civitatibus maioribus Europae et alibi, alma urbe non excepta, vix 10 ad 15% Missam regulariter attendunt. Utopia est expectare conditiones valde amelioratum iri, dum econtra etiam in iis paucis terris, in quibus maioritas adhuc attendit, numerus eorum qui regulariter attendunt gradatim minuit.

Quae sunt consequentiae amarae huius tristis conditionis? Fere omnes hi homines in scholis et catechesi didicerunt leges has ab Ecclesia sub peccato gravi urgeri. Cum observantiam negligere incipiunt, credunt se graviter peccare. Hac fide permoti se iam ut perditos, ut a Deo et Ecclesia alienatos sentire incipiunt. Et quia in circumstantiis vivunt, in quibus spes emendationis non adest, iam omnino deserunt omnem observantiam religiosam, omnem sinceram orationem ad Deum, quippe quae iam omnino inutilis apparet, et Ecclesiam responsabilem habent pro suo lamentabili statu.

Sic propter leges humanas longe maior pars catholicorum ab Ecclesia, et quod peius est a Deo quasi pro tota vita sua alienantur et sine spe vivunt.

Nulla alia religio in mundo habetur quae propter leges suas humanas tam magnam partem fidelium a Deo repellit et ab oratione alienos facit. Nec religio hinduistica, nec buddhistica, nec musulmanorum, nec lex iudaica talem obligationem imponit, nec ulla ex ecclesiis christianis. Orthodoxi adhuc retinent legem pristinam quae consilium dat non legem imponit.

Quae sunt lucra, qui fructus, quae utilitates quae ex istis legibus capiuntur et quae comparari possunt cum ingenti damno illato centenis millionibus hominum?

Indignum est Concilii cogitare de aliquo damno materiali, nam quid prodest mundum universum lucrari si tot animae damnum patiuntur? Quae

sunt lucra spiritualia? Certe ii qui propter verum amorem Dei Missam frequentant, etiam frequentabunt et cum maiori animo, dum lex in consilium mutatur.

Perplures eorum qui nunc propter leges humanas ab Ecclesia et Deo alienantur, qui Ecclesiam ut duram magistram vel ut hostem habent, iam eam ut matrem et amicam amabunt, et vocem eius audient maiori cum alacritate cum eos vocat et allicit ad amandum Deum et proximum, ad orationem, ad bonam vitae rationem.

Insuper, propter momentum quod tribuitur legibus Ecclesiae, sensus peccati multorum catholicorum, immo et sacerdotum, deformatur. Magis cogitant de observantia legum Ecclesiae quam de observantia legum Dei, de caritate et iustitia.

41

Exc.mus P. D. IOANNES TAYLOR
Episcopus Holmiae

Character pastoralis huius nostri Concilii modo particulari elucere debet schemate de quo in praesenti disputatur, scil. *de Ecclesia in mundo huius temporis*. Huic praecise scopo velim ut inserviant duae emendationes, vel potius explicationes seu illustrationes, quas proponere intendo.

N. 3. *Prima annotatio* respicit n. 3, in prooemio schematis, ubi de iis agitur, « ad quos dirigatur hoc schema, et quid intendat ».

Ibi imprimis ipsi filii Ecclesiae nominantur, qui partes activas, ut ita dicam, assumere debent « in mundo secundum spiritum Christi aedificando ». Deinde ad cooperandum in tanto munere perficiendo velut invitantur « dilecti quoque fratres communitatum Ecclesiae a nobis seiunctarum », ob nostram cum ipsis unionem in fide christiana necnon in eadem sollicitudine iam demonstrata, et, uti speratur, in futuro tempore adhuc amplius demonstranda. Postea ad duas hominum classes seu genera sermo dirigitur, quos Ecclesia isto schemate attingere intendit; primo quidem illos, « qui, Christo nondum agnito, nobiscum Deo vivo et sancto agunt gratias », qui ergo nobiscum in Deum verum credunt, in Deum qui ipsis ex operibus creationis quasi illucescit; secundo schema alloquitur « Omnes homines, qui nos interrogant de spe, quae in nobis est », quibus veram hominis naturam eiusque vocationem in hoc mundo Sancta Synodus explicare intendit. Quod ut efficacius praestet, sinceram declarat christianorum voluntatem « cooperandi in exstruenda civitate terrestri vere fraterna » — libenter simul agnoscendo « bonum quod ipsi iam contulerunt » ad mundum meliorem reddendum, vel adhuc conferent. A. v. bonam christianorum voluntatem declarando, Ecclesia *bonam voluntatem appellat eorum,* et sunt plurimi hodie, quos suo sermone et opere attingere intendit, quamvis fidem proprie dictam ne in Deum quidem habeant.

Hoc praecise mihi videtur maximi momenti esse pro fine huius schema-

tis et ipsius actionis quam Sancta Synodus in mundo huius temporis explicare satagit. Nam non solummodo in regionibus et populis, qui Christum, immo et ipsum Deum nondum agnoverunt, eiusmodi *homines bonae voluntatis* prostant, sed etiam in terris et nationibus, quae Christo et Ecclesiae olim arctius coniunctae, saecularem vel « neutralem » vitae rationem iam praeseferunt, quin tamen religioni sive christianae sive alterius nominis obsistant. Agitur de hominibus (quos in ministerio nostro explendo [in Suecia] haud raro attingimus), qui nullam quidem religionem proprie dictam profitentur neque ulli communitati religiosae, seu confessioni determinatae, adstricti sunt, et tamen longe absunt ab omni specie atheismi eiusque consectariis. Ad hoc genus revera permulti homines hodierni pertinent, qui suo modo boni sunt et tales nominari debent: ordinem civilem agnoscunt et ab eversoribus defendunt; concedunt esse ordinem fundamentalem aliquem omnium rerum; quin etiam leges morales aliquas ipsi agnoscunt et ab omnibus hominibus observandas esse censent. Ex his vero non pauci Ecclesiam Christi intuentur, alii forte curiositate moti, alii contra reverentia repleti et sincera aliqua exspectatione, praesertim quidem hoc tempore Concilii Oecumenici, quod Ecclesiam fere in conspectu totius mundi posuit. Forsitan haud inepte diceretur notam esse nostri temporis propriam, quod, quamvis fides formata et vis naturalis animae ad fidem requisita in multis deficiat vel debilitata sit, quia strepitu civilisationis occupati et velut obtusi sunt; tamen multi homines hodierni sincera et bona voluntate repleti sunt.

Hanc igitur bonam hominum voluntatem sinceramque multorum exspectationem Concilium audacter et sapienter appellet eique sanum doctrinae christianae et ethicae naturalis, cuius asseclas sese agnoscunt, pabulum praebeat, legem divinam, ac simul profundam et vere humanam eius legis rationem, mundo huius temporis demonstrando immo et inculcando.

N. 21. *Exemplum vero* eiusmodi doctrinae et docendi rationis — et haec est *altera annotatio,* quam proponere velim — sit institutum maximum *matrimonii,* de cuius proprietatibus et finibus christiani quoque non pauci hodie ancipites haerere videntur, quibuscum ergo pariter colloquendum est.

Punctum quod urgere velim, hoc est: Cum de voluntate Dei quoad fines matrimonii agitur et de lege matrimonii ab Ecclesia declarata, ne praetermittatur aspectus rei gravissimus, quod scil. Dei voluntas homini non extrinsecus inculcatur et velut obtruditur, quod lex ab Ecclesia praedicata non est arbitraria, quod ordo finium in matrimonio servandus non est inventum aliquod, culturae provectae minus conveniens, quod quidem a moderatoribus Ecclesiae aut a theologis vitae parum peritis fere ad libitum, nisi animo infenso, generi hominum adhuc immaturo imponatur. Nonnulli enim, sive christiani sive praesertim non-christiani, eiusmodi originem arbitrariam seu — sit venia verbo — « voluntaristicam » legum moralium suspicantur. Quapropter has leges hinc a dignitate personae alienas ideoque inhumanas esse putant, illinc vero ipsas immutari posse falso opinantur atque

innovationem a Concilio quaesitam, seu « aggiornamento », nihil aliud fore somniant nisi remissionem quamdam obligationum essentialium.

Ut eiusmodi opiniones prudenter dissipemus, in schemate aperte loquamur de ipsa constitutione naturae humanae tamquam fundamento ordinis moralis et legis matrimonialis — praescindendo interim a proprietate supernaturali matrimonii huiusque consectariis. Re vera lex in matrimonio observanda ex huius ipsius natura consequitur. Voluntas igitur divina in hominem ipsum ingesta est, in corde eius scripta reperitur, ut cum Apostolo loquar. Itaque homo actibus inhonestis obnoxius non solum contra Deum se sistit, sed etiam contra seipsum, etiamsi, quod accidere potest, propter ignorantiam vel malam institutionem bona fide praeditus sit et subiective non peccet. Ordo enim moralis quodammodo ipsi homini immanens est, non ita quidem, ut transcendentia voluntatis divinae negetur, quae, contra, illius immanentiae moralis conditio exsistit. Hoc modo loquendi facilius ad hominum nonchristianorum intelligentiam perveniemus, quin veritatem christianam negemus aut minuamus. Contra, aperiemus sensum internum et veram rationem doctrinae Ecclesiae. Eiusmodi cautione utentes hominibus bonae voluntatis viam sternemus, quae ultimo quidem ad Deum conducat, quin immediate de Deo loquamur. Ita adiutorium iisdem praebemus, quo totum Evangelium Christi Domini aliquando forsitan amplectantur, qui sane maximus proventus Ecclesiae in mundo huius temporis dicendus esset.

Emendationes congruentes in numeris respectivis 3, 21, 24, sub n. 5 (pag. 6, linn. 25 ss.; pag. 22, lin. 30; pag. 29, lin. 26) inserendae essent.

42

EXC.MUS P. D. IOANNES VAN CAUWELAERT
Episcopus Inongoensis

Hoc schema ab universo mundo expectatur. Seriis emendationibus indiget ne expectatio universa nimium decipiatur.

1. Schema oportet sit documentum vere pastorale, sed cum fundamento doctrinali sufficienti.

2. Insuper omnino oportet ut, sine mora: Concilium nuntium mittat de habitudine Ecclesiae ad ipsum mundum: *a*) exponuntur rationes talis necessitatis; *b*) definitur obiectum talis nuntii.

43

EXC.MUS P. D. PETRUS VEUILLOT
Archiepiscopus tit. Constantiensis in Thracia, coad. c.i.s. Parisiensis

I. Hoc schema, etsi in multis adhuc emendandum sit, tamen sicut argumentum disceptationis nostrae retineri potest ac debet. In eo, omnia difficilia sunt ac novissima: quid dicendum est? quibus hominibus? quomo-

do? etc. Sed hae difficultates, etiam graves, quae in confectione schematis inveniuntur, quasi signa sunt maiorum difficultatum, illarum scilicet quas ipsa Ecclesia huius temporis ad missionem suam in mundo adimplendam invenit propter mutationes in vita sociali et culturali ortas sub influxu scientiarum ac artium technicarum progressus. Laudandi sunt ergo schematis huius auctores, qui viriliter ac sapienter tale argumentum peropportune nobis praeparaverunt. Contra spem in spem saepe laboraverunt. Nostrum est hodie eorum laborem cum animadversionibus perficere.

Praeterea pars ultima schematis, ubi agitur de praecipuis huius aetatis necessitatibus, licet illi opus sit plurimis emendationibus, in genere mihi placet. In considerandis enim quaestionibus, quae ad vitam, mores, ac pacem populorum tam directe pertinent, caput quartum schematis rationem semper habet illius novae mentis, quae in Ecclesia initium fecit a publicatione Litterarum Encyclicarum *Pacem in terris,* ab insignibus gestis Summorum Pontificum Ioannis XXIII et Pauli VI, f. r., et ab ipsis Concilii laboribus. Idem caput, ceterum, minime solvere intendit problemata, quae adhuc liberis et apertis studiis subiicienda sunt; hoc modo, ad ulteriores disquisitiones hac in re animum invitat, immo opportune excitat.

II. Attamen, altera ex parte, initium schematis, scilicet prooemium et caput primum adhuc insufficiens videtur ad explanandum modum quo Ecclesiam se gerere oportet erga problemata huius temporis. Cur, verbi gratia, et quomodo, et in quo sensu Ecclesia, cuius missio est aeternae hominum saluti inservire, etiam in servitium huius mundi praesentis adlaborare debet?

Hac in re tanti momenti, schema nostrum firma et clarissima principia theologica procurare deberet. Non sufficit duplicem aspectum (supernaturalem et temporalem) integrae hominum vocationis asserere; sed, quo melius elucescat munus temporale christianorum, quod est schematis obiectum proprium, magis organice illud munus vocationi eorum supernaturali referre oportet. Atqui illae affirmationes in textu potius iuxtaponuntur quam componuntur. Hic defectus certe admittitur ab ipsa commissione, sed necesse est illum corrigere, quoniam, in sua forma praesenti, schema incertitudinem — quinimmo discrepationem — inter theologos attestatur potiusquam firmitatem et claritatem doctrinae quam Ecclesia filiis suis et omnibus hominibus impertit.

Ad emendandum textum, liceat mihi triplicem observationem proponere:

1. Illi oppositioni nimis abstractae, quam schema (in capite primo et alibi) nobis ostendit inter theses de valore rerum terrestrium et de vocatione supernaturali hominum, substituatur quaedam analysis seu descriptio concreta conscientiae humanae, gravibus hodiernis adiunctis valde anxiae. Loquendo hominibus huius temporis, melius est non ex principiis philosophiae ac theologiae initium ducere, sed ex hominum experientia eorumque vita quotidiana, in qua diversa requisita naturae et gratiae intime coniunguntur. Optimum esset hoc schema, si, ab initio, exspectationi hominum responderet, eos attingendo in mysterio eorum conscientiae, quae hoc tem-

pore maximam tensionem cognoscit inter valores munerum terrestrium in seipsis consideratos et eosdem valores ad ultimum finem ordinandos.

2. Quae tamen mera descriptio nullo modo sufficit. Necesse est enim doctrinam exponere, ut decet in tam sollemni documento Magisterii. Ecclesia docens non potest pro sufficienti habere dissertationem quamdam de variis tendentiis quae apparuerunt in mundo huius temporis, vel de oppositionibus in vita nostrorum coaetaneorum compertis. E contra diffundere debet lumen fidei in quemlibet ambitum scientiae, oeconomiae rerumque socialium et internationalium ad ostendendas normas quae omnia ordinarent secundum fines humanae personae et bonum commune societatis, ita ut homines internam vitae cohaerentiam, profundam vocationis unitatem, verum gaudium et pacem denuo invenire possint.

3. Insuper, quamvis textus iam saepe saepius exemplis evangelicis illustretur, integra vocatio hominis modo magis christologico initio schematis exhibeatur, ad mentem, verbi gratia, capitis tertii Epistulae Pauli ad Colossenses. Loci enim Scripturae Sacrae non sufficiunt ut periculum meri moralismi plene vitetur. Si autem aedificatio civitatis terrenae reapse propriis legibus gaudet, non potest tamen plene intelligi, nisi in relatione ad finem ultimum cuiusvis hominis et totius humani generis, qui tantum in Christo, Verbo Dei incarnato ac Redemptore nostro, manifestatur.

44

Exc.mus P. D. MICHAEL VIAL

Episcopus Nivernensis

Hoc schema magni momenti est in hodierna mundi conditione. Optatur ut elaboratio usque nunc facta melioretur.

I. Genus humanum in magna evolutione, vel melius in magna mutatione, hodie exsistit. Homines cum magna dubitatione de futuro quaerant. Homines in fieri se sentiunt. Oriuntur aspirationes, conatus, obstacula nova. Evocatio maiorum problematum huius temporis.

II. Christiani non sunt alieni ab illis praeoccupationibus et communicant in illis, tam acuta conscientia vocationis suae humanae quam voto ut fideles Evangelio sint.

Ecclesia non habet solutiones universales et immediatas sed proponit vias ad superandos conflictus iurium et mentalitatum.

Ecclesia determinat exigentias urgentes et vocat christianos ut novas obligationes adimpleant.

III. Cum mundus magis magisque rationalizetur, istae obligationes apparent in forma quotidie magis magisque complexa. Ideoque necesse est comprehendere praeprimis evolutionem mundi et totius humanitatis ut actio

vere adaptetur condicionibus modernis, sicut condicio latino-americana vel africana clare manifestat.

IV. Ecclesia proponit mundo mysterium Christi non tantum per praedicationem, per cultum et communionem sed etiam per servitium mundi. Quapropter vocat christianos ut vere convertentur et praesentes in mundo magni momenti terrestres actiones considerent.

* * *

Textus schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* mihi videtur retinendus esse, prout basis disceptationis et elaborationis. Quae infra exponimus, non alium scopum habent quam labori commissionis aliquod subsidium praestandi.

Schema obtinere debet finem, qui a Pontifice Ioanne XXIII huic Concilio oecumenico praefixus est, scilicet quomodo substantia huius vitae praesentis ad Christum pertinere possit. Hac in re attendendum est variis aspectibus vitae nostri temporis, et enucleandum quomodo Ecclesia *in mundo* existat, ut mundum ad Christum convertat. Quod enim quaeritur, est modus praesentiae Ecclesiae in hodierno mundo.

Scopus meus duplex est: 1. Praecisius indicare conditiones praesentiae Ecclesiae in hoc mundo novo; 2. indicare opera urgentiora in hoc mundo novo promovenda.

Prima pars: Quales sint conditiones praesentiae Ecclesiae in hoc mundo.

Talis praesentia realis efficitur, et voluntati Christi conformatur, solummodo sub sequentibus conditionibus:

1. Ecclesia in mundo exstat; sed mundum non gubernat. Unus est Dominus mundi, scil. Christus. Ecclesia ergo honorare debet consistentiam et autonomiam huius mundi, a Deo creati. Sicut Christus seipsum huic mundo accommodavit, ut erat ante duo millia annorum, ita Ecclesia mittitur in mundum nostrum, prout nunc existit. Proprie ex missione a Christo recepta, Ecclesia vocatur ad hunc occursum, ad hunc dialogum. Sic Ecclesia, in mediis rebus huius mundi, solutiones inquirit una cum mundo. Dum studet quaestionibus hominum, responsum affert eorum quaestionibus. Dum valores et conatus participat, quibus vivunt homines huius temporis, Ecclesia eis manifestat significationem, quam in Christo habent huiusmodi conatus et valores.

2. Homines sibi conscii sunt, quod partes in historia habent, quae non plene subiicitur eorum dominio. Ecclesia mundo revelare debet rationem, propter quam mundus factus est. Proinde ipsum dynamismum mundi participare oportet, ad eum sustinendum et dirigendum. Sic Ecclesia homines adiuvabit in inquisitione de sensu eorum conatuum ad maiores conditiones vitae obtinendas, necnon libertatem, pacem et veritatem. Talis sensus et talis scopus hodie manifestantur tanquam fructus mysterii Christi.

3. Mundus huius temporis subiicitur non solum evolutioni, sed etiam abruptae mutationi: mutatio scilicet rapidissima in campo demographico, oeconomico, sociali et culturali. Mundus hic novus secumfert pericula, necnon clades et insufficientias. Homini de sua existentia anxio, Ecclesia respondere debet, in memoriam ei revocando legem suae naturae, sed etiam ei subsidium praestando, ut significationem et limitationem *in suo dominio super naturam* perspiciat, et simul agnoscat quod tale dominium reapse acquiritur per auxilium gratiae, etiam saepe mediante ipso peccato.

Modus praesentiae Ecclesiae in hoc mundo, in schemate describendus, rationem habeat oportet illarum conditionum. Aliter Ecclesia in discrimen venit, ne tanquam realitas appareat mundo extrinseca, ab eo separata et quasi tanquam iuxta posita, quod certe missioni eius plane adversaretur.

Secunda pars: *Opera in hoc mundo novo adimplenda.* Relate ad hanc novam humanitatem, diversa officia et opera imprimis a christifidelibus, nomine ipsius Evangelii, adimplenda sunt.

1. Genus humanum in culturam civilem ingressum est, cuius evolutio omnes aspectus activitatis humanae respiciunt, activitatem scilicet technicam, oeconomicam, culturalem, etiam ethicam. Talis evolutio innititur in relationibus in dies arctioribus inter varias manifestationes sociales et oeconomicas. In hac nova cultura civili dignitas personarum solummodo realis apparet, quando instauratur inter coetus et nationes et stirpes maior cooperatio in evolutione generali.

2. Dum homines inquisitionem technicam et dominationem magis magisque in naturam extendunt, et etiam in ipsam humanitatem, et ad id conantur, ut sponte sua propriam historiam dirigant, in dies crescit desiderium apud unumquemque seipsum ad altiora promovendi. Omnes adspirant ad bona civitatis terrestris ad commodiorem modum vivendi, ad libertatem et iustitiam. Non datur generalis evolutio si non existit eius communis fruitio. Dignitas personarum supponit non solum ut vindicentur iura individualia, sed etiam ut exerceatur responsabilitas genuina, quae extenditur magis magisque ad pauperes humilesque.

In schemate enumeranda essent problemata illarum categoriarum, quarum promotio retardatur, vel plane oblivioni datur, scil.: problema de missione mulieris, quae adhuc in societate nostra posthabetur, in matrimonio vel caelibatu, quia cultus noster civilis usque nunc maxime a viris regebatur; problema de iuvenibus, quos excitare et formare debemus ad exercitium eorum responsabilitatis in medio mundo artibus mechanicis plane subiecto; problema de existentia novorum ordinum socialium qui complectuntur homines ad paupertatem reductos, vel e societate reiectos, propter implacabilem determinismum ipsius culturae civilis nostri temporis.

Vita humanitatis actualis secundum nos coniungitur vitae aeternae, et secundum nos historia salutis coniungitur historiae humanitatis. Propterea rite considerat Ecclesia opera huius mundi tanquam sua, et omnes suos filios vocat ut opera illa expleant in fide et fiducia.

45

Exc.mus P. D. HERMANNUS VOLK

Episcopus Moguntinus

Schema multa continet bona, quae in genere placent. Quinque tamen puncta liceat notare:

1. Quid Ecclesia in mundo hodierno debeat praestare, dici nequit nisi conceptus ipsius mundi clarior elaboratur. Homines enim nostris temporibus, nisi credunt in Christum, non tantopere problematibus industrializationis onerantur. Sed ipsum esse humanum sibi quaestioni esse sentiunt. Ex eo autem, quod homines tam acriter inquirunt sensum vitae humanae, nobis spes oritur. Nam cuiusvis temporis propria problemata propriam quoque praebent spem evangelizationi.

2. Mundus, cum non tantum sint res, sed homines cum eis agentes, determinari debet non ex sola abstracta essentia, sed simul cum quinque determinationibus theologicis, quae sunt: creatum esse, esse gratia donatum, esse peccato affectum, esse a Christo redemptum, esse eschatologice erectum. Ut homo cum suo mundo recte describatur, applicari debent omnes hae determinationes. Ex hoc sequitur mundum nonnisi in sua relatione supernaturali et gratiosa ad Deum ideoque nonnisi ope revelationis intelligi posse. Ex fide mundus melius intelligitur quam ipse se intelligere potest (cf. *1 Cor.* 2, 15). Sequitur insuper mundum non posse perfici ex seipso, cum perficiatur demum in secundo Christi adventu.

3. Quid praestare debeat Ecclesia in mundo hodierno, describi nequit, quin tangantur quaestiones stricte theologicae, exempli gratia de habitudine naturam inter et gratiam, de peccato eiusque consectariis, de forma specifica vitae christianae in sequela Christi agendae, de relatione inter proprium creaturae valorem et eius perfectionem eschatologice demum acquirendam, et multa alia. Etiam quaestionibus practicis responderi nequit independenter a theologia. Gratia enim non extra ambitum naturae exstat. Ideo de Ecclesia in mundo hodierno non debemus ita loqui, quasi hic de solo ordine naturali, de ordine supernaturali autem solummodo intra muros vitae Ecclesiae internae loqui velimus. Re vera ordo naturalis non servatur nisi servato ordine supernaturali. Propterea Concilium, habitudinem Ecclesiae ad mundum hodiernum describens, etiam de gratia Christi, luminis et clavis mundi, loqui debet.

4. Attendi debent duae difficultates: *a*) Non est facile, determinare, utrum ea, quae in rebus mundi observantur, fundentur in eo, quod sint creata a Deo, an in natura a gratia distincta, an in peccato, an in gratia christiformi.

b) Habitudo hominis ad mundum, etsi accuratissime considerata, plerumque non ex uno tantum principio explicari potest. Ex una parte

multa Ecclesiae membra arcte debent cum mundo coniugi, ut munus suum erga mundum modo vere christiano adimpleant, quin tamen servi fiant mundi; ex altera autem parte non pauci a Deo vocantur, ut consilia evangelica sequentes a mundo se abstineant. Aliquo modo quivis christianus distantiam erga mundum servare debet, ut possideat libertatem, ad quam Christus nos liberavit. Neque nobis neque mundo verum praebemus servitium, quando Ecclesiam in mundo hodierno praesentem describentes videmur ad minimalismum christianum inclinare.

5. Ex dictis resultant quaedam, quae Ecclesia circa mundum agere debeat: *a*) Ecclesiae non est omnia facere, quaecumque in mundo facienda sunt. Maxime autem proprium munus Ecclesiae est, tamquam signum levatum Christum in mundo praesentem testari, cum sine testimonio non existat fides. Ecclesiae est, illam lacunam seu defectum in lucem ponere, qui oritur, quando homines conantur mundum interpretari vel administrare sine Deo. Si istam lacunam, quae in mundo cuiusvis temporis oritur, quando Deus creator et ultimus finis negatur, false describimus, timendum est, ne fides fiat ridiculosa. Si autem istam lacunam cum maxima qua fieri potest praecisione describimus, evitamus onus fidei ultra quam par est augere. Qua de causa nobilissimum officium Ecclesiae in mundo huius temporis est, relationem hominis et mundi ad Deum clare et distincte describere neque falsas consequentias tum fidei christianae cum infidelitatis proponere.

b) Ecclesia mundo annuntiare debet rectas agendi normas, quarum praestantissima est caritas, quam exercendo Ecclesia maxime fit fide digna.

c) Ne ignoret Ecclesia rerum mundanarum existentiam propriam propriasque eis inditas leges, quibus nemo inservire potest nisi sit rerum peritus. Omnes res creatae habent suum proprium valorem, suam propriam activitatem, suas leges, in genere suum proprium esse, et simul omnia dependent a Deo et ordinantur ad Deum; ista dependentia et ordinatio tamen in superficie inveniri non possunt. Nobis non licet, propter fidem aliquem valorem aliquamve veritatem negare. Si enim efficacitatem mundi huius temporis contemnimus, hoc vix mundo, sine dubio autem Ecclesiae detrimento erit. Etsi Ecclesia cavere debet, fines suae competentiae transgredi — casus Galilei usque ad nostra tempora oneri est Ecclesiae — tamen in mundo huius temporis non sufficit, ut Ecclesia opera mundi liberali animo agnoscat, sed Ecclesiae specificum est, Christi in mundo testem esse mundumque in Christo instaurare.

d) Non ita agere debemus, quasi solutiones omnium quaestionum nobis praesto sint. In mundo eiusque curriculo historico latent abscondita, quae agnoscendo magis inservimus mundo quam exhibendo solutiones superficiales. Christus Dominus noster in cruce tulit non solum nostra peccata, sed etiam sentivit aliquam absentiam Patris sui caelestis, quamvis ista absentia fundata sit in nostris peccatis sicut quaedam manifestatio peccati vel etiam in conditione creata vel infralapsari. Nos omnes interdum derelictos nos sen-

timus in vita nostra quotidiana, immo mundus saepe non credit, quia effectus fidei aut infidelitatis in experientia praesto esse non censet.

Nobis vero sufficit scire cui credamus. Problemata et abscondita tolerare semper permagnum est opus Ecclesiae in mundo hodierno. Mysteria enim Dei maiore fide digna sunt quam solutiones hominum.

46

Exc.mus P. D. IOANNES WHEALON

Episcopus tit. Andrapensis, aux. Clevelandensis

Fortasse alicuius auxilii pro commissione erit si impressiones generales de hoc schemate nunc dantur.

1. De hoc schemate exspecto documentum quod homini ordinario possim dare — homini qui non est christianus, qui parvam vel nullam religionem habet, qui difficultates et anxietates plures invenit in propria vita, qui anxius est de sua familia, de sua natione, de mundo hodierno. Velim tali homini dicere: « Lege hoc documentum et ibi invenies quid dicat tibi Concilium Ecclesiae catholicae ut vita tua melior sit, ut familia tua melior sit, quidem ut natio tua et orbis terrarum meliores sint. Lege, et invenies responsa christiana ad difficultates et problemata, et socialia et personalia ».

Proinde, praefero tractatum et titulum « De mundo huius temporis », stylo simplici et claro, sine citationibus de Sacra Scriptura et sine introductione Ecclesiae nisi in ultimo capite.

2. Sed praesens schema, credo, haud legi potest et vix intelligi potest ab homine ordinario. Videtur esse nimis involutum, quoad et conceptus et verba; videtur non esse clarum; videtur simplicitate carere; videtur a pluribus commissionibus compositum esse.

3. Doctrina de moralitate maritali mihi videtur esse ita idealis et subiectiva et incerta ut ianuam aperiat ad subiectivismum, ad dubia, etiam ad peccata.

4. Nil omnino dicitur de subiecto (uti mihi videtur) magni momenti: de obligatione non nubendi usque ad maturitatem psychologicam et oeconomicam. Nunc in Statibus Foederatis 1/4 omnium liberorum sine proprio patre educantur. Divortium, infidelitas, contraceptio, ea instabilitas psychologica quae ad futuras generationes visitatur, nimium populorum incrementum — remedium primum et evidens pro his malis est omnis hominis obligatio non nubendi usque dum maturus et promptus est ad obligationes matrimonii et parentelae accipiendi. Fortasse summa manifestatio superbiae humanae datur ab eo qui in matrimonium init vel filios procreat quando nequit filios in stabilitate educare. Obligatio non nubendi evidens est in lege naturali. Tam multa recenter scripta sunt de incremento populationis; et mirum est nil de tali obligatione scribi. Assumptio aetatis nostrae est omnes homines

ius habere in matrimonium ineundi et filios procreandi, sine respectu ad considerationes immaturitatis, imprudentiae, etc. E. g., quando puer et puella aetatis 15 vel 16 annorum saepissime consociantur, quando se nubent aetate 18 annorum (aetas communissima nunc in U.S.A. pro feminis nubendis), probabiliter difficultates sat magnas psychologicas et oeconomicas invenient, et saepe cogitabunt doctrinam *Casti connubii* nimis duram esse — sed difficultas primaria fuit in eorum improvidis nuptiis.

5. Dictis exc.mi Villelmi Conway de hoc schemate consentio.

47

EXC.MUS P. D. IOANNES PETRUS ZARRANZ Y PUEYO

Episcopus Placentinus in Hispania

Desideratur in schemate *expressa allusio ad doctrinam evangelicam de mundo,* deque absoluta incompatibilitate inter Christum et mundum, Christi discipulos et mundum qui « totus in maligno positus est » (*1 Io.* 5, 19).

Mirandum sane tale silentium in schemate circa argumentum ex quo tractatio schematis « de relationibus Ecclesiae ad mundum » initium sumere debuisset, saltem per brevem compendiosam praecisionem seu acclarationem, quae « statum quaestionis » et valorem terminorum apte definiret.

Mirandum, inquam, quod Concilium nec minimam mentionem vel allusionem faciat de huiusmodi doctrina, toties ac tantopere a Christo Domino prolata gravissimis verbis, quasi de illa semel dixisse non sufficeret.

Silentio praeterire absoluto sententias et monita Christi in re tanti momenti, meo iudicio esset lacuna gravissima in documento quo Concilium « filios Ecclesiae alloquitur », christifideles directe et primario alloqui et instituere intendit.

Nec satis est dicere quod in schemate vox « mundus » alio sensu sumatur (humanitas nempe cum problematibus peculiaribus, res temporales omnes quae scaenam humanae societatis constituunt, etc.).

Probe scimus duplicem, ut ita dicamus, mundum exsistere, iuxta effatum Augustini: « Quem Deus creavit... et quem diabolus gubernat » (*Enarrat. in Psalm.*). « Quem Deus bonum fecit (omnia per Ipsum facta sunt) et qui Deum non cognovit ». Duplicem civitatem, quam duplex amor aedificavit...

At absit prorsus a nobis falsa idea quod de rebus obiective seu realiter distinctis et quasi separatis agatur. *Mundus est de facto unicus*; videlicet mundus humanus, a Deo conditus, sed simul nostrae libertati subiectus. Uterque mundus — bonus et malus — convivunt in unitate nostrae uniuscuiusque individuae personalitatis; sicut triticum et zizania in uno eodemque agro.

Criteria moralia, concupiscentia, passiones inordinatae, normae « mundanae », pravi habitus... en mundus! Uno verbo, quidquid hominem a Deo avertit, quidquid fidem ac spem debilitat aut destruit, quidquid tandem di-

recte vel indirecte ad peccatum allicit aut inducit. Etiam mundus, dicere possumus, « intra nos est » in unoquoque nostrum.

Et quippe quod Christi discipuli non possumus non vivere in mundo, sumus immersi in eo et eius spiritu intime imbuti, minime superfluum videri potest, sed contra omnino necessarium, a contagione criteriorum mundanorum christifideles praecavere, ne deformentur conscientia et christiano charactere, et mundo conformentur. « Nolite conformari huic saeculo » (*Rom.* 12, 2); « Nolite diligere mundum nec ea quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo » (*1 Io.* 2, 15); « Quicumque voluerit amicus esse huius saeculi, inimicus Dei constituitur » (*Iac.* 4, 4).

Non potest christianus, ordinarie loquendo, a mundo fugere; nec debet. Non potest homo sese abstrahere a rebus temporalibus quin propriam vocationem, humanam et christianam, tradat. E contra, integram vocationem plene adimplebit dum, iuxta principia evangelica et doctrinam Christi in mundo vivens et laborans, ipsum mundum sanctificat atque consecrat.

At haec dum S. Synodus in omnium, praesertim ac directe christianorum, memoriam revocat in nostro schemate, *debet iam in schematis initio genuinum conceptum « mundi » breviter explanare, expressam mentionem ad Christi verba faciendo et opportunas acclarationes tradendo. Actuale silentium circa toties iteratas sententias Christi non potest non esse ipsi Christo Domino iniuriosum!*

48

PLURES EXC.MI PP. DD. CONCILIARES

Puisque Votre Sainteté a daigné, en plusieurs circonstances, marquer sa confiance aux Conférences Episcopales, les signataires de cette lettre se croient autorisés à se faire très respectueusement auprès d'Elle les interprètes de la pensée commune des membres de leur Conférence au sujet du schéma « De Ecclesia in mundo huius temporis ».

Représentants de 23 Conférences ou groupes de Conférences Episcopales des cinq continents, nous désirons présenter à Votre Sainteté le vœu suivant:

— Nous considérons que ce schéma XIII, désormais vivement attendu par l'opinion publique de très nombreux pays, revêt une importance capitale pour l'œuvre pastorale entreprise par le Concile.

Il correspond en effet à l'un des objectifs majeurs donnés aux Pères conciliaires par Votre Sainteté et par le Pape Jean XXIII; et d'autre part, en cherchant dans les « signes des temps » les « appels de Dieu », il se présente à nous comme un heureux complément du schéma « de Ecclesia ». A notre jugement, il conviendrait donc de tout mettre en œuvre pour lui donner la qualité que requiert un tel sujet.

— Nous estimons pratiquement impossible de conduire à sa perfection, avant la fin de cette session conciliaire, un schéma aussi nouveau et aussi

difficile. Il faut encore, après un large débat in Aula, un long moment de réflexion et de travail pour que la Commission responsable puisse mener à bien la tâche qui lui est confiée.

C'est pourquoi nous croyons que ce schéma « De Ecclesia in mundo huius temporis » justifierait une quatrième session conciliaire. Et nous osons, d'un cœur filial, demander à Votre Sainteté de recevoir avec bienveillance la requête que nous Lui adressons en ce sens.

[*Subscripserunt*] F. Scalais, arch. tit. Congo-Léo; Ernest J. Primeau, ep. Manchesteriensis; Jos. Höffner, ep. Monasteriensis; Helder Passao Câmara, vice-pres. CELAM; V. Bazin, arch. Rangoon; J. K. Amissah, arch. Cape Coast; Angelus Fernandes, arch. coad. Delhi; Maurice Baudoux, arch. S. Boniface; Thomas Cooray, arch. Columbiensis in Ceylon; Pierre Veuillot, arch. coad. Paris; Ioseph Blomjous, ep. Mwanza; Carolus Wojtyla, arch. Cracoviensis; Neophytus Edelby, arch. tit. Edessenus Melkitarum; Lorenzo Nagae, ep. Urawa; J. Zoa, arch. Yaoundé; W. Brasseur, vic. ap. Philippinae; Marcus McGrath, ep. S. Iacobi Veraguensis; Manuel Larraín E., ob. Talca, pres. CELAM; Dieudonné Yougbaré, év. Koupela; Leo L. Lemay, Oceania; George Andrew Beck, arch. Liverpolitanus; P. Moors, ep. Roermond; N. Verhoeven, ep. Manado.

49

PLURES EXC.MI PP. DD. CONCILIARES

The Bishops of many lands have a deep concern about the problem of world poverty. Since this problem confronts Christians in wealthy lands, we feel that in a special way the Church should provide leadership in forming a Christian conscience.

We the members of the International Committee of the National Episcopal Conferences endorse and support the proposal that the Bishops of the World gathered for the Vatican Council II focus attention on the problem of world poverty, as has been suggested.

We feel that it would be appropriate to have a lay person of special competence expose the problem in its dimensions and implications, after which several Bishops would speak on the need for a plan of action to bring Christian influence to bear on the problem, the need for a small body of experts to devise the kind of institutions, forms of cooperation, contacts and policy which the Church can adopt to secure full Catholic participation in the world-wide attack on poverty, and finally a study of an ecumenical approach, since other Christian bodies share this responsibility.

[*Subscripserunt*] Helder Câmara, Brazil; Ernest Primeau, United States of America; Joseph Blomjous, Tanganyika; Emmanuel Larraín, Chile et CELAM; Maurice Baudoux, Canada; Thomas Cooray, Ceylon; John Amissah, Ghana; Wilhelm Pluta, Poland; Marc Lallier, France; William Brasseur, Philippines; Leo

Lemay, Solomons; Felix Scalais, Congo L.; Neophytos Edelby, Melkites, Syria; Victor Bazin, Burma; Nicolas Verhoeven, Indonesia; Edward Ellis, England; John Murphy, Wales; Jean Zoa, Cameroun; Laurent Nagae, Japan; Josef Hoeffner, Germany; Pierre Veuillot, France.

50

EXC.MI PP. DD. CONCILIARES LINGUAE GERMANICAE ET SCANDIAE

I. *Animadversiones generales*. 1. Placet ut de hoc obiecto in Concilio *discutiatur* et aliquod documentum conciliare *emittatur*.

2. Textus propositus, non obstantibus suis imperfectionibus, ut *basis discussionis* in Concilio consideretur.

3. *Directiones* a commissione pro futura ulteriore emendatione Patribus propositas omnes et singulas approbamus et urgemus.

4. *Substantia theologica in prioribus tribus capitibus* ditior et profundior desideratur, eaque densius proposita; in quarto capite virtus huius substantiae magis appareat.

5. A peritis exegetis non solum crisi subiciantur omnes citationes et allusiones ex *Sacra Scriptura*, sed etiam examinetur, an sufficienter essentialis enuntiatio biblica de nostro themate in schemate attendatur.

6. Non omittendus videtur, stante doctrina et motu communistarum in universo mundo, *proprius numerus de eius placitis relate ad mundum, historiam, hominem, communitatem, eschatologiam,* qui in ulterioribus capitibus respiciatur. Modus vero enuntiationis evitet omnem speciem alicuius ingerentiae politicae anticommunisticae, coniunctionis cum capitalismo, detrimenta religionis catholicae in regionibus communistice regnatis forte timenda. Nomen communismi non occurrat.

7. Videat commissio, anne hoc schemate quaedam a Concilio suppleri possint quae desiderabantur in decreto « De mediis Communicationis socialis », v. g. in numero de cultura.

II. *Animadversiones in specie*. 1. *Titulus* redeat ad formulam « De *praesentia* Ecclesiae in mundo huius temporis », propter maiorem eius dynamicam vim.

2. *Prima propositio,* nimis pathetice prolata, non universaliter vera videtur.

3. Distinctius exhibeatur *finis et modus procedendi* schematis in *prooemio*.

4. « *Signorum temporum* » habeatur et sensus theologice clarior et, materiam quod attinet, respectu totius mundi habito, propositus.

5. *Orientatio christocentrica* schematis distincte proponatur ab indice dispositionis.

6. N. 3, lin. 20, *omittatur* « Ecclesiae ».

7. *Theologia* profundior desideratur « *mundi* », « *humanitatis* », « *progressus* ».

8. *Complemento* indigere videntur ea quae dicuntur in n. 13 de adiumentis Ecclesiae praestitis a mundo: multo enim plura mundus, isque hodiernus, praestat quae Ecclesiae servire possunt, ut melius servitium sibi proprium, quod non evangelizatio tantum est, praestare possit.

9. *Discretius* formulentur, ratione habita et principiorum et circumstantiarum sociologicarum in mundo, nn. 14 et 12.

10. Pag. 12, lin. 29, *addatur* post « tertium » aliqua linea per mendum dactylographicum omissa.

11. In n. 17 distinctius dicatur, in quo consistat essentialis *concrucifixio* cum Christo relate ad mundum, necnon *evangelica paupertas*: agnitione sc. valoris transcendentis regni Dei et spei christianae testimonio in sensu sermonis montani; participatione in mysterio exinanitionis Verbi, formam fratrum assumentis; communicatione propriorum bonorum cum aliis. Ita sanciantur fundamenta vere evangelica omnis spiritus paupertatis in Ecclesia.

12. N. 18 compleri posset per elementa desumpta ex respectivo textu *de condicionibus et limitibus dialogi* Encyclicarum *Ecclesiam suam*.

13. N. 20 cautius *omittantur* formulae nimis universales « *quacumque ratione* », « *quacumque* ».

14. N. 21: Consentimus inopportunum esse descendere ad *quaestiones particulariores responsabilitatis coniugum in opere procreationis* conciliariter, dummodo textus nihil contineat contra doctrinam Magisterii, nec praeiudicet legitimae discussioni in Ecclesia adhuc vigenti.

15. Pag. 24, lin. 19, *omittatur* « non semel pro semper ».

16. Pag. 23, linn. 14-15 *commutandae* sunt.

17. N. 22 de *cultura* revisione videtur indigere quoad « signa temporum », et concretas orientationes; magis insistatur in formatione christianorum magis adaequata, v. g. testimonio ab eis postulato respondente.

18. N. 23 « de ordine oeconomico » vox « *systematis* » ambigua est; res clarius describatur; vox « structurae » praeferenda videtur.

19. N. 25, sub 2), lin. 4, evidenter loco « impedita » legendum est « *impetita* ».

20. Pluries in schemate appellatio fit ad *conventus instituendos* inter competentes et peritos, sive intra Ecclesiam catholicam sive ultra, ad solvenda illa problemata de quibus sermo est. Expediret, si in fine huius schematis Concilium solemniter invitaret ad tales conventus intensius instituendos relate ad maiora problemata aggredienda quae hic tractantur, praesertim efficacis protectionis iurium personae humanae, quaestionis de matrimonio et ordinata procreatione, augmenti solidaritatis inter populos, promotionis earum condicionum quae practice stabilire possent pacem. Suam specialem cooperationem in his conventibus vere peritorum, catholicorum et non catholicorum, Ecclesia offerre posset.

51

EXC.MI PP. DD. EPISCOPI URUGUAY

Los abajo firmados, Obispos del Uruguay, queremos hacer constar: que no suscribimos las manifestaciones hechas en Aula por los Señeros Obispos Proaño y Benitez que hablaron de los problemas de America Latina, en forma genérica, y por eso mismo imprecisa y errónea. Con respecto al Uruguay por lo menos, podemos afirmar que no existe allá el analfabetismo. Hay suficiente número de Escuelas Públicas y Privadas y un notable exceso de maestros, al punto que varios millares de éllos están desocupados.

Tampoco existe en el Uruguay la mentada explosión demográfica, sino todo lo contrario. El índice de natalidad, según el reciente censo de 1963, es de los más bajos del mundo. El problema más grave del Uruguay es precisamente fu falta de población.

Dos puntos relacionados con la situación concreta del Uruguay, que sugerimos sean tradados en el esquema XIII son: 1) un llamado a la conciencia de los que, por puro egoismo, descapitalizan sus propios países, retirando sus dineros de la circulación interna, para colocarlos sin riesgo en el extranjero; 2) un llamado a los responsables del comercio internacional para que en el intercambio se pague a precio justo los productos de los países subdesarrollados. Por ejemplo: los productores de la carne y del café sudamericanos reciben apenas una mínima parte de lo que pagan los consumidores de esos productos en Europa. Lo que América Latina necesita no son limosnas, sino justicia.

[*Subscripserunt*] Carlos Parteli, ob. Tacuarembó; Antonio Corso, adm. ap. Montevideo; Roberto Cáceres, ep. Melo; Miguel Balaguer, ep. tit. Castel Minor; Humberto Tonna, ob. Florida; Enrique Lorenzo Cabrera, ob. Mercedes; Orestes Nuti, ob. Canelones; Edmundo E. Quaglia, ob. Minas.

CONGREGATIO GENERALIS CIX

26 octobris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CIX

26 octobris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregatio generalis 109 celebrabitur sub moderamine em.mi ac rev.mi D. card. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

Post duos dies, Patres humanissimi, recurret anniversarium electionis Beatissimi Papae Ioannis XXIII. Erga tantum Pontificem, qui Concilium Oecumenicum istud voluit, praeparavit, indixit, solemniter auspicatus est, et eius primos quasi gressus confortavit sua sapientia et bonitate, erga tantum Pontificem, uti dicebam, sensus nostrae gratitudinis promimus, et dum illi oramus Paradisi gloriam, eum pro nobis rogamus ut nostrum Concilium tranquille, summa omnium concordia iter suum prosequatur usque ad optatum portum, sub ductu et moderamine Beatissimi Papae nostri Pauli VI, quem Deus diu sospitem servet [*Plausus*]. Die 28 octobris, in memoriam tanti Pontificis, Ioannis XXIII, in hac aula conciliari, habebitur concelebratio cum duodecim parochis. Vere dignum est ut hic honor tribuatur illis qui sunt ordinis episcopalis providi cooperatores et quibus omnes episcopi tantam gratitudinem debent ob laborem praestitum in cura et salute animarum [*Plausus*].

Die autem 29 huius mensis alia concelebratio habebitur. Recurrit enim hac tempestate anniversarius vigesimus quintus ordinationis sacerdotalis nostri em.mi card. moderatoris Iulii Döpfner [*Plausus*], cui iam nunc gratum omnino est promere vota et omina ut copiosos fructus in suo ministerio episcopali hauriat, fructus copiosos et uberrimos ad gloriam Dei. Cum em.mo card. moderatore concelebrabunt aliqui episcopi, qui celebrant iubilaeum suae consecrationis episcopalis.

Et nunc nomina eorum qui verbum facere postulaverunt circa prooemium et cap. I schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis*: em.mus ac rev.mus D. card. Paulus Léger, arch. Marianopolitan. in Canada; exc.mi DD. Ioannes Pietraszko, ep. aux. Cracovien. in Polonia; Ioannes Prou, sup. gen. Congr. Gallicae O.S.B.; Ioseph Guerra, ep. aux. Matriten.-Compluten. in Hispania; Ioseph Pogačnik, arch. Labacen. in Jugoslavia; Henricus Tenhumberg, ep. aux. Monasterien. in Germania; Re-

migius de Roo, ep. Victorien. in Canada; Franciscus Von Streng, ep. Basileen. in Helvetia; Sanctus Quadri, ep. aux. Pinerolien. in Italia.

Deinde fiet transitus ad capita II et III, circa quae verbum postulaverunt exc.mi DD. Ignatius Ziadé, arch. Beryten. Maronitarum; Alfredus Ancel, ep. aux. Lugdunen. in Gallia; Ludovicus La Ravoire, ep. Krishnagaren. in India; Petrus Čule, ep. Mandetrien. in Jugoslavia; Antonius Hacault, ep. aux. S. Bonifatii in Canada; Franciscus Marty, arch. Remen. in Gallia; Elias Zoghby, arch. tit. vic. patr. Antiochen. Melchitarum; Otto Spülbeck, ep. Misnen. in Germania; Michael Klepacz, ep. Lodzen. in Polonia; Henricus Golland, arch. Botucatuen. in Brasilia; Bernardus Yago, arch. Abidjanen. in Africa Occid., Hadrianus Gand, ep. coad. Insulen. in Gallia; Fenatus Fourrey, ep. Bellicen. in Gallia.

PATRUM ORATIONES

(*de Ecclesia in mundo huius temporis,* cap. I)

1

EM.MUS P. D. PAULUS AEMILIUS CARD. LÉGER
Archiepiscopus Marianopolitanus

Venerabiles Patres,

Materia de qua agitur in cap. I merito primum locum obtinet in hoc schemate. Iure enim construitur doctrina de christianorum muneribus in mundo super considerationem integrae vocationis hominis sicuti super quoddam fundamentum.

Attamen recta et utilis tractatio doctrinae illius capitis duo postulat: 1. ut primatus supernaturalis hominum vocationis aperte affirmetur; 2. ut humana vocatio exponatur in omnibus et multiplicibus aspectibus suis.

1. *De primatu finis supernaturalis.* Finis ultima supernaturalis hominum iam diversis in locis capitis affirmatur. Oporteret autem ut primatus eius clarius pateat. Illum in finem proponerem ut breviter, a principio capitis, aperte diceretur homines vocationem aeternam et divinam habere. Recte meritoque schema in lucem ponere intendit valorem finium temporalium. Cavere autem debemus ne praestantia finis supernaturalis hominis minui videatur. Hoc est enim bonum nuntium quod Ecclesia proprium habet et in quo summe confidit: homines vocationem aeternam habere.

2. *De hominis vocatione integre exponenda.* Multiplex est conditio hominis. Homo et ordini naturali et ordini supernaturali subiicitur; in natura sua radicaliter bonus est, sed obnoxius est peccato; vocationem suam adimplet et in muneribus terrestris perficiendis et in ipso Deo colendo. Si plene et recte vocationem hominis exprimere intendimus, oportet ut attendamus ad hanc complexitatem conditionis humanae.

Textus autem schematis dum expositionem integrae vocationis humanae in suo titulo promittit, in sua autem introductione procedit ac si unica difficultas et tentatio christianorum esset opera terrestria despicere et solis rebus supernaturalibus sese devovere.

Sane christiani multum indigent ut plene affirmetur vocationem supernaturalem hominis peragi et perfici in temporali implicatione. Tantum enim debilitatur et falsificatur vita christiana ex illo dualismo quo munera temporalia tenentur tanquam aliena vel saltem suspecta pro fide christiana, quo ideo fidelitas Evangelio prosequitur extra mundum reale. Cum praecipuus scopus capitis sit fideles invitare ut sollicite curent de muneribus temporalibus adimplendis, eis inculcare oportet vocationem suam in ipsis negotiis terrestris peragendam esse. Itaque valde decet ut hominum vocatio de mundo aedificando in luce fidei strenue affirmetur et fusius exponatur.

Aliae tamen sunt difficultates christianorum; et aliae sunt quaestiones, forsan subtiliores, quae in vita fidelium ponuntur. Quaenam sit relatio inter munera proprie religiosa et opera terrestria? Nonne « vita spiritualis », ut dicitur, superflua sit, cum Dei consilium de homine iam absolvitur in fideli adimpletione munerum temporalium?

Quaestiones illae non sunt fictivae. Multi sunt fideles qui afficiuntur tentatione derelinquendi munera proprie religiosa; et, de facto, generalis habetur crisis exercitationis religiosae (crise de la pratique religieuse). Homines, mundo agitato perturbati, silentium difficillime faciunt, orationi rarius operam dant. Praeterea christiani, quo magis in mundo intricato et difficili implicantur, eo magis fidem suam perspiciendam et interrogandam habent atque munera sua temporalia vita interiori illuminare debent.

Ut illud spirituale problema apte tractetur, non sufficit ut in alio schemate postuletur omnium participatio sacrae liturgiae. Quaestio enim de harmonia et nexu et recta proportione quae homo instituere debet inter terrena et religiosa munera sua vivide poni debet. Praesens autem caput quod merito titulum habet « de integra vocatione hominis » aptissimus locus est ubi illud problema utiliter enucleari potest.

Denique difficultatem aliam habent homines hodierni de qua melius tractare oporteret in cap. I: nempe arduum problema de malo et dolore

quod magno impedimento est fidei plurimorum. Doctrina christiana de illo problemate omnino necessaria videtur ad rectam interpretationem integrae vocationis hominis.

Schema autem problema de malo non tangit nisi affirmando existentiam peccati et necessitatem Christi ut ordo socialis instaurari posset secundum iustitiam et caritatem. De conceptu christiano doloris nihil dicitur. Proponere vellem ergo ut ibi diceretur quomodo in doctrina christiana dolor intelligitur ut participatio muneri redemptrici Christi. Sic, et illi omnes qui dolent et patiuntur, melius invenient in expositione nostra de sensu vitae humanae lumen et solatium. Dixi.

2

Exc.mus P. D. IOANNES PIETRASZKO

Episcopus tit. Turriblandensis, aux. Cracoviensis

Venerabiles Patres et omnes carissimi praesentes,

Multa ex iis quae proponere volebam, hac in aula iam dicta sunt, ideo pauca solummodo addere audeo.

Videtur mihi, quod antequam de ipsa vocatione hominis sermo erit, primum de ipso fundamento vocationis humanae aliqua dicere oportet, nempe de illo statu rerum, in quo homo de die in diem vivit atque laborat. Illis omnibus, qui nos audiunt et audient, clare enucleare debemus ipsum conceptum « mundi », ut manifestum sit, quid cogitat et sentit Ecclesia, cum termino « mundus » utitur. Hoc explicare oportet et quidem non in forma speculationis theologicae, neque verbis abstractis, sed lingua clara et simplici, qua scil. homines in vita sua quotidiana utuntur.

In ista enucleatione ipsa realitas mundi sub tribus aspectibus considerari potest: 1. prout a Deo creata et homini qualicumque modo subiecta; 2. prout a Christo Domino redempta; et 3. prout ab homine modificata, eiusque ingenio, arte et labore mutata, in ordine materiali et spirituali evoluta et quidem iuxta vel contra mentem Creatoris. Hic tertius aspectus magni est momenti, praesentat enim causam sive magnitudinis hominis eiusque dignitatis, sive eius miseriae. Hic, et tantummodo hic, causa est, propter quam Christus Dominus versus mundum tremenda ista verba edixit: « mundus odit me » — « non pro mundo rogo »; hic causa est, propter quam diabolum « principem huius mundi » vocavit. Enucleatio ista, quam propono, respicit quandam recuperationem mundi in mente hominis moderni, nostris diebus praesertim absolute necessariam.

In certis enim regionibus terrae crescunt novae generationes, quae visionem istam theologicam mundi totaliter vel partialiter iam perdiderunt. Mundum dominium suum absolutum tractant et hoc mundo ita utuntur et abutuntur. Deum autem aliquem extraneum putant, haud raro aggressorem dicunt, praesertim quando de arduis eius praeceptis agitur. Istis omnibus *ista christiana*[1] renovata visio mundi necessaria videtur, ut vitam suam in spiritu evangelico ordinent atque responsabilitatem pro vita sua ordinanda sentiant. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest.

3

Rev.mus P. D. IOANNES PROU

Superior generalis Congr. Gallicae O.S.B.

Venerabiles Patres,

Haud parum confert ut, in pag. 8, n. 6, linn. 17-25 clare et adaequate determinentur. Hic enim latet nodus totius quaestionis, gravissimae simul ac difficillimae, de relationibus inter naturam et gratiam. Paucis verbis, modo conciso simul et nitido, declarandum est quaenam sit illa « consecratio mundi » quae ex ipso solo facto Incarnationis Verbi Divini resultat: ut inde eruatur quaenam erit alia illa « consecratio mundi » quam Christi Ecclesia per sua membra quotidie peragere debeat usque ad adventum Domini.

Nonnulli hodierni auctores autumare videntur factum Incarnationis Verbi ex seipso ita omnes creaturas, sive spirituales sive corporales, consecrasse ut tota creatio in seipsa quamdam intrinsecam mutationem et elevationem subiisse dicenda esset; immo talis intrinseca mutatio et elevatio iam ab exordio mundi facta fuisset eo quod ipse Creator, ratione futurae Incarnationis, inde a primordio creationis, eam totam ad Christum venturum intrinsece ordinasset. Ex quo aliqui deduxerunt, inde ab initio mundi, totam naturam, etiam corporalem, ad ordinem supernaturalem elevatam, ex sese tendere, Deo quidem adiuvante sed per evolutionem connaturalem, non solum ad hominem, sed ad ipsum Christum.

Etsi perpulchra appareat talis conceptio, veritati tamen fidei videtur offendere, confusionismum quoddam periculosum implicans cui Concilium nullo modo favere decet.

Partem certam veritatis continet, quae omnino retinenda est. Data

Verbi Divini Incarnatione, omnes creaturas, per Dei providentiam supernaturalem, ad Christum ordinantur. Ipse Christus etenim est Alpha et Omega. Sed omnino distinguenda est duplex ordinatio cuius alia intrinseca, alia vero mere extrinseca est. Ordinatio intrinseca tantum habetur cum res ipsae ordinatae ita ditentur in propria realitate ut ex seipsis sic perfectis connaturaliter tendant ad finem illis impositum. Ordinatio autem est mere extrinseca cum illa quae ordinantur ex solis dispositionibus exterioribus ab agente superiore cognitis et effectis, ad finem superiorem quem intendit quodammodo inserviunt.

His positis, cum de ordine supernaturali agatur qui totam naturam creatam transcendit, sola creatura spiritualis, quippe quae gratiae capax sit, elevari potest ad huiusmodi ordinem supernaturalem. In terra ergo, sola anima humana (et, mediante anima, corpus ipsi *personaliter* [1] unitum) intrinsece et immediate potest elevari ad ordinem supernaturalem proindeque ad mysterium Christi.

His perspectis propono ut textus pag. 8, linn. 17-25 ita *legatur* [2]:

« In Christo Iesu autem homo, *gratia illustratus, loquelam Dei in rerum ordinatione* audire et intelligere potest. Omnia enim per Ipsum et in Ipso creata sunt, qui est Verbum Patris. Ipse veniens in mundum verbis humanis altum sensum *tum* rerum creatarum, *tum praesertim illarum gubernationis* revelavit. Verbum Patris, assumendo sua Incarnatione naturam humanam, totum hominem, corpus et animam, omneque creationis opus, ipsam quoque materiam, *unumquodque tamen iuxta modum suum,* ad altiorem evexit dignitatem, et omnia, etiam munera terrestria, altiori *inseri permisit* cum Deo habitudini *quae* naturam hominis excedit ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] in eadem persona. [2] emendetur.

4

Exc.mus P. D. IOSEPH GUERRA CAMPOS
Episcopus tit. Mutiensis, aux. Matritensis-Complutensis

Venerabiles Patres et Fratres dilectissimi,

Quae in cap. I dicuntur de integra hominis vocatione, respiciunt — prout annunciavit exc.mus relator — quaestiones « quae praesertim a materialismo dialectico seu communismo atheistico moventur ».

Tamen de hac doctrina vix aliqua insinuantur in paucissimis lineis sub nn. 5 et 7. Iam plures Patres, post em.mos Suenens et Döpfner,

ampliorem expositionem postulaverunt. Et quidem momentum rei hoc exigit. Agitur enim non tantum de oblivione aut despectu alicuius partis vocationis humanae, sed de conatu integram vocationem extra Deum constituendi.[1]

Nec Concilium abstinere potest a praeparandis condicionibus ad optatum *perdifficile*[2] colloquium, *pro quo Summus Pontifex in « Ecclesiam suam » viam adumbravit.*[3]

Non explicabo res, quae omnibus notae sunt: ...[4] Liceat aliqua tantum indicare ad textum reficiendum. Commissio ipsa videbit quo modo — brevi, ...[5] absque terminologia nimis systematica — totam rem exponet.

De atheismo marxistico dum agat, schema ...[6] debet in lucem proferre ea quae sunt vere characteristica, ita ut non tantum a simplicioribus, verum etiam a doctoribus intelligamur...[7]

In primis, hoc notandum est. ...[8] Apud multos, qui marxismo adhaerere videntur, atheismus induit solum formam indifferentiae vel agnosticismi; immo, apud aliquos componitur cum quadam religiositate, forte etiam christiana ...[9]. Iam vero, pro doctrinariis, et pro iis qui sunt vis motrix communismi hodierni, societas perfecta ...[10], erit essentialiter athea ...[11], ex ontologica rerum necessitate fluens.

Ontologia haec non est materialismus crassus. *Agitur potius*[12] de *monismo naturalistico*: de unicitate, de autosufficientia mundi experimentalis, ex quo, intra quem, tanquam suprema eiusdem manifestatio conscia, exsistit homo...[13]

Homo autem se perficit laborando supra mundum ...[14], secundum leges evolutionis dialecticae, iuxta quas futurum absorbet ac superabit stadia priora. Perfectio illius futuri a marxistis contemplatur sub luce intuitionis, quam veram diceres: scil., perfectio et felicitas consistent in spontanea ac plena adaequatione hominis individui cum illis relationibus necessariis quibus ipse inseritur in realitatem totalem. Integratio, quae sit communio; non divisio aut oppositio. Submissio, quae sit liberatio. Ordo obiectivus, qui importet maturationem subiecti...[15]

Haec vero idealis perfectio erit tota humanistica: *actuatio*[16] potentiarum ...[17] ipsius hominis, quam non adipiscetur nisi in societate historica...[18]

Usque[19] adhuc autem homo nec plene conscius est potentiae suae, nec potest eam vere in actum deducere. Sive ob ignorantiam, sive ob deficientiam evolutionis technicae et organizationis socialis ...[20], homo nondum seipsum « realizat »: est *alienatus*. Adhuc oportet seipsum invenire ...[21], ut liberetur ...[22] ab alienationibus. Status *vero*[23] alienationis exprimitur Ideologiis ...[24] quae absolutum reddere conantur statum re-

rum mere relativum ...[25]. Omnis ideologia est systema abstractum, homini superimpositum, intendens evolutionem liberatricem detinere ...[26] hominem vel naturae vel aliis hominibus vel Deo *subordinans.*[27]

Religio enim una est inter « ideologias », qua impotentia vel dedependentia hominis per fictam relationem ad ordinem divinum explicantur ...[28]. Religio est homo quaerens se extra se, illusorie ...[29]; expressio hominis alienati. Nullus ergo in ea valor specificus; non constituit, sed debilitat hominem.

Parcite, *Patres,*[30] si in his, notissimis, immoratus sum. Dixi solummodo ut ea quae nunc tangam melius clarescant.

Negatio religionis seu aspirationum transcendentium ...[31] non est proprie apud marxistas actus renuntiationis, eo quod homo ignoret quid sit sperandum aut agendum (sicut agnostici), vel eo quod diffidat aut neget aspirationes sensum habere (*sicut pessimistae*[32]). E contra: aspirationes, quae illusorie quidem in Deum proiiciuntur, non sunt in se ipsis illusoriae; sunt *actuabiles* in futura societate...[33]

Duo igitur sunt hic attendenda:

1. Atheismus iste secumfert eschatologiam suam; atque ex ipsa iudicandus erit. « Paradisus terrestris » non est utopia ad stimulandum. Exigitur ab huiusmodi interpretatione humanistica, cuius veritas ab illa ...[34] pendet tota: eatenus enim religio dici potest alienatio quatenus homo facere potest per se ipsum illud quod in religione quaerebat ...[35]. Omnis aspiratio vel satiabitur vel ...[36] circumscribetur intra ambitum possibilitatum mundi oeconomici socialis. Non quod *obtineatur*[37] materialiter ea quae in religione quaeruntur, v. g. resurrectio individualis; at utique cessabit tensio, seu potius disparitas, inter possibilitates obiectivas et tendentias subiectivas.

2. Sic autem, suo modo, marxismus nolens agnoscit realitatem aspirationum ex quibus religio profluit. Non sibi contentus est — et quidem sapienter — eas qualificare ut illusorias eo quod sint subiectivae: subiectivitas enim est ...[38] aliquid; et omnis tensio est ad aliquid. Logice, si in societate futura, utcumque perfecta, aspirationes *hominis*[39] adhuc transcenderent, transcendentia habenda esset a *Marxistis ut*[40] hominis constitutiva; et necessario admittendus esset polus obiectivus correspondens motui subiectivo.

Haec non polemice nec apologetice urgenda sunt. Indigitanda *tantum*[41] ut via ad colloquium. Paulus VI acute notavit aliquid sperandum fore ex fidelitate ordini logico, qua marxistae satis affines inveniuntur traditioni doctrinali scholarum nostrarum. Indoles anti-agnostica, et animus realisticus marxismi, positive ad dialogum conducere possent, qui usque adhuc, ob defectum sinceri ...[42] amoris erga Veritatem, impossi-

bilis fit, sicut ipse Summus Pontifex monet: *Sperandum est ut agnoscant tendentiam in Deum non tanquam alienationem, sed tanquam dynamicam hominis perfectionem.*[43]

Duae sequelae *ad concludendum:*[44]

1. Interpretatio marxistica vocationis humanae et religionis est, etiam in ordine empirico, inadaequata. Miramur dolentes caecitatem *eorum.*[45] At, forsan ex parte systema ad hoc devenit propter quasdam *deformes*[46] religionis manifestationes? Oportet — *ut loquar cum Ecclesiam suam*[47] — abditas causas deprehendere ob quas conturbati sunt Deumque esse negant ...[48]. Religio non est alienatio; tamen ...[49] continuo purganda erit...

Moderator: Faveas concludere, rev.me!

Orator: ... a quibusdam modis alienantibus...[50] *Concludo. Praeter modos alienantes, a quibus purganda erit religio, etiam in nostro schemate aut insistendum est ut christianismus non appareat ut systema ideologicum, sed ut factum fundamentum in Christi historica revelatione.*[51]

Firmum maneat *suprema*[52] alienationem fore confidere in sola causalitate humana ad *futuram transformationem quam omnes, etiam christiani, speramus*[53] obtinendam. Suprema enim possibilitas nostra est in Christo resuscitato: qui non alienat nos, sed Ipse se alienavit seu exinanivit ut, *per oboedientiam,*[54] Dominus sit Universi nosque in plenitudinem vitae Dei inducat.

In textu scripto tradito: [1] In prooemio legimus: « Ecclesia homines edocet, quomodo munera quoque temporalia in luce verae integraeque vocationis suae considerare et implere debeant ». Quae autem in cap. I de integra hominis vocatione tanguntur — prout monuit exc.mus relator — quaestiones sunt principaliores « quae a materialismo, praesertim a materialismo dialectico seu communismo atheistico moventur ». Sed doctrina materialismi dialectici insinuatur tantum sequentibus verbis: « Multi vitam hominum nonnisi sub specie finium temporalium respiciunt, vanum, immo saepe nocivum aestimantes quidquid homines ad aeterna provocat, ac si inde a recta cura rerum huius terrae avertantur » (n. 5); « deploranda est caecitas eorum, qui sive docendo sive agendo, hominum vitam ad solas coarctant dimensiones terrestres... » (n. 7). Parum est. Etiam si obsecundamus relatori, qui problemata tractanda dicebat « ut illa systemata modo constructivo per sensum et vitam christianam superentur, et ut ipsi christiani immunes et fortes reddantur », amplior tractatio requiritur. Si enim de integra hominis vocatione sermo est, atheismus dialecticus non tantum incidit in oblivionem aut in despectum alicuius partis vocationis nostrae, sed conatur integram vocationem extra Deum constituere. Ceterum, plures Patres in aula accuratiorem expo-

sitionem atheismi postulaverunt (cardd. Suenens, Döpfner; epp. Hermaniuk, Stimple, Yüpin, Bolatti...). Eam postulat etiam momentum rei, quam Summus Pontifex Paulus VI recenter in litteris *Ecclesiam suam* appellavit « profecto gravissimam earum, quae nostris contingunt temporibus ». [2] deest. [3] de quibus ipse Summus Pontifex nervose tractat. [4] quarum plures sunt inter Patres et peritos, peritissimi. [5] documento conciliari consono. [6] meo iudicio. [7] eo quod et ipsi se agnoscant in imagine quam proponemus. (Abstrahimus ab aspectibus politicis, non spernendis quidem, qui tamen vel ad nos directe non pertinent, vel in cap. IV locum proprium habebunt). [8] Certe. [9] Aliunde modus politicus sese gerendi erga religionem magis minusve tolerans vel persecutorius esse potest. [10] in futuro. [11] Transitus enim ad societatem communistam erit fructus non solum cuiusdam programmatis ex pacto stabiliti circa organizationem laboris et distributionem bonorum, sed. [12] Potius quam de oppositione inter materialismum et spiritualismum, agitur. [13] naturae quidem qualitative complexae. [14] in ambitu relationum oeconomicarum et socialium. [15] Societas, ubi libera expansio uniuscuiusque actuabitur intra liberam, et quidem per liberam, expansionem ceterorum omnium. [16] in actum deductio. [17] atque possibilitatum. [18] ad quam referendi sunt omnes qui dicuntur « valores spirituales ». [19] deest. [20] — vi cuius ea quae sunt omnium ab aliquibus usurpantur —. [21] in plenitudine vitae socialis. [22] a pressionibus, a dominationibus. [23] deest. [24] (philosophicis, moralibus, sociologicis). [25] ea quae sunt in manu hominis ad aliquid suprahumanum transferendo. [26] certo eam retardans (per divisionem in classes, divisionem in publicum-privatum, in temporale-aeternum...). Contra evolutionem vere humanam, « ideologiae ». [27] subordinant. [28] fovetur patiens submissio Voluntati superiori, et consolatio offertur per evasionem. [29] derivatio secundaria divisionis seu defectus harmoniae socialis oeconomicae. [30] deest. [31] et consequens reductio hominis ad vitam societatis temporalem. [32] (pessimismus). [33] quae absorbet in se « valores divinos ». [34] eschatologia. [35] quatenus homo se totum identificabit, ad plenam satisfactionem, cum seipso in suo ambitu spatiali temporali. [36] si adhuc desiderium et exspectatio remanet. [37] obtineantur. [38] modus realitatis, est. [39] deest. [40] deest. [41] deest. [42] apertique. [43] Eo ipso quod tendunt ad agnoscendam plenitudinem realitatis humanae, invitandi essent ut tendentiam in Deum non tanquam alienationem, sed tanquam dynamicam hominis perfectionem accipiant. [44] deest. [45] eiusdem. [46] devias. [47] deest. [48] (*Ecclesiam suam*). [49] — sicut omnis vita humana —. [50] v. g. individualismus, passivismus, « clericalismus » et alia huiusmodi, quae in disceptatione de indole eschatologica Ecclesiae prolata sunt. Eminet oblivio exigentiarum socialium caritatis, moralis religiosae quae, iuxta possibilitates hodiernas mundum aptiorem construendi, implicant nunc applicationes iuridicas atque technicas. Doctrina marxismi saeculo elapso constituta nondum mutatur; sperandum est ut animi gradatim mutentur, et quosdam cum Ecclesia in colloquium venire possint (*Ecclesiam suam, Pacem in terris*). 2. Christianismus falso habetur ut systema ideologicum, alienans a realitate concreta. In Ecclesia marxistae laudant, imitantur, amorem rationalitatis; sed eam accusant de abstractionismo. Clarius igitur atque incessanter ostendendum est Ecclesiam fundari in facto historico, in revelatione personali amoris Dei in Christo; et doctrinam eius adhaerere integrali hominis realitati. (Factum Christi morientis et

resurgentis optime elucet in complexu Constitutionum Concilii nostri — de Liturgia, de Ecclesia, de Revelatione — quae ut iam dictum est, constituunt praecipuum nuntium Ecclesiae mundo huius temporis! Quia vero multi non legent nisi hoc schema, oportet ut intra illud Ecclesia seipsam exhibeat, per aliquas saltem connotationes specificas). Appareat ut factum transcendens variabiles complexiones oeconomicas sociales. Factum, non solum praeteritum; virtus transformans... versus futurum. Nec ut systema doctrinale clausum. Factum christianum omnia quidem illuminat, quatenus sensum finalem ostendit, et fiduciam gignit (Christus enim nobiscum est); non vero quasi per deductionem ex datis principiis omnes articulationes realitatis, ad modum mechanismi rationalistici, patefacere possimus. Multa manent apud nos obscura, investiganda. Inter ista, ipse modus futurae vitae. Curemus ne fideles ipsam reducant ad imaginativam translationem in caelum. Alte proclametur, cum revelatione, transformatio huius praesentis realitatis (socialis, cosmicae), ad modum quo Christus ipsum corpus suum terrenum e sepulchro evexit. Tandem. [51] deest. [52] supremam. [53] talem transformationem. [54] deest.

5

Exc.mus P. D. IOSEPH POGAČNIK

Archiepiscopus Labacensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine trium episcoporum de n. 2 prooemii, par. 2, de « signis temporis ».

Concrete de magna apostasia a Deo, vel de atheismo, sed sub hoc respectu quatenus nos catholicos tangat.[1] Inter « signa temporis » quas Ecclesia scrutatur in prooemio n. 2, par. 2, non adaequate, sed exemplificative enumerantur haec: materialismus practicus, mala capitalismi et periculum belli atomici. At de magno et perspicatissimo signo, quod, saltem externe, per tertiam partem mundi apparet, ac non dissimili modo in Occidente inter homines « dechristianizatos » triste grassatur, scil. de magna apostasia a Deo, *ut iam dictum est*[2] omnino tacetur. Sed post encyclicam Pauli VI f. r. *Ecclesiam suam,* ubi etiam de dialogo, quamvis difficili, cum incredulis sermo est, hoc signum praetermittere non licet.

Ecclesia quidem *non iudicare et condemnare* mundum depravatum intendit. *Revocemus illam gravem regulam et sententiam Ioannis XXIII s. m. in aperitione huius Concilii tradita.*

Ecclesia[3] multo magis conscia sibi esse debet, se a Deo missionem essentialem accepisse ad hunc mundum concretum iuvandum et salvandum, ut ex malo, ope divinae gratiae, fiat bonus et melior, immo sanctus.

Atheismum qui — aeque ac Christi fideles — in Oriente et Occidente invenitur certo certius considerare debemus ut unum ex magnis signis

nostri temporis, i. e. signi, quod praecise *nobis,* christianis huius saeculi, graves obligationes morales et pastorales imponit.

Sub hoc respectu *etiam* [4] enim atheismus in schemate considerandus est. Ultima ratio nempe, ob quam divina providentia hanc magnam apostasiam a Deo permiserit, est *certe* [5] cosmica dimensio peccati, a quo etiam nos, peccatores cum simus ...[6], immunes esse non censeamus. Finis, a Deo praestitutus in permissione talis apostasiae, est nostra correctio et perfecta ac totalis conversio mundi ad Deum.

Prima obligatio *moralis* [7] est: iugis oratio et fructuosa *paenitentia.* De his scripsit iam Pp. Pius XI, qui nos in suis litteris encyclicis *Divini Redemptoris* severis verbis sic admonebat: « Vos igitur, venerabiles Fratres, vehementer adhortamur, in vestra cuiusvis ditione elaborare, cura quantum poteritis maxima, ut constans precandi studium suique castigandi reviviscat atque cotidie magis incalescat... Instamus enixe, ut supplicationibus suique ipsorum castigationibus multiplicatis, a Deo validam opem Ecclesiae suae impetrent ».

Ne obliviscamur, hanc obligationem eo magis urgere clericos et religiosos, quanto hi magis Deo consecrati sunt...[8]

Secunda obligatio est *haec* [9]: *promotio iustitiae socialis.* Studendum enim est, ut doctrina socialis Summorum Pontificum quantocitius ubique terrarum in actum deducatur; et reformae sociales sponte sunt inducendae. Doctrina socialis Ecclesiae non mortuae litterae manere sinantur, sed in praxi exsequendae sunt. Etiam litterae pastorales episcoporum sine realisatione practica reformarum socialium ulteriorem propagationem revolutionis socialis non avertent. Tempus urget. (Scio *v. g.*[10] gubernatores atheos in mea patria socialem encyclicam *Mater et Magistra* accuratissime studuisse et quidem prius quam episcopos). Bona accumulata, etiam ecclesiastica, quae pauperibus, *et horum bonorum* [11] cupidis, scandalo sunt, distribuantur, ne aliquando contingat, ut in socialisatione revolutionari, possidentibus nolentibus, vi adimantur. Haec obligatio etiam in n. 23 nostri schematis, ubi de vita oeconomica et sociali schema loquitur, expresse urgeatur.

Tertia obligatio, huic secundae similis, est, ut inter populos christianos doctrina catholica de *minoritatibus nationalibus,* de qua Pp. Ioannes XXIII s. m. in litteris encyclicis *Pacem in terris* tam clare scripsit, in praxi servetur. Pastores hanc magnam chartam minoritatum nationalium prae oculis habeamus oportet, ut evolutionem naturalem minoritatum, praesertim quoad linguam et culturam propriam, promoveamus — quod officium iustitiae est — et hanc culturam minoritatis cum natione, in qua minoritas vivit, harmonice componamus. *Quae doctrina ex*

encyclica « Pacem in terris » quoad substantiam in decreto de Ecclesia in mundo huius temporis nequaquam deesse potest.

Et ultimo: *quaestio* oritur, quam obligationem signum magnae apostasiae imponat christianis qui inter incredulos — *et hi christiani sunt*[12] milliones — vivunt. Responsum dat S. Ioannes in Apocalypsi (*cap. 13*[13]), illam gravem, profundam et quodammodo mysteriosam sententiam proferens: Hic est patientia et fides sanctorum.

Emendationem propositam tradam in scriptis.[14]

Conclusio. Ecclesia ergo mundo hodierno, etiam atheo, Christum Salvatorem qui est via, veritas et vita, dare debet. Haec obligatio, ut bene in relatione dictum erat, non tantum hierarchiae incumbit, sed toti Ecclesiae ...[15] toti populo Dei, qui in mundo vivit, et suo testimonio est tamquam mundi anima — ut scribebat antiquus auctor epistolae ad Diognetum ...[16]: « Quod anima est in corpore, hoc sunt christiani in mundo ». Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Quamvis nostrum schema, ut in adnexo (pag. 49, n. 17) dicitur, det consulto tantum principia generalissima, tamen continet directivam ad omnimodam omnis generis activitatem catholicorum praesertim laicorum. Semen potest esse florescentis culturae christianae, in hoc mundo pluralistico aedificandae. Argumentum schematis pro hodierna Ecclesiae vita pastorali tanti est momenti, ut iam nullo modo differri possit. [2] deest. [3] ut Ioannis XXIII s. m. gravem illam in aperitione huius Concilii sententiam et regulam in mentem revocemus, sed. [4] deest. [5] deest. [6] et quotidie peccemus. [7] deest. [8] « Nisi paenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis », dixit Dominus. [9] deest. [10] deest. [11] at et eorum. [12] et sunt, cum gaudio dicam. [13] (13, 10). [14] Propono ut, praeter memoratam doctrinam de minoritatibus nationalibus Ioannis XXIII, in schemate in prooemio addatur hoc vel simile: Ecclesia revera dolore afficitur hodie tot homines in apostasia et immo in negatione exsistentiae Dei versari, et consequenter absolutam obligationem ordinis moralis negare. Christiani ergo meminerint oportet, se ad continuam precem et fructuosam paenitentiam obligari. Ii vero qui inter incredulos vivunt, se secundum mentem apostoli (cf. *Apoc.* 13, 10) in patientia et fide sanctorum perseverare debere meminerint. [15] simul cum laicis. [16] (c. 6, n. 1).

[*Adhaeserunt etiam*] Max. Držečnik, ep. Mariborensis; Ioannes Jenko, ep. tit. Acufidensis.

6

EXC.MUS P. D. HENRICUS TENHUMBERG
Episcopus tit. Thuburnicensis, aux. Monasteriensis

Venerabiles Patres et Fratres,

In prooemio nostri schematis ...[1] agitur *de Ecclesia perscrutante signa temporum*; in cap. II ...[2], autem de munere apostolorum eorumque successorum proprio. Ambo paragraphi una ad alteram tendit. Pastorali enim munere episcoporum competit, de investigatione signorum temporis et de sic dicto « aggiornamento » et actione Ecclesiae in quolibet tempore invigilare et iudicare.

Ideo hac in aula conciliari in facie totius Ecclesiae et mundi interrogemus nos oportet, *quomodo et quibus de causis Ecclesia in decursu temporum, praesertim in saeculis elapsis signa temporum vel omnino non vel nimis tarde intellexit* et ideo sat detrimenti pro se ipsa cepit et pro muneribus suis in societate humana causavit. Quae quaestio magni momenti est pro omni auctoritate in universa Ecclesia. Certe investigatio historica vos, venerabiles Patres, hac occasione taederet. Solummodo interrogemus, quomodo possibile erat, ut plures fundatores Ordinum, plures alii sancti necnon fideles praeclari utriusque sexus, laici et sacerdotes, qui signa temporum mature iam cognoverunt, non solum primo instante sed etiam per longum tempus ab auctoritate Ecclesiae sunt saepe saepius repulsi, accusati, iudicati et nimis tarde et sero agniti et nimis raro pro libera actione in Ecclesia et pro Ecclesia sunt firmati, forsan denique discipuli eorum post mortem. Pro multis stent nomina, Ignatius a Loyola et Societas Iesu, Vincentius a Paulo, Franciscus Salesius, Ioannes de la Salle, Maria Ward.

Etsi quaestiones historicae a doctis scientiarum historicarum sint solvendae, nobis liceat inquirere, quid sit faciendum, ut futuro tempore talia damna ab Ecclesia avertantur. Mea humili opinione pro investigatione et recta interpretatione signorum temporum in Ecclesia absolute necessaria sunt, quae sequuntur:

1. *Theologia renovata de Spiritu Sancto eiusque vita et operatione in Ecclesia.* Ex nova vitali conscientia de praesentia et assistentia Spiritus Sancti in Ecclesia fundamentum gratiae pro cognoscendis signis temporum solidior reddetur.

2. *Necessaria mihi esse videtur renovatio theologiae biblicae et patristicae,* non solum sub aspectu oecumenico, sed imprimis in favorem rectae habilitatis auctoritatum in Ecclesia, modellum Christi, apostolorum

et Patrum sequentes, « Spiritum non exstinguere, sed omnia probare, et quod bonum est, tenere »...[3]

3. Super hoc fundamento *nova aestimatio charismatum et donorum in populo Dei* locum habere debet. Signum talis novae aestimationis est ista paragraphus n. 12 in schemate *de Ecclesia,* quae de charismatibus in populo christiano tractat.

4. Verificatione doctrinae renovatae de Ecclesia autem *omnis auctoritas in Ecclesia novum stylum, novam methodum agendi, invigilandi, et diiudicandi quaeratur oportet.*

Omnis anxietas angusta *esset*[4] relinquenda. Anxietas enim auctoritatis servitium servile fidelium excitabit, nequaquam autem et nunquam spiritum caritatis et magnanimitatis, qui superat pericula et scandala uniuscuiusque temporis...[5]

Ideo *proponere audeo,*[6] ut in schemate nostro, forsan in *hoc*[7] prooemio n. 2 *vel in cap. II,*[8] *aliquid dicatur de officio episcoporum et omnis auctoritatis in Ecclesia,* nempe ex reverentia erga Spiritum Sanctum in Ecclesia viventem charismata et dona fidelium agnoscere, fovere et invigilare, *ut Spiritu Sancto movente Ecclesia per dona sua prophetica signa temporum semper mature et recte intelligat, ut voluntatem Dei incunctanter ad tempus adimplere valeat.* Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] n. 2. [2] n. 11. [3] (cf. *1 Thess.* 5, 12 et 19-21). [4] est. [5] Institutiones Eccclesiae, etiam hic in Curia Romana, praesertim Supr. Congr. S. Officii, ex officio nimis negativo, nempe de erroribus et haeresibus possibilibus semper invigilandi et inquirendi, solvatur. Pro tota institutione et pro membris tale officium est ingratum et certo certius est onerosum. Munera plus positiva, e. g. fovendi et excitandi fidem in partibus et regionibus periclitantibus, sibi commendata habere optandum est. Officium autem plus negativum, i. e. diiudicandi de doctrina et vita fidelium fiat in forma regulariter publica et ad normas communes iuris in tribunali, ab omni potentia legislativa totaliter distincta. [6] propono. [7] deest. [8] sive in cap. II n. 11.

7

EXC.MUS P. D. REMIGIUS IOSEPH DE ROO
Episcopus Victoriensis in Ins. Vancouver

Venerabiles Patres,

Nomine 10 aliorum, loqui velim[1] de prooemio, de introductione huius cap. I, quae nimis negativa videtur, necnon ...[2] de n. 9. In statu praesenti mundi, magni momenti est fideles monere ne aliquam dyco-

tomiam inter munera naturalia et supernaturalia vocationis suae ponant. Vocatio integra hominis, si Ecclesia eam proclamare desiderat in fidelitate suae missioni, nequit ab *Ecclesia*[3] discerni nisi in lumine spiritus Christi.

In lumine spiritus Christi, hominis vocatio in mundo est sese incarnare in mundo, quia a Deo creatus est sicut rex mundi, ut mundum ducat ad perfectionem suam naturalem integralem et eo ipso ad illam mysteriosam sed veram finalitatem quam eschatologicam vocamus.

1. Spiritus autem Christi nobis revelatus fuit mysterio Paschatis suae, in quo ad eam promovendam et salvandam, totam creationem a fundamento reassumpsit et spiritum gloriae Dei in eam infundendo superelevavit.

Homines, si in spiritu Christi volunt operare, conari debent ut detegant qualis fuit spiritus Christi relate ad mundum:

a) non fuit spiritus condemnationis mundi;

b) nec fuit spiritus despiciens quo Christus, conscius propriae divinitatis, satis duxisset salutem mundo ab exteriori infundere;

c) e contrario spiritus Christi fuit spiritus amoris, incarnationis et communionis. Ad humanitatem promovendam et salvandam Christus prius hanc humanitatem modo realistico et concreto assumpsit.

2. Incarnatio non est praeambulum simpliciter nec quidem mera conditio sine qua non redemptionis. Forsitan in nostra Christologia valorem soteriologicum praetermisimus eventus quo « Verbum caro factum est », caro factum non solum carnem voluntarie induendo, sed caro factum in toto realismo suo. Christus incarnando se nos redimit. Et in incarnatione nobis revelavit quid sit authentica regalitas hominis super creationem, quia ad « cosmos » integrum restaurandum homo factus est.

3. Nisi christianus, ille homo novus, sese realiter incarnet in mundo, mundi promotio et restauratio non complebitur.

Haec incarnatio sensu maxime realistico accipi debet. Non potest christianus sese considerare ut membrum societatis quasi exterioris mundo (mundo scil. in sensu positivo) vel societatis supra mundum, sese inclinantis versus mundum ad dandum illi bona sibi soli a Deo reservata. Sese debet in mundum immergere, communicare in omnibus eius tensionibus, inquisitionibus, deceptionibus, immo et in omnibus eius victoriis. Nihil eorum quae in mundo existunt christiano alienum esse potest. Omnia e contrario debent certo modo eius caro fieri.

4. Sic per incarnationem realem authentice communicans cum mundo, intime in omnibus mundi problematibus immersus, pars integrans

eius factus, ex mundo factus et pro mundo, mundi aspirationibus transfixus, active in progressu mundi intromissus, homo christianus fermentum in massa esse debet sicut et Christus, et munus regale in servitium mundi adimplere.

5. Christus, *autem*[4] etiamsi vere homo factus, humanitatem talem non dereliquit qualem eam invenerat. Eam ad Patrem sublevavit per Passionem et Resurrectionem suam maximum statuens signum temporum.

Sic nunc homo christianus debet mundum aperire universo superiori realitatum, quod mundo non est alienum nec ei ab extra additum, sed potius finalitati eius intimae et quidem adspirationi inconscienti correspondet. Sic solummodo homo fidelis est vocationi quam Deus ei dedit ut sit nempe vicarius Christi in sinu universi.

Duo velim per modum conclusionis proponere:

1. Christifideles discant oportet se totam vocationem suam et quidem missionem ipsam Ecclesiae realizare quando seipsos in structuras mundi et in eius colluctationes intromittunt, quando in dynamismo communitatis humanae in spiritu Christi ab intro communicant.

2. *Clarius etiam dicendum videtur in schemate quod*[5] nemo potest aedificationi communitatis christianae effective adlaborare nisi active participet in elaboratione communitatis humanae. Hic est sensus profundus et ultimus praecepti caritatis. Caritas non respicit aliquos tantum actus vocationi humanae superadditos, sed totam existentiam christifidelis informare debet. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Loqui intendo. [2] et. [3] ea. [4] deest. [5] deest.

[*Adhaeserunt etiam*] Mauritius Baudoux, arch. S. Bonifatii; W. E. Doyle, Nelson; W. E. Power, Antigonish; Antoine Hacault, aux. S. Bonifatii; P. Hoffer, sup. gen. Marianisti; N. Gallagher, aux. vic. castr.; Bernardus J. B. Miele, ep. tit. Bararitanus; J. Wilhelm, aux. Calgary; Ernesto Costa, ep. Inhambane; J. R. Windle, aux. Ottawa; A. Collini, ep. coad. Adiacensis; Manuel, ep.; Gerard Huyghe, ep. Arras.

8

Exc.mus P. D. SANCTUS QUADRI

Episcopus tit. Villanovensis, aux. Pineroliensis

Venerabiles Patres et dilectissimi periti,

Cap. I agit de valore munerum terrestrium in vocatione hominis. Inter munera terrestria recensetur labor. In pag. 9, linn. 7, 8, 9, optima quaedam dicuntur de labore sed puto ea esse insufficientia.

In schemate clare elucere debet polyvalentia *seu multiplex valor*[1] naturalis et supernaturalis ipsius laboris ita ut labor reapse consideretur in vocatione hominis completa...[2]

De hoc *multiplici valore*[3] harmonice loquendum est, initium sumentes ex iis quae omnibus facilia et communia sunt, ut transitum faciamus ad ea quae valent pro credentibus et speciatim pro christianis.

Etiam meo iudicio haec esset methodus sequenda in toto schemate. Nescio utrum possibile sit omnia dicere in cap. I emendato; momentum laboris in vita hominis melius esse suadet *forsan*[4] numerum specialem in cap. IV ponere, distinctum ab illo in quo agitur de vita oeconomica et sociali.

En breviter quae, meo iudicio, dicenda essent.

1. Labor est necessitas biologica, scil. subsidium ordinarium ad propriam et suorum vitam sustentandam.

Qui in Deum credunt ab ipso humiliter et digne obligationem laboris acceptant.

Christiani sudoris quoque significationem ex revelatione sciunt.

2. Homo novit se, labore scientifico et technico, res cognoscere, ...[5] et perficere ut semper melius hominibus serviant; gaudium experitur in perficiendo opere et in opere perfecto.

Qui in Deum credit, animo humili et amore pleno, res a Deo creatas cognoscit et transformat, eas perducens ad perfectionem quam Deus in suo consilio praevidit et iussit; sentit se partem habere in evolvendo consilio Dei de creatione rerum et hominis.

Christianus laudem obiectivam et subiectivam assumit et elevat in exercitio sui sacerdotii universalis, a Christo in baptismate participati.

3. Quilibet homo novit, labore, non tantum res sed seipsum quoque ad perfectionem duci. Labor est fructus personae humanae spiritualis, instrumentum et occasio ad proprias ingenii vires evolvendas et ad virtutes exercendas.

Qui in Deum credit novit se, causam secundam, cum Deo, causa prima, etiam in labore agere, secundum fines a Deo determinatos.

Christianus suas activitates cum Christo exercens et sacrificia perferens, vim redemptivam ex passione Christi eis tribuit, animam suam et aliorum purificans, seipsum et alios sanctificans.

4. Quilibet homo scit, labore intellectuali et materiali, civitates construi, domus, scholas, ecclesias et ipsas institutiones et structuras societatis; revera labor dici potest fons, quamvis non unicus, progressus et humani cultus seu civilizationis. Homo bene novit omnia in vita oeconomica et sociali leali et generosa cooperatione crescere.

Qui in Deum credit *humani*[6] cum aliis collaborat et eis servit, creaturas Dei in ipsis videns.

Christianus altius progreditur, proximum tamquam fratrem, ...[7] et ipsum Christum agnoscens: operas suas cum aliis faciens non solum tamquam aliquid necessarium ad existentiam et vitam societatis sed tamquam testimonium amoris quo vita productiva et socialis profundius et efficacius fundatur et evolvitur.

His breviter ...[8] de natura laboris dictis, statim ad ipsius condicionem historicam est deveniendum...[9]

Condicio historica laboris facillime nos persuasos facit laborem non esse nec unicum nec supremum valorem vitae et natura sua exigere visionem completam naturae humanae et mundi; in qua visione labor quoque valorem et limites proprios invenit qui suam efficaciam socialem et spiritualem in tuto collocant.

Vera natura laboris securius cognoscitur et eius condicio historica melius evolvitur ab hominibus qui creaturas et filios Dei se esse norunt; tunc datur completa spiritualitas laboris vel melius spiritualitas christiani operantis.

Ad hanc spiritualitatem aliquid conferre potest legitima spes de non inutilitate laboris terrestris etiam relate ad destinationem finalem vel eschatologicam mundi materialis; sed haec adhuc nimis obscura sunt, et erunt usque ad consummationem saeculi, ut valeant robur et gaudium hominibus operantibus praebere.

Ex ista doctrina christiana de labore eruendae sunt conclusiones sive in ordine religioso sive in ordine sociali, sive pro vita singulorum sive pro officiis christianorum in mundo.

Post haec agendum esset de professione ...[10], de vocatione professionali et consequenter de eius spiritualitate, *speciatim*[11] circa id quod attinet ad conditionem iuvenum et mulierum. *Haec omnia autem commissioni remittam.*[12]

Maria, sponsa et mater, domus officia executa est.

Iesus artem fabri cum Ioseph exercuit in concivium utilitatem et ad *suam* [13] familiam sustentandam; in sua exponenda doctrina multoties exempla ex labore virorum et mulierum traxit...[14]

Faxit Iesus, Deiparae et Ioseph intercessione, ut, omnibus cooperantibus, crescat in dies non civilizatio laboris sed civilizatio authentica personae humanae, filii Dei adoptivi, in qua etiam labori tribuatur locus a Creatore et Redemptore praefinitus et in quo omnes, *sive singuli sive consociati*,[15] cuiusvis stirpis, condicionis et culturae, etiam per laborem vitam terrestrem et caelestem melius construant. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Verbum « polyvalentia » explico. Humanae activitates, et etiam labor, habent contentum vel valorem vel significationem multiplicem sive in ordine naturali sive in ordine supernaturali. [3] contentu. [4] deest. [5] transformare. [6] deest. [7] compartem Corporis Christi mystici. [8] et plane, ut spero. [9] Etiam si aliquae formae laboris nimis graves et asperae amoveantur, ut decet, semper manebunt paenae ordinis psychologici et moralis, praesertim in moderna organizatione laboris. Praeterea saepe homines nimis parvas opes ex labore trahunt, sine securitate vitam degunt et propriam personalitatem evolvere nequeunt. [10] scil. de determinata activitate laborativa quae modo constanti et impegnativo exercetur, in societatis utilitatem et ad propriam vitam sustentandam. Quae dicenda essent. [11] etiam. [12] ad commissionem remitto. [13] sanctam. [14] in coena panem et vinum, fructus laboris et signa munerum et vitae hominis in terra, in Corpus suum convertit. [15] deest.

9

Exc.mus P. D. IGNATIUS ZIADÉ
Archiepiscopus Berytensis Maronitarum

Venerabiles Patres, dilectissimi Observatores ac Auditores,

Quoad prooemium et cap. II huius schematis tria vota vellem exprimere ut perficiantur, et quidem substantialiter, a commissione competente.

Ad n. 1. Natura materiae hic tractandae omnino requirit ut incipiatur a vero statu quaestionis seu « *diagnostico* » *generali.*

Etenim *a*) *mens hodierna,* cum sit positiva et technica, non procedit ab argumentis auctoritatis, modo deductivo, sed imprimis *ab observatione* rerum, modo inductivo.

b) *Ad finem pastoralem* attingendum, incipere non possumus a considerationibus speculativis aut mere exhortativis.

c) Cum hoc schemate ad finem Concilii pervenimus, scil. ad ma-

gnam « *revisionem vitae* » ...[1] totius Ecclesiae. Ad illud obtinendum oportet imprimis videre, secundo iudicare sub luce Evangelii, tertio agere.

Primum videre! Urget ergo prooemium amplius, quod praecise et synthetice tractet de diagnostico generali, non tantum mundi nostri temporis sed etiam situationis Ecclesiae hodiernae. Itaque propono ut *pars descriptiva cap. IV* in prooemio ponatur, ita ut in capitibus sequentibus agatur de luce evangelica et de consequentiis practicis.

Ad n. 2. Optatur *expositio magis theologica de « signis temporum »*. Haec verba ab Evangeliis sumuntur ...[2]. Ne forte ad sensum accommodatum nimis debilem intelligantur, oportet ut ad textus Evangelii referamus. Secundum Evangelium signa temporum:

a) non sunt tantum res creatae quae Creatorem manifestant, tamquam in quadam revelatione cosmica (de qua agitur potius in Epistola ad Romanos ...[3]), sed sunt praecise *signa adventus Domini.* In novissimis temporibus, Christus Redemptor ipse est compendium signorum temporum. Indoles *eschatologica* hic omitti omnino nequit.

b) Mundus semper signa postulat, sive in rebus mirandis sive in ideis persuasivis sapientiae humanae. Sed potentia et sapientia Dei sese exprimuntur in signo unico, quod omnia signa continet, scil. *in Resurrectione Domini.* « Generatio mala et adultera signum quaerit; et signum non dabitur ei nisi signum Ionae prophetae » ...[4]

Consequenter *a*) In perscrutandis signis temporum, christiani non solum *problemata* mundi investigant ut ea cum mente christiana solvant, sed potius *mysterium* totius historiae in lucem perfectam afferre conantur. Signa temporum a nobis revelanda sunt, a nobis qui testimonio Resurrectionis ardescere deberemus. A. v., signa temporum *in theologia libri Apocalypsis* fundari optamus. Non est nisi Agnus occisus qui librum historiae aperire possit.

b) Signa temporum a sola fide agnoscuntur, quia in solo Christo Domino revelantur. Totum schema inspirari deberet *a luce Parousiae* Domini. Iam tota historia praegnans est Parousiae Domini; omnem novitatem secum afferentis.

c) Omnia problemata in luce mysterii Resurrectionis consideranda sunt. Omnia enim ad sensum hominis reducuntur et ideo humanismum integralem vocant; porro humanismus non invenitur nisi in *humanismo Transfigurationis,* qui est vita Resurrectionis in priore conditione humana perfusa.

Ad n. 3 et cap. II. Quando Sacra Synodus Ecclesiae filios alloquitur, oporteret quod principia theologica de relatione Ecclesiae ad mun-

dum explicite referantur *ad Oeconomiam historiae salutis,* ad mentem voti bis expressi a Summo Pontifice Paulo VI. Optatur ergo:

1. Ut inseratur in luce fidei *vocatio mundi hodierni in tota historia salutis*; a. v., omnia nostra problemata radicaliter nova sunt ex eventu Redemptionis humani generis in Christo adimpletae, etiamsi eadem problemata materialiter in quacumque aetate historiae inveniri possint.

2. Optatur ut foveatur *vigor propheticus populi Dei,* cuius munus est hodie vivere problemata non solum ut phaenomena, sed profundius ut eventus in quibus effunditur Spiritus Domini surrecti. Prophetae sumus, sed de quo testificamur? De quibusdam valoribus, an de energia Christi viventis? Optio non datur inter caelum et terram, sed vocationem accepimus ut omnia assumemus ut omnia redimemus.

3. Optatur tandem ut *lineae maiores nostri Concilii in hoc schemate clarius convergant,* scil. sensus mysterii *Liturgiae* ut fermenti Transfigurationis historiae, sensus *Ecclesiae* ut communionis Sanctissimae Trinitatis hominibus communicatae, sensus eschatologicus sacrae Traditionis ut prophetiae Oeconomiae Spiritus, ita ut tandem eluceat sensus genuinus habitudinis *naturae ad gratiam* per Gloriam quae iam operatur in prima creatione. Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (révision de vie). [2] (*Mt.* 16, 1-4; *Lc.* 54-56). [3] 1, 21 ss. [4] (*Mt.* 16, 4).

Moderator: Transitus nunc fit ad cap. II et ad cap. III ex professo tractandum.

10

Exc.mus P. D. ALFRIDUS ANCEL

Episcopus tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis

Patres venerabiles, Fratres carissimi,

Nihil obiiciendum inveni contra ea quae dicuntur in cap. II ...[1]. Sed aliquid mihi videtur necessario ei addendum esse scil. de modo quo munus Ecclesiae circa res temporales quasi integretur in sua missione totali. Alioquin non poterimus respondere aliquibus difficultatibus quae mihi videntur maximi momenti.

Primo quidem, si textus noster remanet qualis est, non poterimus obviare erroribus qui nunc passim inveniuntur circa naturam et finem Ecclesiae; potius autem eis erroribus aliquod adiutorium videremur afferre.

Non enim desunt hodie inter homines, christianos aut non-christianos, qui putant Ecclesiam plus minusve renuntiasse missioni suae spirituali et aeternae. Secundum eos, Ecclesia videns oppositionem aut saltem indifferentismum mundi relate ad nuntium suum spiritualem et aeternum, vult sese adaptare mentalitati hodiernae quae hominem in immensum extollit et unice valorem terrenarum rerum aestimat.

Ideoque, Ecclesia, secundum eosdem, plus minusve derelinquens spem rerum caelestium totam sese incumbit rebus terrenis, atque quasi unice vult esse conscientia et animatrix huius mundi, ut homines meliorem vitam degant in pace et prosperitate terrena.

Quomodo huic difficultati respondebimus, si explicite de missione totali Ecclesiae non loquemur?

Secundo autem, etiam apud homines qui characterem transcendentem missionis Ecclesiae putant se cognoscere, remanet magna difficultas. Non vident enim cur Ecclesia, cuius missio est spiritualis et aeterna de rebus terrestribus sollicita sit. Estne hoc munus quasi suppletivum, quia societas civilis nondum sat bene ordinaretur? Estne hoc munus quasi medium attrahendi homines ut christiani fiant, quia media spiritualia iam efficacia non essent? Estne tandem hoc munus quasi simulatio ab Ecclesia adhibita ut imperium suum super homines recuperare possit?

Parcite mihi Patres si haec dura pronuntio. Attamen, ea sub diversis formis, propriis auribus, pluries audivi.

E contra, omnia clara essent, si ab initio huius capitis, plene ostenderetur quae sit missio Ecclesiae in sua plenitudine et quomodo munus suum erga res temporales pars sit integralis huius missionis, ita ut Ecclesia vera deficiens esset relate ad missionem suam spiritualem et aeternam, si curas huius mundi negligeret.

Verum est quod iam in schemate doctrinali *de Ecclesia,* multa dicta sunt de natura et de missione Ecclesiae. Sed hoc schema, quamvis ditissimum sit atque pulcherrimum, certe parum in mundo hodierno legetur, quia modum cogitandi et sese exprimendi praebet, qui vere alienus est a mentalitate plurimorum. Unde, quin ullo modo repetantur quae iam ibi dicta sunt, alio prorsus modo hic in nostro schemate praebenda sunt ut nostri coaetanei vere possint intelligere, quae sit genuina missio Ecclesiae et quomodo adimpletio huius missionis necessario circumferat sollicitudinem rerum temporalium.

Alii tamen putant non loquendum esse de missione spirituali et aeterna Ecclesiae in schemate nostro, quia ad omnes dirigitur homines. Secundum autem meam experientiam, saepe enim cum non-christianis collocutus sum, non timeo affirmare homines nostrae aetatis vehementer expectare a nobis ut, tota sinceritate, eis dicamus quid simus et qua

ratione de rebus terrenis tractemus. Sane, adhibendus est modus loquendi adaptatus et omnino relinquendae sunt omnes falsae species apologetismi, proselytismi aut moralismi. At quando non-christianis genuinum testimonium fidei nostrae et actionis nostrae afferimus, libenter plerumque illud *audiunt*.[2] Nonne ita oboediemus Petro dicenti nos semper paratos esse debere ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea quae in nobis est spe...[3]

Petendo autem hanc additionem, nullam reprehensionem affero textui nostro. Redactores enim eius debuerunt normas eis praestitutas sequi, ideoque *confecturi*[4] erant, ut aiebat exc.mus relator, schema quod ageret « non de evangelizatione mundi sed potius de habitudine Ecclesiae ad problemata temporalia ». Attamen, studium hucusque factum necnon animadversiones Patrum in aula clare ostendunt quod non possumus loqui de habitudine Ecclesiae ad problemata temporalia, si non loquimur sat clare et explicite de relatione huius habitudinis Ecclesiae ad missionem suam, quae totaliter in evangelizatione consistit.

Et si in aliquibus vestrum, Patres venerabiles, aliquid permaneret dubium, eis consulerem ut iterum legant cap. III Encyclicae *Ecclesiam suam*. Hic enim Summus Pontifex directe agit de colloquio seu de dialogo Ecclesiae cum mundo et clare ostendit originem huius colloquii in ipsa revelatione divina inveniri. Insuper, clare etiam affirmat hoc colloquium esse imprimis colloquium apostolicum et evangelicum. Nobis etiam commendat Summus Pontifex, ut nullo modo extenuemus veritatem neque aliquid de ea imminuamus.

Unde instantissime peto ut explicite exprimatur in nostro capite quae sit missio Ecclesiae in sua totalitate et ut clare exponatur quomodo munus Ecclesiae circa res temporales nullo modo alienum sit a genuina missione Ecclesiae sed e contra pars necessaria sit huius missionis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (de Ecclesia Dei hominumque servitio dedita). [2] audient. [3] (cf. *1 Pt.* 3, 15). [4] confuturi.

11

Exc.mus P. D. LUDOVICUS LA RAVOIRE MORROW
Episcopus Krishnagarensis

Humiliter rogo vos, Patres venerabiles, cum amore paterno haec pauca verba audire.

Loquor nomine plurimorum centenorum millium filiorum et filiarum hominum in mundo huius temporis...[1]

Hi pueri nostri, cum debeo explicare doctrinam de quibusdam punctis, ...[2] non amplius me intelligunt.

Et quomodo intelligere possunt, Deum, qui est Pater amantissimus, ad aeterna supplicia damnaturum esse eum qui feria sexta aliquantulum carnis comedit, non secus ac eum qui adulterium commisit vel hominem occidit?

Ista praecepta et alia in Ecclesia latina paulatim imposita sunt sub poena peccati mortalis. Sed hoc est durum, cum vix appareat proportio inter haec praecepta et gravia mandata Dei.

Non loquar de subtili casuistica quae in hac materia floruit tanquam in campo fertilissimo, quaeque fovet spiritum legalisticum potius quam spiritum religiosum, atque non-catholicis est *uti dicam*[3] obiectum irrisionis.

Nec dicatur: nisi haec praecepta sub poena peccati mortalis imponantur, a fidelibus non observantur. Sed, pro dolor! in multis regionibus ista gravissima sanctio non obtinet suum effectum. Plurimi catholici non iam curant de istis praeceptis, nec credunt se committere peccata vere mortalia. Inde oritur periculum ne sensus moralis obtundatur, et etiam graviora mandata divina non magis aestimentur quam illa praecepta ecclesiastica.

Venerabiles Patres. Nonne haec facta vere sunt aliquod *signum* nostri temporis? Nonne quasi clamant necessitatem totam hanc materiam novo examini subiciendi? *Non propono* ut praecepta ecclesiastica supprimantur: exprimunt enim venerabilem traditionem Ecclesiae. Sed videtur omnino necessarium ut haec materia simplificetur, nec ullum praeceptum tam facile imponatur sub poena peccati mortalis et comminatione supplicii aeterni.

Nonne plura centena millium catholicorum prima feria sexta cuiusque mensis ad missam offerendam et communionem recipiendam vadunt sine obligatione sub paena peccati mortalis?

Venerabiles Fratres, religio Christi non est religio timoris, sed amoris; et nisi provocemus ad spiritum amoris potius quam ad timorem paenarum, verus dialogus cum mundo huius temporis videtur impossibilis. Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] meum interventum de n. 14. [2] v. g. circa abstinentiam, ieiunium eucharisticum... [3] deest.

12

EXC.MUS P. D. ANTONIUS HACAULT
Episcopus tit. Mediensis, aux. S. Bonifatii

Venerabiles Patres, carissimi Periti et omnes adstantes,

Sancta Synodus, in cap. II schematis, Ecclesiam ita ostendere cupit ut homines possint bene intelligere quomodo *ipsam*[1] suam missionem circa mundum interpretetur...[2]

Etsi non desint positiva elementa quae mysterium Ecclesiae optime designant, generatim tamen habitudinem intrinsecam et intimam Ecclesiae cum hominibus insufficienter patefaciunt. Ipse textus Ecclesiam nimis praebet veluti structuram mundo superpositam et eidem quasi alienigenam. Hoc apparet praesertim in nn. 11 et 12.

Ideoque, tria fundamentalia tamquam principia ad cap. II recognoscendum exponere cupio.

I. Ecclesia omnes et singulas quaestiones hominum solvere nequit.

Ecclesia Christi, natura sua, divina est necnon et humana. Vitalis haec veritas optime exponitur in schemate *de Ecclesia* ...[3]. Iter suum ad regnum caelorum dirigens, Ecclesia non erubescit sua humana conditione. Secundum exemplum Domini sui, sese realiter humanam manifestare non dubitat in conspectu omnium hominum...[4]

Si, e contra, Ecclesia concipitur tanquam societas quaedam totaliter ab hominibus separata, ut solummodo transcendentalis, perfecte in seipsa constituta ac exclusive divina, tunc ipsa apparebit ac si esset quadam virtute aut potentia quasi magica exornata, quae responsa singula ad hominum quaestiones « automatice » decernere possit. Cap. II in periculum infert hanc erroneam Ecclesiae notionem prae se ferre, atque in hominibus falsam fiduciam suscitare cui postea satisfacere nequeat.

Ad rem omnino et peropportunum est agnoscere, ut facit schema, hierarchiam Ecclesiae nec vocatam nec competentem esse ad omnes quaestiones hodiernas solvendas ...[5]. Humilis ac vere alta confessio haec ad ipsam mysterii Ecclesiae substantiam attingit. Nonne tamen de integra Ecclesia affirmari debet assertio huiusmodi incompetentiae? Non solum pastorum sed et ipsius Ecclesiae peregrinantis non est omnes solutiones ad hominum problemata promptas habere.

II. Solidaritas totius populi Dei cum hominibus omnibus.

Cap. II tractat de *servitio* quod Ecclesia Deo et hominibus praestat. Peculiare hoc servitium, ni fallor, supponit quod Ecclesiae fideles et

pastores cum aliis hominibus aptas solutiones problematum suorum in patientia et humilitate quaerere satagunt.

De facto, enim, Ecclesia in mundo *peregrinans est,* et ipsa membra Ecclesiae in disquisitionem sunt. Omnibus aliis hominibus in hoc similibus, ipsi christiani cum hodiernis problematibus quotidie et strenue colluctant.

Si hoc verum est, tota communitas christiana ad oculos omnium se ostendere potest tamquam sinceram solidaritatem gerens cum inquisitionibus eorum, expectationibus atque angustiis. Iter cum hominibus agens, inter eos vere peregrinans, Ecclesia solutiones technicas peractas non habet. Eas potius cum omnibus inquirit, sane sub luce et virtute ipsius Evangelii.

In schemate legitur quod « Christiani versantur in mundo tanquam fratres laborantes cum fratribus ad mundi aedificationem » ...[6]. Laudabiliter et optime dictum est. Sed, haec communio ab intus et arcta solidaritas cum hominibus est de essentia Ecclesiae hominum servitio deditae. Unde, tamquam fundamentale principium in clara luce ponenda est ab initio et in toto cap. II ...[7]

III. Ecclesia dignoscens vocem Dei in humanitate operantis.

Ecclesiae ...[8] est humiliter dignoscere vocem operationemque Dei, iam aliquomodo patentes in valoribus humanis, in conatibus et incoeptis huius mundi. Ecclesiae est praesentiam atque actionem Dei detegere, et manifestius proclamare.

Sub n. 13 virtus Verbi in istis valoribus et conatibus explicite agnoscitur ...[9]. Evolutio autem cap. II ...[10] in hac praeclari et pernecessaria agnitione suum fundamentum non habet...[11]

Incarnatione Verbi peracta, ipsum *mysterium* Christi, ...[12] universum mundum iugiter et efficaciter pervadit, praesertim in variis *in* [13] valoribus et in virtute eius dynamica: ...[14]. Insuper, secundum S. Paulum ...[15], Iesus in gloria surrectus velut plenitudo seu pleroma hominis et eius sublatio agnoscitur ...[16]. Omnis ergo humanitatis progressus, sive sit inquisitio, sive collaboratio, sive ipse dialogus, in luce Evangelii intelligendus est ut quidam *accessus* ad mysterium Hominis Iesu glorificati...[17]

Concludo. Praesertim Dei aut virtutem Verbi in tota humanitate tanquam rationem ac fundamentum collaborationis totius populi Dei cum mundo atque eius servitii cap. II praestare debet. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] ipsa. [2] (cf. pag. 12, lin. 7). [3] (cf. pag. 15, n. 8, linn. 2 s.). [4] Le Christ durant sa vie mortelle s'est manifesté comme un homme. Bien plus, il était véritablement homme, à tel point que rien d'humain ne lui était étranger. L'Eglise n'a rien d'autre à faire que de se modeler sur le

Christ Jésus; comme Lui elle doit être pleinement humaine. L'Eglise, dans sa situation terrestre, participe certes à la royauté messianique du Christ. Celui-ci cependant n'a pas voulu se présenter comme le Messie royal ou politique. Il a été le Messie *serviteur* souffrant, réalisant ainsi la prophétie d'Isaie (cf. *Is.* 53). La royauté de l'Eglise en cette terre consiste en son service des hommes par lequel elle se fait tout à tous, pleinement humaine avec eux, à l'exemple du Christ, serviteur des hommes, totalement avec les hommes. [5] (cf. pag. 15, linn. 25 s.). [6] (cf. pag. 10, lin. 40). [7] Solidaritas humana non mere verbalis aut theoretica et abstracta, sed ardenter realistica fundatur in cognitione practica et in sympathica agnitione valorum humanorum *ubicumque* sint. Communitas christianorum, fidelium nempe et pastorum, revera cognoscant quales sint vires ac virtutes quae mundum hodiernum agunt in diversis orbis terrae regionibus. Conatus peculiares in hac materia apud nos occidentales magis necessarii sunt, ni fallor. Praeterea, dialogus proficuus inter christianos et alios homines instaurari nequit nisi christiani et ipsi *authentice humani* inveniantur. Christianos autem sicut et alios homines ad civitatem terrestrem aedificandam se immittere oportet, atque conari ut mundus magis magisque humanus efficiatur. Nec *fides ullo* modo eos ab hoc officio exonerat. E contrario! [8] sicut Dei et hominum servitio deditae. [9] (sicut sub n. 2, praesentia Dei seu operatio Spiritus). [10] (aut etiam schematis). [11] (cap. III excepto). [12] per Spiritum suum. [13] eius. [14] nempe labor, progressus humanus, historia hominum et civilizationum etc. [15] (cf. ad *Eph.*). [16] et nunc a nobis agnosci debet. [17] [Ces valeurs ambigües, ces recherches, ces espoirs sont vécus par des hommes qui leur donnent leur signification spécifiquement humaine. Les chrétiens doivent non seulement découvrir ce sens humain, mais le respecter profondément. La référence ultime au Royaume ne doit pas les empêcher de saisir cette signification humaine réelle. C'est en effet ce sens positif qui ouvrent ces dynamismes sur une signification christocentrique transcendante]. Ab incarnatione autem usque ad parousiam, Verbum Dei non solum in verbis relativis, sed etiam, licet arcano modo, in tota humanitate operatur. Nonne officii nostri est ipsum ubique operantem laete ac humiliter agnoscere atque proclamare? Hoc sensu n. 14 recognoscendus est. Oportet igitur animum semper advertere ad praesentiam Dei in mundo operantis in ipso studio problematum: de persona humana, de dignitate familiae, etc.

13

Exc.mus P. D. PETRUS ČULE
Episcopus Mandetriensis

Venerabiles Patres,

Totus mundus cum attentione et quadam sympathia labores Concilii prosequitur. Mundi multum non interest structura hierarchia Ecclesiae sed dialogus quem Ecclesia cum mundo inire intendit. Mundus enim ab Ecclesia auxilium ad solvendas difficultates quibus premitur expectat. Ecclesia cum a suo divino Fundatore media acceperit quae nemo

alius possidet, revera mundum iuvare potest non tantum in spiritualibus sed etiam in materialibus. Quomodo igitur aptissime fieri possit, liceat hic pro ulteriore perfectione cap. II aliquas suggestiones afferre.

1. Ecclesia potest et vult mundum adiuvare etiam in temporalibus. Etiamsi per essentiam sit societas supernaturalis, tamen non approbat falsum mysticismum de totali separatione a mundo, sed Christi vestigiis inhaerendo mundum pertransit in omni campo benefaciendo. Initio medii aevi filii S. Benedicti vitam monasticam minime negligentes, homines agriculturam docebant. Missionarii vero a Societate Iesu saeculis posterioribus in famosis illis reductionibus Indianos Americae meridionalis non solum in doctrina christiana sed in omni arte vitae domesticae instruebant. Talibus traditionibus innixa Ecclesia nostro quoque tempore progressum civilisatorium promovet mittendo in terras missionum non tantum praecones evangelii sed etiam viros laicos qui ut medici, magistri, technici, opifices periti per certum tempus gentibus exteris generose opem suam ferunt.

In campo caritativo Ecclesia semper primatum tenebat. Illa prima nosocomia et orphanotrophia erigebat. Ad miseriam in mundo superandam Ecclesia hodie offert integras legiones filiorum filiarumque suarum qui spiritu S. Vincentii a Paulo et P. Damiani Deveuster *imbuti,*[1] totam vitam servitio proximi dedicant. In eundem finem Ecclesia multas eleemosynas a fidelibus colligit et inter indigentes dispensat.

Pro cultura intellectuali promovenda Ecclesia adhuc longe maiora facere posset, si illi tantae scholae vi ereptae redderentur et si ubique plena libertate novas scholas aperiendi gauderet.

2. Licet Ecclesia tam magna in mundo operetur, tamen dominium temporale non appetit. Status civilis pro sua independentia ab Ecclesia nihil timere habet. Nam Christus in Novo Testamento theocratiam instituere noluit. Hinc Ecclesia non tantum distinctionem sed etiam separationem potestatis spiritualis a potestate temporali propugnat aequaliter reiciendo clericalismum proprie dictum ac caesaropapismum. Ecclesia tantum principia moralitatis christianae ac legis divinae in politicis tradit, ast in arenam politicam non descendit. Ideo non permittit ut aliqua factio politica nomine Ecclesiae incedat vel agat. Immo nec permittendum esse videtur sacerdotibus ut munus deputati in parlamento vel senatoris ambiant. Istud negotium est laicorum. Sacerdotibus vix vires suppetunt pro eorum ministerio sacro, et insuper sacerdos pater omnium esse debet et non tantum unius partis fidelium.

Nec Ecclesia utpote societas supernaturalis et hinc mediis imprimis supernaturalibus innixa specialia privilegia temporalia sibi vindicat. Immo talia privilegia Ecclesiae nocere possunt. Recte dicebat Lacordaire, Ec-

clesiae saepe magis periculosum esse gubernium quod eam favoribus cumulat quam quod illi aperte adversetur. Ecclesia a statu civili potissimum exigit, ut libertatem quae ei ex lege divina pro sacro ministerio competit plene agnoscat et reveretur. Proh dolor! varia gubernia totalitarismum profitentia hoc Ecclesiae sacrum ius saepe et in multis laedunt. Talia gubernia meminisse deberent isto modo agendi se plus nocere sibimetipsis et proprio populo quam Ecclesiae quae oppugnari quidem potest sed nunquam expugnari.

3. Ecclesia imprimis patrocinatur bona spiritualia hominum. Sine interventu Ecclesiae libertas conscientiae et dignitas personae humanae efficaciter tueri nequeunt. Nisi enim Deus personalis ut finis hominis ultimus agnoscatur, ruit omnis obligatio moralis et hinc ipsum fundamentum conscientiae et dignitatis humanae. Persona enim humana transcendentalem suum valorem exinde habet quod homo ex sua vocatione fundamentali est filius Dei et membrum Christi. Hanc suam dignitatem homines tantum ex praedicatione Ecclesiae noscunt. Ideo omnes qui Ecclesiam impugnant, despotismo ac tyrannidi viam sternunt.

Sua doctrina de filiatione adoptiva divina hominum Ecclesia pacem inter varias gentes et classes societatis humanae validissime firmat. Nam si homines fratres sunt Iesu Christi etiam inter se fratres sunt ideo mutuo amore et non odio se prosequi debent.

Sed pacem inter gentes Ecclesia promovet non tantum sua doctrina sed etiam praxi parando varios congressus internationales et fovendo associationes quae amicitiam inter populos promovent.

Hinc aliqua omittam, venio ad quartum punctum.[2]

4. Licet omnis ista activitas Ecclesiae in campo temporali bona ac nobilis sit, tamen non est finis in se sed medium ad finem ut homines per visibilia ad invisibilia trahantur. Finis enim principalis Ecclesiae est mundo Christum afferre. Et hoc est maximum beneficium quod Ecclesia mundo praestare potest. Christus est enim medicus qui solus medicinam efficacem miseriis mundi praebet per suam doctrinam, per suum exemplum et per suam gratiam, sine qua vita homine digna impossibilis est.

Sed hoc quoque testimonium Ecclesiae de Christo practicum esse debet ut finem suum obtineat. Loqui de Christo crucifixo et simul indulgere omnibus commoditatibus vitae esset illudere hominibus qui tunc cum iure dicere possent: isti nobis de caducitate et contemptu rerum terrestrium loquuntur nosque cum paradiso in caelis consolantur, sed sibimetipsis paradisum hic in terris quaerunt. Laicus quidam, director gymnasii, mihi dicebat « Caelibatus sacerdotum mihi magnum argumentum est pro religione christiana. Est enim signum sacerdotes qui id

religiose observant sincere persuasos esse de veritate suae religionis et insuper est signum specialis gratiae divinae quam Deus extra veram Ecclesiam non dat ». Caelibatui adhuc vitam humilem, pauperem, abnegationibus plenam adiungere, en methodus ut testimonium nostrum pro Christo efficax fiat.

Quantopere testimonium Christo exhibitum per vitam bonam christianorum validum sit, exemplum primorum christianorum demonstrat qui magis exemplo virtutum quam praedicatione mundum Christo lucrifecerunt. E contra, quam funesta sit vita dissoluta christianorum, missionarii optime sciunt, cum mali christiani pessimo suo exemplo destruebant quod missionarii cum sudore plantabant. Si itaque iuventus christiana non est magis casta ac morigera *quam iuventus non christianorum,*[3] si vita familialis christianorum non est magis sancta quam infidelium, tum christiani falsi testes Christi inveniuntur. Non alliciunt mundum ad Christum sed repellunt. Ideo maximum dedecus pro nationibus christianis in Occidente est quod in scriptis et ludis scaenicis longe magis obscaenitatibus locum dant quam athei in Oriente. Ac manifestum signum degenerationis physicae simul ac psychicae est si nihil aliud quaeritur nisi vita semper facilior et commodior. Per vitam suam christiani mundo testari debent hominem ad maiora natum esse.

Concludo.[4] Isaias propheta Ecclesiam describit ut domum Domini in vertice montium praeparatam et super colles elevatam ad quam omnes gentes fluunt ...[5]. Cur post duo millennia ista visio prophetica nondum est plene adimpleta? Culpa est nostra. Nemo habet doctrinam tam sublimem et humanae naturae consonam sicut Ecclesia...[6]

Moderator: Visne breviter concludere, Pater.

Orator: *Si*[7] omnes sexcenti milliones una voce et opere concordi Christo testimonium feremus, tunc adimplebitur grandiosa Isaiae prophetia et omnes populi mirabili hoc spectaculo commoti dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob h. e. ad Ecclesiam Christi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Quod vero quaestionem socialem attinet, Ecclesia ad eius solutionem non tantum sua doctrina sed etiam exemplo multum confert. Postulat enim a ministris suis ut proprios famulos et operarios in omnibus socialiter tractare debeant. Non agitur tantum ut iusta merces solvatur. Praeter iustam mercedem operarius ius habet ut eius personae reverentia debita exhibeatur. Paganum erat principium quod poeta Horatius statuit verbis: Odi profanum vulgus et arceo. Huic principio Christus suum opposuit, nempe: Misereor super turbam. Ministri Christi exemplum Christi sequi debent qui po-

tissimum cum plebe infima et cum peccatoribus conversabat. Non itaque Christi vestigia premit sacerdos qui societatem hominum divitum et potentium quaerit, plebem vero communem declinat. Ex parte pauperum et oppressorum Ecclesia eiusque ministri stare debent. Nam pauperes evangelizantur (*Mt.* 11, 5). Hinc valde commendandum est ut Ecclesia ubique terrarum reformationes sociales necessarias vel utiles suadeat et propugnet. Non tantum verbis sed etiam factis. Si alicubi Ecclesia possessionem agrorum extensam habet, necessarium videtur ut cum licentia auctoritatis competentis id inter colonos distribuat. Ista enim bona ad invidiam incitant et insuper cum primum gubernium Ecclesiae infensum rebus potiretur, Ecclesiam spoliabit. [3] deest. [4] deest. [5] (*Is.* 2, 2-3). [6] Nemo tam praeclara exempla martyrum, confessorum ac virginum. Nemo fontes gratiae uberrimos prout nos habemus in s. sacramentis. Nullibi Deus tanta mirabilia et vera miracula operatur sicuti in s. Ecclesia. Non computando fratres seiunctos catholici sumus fere sexcenti milliones. Et tamen valde parvum influxum in mundum exercemus. Cur? Quia nostrum testimonium pro Christo tam tepidum est. Nec operibus sufficienter probatur. Insuper quia non sumus unanimes sed inter nosmetipsos divisi. Omnis dioecesis immo unaquaeque paroecia respublica pro se est. Quando omnes unum cor et una anima efficiemur, quando sors catholicorum in Vietnam, Corea, Sudan, Congo, Rumenia, Ucraina, etc. eodem modo cordi nobis erit ac nostra sors propria, quando. [7] deest.

14

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS MARTY

Archiepiscopus Remensis

Venerabiles Patres,

In nostro schemate, voluntas Ecclesiae ut mundo hodierno sit praesens clare manifestari debet. Ecclesia praesto sit mundo semper oportet; sed, pro decursu temporum, novum induit vultum haec praesentia.

Mihi videtur quod, in redactione cap. II et III, actualis modus praesentiae Ecclesiae ad mundum clarius innotescere deberet. Alioquin christifideles, et a fortiori non-christiani, sensum habebunt quod mundus in quo degunt non est idem ac mundus in quo Ecclesia exstat.

Hoc [1] meo sensu, conditiones praesentiae Ecclesiae mundo hodierno sunt illae sequentes:

1. Debet Ecclesiae praesentia hodierno mundo *ad modum fermenti esse in massa farinae.* Medio Aevo durante, erat mundus occidentalis sub tutela Ecclesiae positus, quae ibi modo institutionali praesens aderat. Hodierno vero tempore, non amplius intra septa Ecclesiae stat mundus, immo ex omni parte extra eam se extendit, propriamque figuram non ab ipsa sed ab hominibus accepit. Quemadmodum igitur praeexistenti

sibi massae inest fermentum, ita et Ecclesia fermentum sit oportet mundo, iam quidem a Spiritu Sancto sollicitato.

Prima haec exigentia insufficienter est in nostris cap. II et III manifestata: expositio procedit ab Ecclesia quae institutio est, ut ad Ecclesiam qua fermentum perveniat. Inverso ordine procedendum esset, et ab Ecclesia qua fermento incipiendum.

2. Praesentia Ecclesiae mundo hodierno nota catholicitatis afficiatur oportet. Debet enim Ecclesia in culturis, valde inter se diversis, incarnari. Nec processus unificationis mundi profundam hanc diversitatem solvit; quinimmo vero nationes omnes inter se cohaerentes efficit.

In nostrorum vero capitum redactione, nimius apparet influxus christianorum occidentalium. V. g. numquam n. 17 de spiritu paupertatis tali modo ab ecclesiis Asiae redactus esset, vel Africae, vel Americae Latinae (ut iam dixit exc.mus arch. Conakry).

3. Tandem, praesentia Ecclesiae mundo hodierno, debet esse praesentia Ecclesiae *in quantum corpus est.*

Certo, laicorum promotio in Ecclesia hodierna, eminens est gratia, quibus debitor est Ecclesia quod magis attenta sit effecta realitatibus concretis huius nostri mundi. Neque sine laicis, ortum habuisset nostrum schema XIII.

Cavendum tamen ne putetur simpliciter quod laicorum munus sit vincula ponere inter Ecclesiam et mundum. Exigentia etenim praesentiae ad mundum, etsi diverso modo, tam pro sacerdotibus valet quam pro laicis.

Talis vero exigentia non satis apparet in cap. II ubi fit quaestio de hierarchiae munere.

Hae sunt exigentiae illae tres quae Ecclesiam hodierno mundo praesentem reddent, et consequenter aptam ut signa nostri temporis perscrutetur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest.

15

Exc.mus P. D. OTTO SPÜLBECK
Episcopus Misnensis

Venerabiles Patres,

In schemate nostro delineatur laudabiliter relatio Ecclesiae cum mundo et mundi cum Ecclesia occursusque amborum in campo scientifico valde commendatur. Etsi conceptus mundi multos aspectus prae se fert, tamen nonnisi unus aspectus prae omnibus aliis clarius in lucem

ponere velim, nempe illum influxum scientiarum profanarum in Ecclesiam, cuius valor, pondus et pastorales effectus mihi videntur esse non satis descripti.

In n. 13, lin. 14 sermo fit de adiumento mundi pro Ecclesia in campo scientifico, sed nimis indeterminate. Legimus loco citato: « Ecclesia autem ab humanae experientiae et humanarum scientiarum incrementis plurimum adiuvatur ».

Quid significat istud « plurimum » praecise? Ad hoc liceat mihi saltem unum specialem et gravem aspectum accuratius determinare.

Valde dolent periti et eruditi in scientiis rerum naturalium, si nobiscum de eorum problematibus loquuntur. Nos nempe utimur lingua quasi vetusta cum charactere antiquiario, inapta alienaque a mundo eorum, ne dicam falsa ad problemata a dictis peritis solvenda. Hi investigatores laici hodie sunt vexati, v. g. in cosmogenia problematibus recentibus, quia ad novas explanationes et descriptiones pro conceptibus fundamentalibus cum nostra philosophia non correspondentibus assecuti sunt. Conceptus materiae, causae, substantiae, finalitatis et vitae in mundo scientifico de facto iam ita modificati sunt, ut tempus nos urget aperto animo illos novos progressus et conceptus theologice expendere, qui a laicis tam sincere et operose elaborati sunt. Sed proh dolor! nostra responsio non fit aut fit modis insufficientibus.

Ista responsio *insufficiens* [1] in regione ...[2] sub dicione atheismi-marxistici constituit periculum permagnum. Atheismus pugnax nempe patefacit modum nostrum loquendi esse inaptum et minus scientificum et sic conatur etiam homines bonae voluntatis perturbare et de doctrinis ecclesiasticis ad risum movere.

Ex hoc facto exsurgit pro nostra conscientia quaestio inevitabilis: Estne apud nos revera illud studium ardens quod requiritur ut novas rationes in specialibus quaestionibus discamus et dein recte et scienter respondere possimus? Mihi videtur ad munus pastorale pertinere, ut nos etiam in campo scientiae dictas *has* [3] occasiones amplectamur, ne adiumento a mundo scientifico nobis oblatum negligatur.

Liceat mihi *unum exemplum* [4] afferre:

...[5] Unde venit in mundo hodierno influxus valde memorabilis et notabilis *librorum* [6] Patris Teilhard de Chardin hac in aula iam pluries citati? Agere nonnisi de sensatione quadam non puto! Cognosco ex multis colloquiis cum laicis in fide catholica probatis opinionem eorum unanimem, dicunt nempe: « Teilhard de Chardin est sacerdos et homo pius; tamen loquitur nostram linguam scientificam; credimus quoque eum nostra problemata bene intellexisse et proin auxilium ab eo exspectamus in quaestionibus religiosis, qui emanant ex nostris studiis ».

Nec aliquid dicere nec iudicare velim de tractatibus et sententiis Patris Teilhard sive in campo philosophico sive in theologia ascetica et mystica. Sed nolite oblivisci, Patres venerabiles, atheos officiales nostrae regionis Patrem Teilhard ut inimicum specialem repudiare; nam timent ne concordia inter fidem et scientiam ex modo loquendi scientifico Patris Teilhard oriatur.

Angor et anxietas multorum theologorum adhuc impediunt proh dolor, ut sermo noster cum mundo scientifico fructus desideratos afferat; et hoc iam inde a tempore Galilaei ante quadringentos annos et non sine culpa nostra!

Gaudeamus nonnullos circulos peritorum iam in hunc finem optime adlaborare sed sunt nimis pauci. Nondum mentem timidam expellere possunt.

Discrepantia inter fidem et scientiam non solum ex mala voluntate oritur sed suum fundamentum reale in progressu cognitionis humanae habet. Propterea vera et sincera concordia inter fidem et scientiam etiam atque etiam investiganda est et quidem cum labore gravi ne earum abusus temerarius ex una vel altera parte intercedat.

In hunc finem mihi videtur nos omnes incumbere officium respondendi mundo scientifico hodierno sine ira et studio, sine suspicione et sine timore incriminationis et quidem in loquela apta. Sobrius conspectus pastoralis nos docet: scepticismus religiosus apud studentes et academicos crescit. Cur? differentia inter loquelam in institutione catechetica et loquelam in scientiis naturalibus gignit — non exclusis aliis causis — illum scepticismum religiosum, sic quidem ut studentes et academici non statim fiant infideles, sed ut dubitent et se a vita Ecclesiae avertant.

Quid faciendum? « Aggiornamentum » quod Papa Ioannes XXIII s. m. tam ardenter Concilio nostro commendavit...[7]

Ecclesia, *quoniam* [8] Maecenas omnium scientiarum, erat aperta pro omnibus quae progressui culturae et scientiarum naturalium inserviebant. Nuper Papa noster Paulus VI feliciter regnans in suo sermone ad membra Pontificiae Academiae istud munus confirmavit...[9]

Conclusio. Ista [10] apertura mihi videtur esse fortiter urgenda.

Propono ut in n. 13 inseratur incitamentum vivax pro apertura Ecclesiae colloquentis cum mundo hodierno scientifico et peto enixe, ut modo breviore supradicta sententia ex adnexo III in schema nostrum recipiatur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] meae dioecesis in Germania Orientali. [3] deest. [4] duo exempla. [5] 1. Cognoscimus praeclarum textum

S. Pauli ad Romanos in cap. I, vers. 20, ex quo Concilium Vaticanum I secundum doctrinam Patrum eruit: Deus certo ex creatura cognosci potest. Hoc argumentum scientiis naturalibus et imprimis in cosmogenia nuper maxime discussum ex simplici forma, in qua fere semper proponitur, redactum est ad positionem, quae aperit viam novam ad probationem exsistentiae Dei ex contingentia rerum. Haec nova via autem multis quaestionibus religiosis et quidem severis connectitur, quae conscientiam illorum peritorum valde opprimant. Quis nostrum potest eos adiuvare? et quidem in verbis quae cum situatione scientifica talium eruditorum concordant? Unde iudico: tempus nostrum a nobis exigit non solum exhortationem ad hoc colloquium, sed etiam adlaborationem, ut dialogus cum gravitate et humanitate augeri possit. 2. [6] deest. [7] Quam ob rem laudo instanter sententiam in adnexo III nostri schematis propositam (vide pag. 21, linn. 14-31). [8] quondam. [9] « L'Eglise ne craint pas le progrès des sciences. Elle entre volontiers en dialogue avec le monde créé et applaudit aux merveilleuses découvertes qu'y font les hommes de science » (*L'Osservatore Romano,* 4 oct. 1964). [10] Quae.

16

EXC.MUS P. D. MICHAEL KLEPACZ

Episcopus Lodzensis

Uti profundius et accuratius explicaretur argumentum de momento Ecclesiae huius temporis pro mundo hodierno, et vice versa, scil. cum consideratur adiutorium, quod mundus Ecclesiae confert, brevissimas notas praecipuas sic dicti mundi in lucem proferre oportet.

Notum nobis est quod a saec. XVIII usque ad nostra fere tempora humanitas est testis summi gradus progressus. Scientiae naturales et earum effectus — technica magnam causavit fiduciam in interminabilem evolutionem versus paradisum his in terris. Ad hunc finem assequendum multi putant hominis vires sufficere sine ullo entis supernaturalis interventu. Immo ens supremum tantum obstaculum ponit, ut homo vitae terrenae sese dare totaliter non possit. Inde pugna contra omnem religionem est necessaria, ut humanitas libera ab his superstitiis summum « élan vital » assequi possit.

Alia sequela ex tali spiritus persuasione sequitur, quod homines se ipsos deos faciunt atque seipsos omniscientes necnon omnipotentes esse putant. Quae igitur apotheosis iure vocari potest. Huius rei exemplum si ex litterarum historia sumamus, illud Ioannis Wolfgangi Goethe in carmine « Prometheus » scriptum, et pari modo Friderici Nietzsche in opere de « Laeta scientia » contentum, in memoria nobis reducimus; nempe: « Nos revera philosophi spiritusque liberi, cum de veteris Dei morte certiores facti sumus, tamquam novi fulgore luciferi perstantes

sumus irradiati. Tandem aliquando immensus et adapertus patet nobis adspectus ».

Multi denique hac ideologia imbuti perniciosos in societate producunt effectus. Homo, cum omnium rerum dominus evadat, vera Dei attributa sibi soli vindicat, et non longe abest, ut secundum propriam sui imaginem ceteros informet. Candidatorum munus Promethei petentium statim legio apparebit. Ne dicam de nostra mundi legum ignorantia, sed quid cum Prometheorum legione faciamus? Cur enim Prometheianus X vel non potius Prometheianus Y aut Z hominem formare possit?

Quo pacto quicumque valor relativismo subicietur ac proinde turris illa Babel mixtarum linguarum statim subsequetur. Rebus sic stantibus necessarie certamen inter Prometheianos ...[1] facile praestari potest...[2]

Num ea nobis phantasmata apparent? Minime! Res ita revera se habent! Et haec observari dantur non tantum in sic dicto Oriente sed in Occidente, non solum apud atheismi fautores theoreticos, verum etiam practicos, qui materialismo dediti facile ob omni moralitate deviare possunt. Iam Sacra Scriptura rem clare exponit, ut nihil supra addi possit, dicendo de sensu illo satanico instantis fascinationis, qua superbia intellectualis mentem alicuius delinit. Angeli in infernum rebelles detrusi una cum illo Lucifero praeside — « Sicuti dei eritis » tentabat satanas protoparentes nostros in paradiso. Iam scimus bene huius tentationis effectum! Scriptura quidem nullum praebet incredulo argumentum, nihilominus tamen et pro incredulo aliquid valet quod in vetustissimis hominum libris adeo certe et infallibiliter hoc periculum homines attingens videtur.

Quae cum ita sint, Ecclesia suas vicissitudines in mundo hodierno considerans, attento animo phaenomen illud perspicere debet. Nostris temporibus propter rerum mundanarum et universi meliorem cognitionem atque tristia ex moralitatis lapsu experimenta, Ecclesia argumenta peremptoria de defectibus humanarum virium haurire potest. Insuper Ecclesia doctrinam socialem specialiter nostris temporibus evolutam mundo persuasibili modo ostendere potest et debet.

Atque non parvi est momenti quod Ecclesia durante tot saeculorum cursu maxime progressum moralem, culturalem et scientificum humanitatis adiuvat. Nostra proinde interest veritates, quas Ecclesia secumfert, ita hominibus ostendere, ut illi recte sentiant, quod Ecclesia tam optimismo quam pessimismo faventes fugit normas, in sola veritate divina nitens, qua hominem viamque progressus melius cognoscere studet. Hoc autem — secundum meam opinionem — parum in hac (et aliis) paragrapho evolutum est.

Etiam *denique*[3] in unam e multis rem attentionem meam dirigere velim, semel atque iterum hac in aula affirmatam, scil. quod in dialogo nostro cum mundo huius temporis iam feliciter inchoato, semper memoria tenendum est, hominem hodiernum raro se soli auctoritati formali subicere, namque expectationem eius multoties iam decepit. Exinde ergo oritur eius animi criticus status. Et ideo ius habet sese critice referre ad hominem, qui suprema exercet munera simul et habet dignitatem eximiam. Pluris tamen sibi aestimat valorem dicentis atque eius vitam secundum principia quae enuntiat ordinatam. Hunc influxum felicis recordationis Papa Ioannes XXIII in toto orbe terrarum exercebat, et iste mundus hodiernus fascinatione Pontificis allectus, consilia eius libenter sequebatur. Simplicitas et rectitudo, sapientia et constantia homines maxime hodie capit. Ecclesia quoque mundum amplectetur praebens ei divina praecepta atque illud praeclarum divini iuris exemplum, quo semper et ipsa renascitur et renovatur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] ipsos incitatur, in quo maxima facultas violentissimo et minima habenti dubia. [2] Serius ocius constituitur tyranni gravis imperium, consociis illum adiuvantibus atque illius arbitrio integri apparatus vis materialis et technicae usus permissus est. [3] deest.

17

EXC.MUS P. D. HENRICUS HECTOR GOLLAND TRINDADE
Archiepiscopus Botucatuensis

Loquar de dialogo,[1] ad cap. III. Coram Deo, venerabiles Patres, commissio sedula laudanda esse videtur, quae hoc schema maximi momenti composuit, defectibus non obstantibus. Et Beatissimus Pater in prooemio *Ecclesiam suam,* hoc schema quasi vivificando, scribit: « Hac de causa suscipiemus hoc loco opera ut magis magisque pateat omnibus, quantum ex altera parte, humanae societati ad salutem intersit, quantum ex altera, catholicae Ecclesiae curae sit 1. utrasque sibi occurrere; 2. mutuo se cognoscere; 3. inter se diligere ».

Hoc miraculum erit verum primi ordinis, quod omnes homines bonae fidei, etiam non catholici nec christiani, sed sinceri, de Ecclesia, et, in momento, de Concilio, confidenter vel diffidenter adhuc sperant, i. e. 1. approximationem mutuam; 2. cognitionem mutuam; et 3. mutuum amorem, imprimis quoad pauperes, humiles et in afflictione positos.

In hoc, parcite mihi, venerabiles Patres, et non in quaestionibus mere speculativis, etiam si fundamentalibus et magni momenti, ut patet,

orbis universus videbit renovationem illam, « aggiornamento » ut dicitur, quam Ecclesia intendit in tanto Concilio adunata, ut authentica Ecclesia, non ut potentia mere scientifica, *mere culturalis, vel oeconomica; vel diplomatica vel socialis vel politica sed Ecclesia vere*[2] pastoralis, missionaria, evangelica a Christo fundata.

« In voce temporis, vocem Dei audire oportet » ita schema. Sed vox temporis est vox hominum, vox populi, i. e. multitudinis incognitae et ignoratae, quae clamat tantoties in deserto, alta voce, vel, prae timore, voce submissa ad nos vel contra nos episcopos, sacerdotes, religiosos, qui Evangelium caritatis et paupertatis a Christo recepimus et ipsum Evangelium ubique terrarum et in quibuscumque circumstantiis, vivere et praedicare debemus, usque ad consummationem temporis. « Per stultitiam praedicationis » *affirmat Paulus Apostolus Gentium, et non per sapientiam praedicationis.*[3]

Clamat populus, et Ecclesia, Mater et Magistra, eius voces audire, eisque non solum verbis sed operibus et, praesertim, exemplis, quamprimum vult respondere. *Hoc est progressus Ecclesiae hodiernae valde mirandus, hoc finis Concilii.*[4]

Et sic dialogus instituitur ille, de quo schema, quem Summus Pontifex, in *Ecclesiam suam,* quattuor notis ornatum proclamat.

Et iam duas propositiones, humiliter sed magno cum animo, coram Deo vobis facio, venerabiles Patres, ut schema eminenter pastorale quod mihi videtur, *parcite mihi,*[5] corona totius Concilii, non tantum ut litterae mortuae remaneat in bibliothecis, sed, in approximationem multifariam et in dialogum apertum et positivum transformetur.

Propositio prima. Ecclesia, secundum divinum eius Fundatorem, fermentum, lux, sal, *rex humilis quasi visibilis,*[6] descendere debet de, sic dictis, palatiis vel thronis, de eminentibus excellentibusque locis, et sine ornamentis veri pretii vel fictis, populi in medio versari, ut omnes omnino homines, cum ea dialogare possint.

Verbum aeternum, quando cum creaturis dialogare voluit, de caelo descendit et homo factus est. Et sic, cum Doctoribus in Templo, cum Samaritana ad puteum, cum Magdalena paenitente et cum peccatoribus, et aegrotis, et infantibus, et iuvenibus, et apostolis et cum diabolo et etiam, in Cruce, cum latrone, dialogavit, nobis exemplum praebendo. Ita et nos, tantummodo si omnia omnibus facti et fragilitatibus hominum, minus peccato, inducti, cum eis dialogum fraternum et fecundum habere possemus!

Secretarius generalis Concilii, amabilissimus, interdum vocat nos « ornatissimos Patres ». Gratias! Sed, *parcite mihi,*[7] sic vocat nos etiam populus, alio vero sensu, quia a « planta pedis usque ad verticem capi-

tis » quotidie nos ornatissimos contemplat, per vias et plateas civitatis, magna cum admiratione,

1. quia formis evangelicis oblitis, saecularibus consuetudinibus temporis anteacti indulgemus quod mens hodierna maxime abhorret,

2. quia divites videmur, cum generatim divites non simus et,

3. quia Patres sumus multitudinis permagnae quasi in toto orbe terrarum habitantis, quae sine labore, sine domo et sine pane, in magna afflictione versatur.

Et communistae, qui a Concilio quasi ignorari videntur, solum hic in Italia plusquam septem decies centena millia, *magis 7 milliones* [8] (più di 7 milioni) hoc vident, i. e., distantiam immensam, Ecclesiam inter et populum, hoc vident et de hoc gaudent et propter hoc patienter et intellegenter sperant.

Utinam, benevolentia Patris nostri amatissimi, Pauli VI, adhuc in hac tertia sessione, possimus in nigris Congregationes nostras facere, sacrificii spiritu imbuti atque simplicitate et austeritate ornati. Hoc erit illud quod in Concilio Tridentino, arch. Bracarensis Bartholomaeus a Martyribus adeo vehementer optavit, in memoriam Patrum revocando decretum Concilii Carthaginensis IV: « Episcopi vilem suppellectilem et victum pauperem habeant, et dignitatis suae auctoritatem, fide et vitae meritis quaerant ». Haec vestis, haec via ad dialogum, et de his, schema nostrum clarissime loquitur n. 18, lin. 34, quando commemorat spiritum humilitatis et spiritum abnegationis.

Propositio altera. Instituatur, humiliter *sed magna cum spe* [9] petere audeo, hac in Urbe, quamprimum, nunc est tempus opportunum (postea forsan in dioecesibus), commissio vel secretariatus vel aliquid simile, ubi a sacerdotibus et laicis ad hoc electis, recipiantur cum comprehensione et benevolentia omnes *omnino* [10] homines, qui cum Ecclesia dialogare velint — de ipsa vel de nobis, pro ipsa vel pro nobis, contra ipsam vel contra nos. Omnes hic recipiantur et auscultentur, non tantum, ut patet, intellectuales et artium cultores, illi qui « conferenze-stampa » frequentant...[11]

Ne illudamur, venerabiles Patres, parcite mihi, verbis perpulchris quae in foliis et in oratoria mundi, audiuntur de Ecclesia quasi triumphante *et in hoc momento, de Concilio, magno,*[12] vel de nostris operibus ...[13], Templis, Seminariis *etc.*[14] magnis sumptibus constructis monumenta perennis scandali.

Et iam conclusionem facio, verbis magni momenti Beatissimi Patris in *Ecclesiam suam*: « Si Pastores, Patres et Magistri hominum, esse cupimus, eorum fratres agamus... Quae omnia ex praeceptis et exemplis Christi necesse est nos memoria aeque tenere et ad effectum adducere ».

Quod in praxi erit quod schema nostrum dicit (n. 11, lin. 21) ...[15] eorum qui Christi nomine regunt Ecclesiam, in eo positum est, ut opus prosequantur illius, qui venit ministrare et non ministrari » ...[16]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] socialis, culturalis, oeconomica, diplomatica vel politica, sed. [3] ... non per sapientiam. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] et. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] sed imprimis operarii, studentes, mercatores, matres et patres familias, rudes, pauperes, illi qui persecutionem patiuntur et qui patienter pondus diei portant. Quid de Ecclesia? Quid de nobis dicunt? Quid de nobis sperant? [12] in terra, vel, hoc momento, de magno Concilio, vel de nobis. [13] et aedificiis, necnon de. [14] conventibus, scimus omnes, contra exhortationes Ioannis XXIII et Pauli VI, proh dolor! [15] « Munus. [16] (*Pt.* 20, 28). Sanctus Spiritus illuminet nos cantantes, in hac aula, quotidie, laudes, Evangelio Christi.

18

Exc.mus P. D. RENATUS FOURREY
Episcopus Bellevicensis

Venerabiles Patres et Fratres,

De n. 17, cap. III, pag. 18, loquar, i. e. « De communione fraterna in spiritu paupertatis aedificanda ».

Haec paragraphus mihi non placet.

Equidem libenter fateor quod spiritus paupertatis, ex parte fidelium et totius Ecclesiae, est « condicio primordialis pro fecunda actione in hoc mundo et pro spiritu vere aperto », ut ait schema.

Immo est signum nostris temporibus accommodatissimum; nostris temporibus dico, in quibus *mammon* ut deus frequenter honoratur, etiam, inter nationes quae christianae vocantur. Quod est forsan pessimum materialismum et atheismum.

Sed in nostro schemate locus non est piae exhortationis ad interiorem christiani sanctitatem fovendam, ad modum exercitium spiritualium. Piae exhortationi convenit invitatio quae lin. 35 invenitur: « spiritu pauperes fortiter in fide dolores et inopiam tolerant si a Domino permittuntur ». Non convenit schemati *de Ecclesia in mundo huius temporis,* quia intemporanea est, et quia non-christiani intelligere non possunt absque multis explanationibus permissionem mali a Domino, necnon relationes inter causam primam et causas secundas. Et generaliter omnes paragraphi propositiones verissimae sunt, sed non plene ad rem.

Aliunde *nostris temporibus*[1] homines verbis non credunt, sed factis.

In quo conveniunt cum Ioanne dicente: « Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate » ...[2] similiter cum Iacobo...[3]

Unde necessarium est ut spiritus paupertatis factis manifestetur, et paragraphus de hac manifestatione essentialiter tractare debet.

De quo quatuor animadversiones proponam.

A. In mundo hodierno, nullo modo sufficit spiritus paupertatis *singulorum.* Sed et *institutiones collectivae,* quae hodie primam partem fere ubique tenent, spiritum paupertatis habere et manifestare debent. Quod principium Synodus nostra clare enucleare debet « Spiritum paupertatis *et* socialem esse oportet ». Hoc autem valet pro omnibus institutionibus, imprimis pro institutionibus temporalibus a christifidelibus rectis, sed et a fortiori pro ecclesiasticis institutionibus.

B. Damnanda est usura in formis suis hodiernis, praesertim socialibus. Usura definiri potest: « pauperum inopia abuti ad lucrum faciendum ». Atqui in mundo hodierno non desunt incoepta ad lucrum faciendum, quae magnam amplitudinem etiam internationalem habent (vulgo: trust). Huiusmodi incoepta non sunt intrinsece mala, utilitate non carent, sed ad maius lucrum faciendum, facillime pauperum inopia abutuntur, sive quoad proprios opifices, sive quoad populos statusque minus evolutos. Quae usura pessimum peccatum est, et clamat ad Dominum. In Isaia legimus ...[4]: « Stat ad iudicandum Dominus... Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis? dicit Dominus... ». Ac nobis, venerabiles Patres, non licet « duces caeci esse excolantes culicem (quod in textu nostro fit), camelum autem glutientes »...[5]

C. Spiritus paupertatis ad hoc tendit, ut fiat aequalitas (*cf. 2 Cor.*[6]). Sed nostris temporibus eleemosyna non sufficit. Addi debet culturae ac frugiferorum bonorum communicatio, ita ut populi ipsi quibus auxilium fertur sibi meliorem vitam paulatim sua propria industria procurent. Hoc est magnum mandatum. De quo tacere non possumus. Ad minus, denuntiandum est quod pars facultatum divitiorum populorum quam hodie consecrant ad sublevandos pauperiores populos, prorsus incongrua est.

D. Flos spiritus paupertatis est humile Dei et hominum servitium. De servitio Dei iam fusius in nostra Sacra Synodo tractatum est, incipiente a Sacra Liturgia. De servitio hominum Christus Dominus et Magister apostolis suis in Coena dixit: « Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis » ...[7]. Ecclesia itaque, Mater et Magistra, se praebere debet erga homines temporis nostri et eorum bona incoepta ut ancilla.

Ancilla aures praebet; ancilla honorificat; ancilla non quaerit quae sua sunt. Si faciente Ecclesia in omnibus membris suis erga homines temporis huius, via aperietur ad verum dialogum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] nostri temporis. [2] (*1 Io.* 3, 18). [3] (1, 15-22). [4] (3, 13-15). [5] (*Mt.* 23, 24). [6] (cf. *2 Cor.* 8, 14). [7] (*Io.* 13, 15).

Moderator: Loquatur, si adest, exc.mus D. Bernardus Yago. Non videtur adesse. Rogantur Patres ut, debito tempore et praevio tempore, notum faciant se non esse praesentes, ita ut nulla adsit interruptio. Propter absentiam quorundam Patrum finem imponitur congregationi tempore breviori. Congregatio proxima erit cras, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CX

27 octobris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CX

27 octobris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Centesimam decimam congregationem generalem moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

In hac congregatione, Patres venerabiles, vobis distribuetur textus emendatus cap. VIII schematis constitutionis *de Ecclesia* et relationes nempe *de B. Maria Virgine*.

Hic textus emendatus suffragationi subiicietur feria quinta proxima et unica suffragatione super integrum caput, ita ut haberi possit triplex formula: *Placet, non placet, placet iuxta modum*.

Et en nomina eorum, qui verbo uti petierunt circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* in primis ad cap. II et III: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ioseph Frings, arch. Colonien. in Germania; Antonius Caggiano, arch. Bonaëren. in Argentina; Radulfus Silva, arch. S. Iacobi in Chilia; beat. D. Maximus IV, patr. Antiochenus et totius Orient. Alex. et Hierosolymitanus Melchitarum; exc.mi ac rev.mi DD. Hadrianus Gand, ep. coad. Insulen. in Gallia; Elias Zoghby, arch. tit. vic. patr. Antiochen. Melchitarum; Radulfus Zambrano, ep. Facatativen. in Columbia; Ioseph M. Marling, ep. Ieffersonien. in Stat. Foeder.; Carolus M. Himmer, ep. Tornacen. in Belgio; Paulus Gouyon, arch. Rhedonen. in Gallia; Ioseph Garneri, ep. Segusien. in Italia; Sigefridus Kowalski, ep. aux. Ulmen. in Polonia; Franciscus Kuharić, ep. aux. Zagabrien. in Iugoslavia; Hermannus Volk, ep. Moguntin. in Germania; Ernestus J. Primeau, ep. Manchesterien. in Stat. Foed. Americae Sept.; Henricus Gufflet, ep. coad. Lemovicen. in Gallia; Villelmus Cleven, ep. aux. Colonien. in Germania; Henricus Nicodemo, arch. Baren. in Italia; Mauritius Pourchet, ep. S. Flori in Gallia; Aurelius Sorrentino, ep. Bovensis in Italia.

Deinde ad cap. IV exc.mi DD. Marcellus Gonzales, ep. Asturicen. in Hispania; Isaac Ghattas, arch. ep. Theben. Coptorum in Aegypto; Dominicus Athaide, arch. Agraen. in India; Georgius Béjot, ep. aux. Remen. in Gallia; Andreas G. Grutka, ep. Garien. in Stat. Foed. Americae Sept.; Simon Lourdusamy, ep. aux. Bangaloren. in India.

1

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. FRINGS

Archiepiscopus Coloniensis

Venerabiles Patres et dilectissimi omnes qui adstatis in tribunis,

Tria velim adnotare ad magis enucleanda principia in cap. III contenta sed cum legere non possim et res hodie proferendae sint aliquantulum difficiliores, cum permissione em.morum moderatorum oro vos, Fratres, ut uti possim oculis et voce optimi mei secretarii [Rev. D. Hubertus Luthe] qui legat quae ego sic dictavi.[1]

1. Ex corde adhaereo iis, qui periculum alicuius platonismi in nostro schemate annuerunt. S. Augustinus ut iuvenis dixit aliquando « Deus et anima, nihil aliud »; sed ut senex idem reprobavit, quia Christus non solum venit, ut animas hominum salvas faceret, sed etiam corpora, et non tantum singulares homines, sed etiam homines in societate viventes, populos et mundum totum.

2. Sed etiam theologia incarnationis, secundum quem Christus incarnatus est, ut non tantum animas sed etiam corpora et mundum salvaret, per se *sola*[2] sumpta pericula non parva continet. Nam incarnatio filii Dei ad mysteria crucis et resurrectionis tendit. Et haec mysteria in nostro schemate pondus sibi proprium non habere videntur. Caro enim huius mundi in similitudinem carnis Christi post crucem et mortem in resurrectione salvatur. Progressus ergo mundani non immediate in regnum Dei transeunt; et in labore humano directe terra nova et glorificata non praeparatur, quia caelum et terra transibunt et in adventu Christi regis demum eius transfigurationis participes fient. Verus et absolutus progressus generis humani in eo fit, quod fides, spes, caritas augeantur, et in omnibus, quae ad hunc finem conducunt. Conceptus ergo « mundi », « progressus », « salutis » cautius adhibeantur.

3. Ecclesia et mundus, quae in regno Christi finali unum erunt, tempore peregrinationis diversa manent; nec Ecclesia potest in mundum resolvi nec mundus in Ecclesiam. Sicut ergo Ecclesia iure postulat a republica, ut eius structura et vita nullo modo violentur, ita etiam iura et structurae rerum mundanarum a christifidelibus observari debent. Ratio ergo agendi vere christiana non est, in rebus mundanis quasi ambitiosum esse rerum ecclesiasticarum, sed vere christianum est, in medio hominum, qui saepe solum pro partibus et factionibus suis agunt, sincere secundum exigentiam rerum agere pro bono omnium ho-

minum sine ullo discrimine. Haec est vera praeparatio regni Dei, in quo veritas et iustitia regnabunt.

Tres ergo veritates revelatae pro vita christiani in mundo semper respiciendae sunt: creatio, quae nos docet res mundanas ut opera Dei amare; incarnatio ex qua incitamur, ut omnia mundana Deo consecremus; crux et resurrectio, quae nos in sequela Christi ad sacrificium et abstinentiam erga res mundanas impellunt. Haec tria in unum sumpta veram libertatem christiani erga mundum procreant. [*card. Frings*] Dixi, gratias vobis, Patres, et secretario meo.

In textu scripto tradito: [1] Quae in cap. II et III dicuntur, multa bona et utilia continent, sed principia quae hic constituuntur pro vita christifidelium in mundo adhuc clarius enucleari debent. Et quidem. [2] solam.

2

Em.mus P. D. ANTONIUS card. CAGGIANO
Archiepiscopus Bonaërensis

Em.mi Patres Moderatores, venerabiles Patres,

Relate ad n. 17 cap. III, cui titulus « De communione fraterna in spiritu paupertatis aedificanda », aliquas animadversiones facere vellem.

Agitur quippe de quaestione singularis momenti hominum nostri temporis *ut* [1] non tantum inaequalitates odiosas inter ...[2] supprimere conetur, sed etiam conditiones fraterni convictus creare, in quibus amor regnet et amabilem faciat vitam eorum qui, quamvis victum suo labore acquirere conentur, tamen saepe eo carent; et si habeant, frequenter salarium percipiunt insufficiens ad suas necessitates tum personales tum propriae familiae satisfaciendas.

Omnia quae ab Ecclesia dicta et facta sint pro mundo huius temporis ut hoc problema rectam solutionem habeat, optime et avidissime ab omnibus accipietur. Insuper, hodie *omnes* [3] homines exspectant et exigunt ut Ecclesia offerat bonum et expeditum exitum huius quaestionis fundamentalis ad bonum ...[4] et ad pacem socialem totius generis humani.

Hoc schema ex alia parte, speciali modo cum omnibus hominibus nostri temporis loquitur, proinde uti *debemus* [5] verbis et stylo adaequato et separatis a vita christiana, et insuper non credentibus vel negantibus Deum.

Convenientissimum *hic* [6] igitur est, ne dicam necessarium ita mentem nostri Concilii pandere ut, incipientes ab ordine naturali, ad su-

pernaturalem tandem deveniamus, ut ineuntes dialogum veritatibus et principiis naturalibus, mandatis Evangelii postea confirmemus.

Certe si hac via non incedamus, magnam spectationem fere plerique humanitatis frustrare forsitan possemus.

His praemissis, liceat mihi nunc interrogare: curnam « In communione fraterna aedificanda » solummodo et imprimis « spiritus paupertatis » proponitur?

Optime quidem dicitur in n. 17: « si quis valide conferre vult ad civitatem fraternam extruendam, christiani memores erunt condicionis primordialis pro fecunda actione in hoc mundo et pro spiritu vere aperto: sequelae Christi crucifixi in spiritu paupertatis ». Certissimum *est.*[7]

Sed si Concilium loquitur oecumenice omnibus hominibus nostri temporis, haec non sufficiunt verba, quae maiori parti humanitatis, proletariorum mundo nempe constitutae, inintelligibilia fere sunt.

Incipiendum igitur est a valoribus qui ab omnibus in ordine naturali facile intelliguntur, ut quomodo ab evangelio perficiantur et compleantur bene intelligere possint.

Liceat igitur mihi, venerabiles Patres, interrogare: nonne titulus huius numeri, nempe: « De communione fraterna in spiritu paupertatis aedificanda », compleri deberet hoc modo: « De communione fraterna in iustitia, *primo*[8] in caritate et in spiritu paupertatis aedificanda »?

Homines huius mundi et nostri temporis sitiunt iustitiam quam intelligunt et sentiunt facilius quam omnes alios valores sive ordinis naturalis sive supernaturalis, quos ignorat maxima illorum pars.

In ordine naturali, ad solutionem quaestionis essentialis participationis bonorum naturalium, sensus iustitiae certe quidem primum est sicuti dignitas personae humanae et familiae exigit. Iustitia enim jubet tribuere « unicuique suum ».

Si omnibus quod suum est semper *tribueretur*[9] ingens numerus operariorum, maior nempe pars humanitatis, vitam in circumstantiis inhumanis vel infrahumanis in quibus nunc est, cum suis familiis, non degeret.

Ad mundum meliorem aedificandum, in quo omnes iuste participent bonorum communium humanae familiae, christiani non tantum spiritum paupertatis habere debent, immo et sensum humanum iustitiae, qui quidem fundamentalis est.

Haec *dico et*[10] iteranda sunt nam in omnibus ordinibus, *non excepto ordine ecclesiastico,*[11] sensus iustitiae recte exsecutus frequenter deest.

A Concilio nostro repetenda est iustitia omnibus operariis huius mundi et nostri temporis. Et repetenda est coram laborum datoribus,

legislatoribus et reipublicae moderatoribus. Coram laborum datoribus ut sua officia melius adimpleant relate ad operarios, salarium tribuentes iustum ita ut familiae vitam dignam atque humanam praebere possint. Coram moderatoribus reipublicae etiam ut recte atque claro sensu, legibus socialibus efficacibus, salaria iusta, concordantia possibilitatibus uniuscuiusque populi statuant; gradatim sed firmiter proletariorum conditiones, applicata Ecclesiae doctrina sociali, in dies meliores reddant.

Concludo igitur proponendo: 1. Titulus n. 17 ita modificetur: « De communione fraterna iustitia, caritate et spiritu paupertatis aedificanda »; 2. n. 17 igitur tres partes haberet: *a*) in qua de necessitate iustitiae ad communionem fraternam aedificanda ageretur; *b*) in qua de necessitate caritatis ad eundem finem obtinendum *et perficiendum* [12] diceretur; *c*) in qua omnia quae *quidem* [13] bene de necessitate spiritus paupertatis *dicta sunt* [14] ad communionem fraternam aedificandam...[15]

Tali modo n. 17 compleretur et perficeretur et non solum christianis sed omnibus hominibus nostri temporis certo proderit. Dixi, gratias.

In textu scripto tradito: [1] cum. [2] homines. [3] deest. [4] omnium. [5] debet. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] tribuitur. [10] dicenda atque. [11] in ecclesiastico etiam. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] in n. 17 dicta sunt ponerentur.

3

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Venerabiles Patres,

In n. 17 schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* agitur de communione fraterna in spiritu paupertatis aedificanda.

Circa hoc propositionem aliquam practicam rogare audeo nomine institutionis « Caritas internationalis ».

Vellem proponere aliquod exercitium paupertatis christianae, quae communis est omnibus fratribus cuiuscumque denominationis, ita ut divitiarum usus solidarior evadat et sit veluti participatio ad paupertatem Christi in levamen paupertatis hominum: « Quod superest, date pauperibus ».

Ad hoc bene percipiendum duplex distinguenda est paupertas in historia: paupertas ex gratia, seu evangelica, et paupertas ex peccato, seu subhumana.

Ambae a divitiis praescindunt sed ad possessionem tendunt. In

possessione enim invenitur perfectio hominis. Tantummodo Dei perfectio sistit in « esse », dum hominis perfectio sistit in « habere »: Deus « est »; homo « habet ».

Ambae tamen omnino inter se differunt, etsi maxime solidariae esse debeant.

Paupertas evangelica procedit a libera determinatione spiritus; est signum perfectionis *hoc* [1] personae, quae, cum ad possessionem bonorum eschatologicorum vere intendat, vitat periculum adhaesionis ad divitias terrenas. Paupertas evangelica non est specialis virtus; est potius quidam modus vivendi christianus, in quo omnes virtutes peculiariter exercentur sub ducto spei theologicae. Est motus dynamicus qui percurrit historiam omnibus rebus quidem utendo, sed nihil terrenum vere possidendo. Est signum libertatis et dominii; procedit ex abundantia spiritus et spiritualizat hominem.

Paupertas subhumana, e contra, procedit a servitute situationum et imperfectionum humanarum; est signum defectus fraternitatis et prudentiae, supprimit plenam libertatem personae et vilescere facit cor hominis. Paupertas ista nullo modo potest esse status virtuosus; est malum sociale omnino eradicandum quia materializat hominem.

De paupertate evangelica dictum est: « Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum caelorum »; de paupertate autem subhumana dictum est quod in ipsa impossibile evadit exercitium virtutis.

Augenda est in terris paupertas evangelica; delenda autem est paupertas subhumana.

Nunc autem, mihi videtur ut omnes, qui de paupertate evangelica vivere conamur, aliquid agamus, practice quidem et modo solidario et organizato, ad paupertatem subhumanam concrete minuendam. Terra continet divitias sufficientes pro omnibus hominibus, sed solum pauperes spiritu scire possunt vias solidarietatis et caritatis ad eis utendum in bonum hominum.

Hodie exercitium paupertatis evangelicae non exigit simpliciter praescindentiam a divitiis sed etiam earum usus in favorem pauperum. Hoc significat quod omnes christiani ad hoc vocantur in societate ut eorum paupertas evangelica habeat etiam solidariam efficaciam ad serviendum fratribus egenis.

Ergo, prae oculis habens: *a*) existentiam in nostro saeculo immensae paupertatis subhumanae ...[2]; *b*) specialem possibilitatem christianorum, qui ...[3] ex parte pertinent ad populos magna fruentes bonorum copia; *c*) valorem positivum organizationis, his in diebus maxime auctum; *d*) motum oecumenicum in dies magis inter se vinculans omnes christianos: proponere audeo quod Concilium studeat organisationis ali-

cuius coetus internationalis qui coordinet et foveat possibilitates solidarietatis omnium christianorum erga egenos. Ista propositio tria implicat specialia:

1. Quod auxilium praestandum non tendat simpliciter ad quamdam eleemosynam fugacem faciendam, sed ad concretam et stabilem promotionem classium egenarum et ad progressum populorum in egestate degentium. Hoc clare notandum est: auxilium solidarietatis de quo agimus, tendere debet, in quantum fieri potest ad destructionem causarum iniustitiae socialis, ita ut eruantur pauperes ab eorum situationem subhumanam.

2. Quod, quamvis in initio iste organismus sit catholicus, curetur ut fiat revera interconfessionalis, repraesentans omnes christianos qui Christum pauperem imitare conantur.

3. Quod ad hoc melius assequendum agatur quotannis collecta universalis, de qua pluries locutus est praeclarus Dominus Anscarius Cullmann, hic inter fratres observatores praesens. Ista collecta inter omnes peracta posset esse revera veluti quoddam « sacramentale » prae se ferens testimonium simul et solidarietatis populorum, et paupertatis evangelicae, et desiderii verae unionis in Christo. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] sicuti in hac aula iam dictum est e. g. ab em.mo card. Landázuri. [3] magna.

4

Beat.mus P. D. MAXIMUS IV SAIGH
Patriarcha Antiochenus Melchitarum

Vénérables Pères,

L'Eglise dont le rôle dans le monde est d'amener tous les peuples au Christ doit s'intéresser tout d'abord aux problèmes vitaux de ses enfants, ses témoins dans le monde, pour les éduquer à la pleine connaissance du Christ. Et si elle veut engager le dialogue avec le monde d'aujourd'hui par ses fidèles, ceux-ci doivent être formés et traités selon le principe fondamental de la morale du Christ: « Je ne vous appelle plus serviteurs, car le serviteur ignore ce que fait son maître; je vous appelle mes amis, car tout ce que j'ai appris de mon Père je vous l'ai fait connaître » ...[1]. Si l'Eglise veut aussi contribuer à la construction de la cité terrestre, d'une manière apte à engendrer la foi, elle doit nécessairement former ses fidèles selon la loi du Christ, qui est une loi de

grâce et d'amour, afin que tous arrivent à une profonde responsabilité dans la liberté des enfants de Dieu.

Cette éducation à la maturité et à la responsabilité est aussi une exigence des temps que nous vivons. Ces temps ne sont plus ceux du Moyen-Age. L'âge d'enfance est dépassé. Le monde demande aujourd'hui, avec tenacité et virilité, la reconnaissance de la dignité humaine dans toute sa plénitude, l'égalité sociale de toutes les classes. Ce monde jouit d'une culture intellectuelle intense; il assiste à des découvertes scientifiques hier encore inconcevables; il est épris de liberté et a — au moins dans ses élites — conscience de sa responsabilité. Eh bien! ...[2] nous ne pouvons plus aujourd'hui lui imposer des lois, sans en montrer la signification positive et la sagesse.

Cet état d'âme de la société d'aujourd'hui ne réclame-t-il pas une *révision de la présentation de l'enseignement de la morale?* En effet, cet enseignement, surtout depuis le XVIe siècle, s'était trop adapté au légalisme et à l'immaturité d'une société close et absolutiste. L'enseignement actuel est trop marqué par le légalisme d'une époque révolue et toute impreignée du droit romain. Or, notre morale chrétienne doit avoir un caractère christocentrique avec une expression d'amour et de liberté. Elle doit éduquer en chacun le sens de la responsabilité personnelle et communautaire. En conséquence, *une revision profonde de bien de nos disciplines* — changeantes d'ailleurs de leur nature — *s'impose* obligatoirement. Il va de soi qu'il ne s'agit pas ici de dogmes immuables qu'il faut cependant bien expliquer. Cette révision est nécessaire en vue de la sanctification de notre peuple par la promotion, le respect, la purification de ce désir d'une responsabilité plus profonde et plus courageuse. Bien des choses du bon vieux temps, acceptées par nos aieux simples et pieux, ne le sont plus aujourd'hui. *Nous* [3] citons, comme exemple, que la présentation faite dans nos catéchismes des Commandements de l'Eglise. D'après nos catéchismes, manquer sans motif, une fois la messe du dimanche, ou manger une fois gras le vendredi, constitue un péché mortel, méritant par suite la damnation éternelle. Est-ce raisonnable? De nos jours, combien de catholiques adultes le croient-ils? L'Eglise est une mère; une marâtre peut-elle imposer pareille obligation, sous peine de damnation éternelle? Et l'incroyant, à la conscience droite et à l'âme sincère, n'est-il pas en droit de nous prendre en pitié? Nous pourrions dire aussi bien des choses, concernant le sacrement de pénitence. Donc la révision s'impose. Cela ne peut être mis en doute.

D'autre part, les Commandements doivent être des voies pour la Béatitude, plutôt que pour la condamnation: « Observe les Com-

mandements et tu vivras », dit le Livre des Proverbes ...[4]. Ne serait-il pas plus évangélique, plus efficace et même plus pratique de présenter les Commandements, non comme des ordres sous peine de péché, mais comme des conseils qui attirent, comme une lumière qui engendre l'amour? La mère gagne ses enfants, non par des coups de bâton, mais par la chaleur de son *cœur*.[5] D'ailleurs, l'homme du xxe siècle est réfractaire à tout ce qui est coërcition. Nous-mêmes, combien notre conduite à l'égard de nos enfants a subi de changements? Pourquoi en serait-il autrement de l'Eglise à l'égard des fidèles?

L'esprit légaliste bloque l'énergie des prêtres et des fidèles, qui devraient s'engager courageusement pour le salut du monde et pour la construction d'une cité terrestre meilleure, plus libre et plus fraternelle. De plus, cet esprit de large ouverture n'est-il pas celui de Notre-Seigneur, pour qui « le sabbat est fait pour l'homme, et non l'homme pour le sabbat »? N'est-il pas celui de S. Paul, le libérateur de la « Gentilité »? N'est-il pas aussi celui des Pères de l'Eglise? Et si beaucoup d'entre nous, orientaux catholiques, ne sont pas indemnes de cet esprit trop légaliste que nous signalons, c'est par suite de l'influence des livres des canonistes et des moralistes que nous avons étudiés durant notre jeunesse.

L'Eglise, en révisant ainsi son attitude à l'égard de ses lois positives, *ne fait pas subir un fléchissement à la doctrine catholique* en faveur d'idées modernes et capricieuses, mais fait une adaptation de pédagogie chrétienne aux besoins de l'époque actuelle. Jean XXIII, de sainte mémoire, ne parle-t-il pas d'adapter l'Eglise aux besoins de la vie religieuse et sociale de notre temps, et ne déclarait-il pas avant sa mort: « Nous n'avons pas encore découvert les exigences de la charité »? Cette présentation de la morale doit être, non pas à l'échelle de l'homme replié sur lui-même, mais à celle de l'homme ouvert, artisan responsable de l'univers; *et cette présentation, le monde actuel l'attend de l'Eglise.*

Cela dit, nous proposons la création d'une commission assez large de théologiens avertis pour étudier, à la lumière de l'Evangile et de la Tradition des Pères, dans l'ouverture de cœur et la sincérité de la foi, l'enseignement de la morale en général, et des Commandements de l'Eglise en particulier, pour les mettre au diapason de notre vie réelle et actuelle, afin que l'Eglise ne soit plus taxée, comme on l'accuse souvent, d'être un éteignoir, mais plutôt un phare de vérité et de lumière pour illuminer tout homme venant en ce monde. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Io.* 15, 15). [2] à ce monde. [3] Ne. [4] (7, 2). [5] amour.

5

EXC.MUS P. D. HADRIANUS GAND

Episcopus tit. Macrianensis minor, coad. c.i.s. Insulensis

Venerabiles Patres, Fratresque omnes carissimi,

Ante omnia mihi liceat veniam humiliter petere quia heri ut mihi dictum est aliquam perturbationem in hac aula invitus attuli. Et nunc[1] loquar de n. 18 cap. III. Liceat mihi aliquas animadversiones proponere de structura dialogi et de conditionibus quibusdam requisitis ad eius efficacitatem.

1. *De structura dialogi.* Dialogus cum hominibus fratribus nostris in hoc mundo postulat primo *cognitionem* praecisam mundi in quo vivimus. Quae cognitio hodie non facile acquiritur. Nam ex una parte universus mentalis christianorum aliquando adhuc extraneus est difficultatibus vel problematibus hominum, et ex alia parte mundus noster tam complexus in statu mutationis profundae et celeris versatur tum quoad relationes inter homines et naturam, tum quoad relationes sociales inter homines.

Attamen, etsi *sit*[2] difficilis, sola cognitio vera, i. e. non empirica sed quasi scientifica, scil. procedens ex praecisa informatione, nos servare potest a iudiciis a priori et saepe erroneis quibus dialogus impeditur et tandem spernitur Ecclesia.

Itaque oportet ut magis ac magis in universo mundo christiani idonei se devoveant studio problematum temporis nostri, praesertim circa scientias humanas, quae problemata non sola bona voluntate nec superficiali cognitione solvi possunt.

Ipsa caritas, quae per Spiritum Sanctum in cordibus nostris diffunditur, impellit Ecclesiam ad illum laborem arduum et perseverantem, sine quo non est dialogus.

Eadem unica caritas simul erga Deum et proximum nos impellit etiam ad hominum intelligentiam quae ex corde profluit. Nam scientifica cognitio non sufficit. Quando de problematibus hominum, e. g. de atheismo, de pace vel de fame loquimur, numquid oblivisci possemus quod non sint problemata theoretica? Homines attingunt in intima vita, in carne, in spiritu, et de illis non solum ex intelligentia, sed etiam ex corde loqui oportet.

Insuper haec cognitio ex corde permittit aestimationem « valorum » quae non sunt privilegium christianorum; adsunt enim in hominibus non-christianis, etiam atheis e. g. quaedam abnegatio, spiritus frater-

nitatis, amor iustitiae ut praeparationes evangelicae, opus Spiritus Sancti in regnum Dei. Addendum tamen quod illorum valorum recognitio exigit « sensum Christi », de quo S. Paulus in *1 Cor.,* 2, 16, scil. sensum discretionis, quo christiani, Spiritu Sancto ducti, in rebus concretis aestimare possunt quae sunt Christi et quae a peccato vel a spiritu malo.

Dialogus, qui cognitionem et aestimationem hominum postulat, exsistit sive *inter personas,* sive *inter communitates.* Textus paragraphi nostri loquitur primo loco de dialogo inter personas. Mea sententia, in mundo hodierno, ubi organisatio et socialisatio tam viget, ordo mutandus esset; nam homo hodiernus inseritur in multis consociationibus, oeconomicis, socialibus, politicis; ut sit historiae mundi particeps, christianus in his communitatibus praesentia activa laboret. Optime notatur in textu quod dialogus duplici modo existit:

1) per praesentiam in institutionibus temporalibus, ubi christiani cooperantur cum omnibus; est illa praesentia maximi momenti; etenim ex his institutionibus saepe pendet sors mundi; itaque actio illa institutionalis est primordialis forma caritatis;

2) inter institutiones christianas et instituta temporalia; tunc christiani evigilent ut instituta christiana quae fines temporales prosequuntur non sint velut arces sine relationibus cum aliis, sed, in quantum possibile est, aperta sint ad cooperationem in spiritu abnegationis et servitii.

Tandem perveniendum esset ad dialogum inter personas, quia homo non est elementum quoddam in massa anonyma. Est persona, in Christo vocata ad libertatem filiorum Dei, in fraterna communione cum hominibus in corpore Christi quod est Ecclesia.

In hoc dialogo, christianus ad hanc dignitatem vocatur spem suam aliis communicandi. Quae dignitas — et hoc forsan in textu non satis notatur — non reservatur aliquibus, scientia vel ingenio praeditis, sed pertinet ad omnes fideles, etiam modestos, in ipsa vita quotidiana, dummodo conditiones adsint de quibus nunc breviter pauca dicam.

2. *De conditionibus ad efficacitatem dialogi.* In textu de illis optima indicantur. Attamen, modo magis synthetico, exprimi possent. Ad hoc enim reducuntur, ut christianus humiliter et fortiter conetur esse « creatura nova », in fide, spe et caritate vivens sub influxu Spiritus Sancti. Ex caritate profluit spiritus abnegationis et verae paupertatis, quo homo egoismo et sufficientia sui liberatur *et sic* [3] via ad verum dialogum *aperitur.*[4]

Praeterea renovatio ad totam Ecclesiam extendi debet. Sine Ecclesiae renovatione, dialogus cum mundo non erit. Ideoque clare appareat quod Ecclesia non quaerit dominationem neque potentiam, non in pri-

vilegiis firma remanet, non potestatibus et principatibus huius mundi innititur. Est enim inter homines signum Christi « qui non venit ministrari sed ministrare ». Sit in mundo « sicut qui ministrat », addicta Dei servitio in omnibus hominibus, in vera simplicitate et paupertate evangelica.

Conclusio. 1. De cognitione mundi ad dialogum necessaria, fusius et praecisius dicatur propter difficultatem materiae. 2. Mutetur ordo paragraphorum de dialogo inter personas et inter communitates. 3. Modo magis synthetico exponantur conditiones ad efficacitatem dialogi requisitae. Dixi, gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] ita ut. [4] aperiatur.

6

Exc.mus P. D. ELIAS ZOGHBY

Archiepiscopus tit. Nubiensis, vic. patr. Antiochen. Melchitarum

Venerabiles Patres,

Aliquas tantum observationes quoad cap. II, quod in sapore amoris deficit, facere volo.

1. Cap. II huius schematis a servitio incipit quod ab Ecclesia exercetur, et hoc, iure merito, quia ministerium servitii ad salutem obtinendam, Ecclesiae demandatur, necnon ut hominibus Evangelium transmittet. Nonne melius esset tamen si hoc caput a ministerio caritatis et amoris initiaretur? Ad penetralia mysterii, plus ac verius ita deduceremur. Nam Christus ab operibus misericordiae erga egentes huius mundi incepit ministrare, aegrotos curans, afflictis consolationem praebens, illos qui panem non habebant sustentans, et super quamcumque indigentiam, quae quamdam similitudinem cum morte habebat et ad mortem ducat, ipse, qui super mortem peccati et corporis victor tandem exsurgeret, suam victoriam iam aliquomodo ita praelibaret.

Instrumentis misericordiae utebatur Christus, et sic turbas parabat ut crederent saluti. Ita Ecclesia praesens fiat ut opus Christi caritatis continuat. Quod suggererem ut addatur initio cap. II.

2. Ut Ecclesia ita praesentetur, in memoriam textus revocet, hanc, Christum imitantem tanquam matrem, semper sollicitam fuisse, etiam de bonis temporalibus pro omnibus hominibus. Et imitans Dominum, frequentissime, decursu temporum, miserias corporales sublevavit, non

vero ut tandem, quasi furtim, fidem praedicaret, sed ex abundantia cordis et ex misericordiae visceribus.

Ita considerari debent et confirmari in schemate tot Ecclesiae opera misericordiae quae fiunt in nosocomiis, asyliis, scholis, etc. in quibus religiosi et sorores aperiunt animas quae nunquam alio modo aperiri possent.

3. Hoc facientes, minus didacticis, sed magis spontaneis utamur verbis tam cordi quam menti directis. Sic Ecclesia et mater et magistra apparebit.

4. Cap. II, par. 11, postquam de missione apostolorum actum est, de auctoritate servitii pastorum plus agatur. Mundus enim nos improbat quod magis dominemur. Quod sumus homines dicamus, inter homines electos, cum debilitatibus et defectibus nostris. Salus mundi non est ecclesiastica industria, quam mundo imponeremus; neque caelum proprietas nostra privata in quam homines victoriose impellere cupimus. Nosmetipsi ad salutem conquirendam strenue colluctare debemus. In memoriam textus revocet nos dominationem nostram hominibus non imponere, neque salutem nostram mundo offerre, sed humiliter proponere hanc quam Christus nobis obtulit, cum suis mediis quae nobis communicavit.

5 et ultimo. Testimonium nostrum mundum non attinget nisi in simplicitate et paupertate collatum, necnon in directo contactu cum pauperibus. Mundus fidelis, necnon infidelium, circa pauperes et eos qui fame pereunt vertitur. Ibi praesertim praesentia nostra necessaria est. Necesse est ...[1], ut haec praesentia Ecclesiae apud pauperes in schemate fortiter affirmetur et in ecclesiasticorum vita concreta.

Adsimus ergo circa pauperes, domus beneficientiae frequenter visitantes, imo residentia nostra episcopalis sit pauperum domus et paretur ut opus caritatis intra muros accipere possit. Urgentius illud est, si praeiudicia et accusationes quae nobis adversantur et quae testimonium nostrum inefficax reddunt infirmare volumus.

Concludo. Cum mundus hodiernus nonnisi auctoritatem servitii agnoscat, titulos et insignia quae honores nimis sapiunt et dominationem alacriter significant, vitemus. Parcamus etiam Romano Pontifici, Christi primo vicario in terris, appellationes triumphantes, uti « feliciter regnans », regnum temporale nimis significans, dum ipse servus servorum se dicat. Cum dicimus « Sanctus Pater », quid adhuc *plus*[2] addere debemus?

In conclusione, aliqua Papae Ioannis XXIII verba hic allegare volo. Papa ille, quem mundus « bonum Papam Ioannem » appellabat, cla-

rissime ideam fundamentalem totius *huius* [3] schematis *in* [4] memorabilibus expressit verbis cum dixit « Omnes qui mihi in vita mea obviaverunt, sincero animo amavi ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ergo. [2] deest. [3] deest. [4] his.

7

Exc.mus P. D. CAROLUS M. HIMMER
Episcopus Tornacensis

Venerabiles Fratres,

Iam multa dicta sunt [1] circa art. 17 in quo de spiritu paupertatis agitur...[2]

Liceat tamen ad perficiendum hunc textum quasdam adhuc suggestiones exprimere.

Prima animadversio respicit stylum. ...[3] Potius quam *pia* [4] adhortatio sit ibi quaedam valde instans interpellatio attestans fiduciam et spem nostram in christianos nostrae aetatis nam apud multos exsistit vera generositas et sincerum desiderium respondendi huic invitationi ad fraternitatem et paupertatem.

Secunda animadversio. Melius adhuc in luce ponatur *aspectus positivus et constructivus,* si licet ita loqui, huius paupertatis. Paupertas non propter seipsam sed propter promotionem Regni Dei et constructionem civitatis humanae.

Cur? *1ª ratio*: quia hic aspectus est conformis sacris litteris, speciatim Novo Testamento. Conferatur apud *Lc.* 6, 20: « Beati pauperes quia vestrum est regnum Dei ».

A christianis ergo paupertas non est diligenda et vivenda propter se sed ut Regnum Dei adveniat et firmetur in ipsis christianis et in toto mundo. Conferatur etiam *Lc.* 3, 11: « Qui habet duas tunicas, det non habenti » et *1 Io.* 3, 17: « Qui habuerit substantiam huius mundi et viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo quomodo caritas Dei manet in eo? ». Ergo paupertas in actum reducenda est a christianis ut ipsa paupertas egentium vincatur.

2ª ratio: quia praesentatio huius aspectus constructivi paupertatis omnino correspondet scopo huius schematis.

Etenim paupertas a christianis vere exercita est clavis qua christiani necessario uti debent si sincere intendunt pro parte sua ad efficacem

solutionem omnium arduorum problematum mundi praesentis collaborare.

Omnes *enim* [5] quaestiones de quibus postea incipiendo ab usu matrimonii usque ad suppressionem famis apud multos populos nunc crudeliter saevientis atque constructionem civitatis humanae in iustitia et in pace requirunt homines realiter ad renuntiationem propriam promptos, i. e., non verbo sed re paratos ad spoliandos semetipsos ut egentiores ditent et sublevent.

V. g. ut tantum unum exemplum sumemus, hoc *magnum* [6] problema famis et miseriae grassantis in mundo. Huius solutio non postulat tantum actum caritativum, etsi immensae dimensionis atque scientifice et methodice institutum, quo distribuetur fratribus ...[7] panis, cibus, medicinae et huiusmodi generis adiumenta. Omnes nos intelligimus hoc non sufficere. Requiritur praeprimis in his regionibus et *simultaneis* [8] in nostris *investigatio* [9] erectio, promotio et continua aptatio structurarum oeconomicarum, socialium et politicarum quibus progressive aequa participatio omnium hominum omniumque populorum in communi familiae humanae patrimonio. Atqui hoc opus exigit in numero semper crescenti viros et mulieres, iuvenes et adultos, multis qualitatibus humanis et moralibus praeditos.

Oportet eos esse ...[10] audaces, fortes, spiritu fraternitatis et iustitiae imbutos sed simul evangelicae paupertatis sincere sequaces...[11]

Tertia animadversio. Enucleetur magis adhuc *valor proprius paupertatis christianae* ut christianae, *nam hoc scimus et hoc debemus fateri non desunt hodie tales viri et mulieres apud non christianos sed propterea debemus hoc recolere valorem proprium paupertatis christianae ut christianae.*[12]

a) Pertinet enim haec paupertas ad essentiam Evangelii *sicut declarat Christus.*[13] Non tantum pro quibusdam privilegiatis ad vitam consecratam vocatis sed pro omnibus sequacibus suis ...[14]: « Dives difficile intrabit in regnum caelorum... Facilius est camelum per foramen acus transire quam divitem intrare in regnum caelorum »...[15]

b) Haec paupertas evangelica in ipsis credentibus originem habet ab ipso Deo *est supernaturalis ita ut in eodem loco, Christus declarat:*[16] « Apud homines hoc impossibile; apud Deum autem omnia possibilia sunt »...[17]

Sed quid tunc si christiani non sunt reapse et non apparent manifeste in vita et in actionibus suis minus pecuniae et aliis bonis materialibus adhaerentes quam alii *non christiani.*[18]

Quarta animadversio. Propterea insistendum est in schemate *in valorem testimonialem* eiusdem paupertatis: Paupertatis spiritus *et reali-*

satio huius spiritus[19] est signum seu criterium quo christiani hodie a mundo iudicabuntur.

...[20] Tota quaestio ad hanc veluti redit: Ex doctrina quam profitentur et ex praesentia dynamica Dei quam dicunt detinere in seipsis, ii christiani, ceterum magis numerosi et magis influentes in nationibus divitioribus, suntne capaces an non superandi amorem divitiarum ad investigandas et erigendas, cum aliis, structuras alicuius novi mundi in quo cessabit scandalum famis et egestatis?

Quinta animadversio et concludo. Melius *ergo in schemate*[21] distinguatur inter paupertatem christianorum et paupertatem ipsius Ecclesiae atque nexus inter utramque magis indicetur.

Nimis timide in hoc articulo optatur ut et ipsae Ecclesiae structurae hunc spiritum paupertatis exprimant; *non scribitur exprimunt sed exprimant.*[22] Nonne vobis videtur, Patres, quod si nostris christianis hanc paupertatem praedicamus, nosmetipsi et quidem primi in hanc viam magis ac magis ingredi debemus, modo quo Spiritus Sanctus hoc nobis suggeret, ad imitationem ipsius Christi, cuius in supremo gradu sacerdotii personam gerimus, qui « cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens » ...[23] et propter nos « egenus factus est, cum esset dives »...[24] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Hic articulus, praeter alia merita, haec duo praecipua habet. Primo quia optime memorat spiritum paupertatis et primordialem condicionem a christianis requisitam ad mundum actualem occurrendum. Secundo quia considerat paupertatem ut suppositum omnino necessarium ad communionem fraternam inter membra familiae humanae restaurandam. Propterea substantia huius articuli intacta manere debet. [3] Sit hic stylus magis dissimilis ab illo cuius in sermonibus fit usus; vitentur repetitiones, idearum connexio sit magis manifesta. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] (scil. saltem duarum tertiarum partium humanitatis). [8] simul. [9] deest. [10] perspicuos. [11] Tantum hoc paupertatis studio poterunt sese liberare a concupiscentia pecuniae, ambitionum et commodorum cuius vis seductiva est hodie tam potens et insidiosa. Non desunt hodie tales viri et mulieres, etiam apud non christianos, hoc humiliter fateamur. Et propterea liceat exprimere etiam tertiam observationem. [12] deest. [13] Christi utpote intime connexa cum caritate simul divina et fraterna in qua residet legis plenitudo. [14] Christus declarat. [15] (*Mt.* 19, 23-24). [16] hoc sensu quod exercitium praecepti paupertatis, utpote valde repugnans inclinationi egoisticae naturae nostrae, requirit omnino auxilium gratiae divinae secundum Christi declarationem in eodem loco. [17] (*Mt.* 19, 26). [18] deest. [19] deest. [20] In hoc momento historico, efficacia christianismi pro parte quam habere potest in societate civili condenda secundum exigentias iustitiae, aestimabitur, praesertim ab iis qui extra Ecclesiam sunt, secundum modum agendi membrorum Ecclesiae in campo oeconomico, sociali et politico. [21] deest. [22] deest. [23] (2 *Cor.* 8, 9). [24] (2 *Cor.* 8, 9).

8

Exc.mus P. D. IOSEPH GARNERI
Episcopus Segusiensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine 84 Patrum ex Europa, Asia et America Latina.[1] Supra cap. III ad n. 18 nempe: « de dialogo eiusque condicionibus ».

Quod ibi dictum est, optimum nobis videtur. Attamen convenientius foret quaedam instrumenta valida (fattori validi) ad dialogum fovendum expresse indicare.

Inter haec instrumenta potissimum locum tenet Turismus, sic dictus, cum praebeat favorabiliores et innumeras condiciones dialogi « inter omnes et ubicumque ». Turismus enim congregat per quoddam temporis spatium et in opportuna loca magnam hominum multitudinem, quae uti potest quo quis tempore vult et quae versatur in statu propitiae relaxationis psychicae, omnibus curis laboribusque relictis.

Quo autem verius intentiusque dialogus profluat, promanare debet ex intima Ecclesiae aptitudine ad aliis sese aperiendam et ad illos praeoccupandos et recipiendos.

Hoc modo periculum vitatur interpretandi mundi actualis veritatem secundum mentis schemata obsoleta et inepta; directe attinguntur et pro valore aestimantur quae sunt signa huius temporis et quae ad mentem et conscientiam hominum efformandam hodie valde conspirant. Sic sibi ipsi Ecclesia acquirit, sub luce ac typo Incarnationis Verbi Dei, quidquid boni mundus habet ad communionem comparandam et ad dialogum instituendum.

Quapropter opportunum videtur hic meminisse illud phaenomenum magni ponderis et fere universalis momenti, quod Turismum vocant, de quo *ni fallor*[2] in hac Sacra Synodo fere nulla mentio facta est, nequidem in schemate « De apostolatu laicorum »...[3]

Liceat aliqua data statistica memorare relate ad Europam occidentalem, ut unusquisque Patrum pro certo habeat phaenomenum illud praestantissimum esse ad mundi hodierni dynamismi typicam expressionem repraesentandam.

Anno elapso, e. g., sexaginta decies centena millia turistarum (60 milioni) feriati sunt extra fines propriae nationis.

In Italiam venerunt circiter viginti duo decies centena millia alienigenarum (22 milioni), dum Turistae Italici quindecim decies centena

millia fuerunt, praetermissis turistis degentibus in sic dictis « camping » et domibus privatis.

En alia data statistica *relate ad turistos exteros* [4]: Gallia: sex decies centena millia...[5]; Belgicum: quattuor decies centena millia; Helvetia: quinque decies centena millia; Hispania: circiter tredecim decies centena millia; Graecia: circiter quinquaginta millia; Germania Occidentalis: sex decies centena millia turistarum exterorum et viginti quattuor decies centena millia circiter indigenarum (30 milioni).

Hi numeri uti patet nostram admirationem provocant. Attamen annotatio phaenomeni hucusque peracta ne a longe quidem eius amplitudinem exhibet; adest enim alius aspectus respiciens illam ingentem transmigrationem, quae fruitur sic dictis "week-end" et "sports"...[6]

Non omnes eodem modo cura pastorali prosequendi sunt, sed omnes condicionem praebent ad dialogum promovendum...[7]

Prae mente habere iuvabit quod Summus Pontifex Paulus VI feliciter regnans, quattuor vicibus ...[8] iam allocutus est. Prae primis recordari debemus quod Sanctus Pater indicavit quamdam relationem esse inter Concilium Oecumenicum et Turismum: « il Turismo apre al laicato cattolico una possibilità amplissima e multiforme di quella collaborazione, che anche il Concilio Ecumenico sta studiando nelle sue varie forme » ...[9]. Ipse Paulus VI Turismum vocavit: « Avvenimento del secolo » ...[10]; et adhuc: « La Chiesa non deve disinteressarsi di un fenomeno di tale ampiezza e di tale complessità »...[11]

In allocutione ad Caupones ...[12] sic allocutus est: « Le singole autorità Ecclesiastiche hanno da Dio la grave responsabilità di pensare alla cura spirituale dei fedeli, che anche temporaneamente soggiornano nelle loro circoscrizioni, organizzandola nelle forme più adatte alle moderne esigenze della Pastorale d'insieme; ma grande è pure il campo che si apre alla collaborazione di voi tutti. Ci riferiamo agli incontri di cultura e di spiritualità cattolica, sperimentati negli alberghi di rinomate stazioni climatiche con successo talora superiore alle aspettative ».

Concilium nostra tempora sequi vult et Ecclesiam perducere ad sic dictum « aggiornamento ». Atqui praecellens phaenomenum dynamismi mundi hodierni est Turismus. Ergo per curam pastoralem turismi propriam a Concilio commendandam Ecclesia se inserit in hoc phaenomenum dynamismi huius aetatis.

Praeterea schema nostrum innititur dignitate humanae personae et authenticum humanismum christianum instaurare intendit. Ut autem hoc effici possit, Turismus quoque considerari debet — ut dixit Paulus VI — « come mezzo di educazione, nella sua possibilità educativa degna in tutto della persona umana »...[13]

Optimo iure schema prae oculis habet familiam in sua hodierna physionomia; neminem vero latet influxus, positivus vel negativus, quem turismus exercere potest in hoc primordiali et essentiali instituto dialogi humani.

Quomodo insuper de labore quis disserere possit quin adnexum pertractet problema ...[14] « temporis liberi » et eius recti usus?

Neque omittendum est maximam oeconomiae partem quorundam populorum in egestate degentium ex Turismo sustentari et superfluum videtur addere momentum Turismi ad ipsam solidarietatem generis humani et mundi pacem fovendam.

Quod optime affirmatur a Summo Pontifice in allocutione ad quingentos viginti participantes conferentiae mundiali de Turismo « que le Turisme puisse être un facteur valide dans la formation culturelle moderne, un lien de sympathie entre les peuples et de la paix internationale » ...[15]

Denique merito em.mus card. Bea in sua interventione in « I Conventu Pastorum animarum » de « re pastorali Turismi » ...[16] locutus est de valore oecumenico Turismi cum sit instrumentum ad dialogum instituendum inter homines differentis religionis et nationis.

Venerabiles Patres, *concludo*. Dialogum christiani idonei prosequantur cum omnibus hominibus bonae voluntatis, mutuam cognitionem et aestimationem in communione fraterna promovendo.

Et ideo humiliter et fidenter petimus: 1. Ut saltem quaedam instrumenta dialogi expresse nominentur. 2. Ut Turismus computetur et nominetur inter instrumenta validiora et iam extantia ad dialogum fovendum. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] Unus Pater, ni fallor, momentum turismi notavit. [4] deest. [5] turistarum exterorum. [6] necnon diebus festivis immorando in locis delectis sive ad montes sive ad mare sive ad thermas. [7] Omnibus igitur patet turismum nostris diebus valde fovere humanam conversationem (convivenza); quam ob causam omnes reipublicae moderatores hoc phaenomenum sub diversis aspectibus magis ac magis considerant. [8] ni fallor. [9] (cf. *L'Osservatore Romano* del 7 giugno 1964: Allocuzione ai partecipanti al III Symposium Turistico). [10] (Discorso dell'Assunta 1964). [11] (cf. *L'Osservatore Romano* del 7 giugno 1964). [12] (die 7 maii 1964), idem Summus Pontifex. [13] (Discorso del 7 giugno 1964 già citato). [14] sic dicti. [15] (cf. *L'Osservatore Romano* del 1 sett. 1963). [16] Romae celebrato a. 1963.

[*Subscripserunt etiam*] E. Marty, arch. Reims; E. Pizzoni, vesc. Terracina; C. Flusin, vesc. Saint-Claude; E. Guano, vesc. Livorno; G. Motolese, arch. Taranto; P. Veuillot, arch. coad. Paris; Gouyon, arch. Rennes; G. Urtasun, arch.

Avignon; A. Catarella, vesc. Piazza Armerina; P. Puech, év. Carcassonne; P. Rougé, év. Nîmes; J. de Cambourg, év. aux. Bourges; V. Cecchi, vesc. Fossombrone; P. Fiordelli, vesc. Prato; G. Mocellini, vesc. Comacchio; E. Principe, ep. aux. Santa Fé (Argent.); P. Hnilica, ep. tit. Rusado; A. Pangrazio, arch. Gorizia; G. Rinaschi, vesc. Pinerolo; C. Rossi, vesc. Biella; F. Cialeo, vesc. Lyallpur (Pakist.); A. Cunial, vesc. Lucera; S. Tagliabue, vesc. Anglona Tursi; L. Basoli, vesc. Ogliastra; F. Minerva, vesc. Lecce; G. Tonetti, arch. Cuneo; C. Ferrari, vesc. Monopoli; F. Niccoli, vesc. Colle Val d'Elsa; J. Cordeiro, arch. Karachi (Pakist.); P. Quaremba, vesc. Gallipoli; L. Lira Sánchez-Moreno, vesc. tit. Nilopoli (Perù); F. Tinivella, vesc. coad. Torino; A. Mensa, vesc. Ivrea; A. Signora, arch. tit. Nicosia; J. Gargitter, ep. Bolzano-Brixen; P. Carta, arch. Sassari; M. Castellano, arch. Siena; P. Gasbarri, adm. ap. Grosseto; L. Civardi, vesc. tit. Tespia; C. Melis, ep. Tempio-Pausania; S. Spanedda, vesc. Bosa; R. Addazzi, arch. Trabi Barletta; A. Castelli, arch. tit. Rusio; E. Bartoletti, vesc. aus. Lucca; F. Costa, vesc. tit. Emmaus; C. Manziana, vesc. Crema; G. B. Parodi, vesc. Savona; P. Niccolini, vesc. Assisi; A. Carinci, vesc. Boiano-Campobasso; A. Cesarano, arch. Manfredonia; A. Rossini, arch. Amalfi; G. Lenotti, vesc. Foggia; L. Morstabilini, vesc. Brescia; D. Tomassini, vesc. Ischia; P. Babini, vesc. Forlì; R. Calabrìa, arch. Benevento; M. Di Lieto, vesc. Cerignola; S. Silvestri, vesc. Foligno; O. Semeraro, vesc. Cariati; C. Stella, arch. L'Aquila; M. Miranda, primas Mexico; A. Fares, arch. Catanzaro; G. Bentivoglio, arch. Catania; P. Principi, arch. ord. Loreto; C. Canzonieri, vesc. Caltagirone; G. Vairo, vesc. Gravina; V. de Chiara, vesc. Mileto; A. Cece, vesc. coad. Aversa; A. Cavagna, vesc. tit. Tio; R. Primatesta, vesc. Rafaela (Arg.); G. Dell'Olmo, vesc. Acqui; G. Zaffonato, arch. Udine; A. Poma, vesc. Mantova; P. Botto, arch. Cagliari; L. Rosa, vesc. Bagnoregio; A. Fernandez O.P. mag. gen.; G. B. Pardini, vesc. Iesi; A. Tortolo, vesc. Paranà; F. Baldini, vesc. Massa Marittima; G. Rupp. év. Monaco; Jesus Coronado, praef. ap.; P. T. Gonzalez, vesc. Cutack; P. Cambiaghi, vesc. Novara; N. Jubany, vesc. Gerona.

9

Exc.mus P. D. SIGEFRIDUS KOWALSKI

Episcopus tit. Assiensis, aux. Culmensis

Venerabiles Patres,

1. In par. 15 disputati schematis ...[1] concluditur necessitas « novi modi sentiendi, volendi et agendi », quo christifideles in vita Ecclesiae ac in mundo huius temporis splendescent oportet. Vere possunt non pauci, etiam christiani, interrogare: Num et quomodo doctrina christiana, quae iam per viginti saecula praedicatur, potest etiam nunc mentes et corda hominum renovare, ita ut hodiernum mundum, tam inquietum et mutabilem, formare possint, et ne ipsi inscii nocive a mundo formentur? Potestne hic salutifer « novus modus sentiendi ...[2] », ab omnibus hominibus, et non solum a doctis et peritis adipisci?...

Igitur necessarium fuisse videtur, ut dictus « novus modus » accuratius quoad essentiam et viam acquirendi in schemate nostro explicetur, atque — ut mihi videtur — proprio nomine designetur.

2. Dominus Iesus ab initio suae publicae praedicationis novam formationem internam seu novum ordinem spiritualem in omnibus hominibus inchoare et confirmare intendebat, dicens: « Paenitentiam agite (...[3] Metanoeite) appropinquavit enim regnum caelorum » (*Mt.* 3, 2; cf. *Mc.* 1, 15). Paenitentia christiana quoad essentiam et valorem in plena luce s. Evangelii exacte intelligitur. Scimus etiam sine spiritu et operibus verae paenitentiae, a Domino expostulatae, nihil maioris momenti in renovatione cordium et communitatis humanae aliquando susceptum aut acquisitum fuisse. Clare hoc patet ex tota S. Ecclesiae Christi historia et vita permultorum Sanctorum ac Beatorum.

3. Videtur nunc, quod hodie nonnulli « *paenitentiam* » contemporaneis, etiam christianis, directe praedicare timeant. Secundum sententiam plurimorum enim videtur paenitentiam solum passivas virtutes, sicut patientiam, submissam oboedientiam, voluntariam paupertatem, abnegationem sui augere, ac deplorationem peccatorum et satisfactionem expostulare. Haec autem interpretatio nec facile intelligitur, nec libenter approbatur praesertim ab huius temporis hominibus, qui multiformem activitatem laudant et immensas fere facultates humanas in recta civitatis terrenae aedificatione profitentur. Sine dubio, homo vere paenitens pro suis peccatis laesae maiestati Divinae satisfacere vult et debet, atque perditam seu saltem diminutam libertatem internam recuperare intendit. Dominus quidem Iesus paenitentibus misericordiam Patris pollicitus est dicens: « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur » (*Mt.* 5, 5). Paenitentia in sensu ...[4] negativo sumpta aversionem a creatura inordinate concupita expostulat et conversionem ad Deum probat. Hanc vero praesertim prophetae et S. Ioannes Baptista commendabant.

Attamen vera et perfecta paenitentia ...[5] « *metanoia* », quam Dominus Iesus praedicabat, etiam sensu ...[6] positivo clarescit. Cum enim inordinata conversio ad creaturam necesse aversionem a Deo efficit, tum conversio ad Deum minime aversionem a creatura significat. In Christo Iesu, Filio Dei incarnato, amplificata et iam permanens conversio Dei ad creaturam scil. mundum manifestatur, sicut dictum est: « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret » ...[7]. Hanc quoque conversionem ad mundum Dominus Iesus per suam voluntarie susceptam mortem non diremit, sed adhuc per resurrectionem et sanctificationem in Spiritu Sancto confirmavit. Quapropter homo

christianus, qui « alter Christus » sit oportet, etiam paenitens pro peccatis non statim in caelum rapitur, sed ex contrario, plerumque a Domino relinquitur in mundo, ut hic in spiritu verae paenitentiae voluntatem Patris perficiat et sic suam utilitatem ad regnum caelorum suscipiendum per ordinatam conversionem ad mundum probet ...[8]. Paenitens cor humanum enim non potest tantum domui « vacanti, scopis mundatae et ornatae » assimilari ...[9], quod quidem valde periculosum est: homo ut « capax infiniti » vacuum internum nec longe nec tuto tollit. Igitur vera et perfecta paenitentia cor humanum tantum praeparat ad lumen et virtutes regni caelorum suscipiendas et acquirendas, quas Dominus Iesus ex benevolentia Patris tribuere cupit iuxta verba: « Ignem veni mittere in terram: et quid volo, nisi ut accendatur? » (*Lc.* 12, 49). Ille autem ignis Divinus in corde hominis intimas et activas virtutes, praesertim caritatem inflammat, amplificat et auget, quae sanctitatem animae promovent et ordinatam conversionem ad mundum tam mirifice ditant et multiplicant, sicut patet praeprimis in vita Sanctorum et Beatorum.

Conversio perfecta ad Deum et ordinata conversio ad creaturam seu mundum perfici possunt tantum in corde humili et mundo ac per flagrans desiderium iustitiae divinae, scil. iustificationis in Christo Iesu, sicut Dominus proclamavit: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum! ... Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt! ... Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur! ... » [10]. Sicut enim radix peccati, superbia, etiam hodierna scientifica et ideologica, mentem sufflat et in servitutem periculosi egoismi redigit, ita per paupertatem spiritu seu humilitatem cordis dignitas humana corroboratur atque libertas et participatio hominis in regno veritatis acquiritur ...[11]. Corda multorum hodie non solum bonis culturae et civilisationis huius temporis ditantur, sed etiam permultis modernis superstitionibus, mendaciis et fabulis obnubilantur, ita ut per dilectionem claritatis filiorum Dei atque per rectam, sine dolo et hypocrisi, conversationem in mundo mundentur oportet: secus Deus cognosci et laudari, diligi et videri non potest. Denique homo tantum terrena, hodie tam artificiose multiplicata, sapere et quaerere impune non potest, sed recta mente dignam distantiam a terrenis curare et « optimam partem » in Christo Iesu ...[12] esurire debet; cum Dominus Iesus in hac vita pauper et egenus factus est, praeprimis nobis manifestare voluit, quam parva et pauca bona terrena ad voluntatem Patris optime perficiendam sufficiunt.

...[13] Optimum autem et summum donum Patris luminum ...[14], nempe caritas Christi, sine qua « aes sonans aut cymbalum tinniens » sumus ...[15],

solummodo corde paenitenti suscipi et comprehendi, atque in spiritu verae paenitentiae ut suprema lex Christi approbari et sequi potest...[16]

7. *Conclusio.* Nunc tempore inordinata conversio ad creaturam seu mundum propter continuam multiplicationem scientiarum, bonorum et facultatum, de die in diem pro omnibus hominibus magis periculosa fit. Certum igitur est — iuxta verba Domini et experientiam vitae — spiritu verae paenitentiae, scil. continua et progressiva conversione bene ordinata cordis ad Deum et mundum seu metanoia tam christianos quam non christianos, tam possidentes et regnantes, quam pauperes et egenos indigere, sicut Dominus dixit: « Nisi paenitentiam habueritis, omnes peribitis » ...[17]. Secus nec regnum caelorum acquiri potest, nec dialogus, benevolens et effectivus, inter homines etiam in mundo huius temporis atque cooperatio ad civitatem terrestrem recte aedificandam immo possibiles sunt. Quapropter etiam Summi Pontifices nostri temporis spiritum verae paenitentiae et eius sincera opera christifidelibus ...[18] instanter commendant, e. g. ad felices fructus huius Sacrosancti Concilii...

Moderator: Faveas concludere, Pater.

Orator: ... impetrandos ac eius fines attingendos. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] cap. III. [2] volendi et agendi. [3] graeca lingua. [4] quasi. [5] seu. [6] quasi. [7] (*Io.* 3, 16). [8] (cf. *Mt.* 25, 21). [9] (*Mt.* 12, 44 ss.). [10] (*Mt.* 5, 3-8-6). [11] (cf. *1 Pt.* 5, 5). [12] (*Lc.* 10, 42; *Phil.* 3, 8). [13] Vera et perfecta paenitentia nunquam collective peragitur, sed in unaquaque anima aliter adimpletur, etiamsi a circumstantiis vitae res adiuvari aut difficilis fieri potest. Equidem tota vita christiana in spiritu verae paenitentiae perficiatur oportet, non tantum per singula et seiuncta opera paenitentiae negative sumptae, sed magis ac magis in continua et quasi dynamica seu progressiva conversione cordis (metanoia), quam tantopere sacra Liturgia curat et augere studet. Adhuc enim sub labe peccati peregrinamur, atque primitias tantum gratiae (cf. *Rom.* 8, 23) et quidem in « vasis fictilibus » habentes, minime « gratia pleni » sumus. [14] (*Ic.* 1, 17). [15] (*1 Cor.* 13, 1). [16] 6. Quoad n. 17 notare liceat aliud esse « spiritum paupertatis », aliud quoque « paupertatem spiritu ». Nempe « spiritus paupertatis » exoptatam a Domino Iesu distantiam a bonis materialibus, modestiam, continentiam, abnegationem in vita ac benevolentiam activam erga fratres adiuvandos designat. « Paupertas spiritu » autem imprimis humilitatem cordis seu veracitatem internam et rectam mentem in cognitione ac approbatione verae hierarchiae entium et bonorum attinet. Attendendum quoque est Dominum Iesum paupertatem quidem laudasse, sed non omnes pauperes, nempe illos qui spiritum paupertatis nec habent nec approbant. [17] (*Lc.* 13, 3). [18] tam.

10

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS KUHARIĆ
Episcopus tit. Metensis, aux. Zagrabiensis

Patres venerabiles,

1. Ad cap. III *propono sequentem animadversionem.*[1] In pluribus statibus sub potestate atheismi Ecclesia quasi inimica omnis progressus et in sic dictis tenebris intellectualibus homines semper retinens accusatur. Atheismus theoreticus, non paucis mediis vehementerque luctans contra totam realitatem spiritualem, firmiter affirmat scientiam positive demonstrasse quod religio nihil aliud sit nisi superstitio ac deceptio hominum.

In sua propagatione semper rationibus sic dictis scientificis cooperitur.

In nostro schemate par. 18 sub littera « e » phrasis sequens invenitur: « Germanus spiritus fidei confidit mutuae amicitiae inter fidem et veram scientiam, excluso omni conflictu insolubili ». Circumstantiis nostris diebus sic stantibus phrasis citata mihi insufficiens videtur. De relatione inter veram scientiam ac religionem revelatam haec S. Synodus sollemnem declarationem proclamare debet. Ideo propono humiliter textum sequentem vel similem: « Ecclesia catholica amica protectrixque omnis progressus verae scientiae semper remanet. Haec S. Synodus sollemniter declarat nullam esse adversitatem inter veritates scientiae firmiter demonstratas et veritates fidei revelatas. Veritates scientiae ordinis naturalis et veritates fidei ordinis supernaturalis Deum Creantem ac Revelantem tamquam unicum auctorem habent, quam ob rem in conflictu nullo modo esse possunt. Haec declaratio mundo sit in testimonium, in honorem autem tot virorum scientiae qui in campo investigationis scientificae valde progredientes fidem firmam servaverunt ».

Cuius assertionis clarum est argumentum existentia Pontificiae Academiae Scientiarum, quae in suo gremio tot viros scientiae magni nominis, etiamsi stirpe et religione distinctos amplectens S. Pontificem ut fundatorem habet. Quae Academia illustris etiam nos in campo pastorali valde adiuvare posset publicando per annum in principalibus linguis informationes de novissimis resultatibus scientificis praesertim veritates fidei spectantibus.

3. Ad cap. IV ...[2], tristissimum factum huius temporis ac malum pessimum est, quod in tantis matrimoniis per orbem terrarum sanguis innocentium sine ullo timore funditur. In pluribus statibus non tantum

propagatio mediorum contraceptionalium enixe relaxata est, sed etiam abortus approbatus est ac lege protectus. Venerabiles Patres, notum vobis est pluriores hodie in utero matris occidi quam in multis bellis. Parentes vero heroici, omni laude digni, qui sustinentes sacrificium benedictae fecunditatis sancte vivunt ab hoc mundo persaepe spreti sunt. Quibus hoc S. Concilium honorem ac protectionem praebeat!

Saepe hic loquebatur nomine pauperum, afflictorum, propter iustitiam persecutorum, et quidem cum iure maximo. Eodem modo necesse est nunc loqui in hoc articulo coram mundo huius temporis nomine tot parvulorum qui adhuc tacite sed inviolabili iure in sacrario materni corporis existunt. In re tanti momenti haec S. Synodus tuta conscientia nullo modo silere potest.

Omnibus perpensis humiliter et fortiter propono ut in articulum de dignitate matrimonii et familiae clara, sincera ac sollemnis declaratio inseratur similis vel sequens:

« Haec S. Synodus firmiter et sollemniter declarat vitam humanam etiam absconditam in sanctuario materni corporis sanctam ac inviolabilem esse. In hoc tempore cum vero innumeri parvuli in utero matris sine misericordia occiduntur, haec S. Synodus fidelis suo muneri maximi ponderis docet occisionem foetus concepti cum directa intentione semper esse crimen clamans in caelum »...[3]

« Maximo vero honore habentur parentes qui suscipientes prolem numerosam a Deo in fideli servitio legi divinae terram caelumque ditant ».

Haec declaratio valde necessaria est ad recte informandam conscientiam hominum et ad protegendos valores summi ordinis.

Patres venerabiles, magis divinam sapientiam quam humanam scientiam nos oportet praedicare mundo huius temporis! Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] art. 16, litt. « E », pag. 18, linn. 13-15: propono sollemniorem declarationem de relatione scientiae et religionis revelatae. 2. Ad cap. IV, art. 21, n. 3, pag. 24, post lin. 3: propono claram declarationem de onanismo et de abortus praxi. Patres venerabiles! ad schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* liceat mihi animadversiones sequentes afferre: 1. Quoad titulum schematis mihi videtur melior esse titulus: « Ecclesia mundo huius temporis », quia mundo loquitur. 2. [2] art. 21, ubi agitur de dignitate familiae et matrimonii nullo modo silendum est de flagrantissimo problemate huius temporis, nempe de abortibus ac de contranaturali vita in matrimonio ad prolem effugiendam. Patres venerabiles, aliquae sententiae confusae sub influxu freudismi ac hedonismo huius temporis divinam doctrinam de sanctitate vitae coniugalis a Summis Pontificibus — praesertim a Pio XI in Encyclica *Casti connubii* ac postea a Pio XII — tam clare sollemniterque elatam et maxime defensam in dubium ducunt. Illis

clamantibus, nobis non est tacendum. Dum incerta investigantur de certis loquendum est. Ecclesia in hoc S. Concilio congregata ut « columna et firmamentum veritatis » (*1 Tim.* 3, 15), mundo huius temporis debet dicere sincere, sine ulla ambiguitate verbum veritatis, etiamsi durum sit. Nec mundus nec fideles nec confessarii nostri in dubiis relinquendi sunt. Ne seducat nos confusio mundi huius temporis, qui magna ex parte ab omni lege morali liberari tendit. Ideo existimo firmiori modo declarandam esse in hoc articulo immutabilitatem divinae doctrinae quoad sanctitatem vitae coniugalis etiam sub aspectu dignitatis humanae personae. Ad salvandos coniuges in difficillimis vitae circumstantiis versantes investigationes exercendae sunt, ut inveniatur modus controlandae generationis, sed semper tantumque in limitibus naturae, numquam contra naturam. Quoad autem illos, qui commodam, hedonisticam vitam sine cruce cupientes prolem effugiunt, dicendum est verbum Scripturae: « Corpus autem non fornicatori, sed Domino... » (*1 Cor.* 6, 13), aut illud: « Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini » (*Rom.* 8, 13). Corpus hominis sanctuarium est mysterii vitae, quod numquam frustrandum est. Approbantes vero contranaturalem vitam in matrimonio largiter portas pansexualismo huius temporis aperiunt et ducto argumento per absurdum in extremum, totam doctrinam Evangelii de castitate cordis et corporis ad nihil deducunt. Hoc esset christianismus valde tepidus. Fides in Christum heroismum exigit, et Ecclesia — Mater et Magistra — semper debet monstrare certas, lucidas ac veras vias heroismi et sanctitatis. Verba sunt Christi: « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me » (*Mt.* 16, 24). Vel: « Quam angusta porta et arcta via est quae ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam! » (*Mt.* 7, 14). S. Paulus dicit: « Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis » (*Gal.* 5, 24). Dignitas humanae personae in castitate existit. Si de profanatione fornicaria matrimonii silemus, an prostitutionem damnare possumus? Persona humana, quae alicui servit tantum ad satisfactionem cupidinis contranaturali modo, etiamsi fiat in matrimonio, valorem rei non excedit et sua dignitate personali privatur. Ecce verba S. Pauli: « Honorabile connubium in omnibus et torus immaculatus. Fornicatores enim et adulteros iudicabit Deus » (*Hebr.* 13, 4). Praeter istud. [3] Haec S. Synodus iterum affirmat maxime detestabilem esse illam praxim contranaturalis vitae coniugalis qua diversis mediis vel contranaturali modo conceptus prolis effugitur. Ista praxis dignitati personae humanae ac sanctitatis matrimonii opponitur. Non autem damnandi sunt numerum prolis rationabili ex causa in limitibus naturae, numquam contra naturam moderantes.

11

Exc.mus P. D. HERMANNUS VOLK
Episcopus Moguntinus

Venerabiles Patres et adstantes omnes,

Nomine non tantum meo, sed 70 Patrum linguae germanicae et quorumdam aliorum sequentia proferre velim. In cap. III quae de ratione christianorum se gerendi in mundo, in quo vivunt, necessario di-

cenda sunt, bene dicuntur. Tamen doleo finem huius capitis incomplete enuntiari. Christiani enim hac nostra aetate fidelitatem Evangelio debitam splendescere faciunt, non tantum generosa cooperatione ad civitatem terrestrem recte aedificandam (cf. pag. 17, linn. 4-6), sed praeprimis eo quod vita sua ostendunt quomodo humana vita christiano modo sit degenda. Fideles nostri tentationi subiacent ut vitam christiano modo agendam mediis in progressibus mundanis aut esse superfluam aut saltem omni vi destitutam putent.

Propterea non raro impossibile esse ducunt in mundo hodierno christiano modo vivere. Inde schema nostrum animum addere deberet fidelibus ne deficiant neque practice dubitent quin Spiritu Sancto effuso omnis aetas, quamvis malo adimpleta, tamen salute superabundet et homo gratia Christi adiutus christiano modo vivere possit. Gratia Christi non residet in rebus sed in hominibus. Res eatenus tantum christianae sunt, quatenus exprimunt conscientiam quam homo christianus suiipsius habet. Hac de causa conscientia christiana operibus litterariis et artis melius exprimitur quam operibus technicis. Gratia autem Christi quodammodo visibilis redditur hominum modo se habendi et se gerendi. De qua re in n. 17, aliqua quidem dicuntur, quae autem accuratiore descriptione indigent. Quandoquidem quid sit redemptum a Christo, in iis magis apparet quam in progressu scientifico qui utique non est despiciendus. Quatuor praesertim sunt elementa quibus hac in terra salus Christi manifestatur: pax Christi, quam mundus neque dare neque auferre potest; gaudium, quod monet S. Paulus: gaudete in Domino semper, et iterum dico gaudete; libertas denique filiorum Dei, quod donum a Deo datum omnem libertatem naturalem excedit; praesertim autem spes, de qua iam optimus sermo erat in hac aula, quam homo christianus in mundo a Deo et spe averso exhibere debet et contra spem sperando. Ostendi deberet in nostro schemate hominem christianum propter ea quae dicta sunt etiam in hodierno tempore solatio repleri et in pace vivere posse. Sermo fieri deberet etiam de Providentia divina, qui fidei articulus existentiam humanam vere immutare potest et debet. Quaecumque in hominum nostri temporis potestate sunt non possunt efficere ut mundus non iam sit Dei.

Nostrum autem est nobismetipsis et fidelibus nostris et toti mundo explicare quid hoc dicat. Id quod non facile est. Si concretam efficacitatem fidei, vel etiam infidelitatis in hac vita non accurate describimus, fides per nefas, per insufficientem descriptionem, nempe fit periculosa et in fine, impossibilis. Ea enim quae homines appetunt ipsi videntur acquirere posse sine Dei auxilio; ubi autem Deum quaerunt ibi eum saepe invenire nequeunt. Nos autem testimonium reddere debemus

auxilii a Deo praestiti, his maius exhibemus mundo servitium quam oberando eos laboribus ad ostendendum nos non obstare progressibus intramundanis.

2. Auxiliorum quae fidelibus offerri possunt tria nominentur. *a*) Concilium admoneat fideles ut diem dominicam aliaque festa celebrent: laboremque quibusdam diebus interrumpi debere, nemo est hodie qui negat. Quomodo autem tempus liberum adimpleant, multi nuntiant. Sacra Missa solemniori modo celebrata, qua fideles active participant, ita ut multi participantes non fiant massa, sed communitas per aliquam praesentiam Christi qualificata, beneficium est hominibus et mundo. Mirum est schema nostrum de his nihil dicere.

b) Ut christiano modo vivant in hoc mundo, servari debet distantia a mundo. Christiani sint possidentes et in plena libertate simul non possidentes, ut dicit S. Paulus in *1 Cor.,* 7: seipsos non omni modo possidentes, cum S. Paulus dicit, ego, non ego, Christus in me, *Gal.,* 2. Cum de creatura S. Augustinus dicit, est ens, sed melius non ens. Abstinentiam a rebus mundanis et exercitia religiosa, ut sunt ieiunium et similia, Concilium non potest non monere.

c) Advertendum videtur ad periculum quod christiana vita oritur ex imaginibus ambitu technico desumptis.

Ut vivatur modo vere humano a fortiori christiano, necesse est ut homines parati et capaces sint ad audiendum verbum. Homines huius temporis nosque cum illis sequuntur imagines; ex altera parte in Ecclesia acturi sumus praedicationem lectionemque verbi divini. Res gravioris momenti: homo non videre, sed audire debet. Inde curam habeamus oportet ne capacitas audiendi deficiat. Homo enim seipsum modo magis adaequato et verbo exprimit eosque verbo alloquitur. Dixi. Gratias.

12

Exc.mus P. D. VILLELMUS CLEVEN

Episcopus tit. Sasimensis, aux. Coloniensis

Patres venerabiles,

Schema nostrum in pag. 18 linn. 10-15 aliqua verba de habitudine christifidelium ad progressum scientiarum proponit, quae tamen haud curae gravi correspondent, quae in hoc campo adest. Liceat mihi hanc curam breviter declarare et remedia proponere.

1. Statistice constat, partem, quam catholici multarum regionum in labore scientifico et in professionibus sic dictis academicis habent,

multo minorem esse quam ea pars est, quam in numero incolarum talium regionum occupant. Constat enim hanc disproportionem non ex dolo acatholicorum provenire, sed potius ex eo, quod catholici idonei simpliciter desunt.

Ex tali condicione rerum pericula gravia oriri neminem fugit.

Vivimus enim in tempore quodam scientifico, in quo scientia vitam hominum totam pervadit. E. g. aqua, calor, panis et alia cibaria per media technica *etsi*[1] per scientiarum inventa ad nos perveniunt. Quod olim a Deo operatum est, multi hodie a scientiarum inventis *quaerunt.*[2] Etiam in rebus historicis et spiritualibus, mens hominum methodis scientificis mutata est. Quamvis pauci secundum has methodos laborare possint, tamen fere omnes per ephemerides, quas legunt, illuminatos esse aestimant et praedicationi christianae, quae eis praescientifica videtur, fidem denegant.

Hac hora, qua scientiae quasi aer sunt, quem homines spirant, habitudo recta Ecclesiae ad scientias res summi ponderis est. Hanc autem habitudinem renovatione egere, ex supradictis apparet.

2. Quid faciendum? Primo est necessarium, causam malorum sincere inquirere. Unum solum modo dicam, quod mihi prae aliis respiciendum videtur. Homines nostri temporis causae Galilei minime oblivisci possunt quia etiam atque etiam in scriptis non catholicis, in spectaculis, in emissionibus televisionis commonentur quod nuper accidit. Impugnatio doctrinarum scientiae naturalis, e. g. doctrinae sic dictae evolutionis nostro tempore facta eis demonstrare videtur, Ecclesiam etiam hodie scientiis tam naturalibus quam historicis adversari, easque timere et libertatem, quae est praesuppositio prima scientiae, quantum in se est denegare.

Qua de causa imprimis magnanimitate maiore opus esse mihi videtur, quae sine timore seu mentis angustia scientias agnoscit ut formas quaerendae veritatis, ex quibus Ecclesia in veritate Dei fundata nihil timet, etsi quandoque fides et scientia sibi invicem opponi videntur. Tales difficultates, quae ex insufficienti comprehensione nostra tam naturae et historiae quam fidei semper provenire possunt, minime celeribus declarationibus et vetitis finiendae, sed spiritu libertatis et confidentiae superandae sunt.

Proh dolor, praxis quoque in vetitis librorum prohibitorum in temporibus praeteritis permultos homines praesertim coetum iuvenum qui in studiis suis litteras huiusmodi legere coacti sunt, fiducia erga auctoritatem ecclesiasticam destituit. Ipsissimi iuvenes studiosi quasi repleti sunt angustiis mentis atque timore opera scientifica studendi et quasi conscientia compulsi refugierunt in sic dictum ghetthum catholicum.

Ne simus modicae fidei sicut olim discipuli in navi fluctuantes, qui statim interitum timuerunt et ob hoc a Domino increpati sunt. Videamus potius, eum sine timore in tempestate navigare posse, qui cum Christo, Dei veritate et virtute, navigat. Imago in numismate quod Beatissimus Pater in his diebus nobis donavit sit omnibus nobis ad hanc rem hortatio paterna.

Sin autem homines videbunt, Ecclesiam maturationem eventuum scientificorum, quamquam falsa et periculosa in ea obvient, nullo modo impedire, sed in spiritu libertatis, ad quam veritas nos liberavit, expectare, fidei non solum non nocebit, sed confidentia in praedicationem crescet et fides in mundo nostro scientifico denuo locum suum habebit. Sperandum etiam est, catholicos fideles maiore confidentia in labore scientifico collaboraturos esse.

Etenim catholicorum est, non solum hos defectus in scientiis colendis specialiter naturalibus reparare atque praesertim praesentiam Ecclesiae Christi ubique tum in professionibus academicis tum in mundo scientifico huius temporis fortiter affirmare.

Conclusio. In schemata sequentia, sicut mihi videtur, declaranda essent: 1. Ecclesia laborem scientificum sicut laborem pro veritate quaerenda et pro bono hominis agnoscit et magni aestimat.

2. Ecclesia plenam libertatem scientiarum quasi praesuppositum omnis laboris scientifici libenter agnoscit, in quo sincera perquisitio veritatis unica lex est.

3. Ecclesia fideles suos graviter admonet, ut pro sua responsabilitate secundum capacitatem suam in labore scientifico plena libertate a scientiis postulata collaborent.

4. Fideles tamen salutem ex scientiis sperare non possunt, quia salus non venit ex scientia, sed ex caritate divina, cuius per fidem participes facti sumus. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] et sic. [2] sperant.

13

Exc.mus P. D. HENRICUS NICODEMO
Archiepiscopus Barensis

Venerabiles Patres,

Meae animadversiones respiciunt cap. III schematis et praesertim n. 16.

Cum, praecise in isto numero, agitur de primariis conditionibus

occurrendi mundo christiano modo, mihi videtur necesse esse ante omnia in lucem ponere completam vocationem christiani quoad mundum, quae est vocatio ad illuminandum et amandum, ut ex verbo Dei revelato eruitur. Christus dicit: « Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum ut luceat omnibus, qui in domo sunt » ...[1]. Et Apostolus: « Caritas Christi urget nos » ...[2]. Ita definitur, in suo fundamento biblico, relatio christiani ad mundum, quae ultimo semper evangelica et apostolica est, etsi ad mundum convertatur relate ad terrestres realitates et temporalia problemata.

In hac sua sane vocatione fideles exquirere et invenire debent dimensiones propriae in mundo responsabilitatis. Quae dimensiones ab eodem Apostolo indicantur cum ait: « Omnia enim vestra sunt, sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura: omnia enim vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei » ...[3].

Ut ergo fideles christiano modo mundo occurrant oportet ut sciant et sentiant spes eschatologicas, quibus ipsi intra Ecclesiam aluntur, et spes temporales mundi, quae et ipsos, uti in mundo viventes et operantes, attingunt, non esse divergentes vel oppositas, sed, per se — nempe, praeter deordinationem mali moralis — convergere et in unum tendere, cum una sit humana natura a Christo redempta et omnia recapitulentur in Christo, cuius universalis redemptio omnes homines tangit et omnes populos. Ita intellegere possunt cur mundus, etiam non christianus, Ecclesiae, et ideo singulis fidelibus, qui in mundo operari debent, extraneus non sit, cum anima Ecclesiae totum mundum pervadat — ubicumque, scil., Deus adoratur, lex naturalis servatur et, tandem aliquando, rectae conscientiae dictamen homines sequuntur — quae Ecclesiae anima, in mundo diffusa, ad suum corpus, quod Ecclesia visibilis est, ope gratiae Dei, quae in profundo operatur, continuo tendit.

Ad hoc vero ut suum munus in mundo fideles rite adimpleant, omnino non sufficit aliquas non bene definitas normas statuere, quae vagum irenismum sapiunt, uti textus facit, sed fundamentales veritates et fundamentalia principia sunt memoranda, quae fideles dirigant ut christiano modo mundo occurrant.

Memorandae ideo essent et definiendae notiones conscientiae christianae et libertatis filiorum Dei, prae oculis habitis sive distinctione sive connexione ordinis naturalis et ordinis supernaturalis. Hoc videtur omnino necessarium ne in orientationibus (italice: orientamenti) et in actione christianorum in mundo confusiones oriantur.

Indicanda insuper essent — ut fideles christiano modo mundo

occurrant — pericula derivantia ex positione multorum hominum nostri temporis relate ad Dei existentiam, ad Dei agnitionem, ad Dei naturam atque ad obsequium Deo praestandum, quae positio vim habuit in aliqua forma mentis (italice: mentalità) efformanda, sensim sine sensu a multis obducta. De atheismo iam non pauci Patres peropportune locuti sunt, cum quibus perfecte convenio. Mihi tamen hic addendum videtur, ad veritatem de Deo complete praebendam, affirmandam esse transcendentiam Dei personalis, etiam ad radicem et fundamentum determinanda legis naturalis et totius ordinis moralis eorumque obligatorietatem et sanctionem; consequenterque obiectivum fundamentum mali moralis, i. e. peccati, contra quamvis formam subiectivismi et relativismi moralis necnon naturalismi.

Unum dicam *circa n. 18*. Hic affirmatur: « Firmitas fidei et spiritus fraternitatis nos impellunt, ut amice colloquamur et cooperemur cum omnibus, ubicumque christiana prudentia id permittit ». Optime quidem. Puto pro omnibus hoc perclarum esse, praesertim post Encyclicas *Pacem in terris* et *Ecclesiam suam*. Attamen, cum hic agatur de cooperatione, quam singuli christiani in mundo praestare debent, non sufficit dicere « ubicumque christiana prudentia id permittit », sed conditiones pro cooperatione sunt determinandae et limites cooperationis sunt statuendi.

Quod autem dicitur pag. 20, linn. 1-6, magna cautela mihi videtur affirmandum, ne minuantur vel vim amittant incoepta catholicorum ad ordinem christianum in mundo dilatandum, et salvo semper ultimo iudicio Ecclesiae hierarchiae.

Propono igitur in recognoscendo cap. III modus inveniatur principia, quae exposui, etsi forma perbrevi, inserendi.

Quae memorata principia maxime conferent meo humili iudicio, ut fideles « cum cognitione semper altiore fidei suae — sunt verba schematis — idonei fiant ad propriam spem cum aliis communicandam et ad discernendum quod est iuxta Christum ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Mt.* 5, 14-15). [2] (*2 Cor.* 5, 14). [3] (*1 Cor.* 3, 22).

14

Exc.mus P. D. MAURITIUS POURCHET

Episcopus S. Flori

Carissimi Patres et Fratres,

...[1] Omnibus, vel fere omnibus quae in his duobus capitis exponuntur adhaereo, etsi pluribus emendationibus vel complementis indigeant.

Sed (velint mihi parcere Patres et periti qui in hoc textu conficiendo tam laboraverunt) fateor me non semper videre quomodo varia argumenta, ut ita dicam, concatenentur, cur ita, et non aliter disponantur. Hic defectus, necnon repetitiones, vocabula in sensu diverso adhibita (quod non fit sine quadam confusione) impediunt ne bene appareat scopus a schemate intentus. Etiam pro christianis, ad quos primo dirigitur, et a fortiori pro aliis quos indirecte vult attingere, hoc schema, cuius utilitas, imo necessitas, in dubium revocari nequit, non videtur satis urgens, pertinens et convincens...[2]

Agitur in his duobus capitibus de modo quo Ecclesia praesens et activa in mundo hodierno esse debet. In secundo, agitur praesertim, sed non exclusive de Ecclesia ut institutio, et principaliter de hierarchia; in tertio capite de christianis.

Sed cur schema nostrum non eumdem ordinem secutum est ac schema de Ecclesia? Postquam enim de mysterio Ecclesiae tractavimus, statim processimus ad populum Dei, et postea tantum ad hierarchiam, et hoc merito, ut fusius in hac aula illustratum est. Et hoc valet etiam de nostro argumento.

« Regnum caelorum assimilatum est fermento quod abscondit mulier in farinae satis tribus ». Paulus VI hac comparatione usus est, item ac alia de sale desumpta in Encyclica *Ecclesiam suam,* cum illustrare voluit hanc praesentiam Ecclesiae in mundo.

Fermentum est totus populus Dei, in Ecclesia congregatus; populus Dei etenim ad unicam familiam humanam pertinet, eius vitae intime connectitur, inseritur in toto genere humano cui Pater creationem suam commisit.

Fermentum sunt omnia membra huius populi, omnes fideles; christiani enim inter homines versantur, in solidarietate vivunt cum omnibus hominibus, non solum per relationes personales, sed etiam in sinu communitatum ad quas pertinent. Fermentum sunt, non solum in quantum veri homines sunt, sed etiam in quantum vivunt et ostendunt mysterium

salutis, i. e. Christum, in quo continentur fons, sensus et sors ultima mundi huius.

Ut populus Dei hoc testimonium reddat, iuvatur a hierarchia, quae est in eius servitio, et cuius partes sunt media a Christo instituta et in primis verbum Dei populo Dei praebere, ut sit *vere* [3] hoc fermentum.

In hoc prospectu qui, ut dixi, est ipse prospectus schematis *de Ecclesia,* ex II et III capitibus unum efformari posset, quod elementa etiam *forsan* [4] ex cap. I desumpta contineret, et forsitan hoc caput inutile redderet.

Et sic tota materia ordinari posset (breviter dicam, ne patientia vestra abutar).

Hoc novum caput posset inscribi: De praesentia activa Ecclesiae inter homines, et contineret tres potiores partes.

1. Prima pars illustraret solidarietatem quae viget inter Ecclesiam et totam familiam humanam, solidarietas quae fundatur in ipsa Incarnatione et in Christo, et quam Ecclesia non solum debet acceptare, sed etiam assumere.

2. Secunda pars exponeret exigentias, pro Ecclesia et pro christianis, huius solidarietatis, i. e. officia Ecclesiae erga mundum, si vult Christo ipso esse fidelis: aestimationem, dialogum et collaborationem, quae profluere debent ex authentica caritate.

3. Postquam in duabus primis partibus immanentia Ecclesiae in mundo illustrata fuerit, tertia pars abundanter transcendentiam eius missionis totalis monstraret ut exc.mus D. Ancel postulavit.

Haec enim missio venit a Christo, et tendit ad salutem mundi, i. e. ad eius Redemptionem et ad eius transfigurationem. Et sic apparet Ecclesia ut Sacramentum Christi, et signum regni futuri quod inchoatur in populo Dei, et in quod mundus totus transire debet in die consummationis.

Ultimo loco tantum appareret hierarchia et eius partes servitii, quas exercet docendo, iudicando, sanctificando, ut dialogus cum mundo recte instituatur perseveranter in integra caritate peragatur, et etiam ut transcendentia mysterii salutis non oblivioni relinquatur.

Sic Ecclesia appareret, non ut potestas huic mundo extranea et aliquando adversa, non ut soror caritatis, *venia sit verbo,*[5] miseriis mundi huius succurrens et remedia proponens, non ut tutrix conscientiae consilia sua ab extrinseco profundens, sed ut intime praesens hominibus nostri temporis, eorum aspirationes et conatus participans, eorum promotioni studens, quia videt, in hac praesentia, in hac participatione, in hac promotione, caritatis expressionem qua Deus diligit mundum

quem creavit et praeparatio Regni Dei in quo Deus erit omnia in omnibus.

Cum mundo laborans et parturiens, per caritatem seipsam obliviscens et seipsi moriens, *Ecclesia*[6] adimplet mysterium Paschale quod est transitus de hoc mundo ad Patrem.

Novum ordinem horum capitum fusius explicatum etiam in nomine plurimum episcoporum ex Gallia secretariatui tradam.[7] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Schema de quo nunc agitur, et de quo iam tanta dicta sunt, dignum mihi videtur ut basim constituat studii nostri. [2] Agitur, non solum de ordine interno unius vel alius capitis, sed de ordinatione generali materiae in toto schemate, excepto tamen cap. IV. Et meum propositum illustrare vellem exemplo sumpto ex cap. II et III. [3] deest. [4] deest. [5] ut ita dicam. [6] deest. [7] deest.

Textus additus:

Argumentum. a) Hic textus contenta cap. II et III schematis reassumit. Animadversionibus attendit tum eorum Patrum qui expositionem firmius in doctrina fundatam petierunt, tum eorum qui discursum optaverunt ascendentem a concretis praesentiae christianorum in mundo necessitatibus ad apicem Ecclesiae missionis.

b) Haec schematis pars antecedentem partem praesupponit de « signis temporum » sive anthropologicam mundi hodierni descriptionem; anteponitur vero, tanquam rationem reddens de Ecclesiae habitudine ad res humanas, quaestionibus cap. IV schematis elucidandis. Interrogationibus respondere vult, tum fidelium (Qui sumus, et quid agere debemus in hoc mundo?), tum infidelium (Quid dicit Ecclesia de seipsa, suaque in hoc mundo missione?).

c) Nec proposito nec destinatariis modus in explanationem progrediendi conveniens visus est nimis scholasticus, quo partes pure diversae ex obiecto distinguerentur. Inter cetera, id praecipue cavendum putavimus, ne distinctio inter « spiritale » et « temporale », inter « supernaturale » et « naturale », vel maxime inter « laicos », et « hierarchiam», in oppositionem separationemque verteretur concretam aut dualismum inter humanam in mundo vitam et christianam, neve Ecclesia quasi physice extra mundum consistens prius conciperetur quam ad mundum deinceps referretur. Modum quasi inductivae manuductionis meliorem reputavimus.

Tres ergo huius expositionis partes unicum obiectum eadem luce fidei, successivis aspectibus, apprehendunt, ita ut in prima vel secunda iam praeannuntientur quae postea latius exponentur, in tertia vero in se tractentur quae iam delineata sunt.

Primo de duplici facto agitur, eiusque in luce fidei significatione: christiani et Ecclesia mundi eiusque historiae consortes sunt; mundus et historia valoribus et peccato signantur.

Dein de habitudine agitur Ecclesiae et christianorum ad mundum promovendum, sine detrimento vel ordinis proprii rerum terrestrium, vel propriae missionis Ecclesiae, sed et sine ruptura inter utrumque.

Tandem eadem Ecclesiae in mundo praesentia illustratur prout dona propriissima revelationis et gratiae in mundi salutem populo Dei committuntur.

d) Tres complementariae partes intime connectuntur sicut progressivi unius prospectionis gradus. Ne ergo miremini quod in fine tantum interveniunt considerationes de sacramentis, de hierarchico ministerio, et de eschatologia, quippe quae spiritali Ecclesiae missione intra humanam historiam directe specificantur.

De Ecclesiae munere in mundo.

Prima pars: *De christianorum cum humana familia solidarietate.*

1. Dei populus cum unica humana familia partem habet: ex hominibus constat, omnibus hominibus immixtus super terram peregrinatur (*1 Pt.* 2, 11-13).

Talis cum humanis fratribus colligatio ac solidarietas eo evidentior hodie evadit quo facilioribus communicationibus, maiori personarum et populorum mutua dependentia, et ampliori de die in diem socialisatione, unusquisque ceterorum solidarium se sentit.

De facto igitur Ecclesia nonnisi intra hominum mundum convivere potest qualis est et evadit, scil.: naturae secreta latius profondiusque semper investigans, sed de ultimo exitu lumen exoptans; technicam ex hac sua scientifica scientia potestatem acquirens pondus necessitatum alleviandi ac historiae cursum inflectendi, sed et ipsum hominis in servitutem reducendi; ad suam unitatem protense anhelans, sed et oeconomicis, ethnicis, culturalibus et politicis divisus differentiis; quaerens quomodo ipse homo omnibus naturae rebus anteponatur, sed multos praesertim pauperes a dignitate sua frustrari sinens.

(Haec descriptio transformari poterit secundum exigentias praecedentis partis de signis temporum).

2. Ne terrenam hanc conditionem deneget, vel deploret, vel responsabilitates ex ea manantes effugiat vocatus ad regnum caelorum. Potiusque Iesu Christi ad Patrem orationis meminerit: « Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo » (*Io.* 17, 13-16).

a) Ab initio enim in saecula terram hominibus Pater commisit, ut investigent et ad omnium bonum colant, secundum divinae voluntatis propositum. Hoc est enim Dei propositum nonnisi hominum adlaboratione mundum regere. Omnium manibus eum tradidit, tam eorum quibus verum eius nomen notum quam eorum quibus ignotum est. Deus eo non minuitur quo maior fit homo mundum exstruendo: nam ipsius hominis gloria et honore admirabile est nomen Domini in universa terra (*Ps.* 8).

b) Sicut uno eodemque caritatis suae proposito Pater per Filium creavit terram ab homine replendam et regendam, atque proprium Filium humanam historicam conditionem usque ad mortem participaturum misit, ut mundo accessum ad divina aperiret, ita una eademque bona voluntate conscientiam hominum vocat ut plene fideles in humanis muneribus explendis filiorum adoptionem recipiant: « Omnia vestra sunt... sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura, vos autem Christi, Christus autem Dei » (*1 Cor.* 3, 23). Haec ut revera fiant saeculorum decursu, Filius homo primogenitus ex mortuis Spiritum sanctificationis super omnem creaturam effundit (*Col.* 1, 18; *Rom.* 1, 4; *Act.* 2, 17. 33), cuius influxus extra ipsos Ecclesiae visibiles limites initus orbem terrarum replet (*Sap.* 1, 7).

c) Spiritus in mundo virtuti, virtutes mali, peccati et mortis opponuntur. Creatura, servituti corruptionis iam obnoxia, ingemiscens exspectat liberationem (*Rom.* 8, 21-22). Opus sibi commissum ii qui Deum agnoscentes peccati mensuram agnoscunt, sicut ii qui nos ignoscunt, sine dura colluctatione peragere nequeunt: inter boni Spiritum et nequitiae spiritum eligere debent.

Ad mundi autem peccatum vincendum, opus Domini manuum vel terrena hominis officia despicere non oportet. E contra illi super res creatas regnandi vocationi essentialiter connectuntur incepta certamina adversus idolatrias, quae homines premunt, sicuti divitiarum superbia, dominandi voluntas, et carnalis egoismus.

d) Itaque mundus a Christo maledictus eiusque orationis indignus iste est qui vocationem suam renuit. Illa autem Dei mirabilis creatio hominum adlaborationi ut ager oblata, sicut et ipsa humanitas in agro quem fecundat Spiritus operans, ea caritate qua Pater mundum in Verbo incarnato diligit nobis diligendae sunt.

3. Homines sane, dum satagunt in universo investigando et colendo, ut desideriis ac necessitatibus suis subveniant, in discrimine sunt ad artum spem suam angustiandi, et ad vile fruitiones deprimendi, sese a vero illo Bono, cui destinantur, avertentes.

Attamen magni animi haud desunt homines qui in terrenis officiis adimplendis rectum vitae suae totiusque mundi sensum insequuntur, et altius quam egoisticum bonum prospiciunt; morales sibi praeponunt fines secundum legem conscientiae suae inscriptam (*Rom.* 2, 15-16); incoeptus institutiones, communitates ea spiritali intentione informant qua duci volunt.

Si talentis utuntur mirabiliter creatae humanae naturae creditis. Quam peccato sauciatam, nec radicitus vitiatam, mirabilioremque in Christo redivivo reformatam, eius grata praevenit largitas qui, omnes volens salvos fieri (*1 Tim.* 2, 6), conscientias per Spiritum adaperit. Sanctus enim Spiritus ne alienus existimetur a tam expansis hominum investigationibus, certaminibus, inceptibus, ad mundum magis magisque aptum, iustum, fraternum promovendum.

4. Has omnes ob rationes, Ecclesia Dei ab illa veritate quam testatur alienos non putat progressus humanitatis ad verum, nec ab illa spe quam revelat alienas sentit humani generis ad melius adspirationes, nec a caritate quam promovet aliena existimat eorum incoepta et opera. Simili modo contentiones hominum varias ut a servitute, in iustitia et bello liberi evadant, alienas non habet Ecclesia a sibi commisso contra mundi peccatum certamine.

In mundo peregrinans, omnium solidaria, quod Dei sapientiae concordat et quod falsae sapientiae huius mundi conformatur non permiscit; sensu Christi authenticos valores discernit (*1 Cor.* 2, 4-7). Pro suis orare non desinit ut abundent in scientia, in omni sensu, et probent potiora (*Phil.* 1, 9-10), scilicet quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae (4, 8).

Tantum abest ut spiritales personarum vel coetuum Ecclesia spernat, ut sciat praeparationibus evangelicis in mundo sibi occurrendum esse, quae ad Regnum in mundo inchoatum a Domino insinuantur.

In antiqua iam lege, id optimum quod sapientiae inerat Orientis non modice profuit spiritali Dei populi progressui, indeque novi populi Ecclesiae.

Haec, germinans ex Evangelii semine in omnibus terris dispergendo sibi commisso, ipsa terrena substantia vesci non desinit quam transformat. Ita multum

accepit a philosophiis, a moralibus conceptibus et exemplis, ab institutis Graecorum, Romanorum et diversarum nationum et mentium. Omnia coluit quae vera et honesta existimabat, ut fidem suam aptius et clarius explicaret, aut per caritatem in praxim traduceret (*Gal.* 5, 6; *Ic.* 2, 18).

Vigores spiritales quos in mundo cui inserebatur sentiebat non offendendos vel fastidiendos, amica sua et secunda praesentia promovebat, eademque caritatis inclinatione qua illorum consummationem in Christo proponebat, colebat.

Sicut in humanis terris Ecclesia iam radicata bonos fructus produxit pro seipsa et pro mundo, ita hodie in diversis populis, coetibus, mentibus, ut novos fructus producat, pro sui mundique bono, inserenda est.

5. Intima Ecclesiae in mundo praesentia periculum sordes colligendi gignere potest. Scit se ex hominibus constare, quorum ignorantia ac peccatis fidelitas erga Spiritus impulsionem saepe impeditur, sibique proinde impositam esse renovationem continuam, usque in finem temporum. Ipsas censuras eam ab externo adspicientium utiles sibi agnoscit, ita ut simplici animo audiat qui membrorum eius peccata defectum spiritus evangelici obiciunt (*Sch.*: 14, 15-20).

Secunda pars: *Ad multa haec solidarietas christianos provocat.*

Ut hominum solidarius fieret, Dei Filius homo verus factus est, omnia ex nostris capiens, solo peccato quod nos destruit excepto. Creata eius natura absorpta non est in divina, sed integra subsistit humanitas Dei facta: nam quod non assumptum, nec salvatum esset.

Mundo iam per Spiritum in saecula praesens, nostram nec minuit nec destruit humanitatem, sed in propriam reducit dignitatem simul cum ad divinam evehit. Quem Creator statuit ordinem illum non frangit Redemptor, in quo omnis homo exhibetur perfectus (*Col.* 1, 28).

Ecclesiam proinde condidit ut praesens sit mundo sicut fermentum, conatus eius participet, peccatum eius impugnet, salvo semper terrenarum rerum ordine proprio.

A. *De Ecclesiae habitudine ad humanam scientiam.* Christus humanas ad inventiones non antecepit. In sapientia humana crevit quae suo populo suoque tempori contebat. Nonnisi ad propriam prophetae Patris missionem, specialium cognitionum tradendorum hominibus praeditus fuit. Nam officium facultatemque seipsos et mundum cognoscendi, quae Creator contulit, non sustulit rerum divinarum Revelator.

Nec Ecclesiae specialem transmisit competentiam in rationalium disciplinarum ordine. Christianorum est de rebus naturae luce supernae Veritatis iudicare et loqui, his tamen rebus caute et exacte apprehensis prout sunt.

a) Igitur Ecclesiae sive personae sive institutiones, sicut ceterae et cum ceteris, naturalibus mediis et dotibus, sicut Creator disposuit, uti debent ad cognitionem acquirendam de rebus et factis, necnon de eorum causis et legibus. Hoc officium nostris diebus urgentius premit, in campo scientifico, oeconomico, et praesertim sociali et politico.

Fides, ex sese, competentiam non affert, quasi ex supernae Revelationis datis humana deduceretur scientia. Fidei est patefacere quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se (*1 Cor.* 2, 9). Percontationem vero factorum et scientificam inquisitionem fides non supplet.

b) Attamen modernae possibilitates facta cognoscendi immensa scientiae experimentalis extensio — ab atomo ad sidera, a psychologicis recessibus ad socialia ligamina — atque metuenda potestas in mundum ipsumque hominem inde hausta, revera non solvunt sed noviter conscientiis profundiores quaestiones ponunt: Unde mundus evenit? Quis est homo? Qua ratione geri debet vita personalis et collectiva in mundo?

Partes capacitatesque humanae rationis Ecclesia agnoscit ac saepe defendit in veritate philosophica et morali quaerenda. Quid respondeant sibi et ipsis homines de tantis quaestionibus non parvi pendent. Inter se revera saepe non concordant. Quidam, sive propter infirmitatem sive propter passionem, in incertum vel falsum deflexerunt. Damna magna ex erroribus mentium orta sunt hodieque oriuntur, pro personarum dignitate et libertate, pro societatis iustitia et pace.

Scit Ecclesia Dominum homines non reliquisse sine superno lumine de mundi sensu, de vita recte gerenda, de creaturae ad suum Principium constitutiva relatione. Ab hac revelationis luce claritatem prius poscit in tam gravi discrimine.

Non tamen existimat fas sibi esse rationalem ad verum viam, hominibus accessibilem, cum eis et pro eis, investigare. Immo hae quaestiones, quae intimius uniuscuiusque conscientiae et omnium sorti intersunt, magis obviam materiam praebent dialogo cum fidem non participantibus. Ad sententias, sive criticas, sive positivas, eorum omnium qui sincere veritatem quaerunt, sedule audit, de hoc conscia quod ampliorem, profundiorem, hominibus intelligibiliorem, comprehensionem veritatis suam nunquam perficere desinet.

c) Peculiari modo autonomiam veretur scientiarum et artium socialium et politicarum. Systema omni casui praeparatum non habet hominibus propendum, ne quidem propriis membris. Unumquemque incitat ut communi inquisitioni adlaboret.

Rationem habens fidei lucis, sed et temporum decursus humanaeque indagationis inventorum, muneris sui esse tenet renuntiare, verbis et opere, tum mandatum caritatis supremum, tum definitiores iustitiae exigentias quas, ut dignitas hominis nostris diebus agnoscatur, discernit constitutivas.

B. *De Ecclesiae habitudine ad proprium humanae historiae dynamismum.* Iesus Christus, a quo historia humana sancta efficitur, ad hoc non venit ut homini et propriae historiae ductu repelleret. Qui in nobis est spes gloriae (*Col.* 1, 27) nos a finibus terrenis non avertit quos legitime assequi speramus.

Humanitas enim hodierna, historiam ut caecum fatum iam subire nolens, cum sibi ipsi relationes inter eventus explicare incipit, cum libera sua proposita in eorum decursu interponit, cumque spem fovet, hodie in latentes vires naturae agendo, futura faustiora et hominis digniora praeparare, nullomodo Providentiae divinae opponitur. Ille enim qui hominem liberum creat historiae participantem, ad hoc eum vocat ut in tempore sibi historiae aeterno Domino collaboret. Iste autem Deo offendit qui, in necessitatis arto se rursus recludens, omnino renuit quin a Spiritu adiuvetur homo cum deficit, confortetur cum procedit, denique illo Bono adimpleatur quod, ultra terrestris vitae tempora, beatitudo omnia humana sperata superans offertur.

Ipsa Ecclesia spem terrestrem hominum participat, quam fide sua legitimam dynamismi a Creatore creaturae inducti exercitationem sentit, et caritate sua omni bono aperta habere cordi iubetur. Aeterna spes, quam excitare in mediis incoepti-

bus, successibus casibusque hominum debet, eos non sint temporalia officia effugere. Sed eorum vigorem confortat, omnem adversus desperationem, Dei promissionem renuntians homines a peccato relevandi, spiritualemque fidelitatem firmandi in iustis propositis prosequendis.

C. *De Ecclesiae ad potestates, institutiones, et liberas optiones hominum.* Idem Dominus qui hominem vocat ut vitam suam mundumque cursum, ad normas naturae mundi ipsiusque hominis inscriptas, plene fidelis regat, ipse est qui eadem voce eumdem hominem ad Regnum caelorum appellat. Qui Creator reliquit illum in manu consilii sui (*Eccl.* 15, 14) non venit Liberator libertatem eripere. Responsabilitates quas Creator commisit, non venit Salvator subtrahere: non eripit mortalia qui regna dat caelestia.

Ecclesiam instituit non ut regimen rerum terrestrium usurpet sese substituens in coetuum vel personarum officio, sed ut ipsi modi quibus adest et adoperatur in humanis inceptis et communitatibus signa in mundo ferant Regni quod de hoc mundo non est (*Io.* 19, 36).

a) Quamobrem homines responsabiles regiminis exercendi super res civiles legitime cives sibi praeponunt, et accommodata organa legitime instituunt quae iusta sua proposita insequantur. Cuique personae, pro dotibus, pro votis, pro adiunctis, convenit participare, mediantibus organis subsidiariis, promotionem boni proprii intra promotionem communis boni.

Status, diversarumque potestatum legitime institutarum, Ecclesia auctoritatem agnoscit a Deo venientem. Humanos praesides habet ministros Dei in bonum, etsi non christianos, et eorum praescripta christianorum sicut et ceterorum conscientiae imponuntur (*Rom.* 13, 4).

Ab Ecclesia ergo dominium politicum usurpandum non est, nec organisationes quas diverse homines instituunt ad humanos fines attingendos: haec eius non est missio: Dei dominium super res creatas praedicat, non suum. Status vero institutionumque humanarum non est personas cogere ut in Ecclesiam introeant: haec eorum non est missio.

b) Sua membra, suasque institutiones monet ut cum ceteris hominibus et institutionibus auxilientur bono communi, ratione proprii valoris humanae operae cui concurrunt. (Hic addatur schema pag. 20, linn. 11-14).

Laicis christianis, pastoribus, communitatibus instanter suadet ut, cum iustarum causarum servitio forsitan laborantur, ea omnia respuant quae de vera spiritali Ecclesiae missione aequivocitatem causent: nulli humanae institutioni — etsi legitima videntur eius proposita — adaequatur nec identificatur Christi institutio. Liberam teneant conscientiam a politicis passionibus, semper parati ad actus suos secundum normam moralem fide illustratam diudicandos. Dominationis spiritum effugiant, legitimamque opinionum, optionum, actionum, diversitatem vereantur, dummodo rectae conscientiae conformantur (*Rom.* 14, 5-23). Fiducia, quae propter servitia reddita eis manifestatur, ad cogendas, sub specie proselytismi, humanas libertates ne utantur. Externis enim potentiae pressibus Ecclesia non fulcitur, qui ex carne sunt, sed Spiritus virtute intus agentis: Ille est qui rectis conscientiis praestat, adiuvante fidelium et communitatum testimonio, ut sentiant fratrum praesertim pauperiorum ultimo sensu repleri ex hominis magnitudine ad Dei imaginem creati, ad supra-humanum finem vocati, talis amoris digni quali a Patre diligimur.

c) Officio proprio contraire possunt humanae potestates et institutiones, cum erronea hominis conceptione vel malo spiritu in vias iniustitiae ducuntur, homini, moribus, aut etiam fidei offendentes. Omnis conscientiae est tunc contradicere, in testimonium veritati, iustitiae, spirituum libertati. Ecclesia, Dei ancilla in homine, hominisque ad Deum vocati, hoc testimonium praebere et ipsa debet, veluusque ad persecutionem patiendam: oboedire oportet Deo magis quam hominibus (*Act.* 5, 29). Abusibus cum obstat, ius potestatis institutionumque civilium non denegat ut theocratiam substituat, sed tantum manifestat eas sibi ipsis legem non esse, creatas vero esse ut hominum iuribus (incluso Dei honorandi iure) inserviant.

E contra adiumentum affert Ecclesia omnibus quae, ad moralium valorum incrementum conferentia, pacem et dignitatem colentia, progressus hominum ad Deum faciliores reddunt (*1 Tim.* 2, 2-4).

d) Cum nova et complexa sunt problemata quibus occurrunt in mundo, christifideles, nisi cum fratribus et pastoribus congregantur, vix possunt de fide et caritate vivere, recte exigentiis ex eventibus ortis respondere, ecclesiale authentice testimonium praebere, semper parati esse ad satisfactionem omni poscenti eos rationem de ea quae in eis est spe (*1 Pt.* 3, 15). Talium coetuum est vitae mundanae studere ad fidei lucem, animosque ad caritatem mutuo auxilio excitare et confortare. Membrorum suorum conscientias profunde formare, ut in mundo hodierno verum fermentum deveniant, maxime Ecclesiae cordi est.

Alias institutiones creavit et creat Ecclesia, quarum fines non pure religiosae sunt, sed culturales et sociales. Spiritu servitii, non dominatus, in his duci vult. Membris suis plene formandis attendit, nullo hiatu interposito inter fidem et humanam vitam, inter caritatem et morales valores quibus in existentia inscribatur (*Rom.* 13, 8-10). Tantum abest ut suos a reliqua societate secretos velit, ut potius cives meliores simul ac Christo fideliores praeparare intendat, humanae communitati utiles. Caritas, quam testari imprimis debet, postulat ut vires suas peculiariter pauperiorum servitio et promotioni consecret, eorum necessitates, dignitatem, et iura, ita renuntians, quippe quae facilius in oblivione veniunt mundi ad immediatam efficacitatem proni.

Ne multiplicentur autem peculiaria temporalia instituta, quoties ex natura rerum vel ex adiunctis satis constat cooperationem cum aliis hominibus bonae voluntatis, praesertim fratribus seiunctis, proficue fieri posse intra fines unius communis institutionis, quae vel christianis principiis conformatur, vel saltem naturae legibus ducitur, et singulorum de re religiosa ac morali libertatem veretur. In aliis autem institutionibus, christianis propriis et aliquando vere necessariis, ipsi invigilent ut spiritus caritatis, animus sociae operae studiosus et apertus vigeat; immo ipsae institutiones pateant omnibus qui eodem spiritu cooperari cupiant (*Sch.*: 20, 1-10).

D. *De dialogo.* Homines, de quacumque stirpe, lingua aut natione sint, non possunt solidarietatem vivere nec laborare ad scientiarum progressum, ad promotionem mundi et hominum, ad aedificationem civitatis vere humanae nisi dialogo ac cooperatione, quorum absentia divisiones, dissentiones ac odia foventur. Ad solvenda huius temporis gravia problemata unio omnium hominum quam maxime urget.

Cum constanter est sollicita ut tota sit Christi, in Christo, pro Christo, et ut tota sit hominum, inter homines, pro hominibus, Ecclesiae in dialogum veniendum

est cum hominum societate in qua vivit: christiani dialogum cum omnibus hominibus, dum hunc non recusant, prosequantur mutuam cognitionem, aestimationem et cooperationem promovendo.

Etenim, ratione habita personae humanae dignitatis ac libertatis, solidarietatis omnium hominum in vita ac in responsabilitate erga mundum, rerum terrestrium valoris intrinseci, actionis Spiritus Sancti extra limites visibiles Ecclesiae, fides et caritas christianos impellunt ut fraterne colloquantur et cooperentur cum omnibus, ubicumque christiana prudentia simul exigit et id permittit.

Hoc imprimis, sed non exclusive, faciendum est cum hominibus qui se ipsos et mundum intelligere student ac mentem suam et vires suos impendunt ad aedificandam civitatem vere humanam.

Hic dialogus et haec collaboratio necessaria sunt ad bonum commune totius humanitatis. Non sunt tamen proficua tantum societati humanae, sed etiam ipsae Ecclesiae. Opus Dei enim sese evolvit in mundo inter conatus, experientias, inventiones, labores, aspirationes, et veram promotionem hominum; ideoque christiani non solum debent aliquid communicare non-christianis, sed possunt et debent libenter ab iis accipere. In hac relatione mutui dati et accepti consistit proprie dialogus.

Nostris temporibus praesertim ubi phaenomenon socializationis viget, dialogus saepe evenit per communitates et non tantum per singulas personas.

In hoc dialogo, vera caritas, ut fermentum evangelicum, memor propriae debilitatis, iniuriae immemor, semper magis attenta ad ea quae uniunt quam ad ea quae dividunt, nihilominus scrutatur attente obiectivam vitae hominum realitatem, conatur maiorem iustitiam in mundo hodierno instaurare, denique cum perseverantia et in omnibus quaerit unitatem, quam in huius vitae peregrinatione non consequitur nisi gradatim. Sincerus et sine fictione sit talis dialogus qui dona a Deo nobis commissa plene largiatur verbo et exemplo. Dignitas autem aliorum et praeprimis gloria Deo tribuenda qui in eis operatur exposcunt ut christiani illos in dies melius cognoscant, audiendo in simplicitate et studendo condicionibus vitae et culturae eorum, et libenter agnoscant et accipiant, quaecumque sunt vera, quaecumque bona, quaecumque iusta (cf. *Phil.* 4, 8). Sapientiam et prudentiam a Deo exposcant, ut cum cognitione semper altiore fidei suae idonei fiant ad discernendum ac cum aliis promovendum quod est iuxta Christum et ad reddendam rationem de spe quae in eis est (*1 Pt.* 3, 15): in dialogo enim postulatur ut unusquisque alterum audire sciat et sese in sua veritate exprimat.

[*De conversione secundum spiritum beatitudinum ut condicio dialogi*]. Dialogus christianorum cum aliis hominibus supponit dialogum intra ipsam Ecclesiam et docilitatem communitatum singulorumque fidelium Spiritui Sancto. Verus dialogus cum hominibus postulat ut Ecclesia ipsa eis per sua membra loquatur, quod communem attentionem mundo in lumine fidei ex parte omnium coetuum christianorum exigit, et ut Ecclesia, perpetua renovatione, hominibus cor suum aperiat veramque faciem suam et actuositatem praebeat. Haec conversio quotidiana christianorum et institutionum in ipsa vita concreta prosequatur secundum mentem beatitudinum, quae in fide et spe erga Patrem, in amore fraterno erga omnes homines, speciatim pauperes — qui amor est benignitas, iustitia, pax, humilitas, misericordia —, in suiipsius abnegatione et in libertate erga divitias consistit. Huius mentis beatitudinum praecipua signa pro mundo sunt amor concretus Ecclesiae erga pauperes eiusque spiritus et veritas paupertatis. Nostris temporibus

iter beatitudinum est unica via dialogi cum iis qui longe sunt: est unicum medium ad aperiendum cor eorum et ad suscitandum in eis benevolentiam ac fiduciam erga Ecclesiam quam saepe ut potentiam spiritu dominationis et possessionis animatam timent.

Dum tot homines egestate, fame et oppressione vexantur, christiani amorem Christi ostendere debent non tantum sublevando urgentiores necessitates eorum, sed iura eorum vindicando et actioni collectivae ad promovendam dignitatem omnium personarum ac populorum participando: quae dignitas postulat aequam omnium participationem in communi familiae humanae patrimonio et accessionem ad exercitium responsabile iurium oeconomicorum, culturalium, socialium, politicorum, et religiosorum. Hic amor concretus pauperum, sine acceptione personarum, pro hominibus est signum universalis amoris Ecclesiae quae omnibus omnia se facere vult (cf. *1 Cor.* 9, 22).

Nec sufficit amare omnes homines, praesertim pauperes: Ecclesia ipsa, tam in membris suis quam in suis institutionibus, Christum pauperem prosequi et testificare debet. Quae utitur hoc mundo tamquam non utatur, tamen in mundo vivit ubi spiritum beatitudinum manifestare debet. Ecclesia temporalibus utitur, quantum propria missio id postulat, sed in privilegiis ab auctoritate civili oblatis spem nullam ponit nec quaerit favores humanarum potentiarum. Immo exercitio iurium quorundam legitime acquisitorum libenter renuntiabit, ubi constiterit eorum usu ob novas vitae condiciones candorem testimonii vocari in dubium. Sequela Christi pauperis et humilis variis modis in vita quotidiana elucescere potest, v. g.: divitias vendere et pretium dare pauperibus; bona materialia vel culturalia ut dona a Deo commissa ad proximum serviendum considerare; responsabilitates in mundo assumere, non ad potestatem exercendam, sed ad bonum commune promovendum; tempus dare ad veram promotionem hominum prosequendam; de sua natione egredi ad tertiam partem mundi serviendam; ab aliis humiliter accipere; suam propriam mentem reformare; spiritum investigationis habere; non quaerere hominibus placere sed Deo qui homines amat eosque ad vitam vocat.

Quae omnia perseveranter adimpleri non possunt nisi gratia Christi qui solus cor hominis convertit et dat spem ponere in solo Deo secundum verba Evangelii: « Ubi est thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum » (*Mt.* 6, 21 gr.).

Tertia pars: *De integrali missione Ecclesiae in mundo.*

[*Christus, Salus mundi*]. Si Ecclesia, ex sua ipsa missione, sic reperit et agit suam intìmam solidaritatem cum toto humano genere, si cum omnibus hominibus operatur ut humana gens magis fraterna et iusta inveniatur, insuper in se fert rationem mysterii huius humanitatis profundissimi. Haec autem ratio aliunde inscribitur ab initio in ipso corde hominum; omni enim tempore, homines deos fieri conati sunt, eo quoque et praesertim tempore in quo omnem fidem erga Deum vivum et verum reiiciunt. Atqui Christus Iesus non solum ab aeterno responsurus erat huic desiderio cuius ipse est principium, sed nobis ut donum mere gratuitum praebet consortium suae vitae filialis, in sinu Patris caelestis (cf. *Eph.* 1). Christus, Verbum Dei, in mundo ingrediens, foedus renovavit inter Deum et homines; humanam gentem sibi coniunxit pro ipsa seipsum tradens, et sic eam in gloriam suam assumit. Nativitate, passione et glorificatione non solum Iesus secum et in se resumit omnes aspirationes et omnes acquisitiones hominum usque ad consummationem saeculi, sed eas sua morte purificat et eis nullum alium finem sta-

tuit ac gloriam quam ipse cum Patre habet in uno Spiritu. Homines ducens ad divina participanda, Dominus in vitam divinam mundum totum assumit, qui, dum hanc ultimam revelationem exspectat, gemit et parturit usque adhuc (*Rom.* 8, 21-23).

Sic Christus, in Ecclesia sua vivens, non est dominus alicuius mundi a nostro alieni; cum numquam dereliquerit carnem et humanitatem e Virgine Maria receptas, iam exsurrectus primitiae et pignus est huius mundi a se transfigurati.

Ecclesia autem eius non solum nuntiat sed iam tradit in mysterio salutem mundi novi paulatim crescentem in nostro mundo, donec Dominus rediens Regnum electorum Patri suo tradat. Talis est fides christianorum: salus quam vivunt et sperant a salute mundi disiungi non potest: et expectant « resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi ».

[*De Ecclesiae missionis plenitudine*]. Sicut Christus apud creaturas suas veniens ordinem humanae naturae non perturbavit, sic Ecclesia humanitati nuntians salutem in Christo non contendit obstare huius humanitatis perfectioni. Sed Ecclesia Christi veritatem quam affert et salutem quam praebet tacere non potest, cum agatur de veritate huius mundi et de salute huius humanitatis. Scit enim Ecclesia Deum semper labori instantem esse in corde hominum, et ideo eos docet quae sit principium eorum iustissimorum votorum, eorum propositorum et laborum. Quod principium simul purificationem totam operatur; nam eo ipso instanti quo homo Deum suum agnoscit operantem in suis operibus humanis nec non et in intelligentiae suae praesidiis, viam ingreditur conversionis: agnoscit omnia sua esse, sed seipsum Christi esse debere. Sicut cor hominis, sic mundi opus purificatur a mortali veneno quo homo in seipsum circumclauderetur. Ut Christus et in Christo, homo simul ac mundus transibunt per mortem, peccati signum, ut in vitam diffundantur. Tandem scit Ecclesia fidelitatem hominis erga seipsum et constructionem mundi perficere non posse, si humana gens ad sola terrestria intuitur. Christum habet ut terminum et verum finem mundi, quia eius est principium reconditum. Quae propositio hominem non debilitat, quinimmo eum inducit ad aestimanda munera in tempore peracta, quoniam signum aeternitatis iam praebent (cf. *1 Cor.* 15; *2 Cor.* 4, 18).

Ecclesia, sic conscia, suae plenae missionis non solum asserit unum verum humanismum esse quod accipit a Deo divinisationem hominis; sed iam possidet pignus salutis mundi, et in Eucharistia accipit. Sacramentum Corporis Christi, eucharistia in se omnia mundi et historiae colligit; annuntiatio mortis Domini, eucharistia iam in vita nostra nostrum opus terrestre purificat et hominem promovet ut a seipso renuntiet; signum efficax exspectationis Resuscitati redeuntis, eucharistia est, pro nobis et pro toto mundo, pignus gloriae iam occulte instantis per hominum munera, et aeterne revelaturae quando Deus erit omnia in omnibus.

[*De sensu vitae christianae in intimo mundo*]. Cum talis sit Ecclesiae missionis amplitudo, et cum christiani baptismo a Christo receperunt munus et decus ut fideles ei missioni sint, exsecutio huius salutis mundi in Christo et a Christo intra sanctuaria includi non potest. In communitate quidem a Christo adunata, christiani fontem salutis libant sine qua nihil valent. Sed insuper christianis, qui aluntur sacramento Corporis Christi, laborandum est ut fiant quod receperunt, secundum verba sancti Augustini. Haec exigentia per totam vitam eos comitatur ut Ecclesia in omnibus mundi rebus aedificetur.

Constituti ut membra actuosa Christi Iesu, christiani sunt medio mundo ut

signa viventia actionis dominicae transfigurantis. Ab eis et cum eis, gratia Dei et actio Spiritus non videntur alienae ab humanis muneribus, immo totum curriculum eorum vitae imbuit, ut ipsa in gratiarum actiones versetur (cf. *1 Cor.* 10, 31; *Eph.* 5, 20; *Col.* 2, 17). Cum nihil sibi celandum sit de inspirationibus qua in fide inveniunt, eam operibus patefaciunt (cf. *1 Pt.* 2, 11-12). Testimonium eorum fidei non disiungendum est ab eorum spe. Praesentes inter homines et actuose cooperantes solidario muneri, testantur gloriam Christi superare et perficere optima ab hominibus praestita, et continuum adventum Resuscitati hominis optatis respondere multo melius quam paradisum humanum historiae evolutione promissum.

Super omnia, christiani vocantur ad caritatem vivendam, quae est cardo omnis perfectionis. Hoc autem Apostoli monitum credentibus imperat quomodo agant: imprimis ab eis quaerit ut reperire sciant, in professionibus et eventibus, quae sint exigentiae huius caritatis. Dilectio enim quae a Deo provenit et inter fratres exercetur non potest esse tantum supplementum iustitiae cuius pagani capaces sunt praestitum; caritas a christianis postulata praesertim hodie promovere debet iustitiam magis humanam et semper perfectiorem. Quaerentes primum regnum Dei et iustitiam eius, christiani adducentur in vias hominum iustitiae, sine qua caritas sua ficta remanere posset.

Ita fraterna dilectio inseparabilis evadit ab aedificatione mundi et ab abnegatione hominis erga seipsum (*1 Cor.* 13). Est transitus de morte ad vitam (*1 Io.* 3, 14); est mysterium paschale in ipsis relationibus humanis praestitum. Itaque haec caritas singulariter a christianis requiritur erga eos qui in humana dignitate afficiuntur, pauperes in angustiam famis vel servitutis deductos. Tunc christianus ante pauperem se instantius vocari percipit ad propriam abnegationem; in occursu eius qui dolet quia non est homo, discipulus Christi agnoscit quam magnus sit et quantum requirat occursus Domini. Hoc autem crucificante occursu, mox optabit ut hic frater sibi per fiat, ita ut nulla alia ratione eum diligat nisi dilectio mere gratuita a Iesu Christo accepta. Tamen in medio mundi penitus impressi influxibus collectivis, non obliviscent christiani caritatem fraternam erga eos qui patiuntur, imponere actionem compositam ad causas miseriarum tollendas.

Hic modus christianus in mundo vivendi supponit ergo tantam dilectionem mundi quantam repugnationem spiritus mundi, scilicet peccati. In omnibus christianus qui cooperat aedificationi civitatis temporalis quaerere debet in quantum opus quod exsequitur dignum est hominis creati et redempti a Deo. Aliquando magni animi debet esse, ut repellat habitus, conditiones aut usus discrepantes a fine quam Deus pro humana gente intendit. Quae ei decernenda erunt non imperantur antea ab hominibus melius edoctis; nequidem decerni poterunt a magisterio Ecclesiae, loco christianorum. Haec autem gravis potestas, qua mutari facies mundi et vita vim testimonii acquirere potest, non exerceatur nisi conscientia christiana simul informetur et illustretur.

[*De missione hierarchiae erga opus mundi*]. Missio a Christo apostolis commissa, necnon et eorum successoribus episcopis, ipsis a presbyteris adiutis, necessarie influit in aedificationem mundi ab hominibus durante terrestri peregrinatione peractam. Ministri hierarchici, per quos Christus panem mutat in suum corpus Resuscitati, eo ipso missionem acceperunt ut omnes homines ad conversionem vocent, ad corpus Christi, scil. Ecclesiam, efficiendum. Sed haec hominum conversio operari non potest extra vel independenter ab eorum operibus tempora-

libus et existentiae conditionibus. Quae autem missio mere spiritualis hierarchica realiter amplectit totam humanam vitam. Si revera Christus Caesaris iura servat, nobis insuper ostendit quomodo Deo reddamus omnia quae Dei sunt, inter quae autem ipsum modum Caesari serviendi. Ergo necessarium est vitam hominum in mundo et consilia quae in mundi sortem efficiunt fieri humana rectitudine cuius Christus custodia et inspiratio semper remanet. Sic, agit magisterium, operam dans conscientiis christianis, omnibus hominibus, imo et homini.

Magisterium autem Ecclesiae eo perduci potest ut iudicium ferat de aliquo temporali incoepto vel de aliqua doctrina ut humanismum oblata. Si modo sic agit — et si praecise denegationem aut condemnationem affert — non autem ex competentia technica quae eius non est, sed propter motiva fidei pertinentia, quia iudicat tale consilium vel tale systema discrepare a veritate hominis in Christo sita.

Sed magisterio munus magis positivum incumbit. Non satis autem ei est repulsam opponere; debet insuper lucem conscientiae christianis porrigere. In utroque casu hoc officium erga veritatem est officium pastorale. Et ideo magisterium hierarchicum, sacerdotibus et laicis competentibus adiuvantibus, christianis et etiam non christianis proponit doctrinam de re sociali, oeconomica necnon politica. Quamvis numquam intendat systemati mere humano alligari nec suum sit concretas decisiones imponere, potest et debet orientationes positivas praebere ad opus temporale perficiendum. Non potest Ecclesia de Christo loqui nisi de homine loquatur.

[*Conclusio*]. Quia homines et quia Christi, christiani tum massa tum fermentum huius mundi sunt. Si massa nondum esset, illi nulli curae esset sors mundi ut ab eo se segregent; si fermentum nondum essent, mundum derelinquerent gaudio et exitu inopem, humanitatem vero inertum fieri acciperent. Sed vera lux quae non est de hoc mundo, in nobis illuxit; specialiter christianis concredita est. Si vult Ecclesia Evangelio fidelis esse, debet hanc lucem Christi excelsam sustinere ut totum mundum illuminet. Dominus christianis non promisit eos mundum ad summum felicem aedificaturos esse. Utique transibit figura huius mundi; sed hoc postulatur ut in figura huius fugacis mundi lineamenta vultus Christi componantur, vultus quidem Crucifixi et Resuscitati. Tunc Ecclesia missionem suam adimpleverit: ex tota gente humana exspectanti, unicam efficere Sponsam, stola omnibus mundi varietatibus circumdata indutam. Et dicet Sponsa Sponso: « Veni, Domine Iesu ».

[*Subscripserunt etiam*] Paul Gouyon, Gérard Bannwarth, André Bontems, Adrien Gand, A. Boussard, Henri Gufflet, René Fourray.

15

Exc.mus P. D. AURELIUS SORRENTINO
Episcopus Bovensis

Venerabiles Patres,

...[1] Circa n. 18 cap. III *duo* [2] adnotare et proponere velim: 1) quid hic nomine dialogi veniat; 2) an recte ad homines tantum bonae voluntatis dialogus dirigatur...[3]

1. *De ipso dialogo.* Neminem fugit dialogum non univoce ab omnibus accipi, sicut omnibus compertum est faventes et oppositores dialogi adesse, inter quos, non semper caritate compulsos, contentiones et controversiae graves exortae sunt.

Qui dialogum prosequuntur adversarios existimant laudatores temporis acti, priscorum morum fautores patriisque institutis obsequentes, signa temporum non advertentes, formis novis apostolatus progressu temporis introductis vel introducendis ex professo adversantes.

E converso, qui contra dialogum sunt fautores de facili irenismo ac sat periculoso syncretismo accusant, ut novatores et faciles ad concedendum habent, simplices et credulos inter Ecclesiae saepta, quae usque nunc tecta sertaque erant, equum troianum, stulte, bona, si non prorsus mala fide, introducere conantes.

Quo sensu in schemate verbum dialogus accipitur? Quo sensu accipiendum post Litteras Encyclicas *Ecclesiam suam* Pauli VI?

Ut omnes sciunt, haec Encyclica, fuse de hac re pertractans, docet Ecclesiam, etsi se discrepat ab hoc mundo et ab humana communitate a lumine fidei atque a gratiae dono aliena, tamen huic non obsistere, imo potius cum ea coniungere debere.

Nam, neque custodia, neque defensione officia plane explentur, quibus obstringitur erga dona veritatis et gratiae sibi concredita, quae e contra suapte veluti natura postulant ut aliis subiciantur, inter alios dispertiantur, immo in verbis Domini: Docete omnes gentes, iussum continetur, quod nullo modo praeteriri potest...[4]

In schemate verbum dialogus duplici sensu accipi videtur, scil.: *a*) ut colloquium proprie dictum, quod tamen non semper et necessario verbis constare debet, quod et testimonium bonorum operum, servitium in humilitate et caritate praestitum dicit, imo « quasi ratio quaedam apostolici obeundi muneris, atque animorum iungendorum veluti instrumentum » ...[5]; *b*) ut cooperatio in peculiaribus institutis quae omnibus pateant.

Ex hac duplici significatione non paucae oriuntur quaestiones, quae sub silentio, meo iudicio, praeteriri non possunt.

2. *De dialogo ut colloquio.* Sensu ut supra descripto ac definito, quaeri potest: quibus dialogus dirigi debeat?

Schema respondet: omnibus hominibus bonae voluntatis. Haec locutio: « bonae voluntatis », quae restrictionem quamdam introducit, impropria mihi videtur et e textu expungenda, vel saltem sequentibus vel similibus verbis substituenda: omnibus hominibus dialogum non respuentibus et ad eundem serendum bene dispositis. En rationes ...[6]: *a*) Exemplum et mandatum Domini, qui, in sua benignitate et huma-

nitate in mundo apparens, omnes collocutus est, Pharisaeis et Scribis, Pontio Pilato et ipso Iuda non exceptis, qui non propter iustos sed propter peccatores in hunc mundum venisse dixit, qui parabolam ovis perditae docuit et nos exhortatus est ut filii Patris simus qui solem suum oriri facit super iustos et malos, et pluit super iustos et iniustos...[7]

b) Exemplum ...[8] apostolorum, praesertim S. Pauli, qui ...[9] areopagitis praedicavit, et, ut Acta Apostolorum narrant, Iudaeis primum verbum Dei loquebatur et tantum postea, cum Iudaei illud repellebant, ad gentes convertebat.

c) Exemplum et doctrina Ecclesiae ...[10]: « Neminem a materno animo suo (Ecclesia) putat alienum; neminem ad suum ministerium non pertinere arbitratur; nemo ei est inimicus, nisi quis ipse ei velit adversari » ...[11]

d) Ratio theologica. Perantiquam distinctionem inter errores, semper interficiendos, et errantes, semper materno amore prosequendos ...[12] Ecclesia numquam oblita est. Etiam ad errorem lapsus, homo suam humanitatem et dignitatem non amittit, immo in eo numquam facultas perit et refragandi erroribus et viam ad veritatem quaerendi. Nonne in homine anima naturaliter christiana inest?

Ceteroquin, quis homines malae voluntatis dignoscere potest, quis audet eos ab hominibus bonae voluntatis seiungere?

Tandem, restrictio, quae in textu continetur, cum spiritu totius schematis, immo cum spiritu totius Concilii minime congruit.

Certo, pericula praecavenda sunt, speciatim veritatem extenuandi vel imminuendi, vel errorum qui serpunt contagione seipsum corrumpendi. Sed non est hic nobis opus de iis disserere. Ceterum Christus ipse ait: mitto vos sicut agnos inter lupos...[13]

Conclusio. Post viginti saecula a redemptione peracta, tantum viginti pro centum catholici adnumerantur. Immo multitudo acatholicorum, nedum minuatur, in dies augetur, cum pro unoquoque catholico qui nascitur quatuor acatholici nascuntur.

Quid agendum? Ne nos domi quasi in insula, claudamus, domesticorum tantum solliciti ...[14] Neque consilium apostolorum sequamur: « Dimitte turbas, ut euntes per castella emant sibi escas » ...[15], quia si ieiunae dimissae erunt facile deficient in via...[16]

Nova forma mentalitatis,[17] nova mens, utique, efformanda est, multa praeiudicia reliquenda et fidenter omnibus obviam ire. Liceat in hoc et ab hoste doceri, qui minime tempus terit in disputando de hominibus bonae vel malae voluntatis, sed omnes, ut potest, adit, ubicumque, ut potest, se immiscet, ut asseclas faciat et venena spargat.

Christiani lux in mundo esse debent, sal qui condit, fermentum quod totam massam fermentat: « Quod anima est in corpore, hoc sint in mundo christiani » ...[18]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Inutilibus praeambulis praetermissis, statim ad rem veniens, tria. [2] deest. [3] 3) quid de cooperatione de eiusque condicionibus. [4] « Intimam huiusmodi caritatis impulsionem, quae eo tendit ut in externum ipsa transeat donum caritatis, usitato iam nomine colloquium appellabimus » (Enc. *Ecclesiam suam*). [5] (Enc. *Ecclesiam suam*). [6] emendationis. [7] et, ut innui, iussum dedit Evangelium praedicandi omni creaturae. [8] et doctrina. [9] universalem voluntatem Dei salvificam vindicavit. [10] nuper perlucide a Summo Pontifice exposita. [11] ...Quidquid est humanum nostra interest » (Enc. *Ecclesiam suam*). Colloquium ergo cum universa humana consortione serendum est, iis non exceptis qui nullam religionem profitentur, vel Deum negant, etsi, fatendum est, aliquo in casu « difficile cogitari quit de colloquio, ne dicamus id haberi non posse » (Enc. *Ecclesiam suam*). [12] ac diligendos. [13] 3. De dialogo ut cooperatione. Huc redit quaestio de cooperatione cum acatholicis, cui, meo iudicio, nondum a Concilio adaequata solutio data est neque in schemate *de apostolatu laicorum* (n. 21) neque in schemate nostro *de Ecclesia in mundo huius temporis*. Et quidem hac in re non deficiunt locupletissima documenta Summorum Pontificum, speciatim ultimorum, ex quibus clara doctrina enucleari possit (cf. Enc. *Mater et Magistra, Pacem in terris* etc.). [14] nihil curantes si ingens multitudo hominum unda feratur, quasi struthocamelum qui, periculum ne videat, caput sub ala abscondit. [15] (*Mt.* 14, 15). [16] Sed potius, divino mandato obsequentes, in altum ducamus et in verbo Domini retia in capturam mittamus. [17] deest. [18] (Epist. *ad Diognetum,* 6).

16

EXC.MUS P. D. SERGIUS MÉNDEZ ARCEO
Episcopus Cuernavacensis

Venerabiles Patres,

Res, quam aggressuri sumus non unum locum tantum in hoc schemate obtinere potest, at praecipuum est hoc cap. II, quo Ecclesia proponitur propugnatrix libertatis internae et externae in assensu Deo revelanti, ut omnium hominum animos alliciat.

Ut ex dicendis patebit plene adhaereo iis quae dixit Sua Beatitudo patriarcha Maximus IV et episcopus carissimus Laravoire.

Et revera inter praecipua signa huius temporis adnumerandi sunt conatus ad responsabilitatem et dignitatem personae promovendam et ad libertatem tuendam atque fovendam, ideoque Ecclesia ex sese non solum libertatem religiosam coram aliis religionibus, sed in tota vita christiana, in ipsius exercitio, veram libertatem spiritus *Ecclesia* [1] me-

rito debet promovere, *seclusa* [2] qualibet coactione, quae dignitatem personae humanae offendat vel sinceram fidem adulterare possit, nam Evangelium liberum hominum responsum provocare vult, cum nullo modo *hoc* [3] assensum mere externum intendat, sed contra sinceram conversionem internam novamque vitam in Christo *sicut asseritur* [4] in pag. 13, linn. 13-18.

Fides enim, quae per caritatem operatur, liberum est hominis responsum ad praeconium Evangelii. Ad libertatem nos vocat Christus his verbis: « si manseritis in verbo meo... veritatem cognoscetis et veritas liberabit vos... si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis » (*dixit Ioannes* [5]). Et S. Paulus nos monet ut « huic libertati stemus qua Christus nos liberavit »...[6]

Agens de hac libertate christiana, S. Paulus docet Christum nos liberavisse a servitute legis, ita ut vera lex christiana non sit lex lapidibus scripta, sed lex cordibus scripta. Haec lex christiana est Spiritus Sanctus qui nobis datur ut sub eius ductu et filii Dei simus et ut filii Dei agamus. Sed quia Spiritus Sanctus est amor, lex christiana est amor seu caritas, quae diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum. « Plenitudo ergo legis est dilectio; qui enim alterum diligit legem implevit »...[7]

Tanta fuit motio Spiritus Sancti in S. Paulo circa libertatis assertionem ut iure possit dici tot difficultates et contradictiones *ipsum* [8] passum esse tam ex Iudaeis quam ex christianis, quia libertatem a lege strenue sine interruptione sustinuit.

Non quidem quod S. Paulus amoralitatem et religionem sine obligatione et sanctione praedicasset, et destruens legem mosaicam aliam non substitueret etiam scriptam; sed quia omnis lex scripta etiam actualis ex se non sanctificat, prout S. Thomas patres secutus affirmat.

Ipse quidem agens de lege ita scripsit: « Lex vetus est multo gravior, quam nova; quia ad plures actus exteriores obligabat lex vetus in multiplicibus caeremoniis, quam lex nova, quae praeter praecepta legis naturae paucissima superaddidit in doctrina Christi et apostolorum; licet aliqua sint postmodum superaddita ex institutione sanctorum Patrum in quibus etiam Augustinus dicit esse moderationem attendendam, ne conversio fidelium onerosa reddatur »...[9]

Fatendum tamen est hunc spiritum libertatis et hanc legem christianam libertatis et amoris non semper promoveri cum leges mere ecclesiasticae multiplicantur et imponuntur. Leges ab Ecclesia conditae nihil aliud intendere debent nisi ut caritas promoveatur et dirigatur, non vero ut institutiones ab externo regantur et sustententur, ita ut, caritate et lege Spiritus in cordibus insculpta deficiente, peccata augeantur.

Quidquid in schemate de libertate spiritus et de dignitate personae humanae dicitur, approbatione quidem et laude dignum est; sed maioris momenti sunt facta quam verba. Unde omnino procurandum est ut omnes Ecclesiae leges ita statuantur, ita explicentur, ut revera caritatem, vitam filialem, spiritum christianae libertatis foveant.

Et hoc quidem etiam magni faciendum est in dialogo cum mundo cuiuscumque generis sit, nam absonum omnino esset Ecclesiam aliam mensuram servare — quidquid sit de valore theologico huius usitatissimae distinctionis — *ad extra,* ut homines alliciat, et aliam *ad intra* ut hominibus mores et institutiones humanas imponat, vel ad impletionem divinarum legum exigat.

Si aliquis status modernus civibus suis pro transgressione legum minoris momenti vel legum valde numerosarum carcerem usque ad mortem minaretur et reapse maioritatem civium suorum talis poenae dignos iudicaret, quomodo tunc bona et sana relatio personarum ad societatem et evolutio dignitatis et responsabilitatis personarum in vera libertate et fiducia sperari posset.

Nunc autem chorus tot moralistarum sacerdotes et fideles docet quam plurimas leges ecclesiasticas obligare sub poena peccati mortalis — ergo sub sanctione mortis aeternae vel carceris in omnem aeternitatem. Si quinque auctores moralistas, hodie adhuc in multis seminariis lectos, comparamus et componimus, tunc inveniemus Ecclesiam catholicam paene ducentas leges mere positivas imposuisse quoad administrationem et receptionem sacramentorum inclusive quoad vestes sacras, quae leges sub peccato mortali obligant, paene nonaginta autem sub solo peccato veniali. Docti fuimus sacerdotem qui ex negligentia parvam horam Officii omitteret poena inferni damnatum iri, nisi ante mortem gratiam conversionis pro tali crimine reciperet. Seminaristae instruebantur totam eorum perfectionem et praeparationem ad sacerdotium in absoluta oboedientia versus regulas numerosas disciplinae externae consistere. Educatio ad sensum verae responsabilitatis et spontaneitatis saepe vix apparebat.

Nemo autem non videt clerum elucere debere maturitate personalitatis et sensu responsabilitatis evoluto.

Quod attinet legislationem pro omnibus fidelibus, magnus iam progressus considerari debet nova legislatio de ieiunio eucharistico. Quomodo enim intelligi poterat, si Ecclesia vel potius moralistae sub eius oculis minabantur sacrilegii peccatum et poenam aeternam iis qui post sumptionem unius guttae aquae accessissent ad eucharisticam mensam, cum leviores, uti dicebantur, transgressiones legum divinarum

nullam prohibitionem communicandi secum ferrent. *Et alia possemus addere exempla.*[10]

Mirum autem est mandata mere positiva Ecclesiae, etsi quandoque non facile intelligitur valor et momentum speciale, sub maioribus minis et sanctionibus inculcari quam ipsum magnum mandatum Domini et alias leges a Creatore et Redemptore cordibus inscriptas.

Omni tempore, sed nunc magis quam unquam, spectaculum facti sumus omnibus hominibus. Quodnam autem spectaculum hoc est ut Ecclesia templa sua impleat ita ut ad mysterium centrale fidei nostrae, mysterium nempe Paschale, fontem gaudii, solatii et spei nostrae celebrandum, paena peccati mortalis indigeat? Nonne constrictio haec peccata in millia millium multiplicat, a pluribus impletur more ad carcerem damnatorum et pro veris christianis superflua est et non semel ...[11] scrupulorum?

Conclusio. Ecclesia auctoritative finem faciat huic rigorismo in materia legum ecclesiasticarum. Potius renovata et magis adaptata legislatione et benigna instructione valores et momentum legum demonstret et filialem magis fiduciam et oboedientiam in spiritu libertatis promoveat. Leges mere positivae, praesertim « praecepta, sic dicta, Ecclesiae », si non est ratio gravissima, ne imponantur sub sanctione inferni. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] exclusa. [3] deest. [4] deest. [5] *Io.* 8, 2-36. [6] (*Gal.* 5, 1). [7] (*Rom.* 13, 13-18). [8] Paulum. [9] (I-II, 107 a. 4). [10] Et adhuc hodie forsitan non in lectionibus sed in libris moralistae permulti illis fidelibus qui carnem, etsi vilissimam, feria VI manducant, gehennam aeternam ignis minantur, cum aliis qui splendidam dapem piscium et tot aliorum ciborum exquisitorum sibi feria VI permittunt, ianuas caeli apertas declarent. Etiam quoad longissimos tractatus de operibus servilibus idem paene dicendum est: innumerabilia paene peccata cum sublimissimis distinctionibus etiam ibi in manualibus inveniuntur. E. g. novissima editio (Aertnys-Damen, *Theologia Moralis,* Torino, Marietti 1956, ed. XVII, n. 509; vol. I. Idem a permultis aliis manualibus asseritur, etsi in schola saepe ridiculisantur) manualis bene noti adhuc docet « acu pingere » non esse opus servile, sed licitum. « Acu autem texere iis annumerantur » et si per horas protrahitur est peccatum mortale a. v. ducit ad gehennam aeternam. [11] causa.

17

EXC.MUS P. D. GERARDUS HUYGHE
Episcopus Atrebatensis

Venerabiles Fratres,

Caput III schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* sub n. 18 ...[1], loquitur de dialogo cum non-christianis. Hic dialogus maximi est momenti. Sed non poterit vere institui, nisi verificentur duae conditiones: 1. Non erit dialogus cum non-christianis si non existit dialogus internus cuiusque baptizati cum Spiritu Sancto; 2. non erit dialogus cum non-christianis si non existit dialogus verus inter diversas classes membrorum Ecclesiae.

1. *Prima conditio.*[2] Nullus dialogus verus cum non-christianis sine vero dialogo interno cum Spiritu Sancto. *Breviter dico*[3]: Dialogus non supponit primo dispositionem ad loquendum, sed dispositionem ad audiendum. Haec dispositio nascitur et in intimo corde evolvitur prout credamus activae Spiritus Sancti in nobis praesentiae. Ille suggerit nobis semper et docet nos per eventus quos vivimus aut verba quae audimus.

Haec Spiritus Sancti auditio expostulat ut oratio nostra non sit fluxus verborum, sed silentium ...[4], expostulat etiam ut disponamus cor nostrum in humilitate et abnegatione...[5]

Sic, Spiritum Sanctum audientes, alios audire poterimus in fructuoso dialogo, nam in omnibus hominibus, etiam insciis, operatur Spiritus Sanctus. Ille Spiritus magister est et inspirator omnis dialogi...[6]

2. *Secunda conditio*[7]: Nullus dialogus verus cum non-christianis sine vero dialogo inter diversas classes membrorum Ecclesiae. Spiritui Sancto nobis sic attentis, necesse est insuper quod Ecclesia ipsa, cui in die Pentecostes plenitudo Spiritus Sancti data est, sit imprimis ...[8], congregatio ubi dialogus ille vere fraternus sit possibilis.

De facto tamen[9] Ecclesia crebro apparet non sicut caritatis congregatio — ut aiebat Ignatius Martyr cum loquebatur de Episcopo ut « caritati » talis loci praesidente — sed ut administratio quaedam impersonalis; non sicut schola caritatis dialogum suscitans, educans, adiuvans, sed sicut aliquis relationum nexus in quo alii imperant plus minusve solliciti de sua propria auctoritate, alii oboediunt plus minusve confidentes et securi quando libertatem filiorum Dei usurpant...[10]

Circa *rectam indolem Ecclesiae*,[11] Fratres venerabiles, nos episcopi et omnes praelati in Ecclesia, quam maxime attentos, praesertim hodie, esse debemus. Sicut omnis societas humana, Ecclesia Christi constituitur primo et principaliter tali inter se communione personarum...[12] secundo autem, etsi certe necessario, iuridicis institutionibus et auctoritatibus ...[13]. Firmiter tenere debemus quod in Ecclesia, sicut in omni societate humana, illae auctoritates et institutiones ad servitium sunt et non ad exstinctionem huius caritativae amicitiae in qua sola fit et fieri potest personarum ...[14], laeta et foecunda promotio.

Quis vero ignorat quod frequenter inter nos, illa laeta libertas filiorum Dei in caritate fraterna, illa ad confidentem dialogum aspiratio in Ecclesia refrenantur moribus abusive auctoritativis et iuridicis, dialogo et etiam caritati mortiferis.

Aliqua exempla afferre vellem.[15] Coetus aliquis fidelium spontaneam associationem instituit ad perfectionem adipiscendam vel ad servitium quoddam hominibus praebendum: statim ecclesiastica auctoritas, non praemisso humili, patienti et caritativo dialogo, leges minutas et multas imponit, quae, frequenter, non liberant homines in eorum progressu ad perfectam caritatem, sed potius super eorum cervices iugum imponunt quod neque patres nostri neque nos portare potuimus...[16]

Sacerdotes quidam, anxie prospicientes vanitatem aliquarum apostolatus formarum in quibusdam campis ministerii apostolici, novas formas et certe difficiles inquirunt: mox, sacerdotibus illis cum suspicione plus quam cum amore consideratis, observantiae canonum iurisque Ecclesiae dure et aspere ...[17], revocantur.

Theologi nonnulli, suo difficili muneri satisfacere conati, quaerunt et proponunt responsiones Verbi Dei novis quaestionibus quae surgunt in vita hominum vel etiam Ecclesiae: mox, intervenientibus denuntiationibus modo a Domino tamen firmiter et explicite interdicto ...[18], in condemnationem non auditi incident, et in perdurantem usque ad mortem suspicionem.

Multa alia exempla similia afferre quisque nostrum posset insufficientis dialogi inter fideles et eorum pastores, inter parochos et curias dioecesanas, inter clericos dioecesanos et clericos regulares, inter religiosorum religiosarumque curias generales vel locales superiores et religiosos vel sorores, etc.

Experientias illas dolorosas durum est nobis evocare. Sed Ecclesia, et praesertim hierarchia apostolica, cum omnes homines invitare desiderat ad dialogum sicut in schemate nostro, primo debet interrogationem et forte reformationem de seipsa facere, si incidere non vult sub

valde tremendis Domini verbis de pharisaeis: « Dicunt et non faciunt »...[19]

Necesse est ergo ut, priusquam invitet mundum universum ad dialogum, Sacra Synodus nostra in Ecclesia suscitet reformationem omnium morum, vel etiam institutionum et legum quae, in omni gradu hierarchiae, dominativam caecamque auctoritatem magis sapiunt ac fraternum et vere caritativum dialogum, dialogum scil. verae amicitiae.

Conclusio. Tali quem dixi modo ab intimo cordis et animae Spiritui Sancto attendentes et innixi, educati etiam in omnibus vitae Ecclesiae relationibus in vera caritatis amicitia, christifideles audire assuescent homines qui in mundo nondum credunt in Christum nec in divinam Revelationem cuius Christus centrum est et lumen. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] pag. 19, lin. 35. [2] deest. [3] deest. [4] amore plenum. [5] Nam Spiritus Sanctus non loquitur in nobis, nisi parati simus oboedire suggestionibus eius. Ut dicit Scriptura, homo debet esse « tardum ad loquendum, promptum ad audiendum » et « si hodie vocem Dei audimus, non debemus obdurare corda nostra ». [6] Utinam in corde nostro Eum audiamus ut possimus vocem eius in fratrum nostrorum verbis agnoscere! [7] deest. [8] caritate evangelica in moribus quotidianis praevalente. [9] Mere iuridicae vel auctoritatis vel oboedientiae relationes, quae reapse in coetibus et institutionibus nostris persaepe praevalent, hoc certe facere non possunt. Talibus ex relationibus sequitur e contra quod. [10] Dialogus certe nequit efflorescere si, priusquam ad iuris vel auctoritatis relationes aliunde necessarias adveniatur, vera fraterna caritas non instituatur tanquam fundamentum omnium relationum inter discipulos Christi Dei, cum sincera aestimatione pro unaquaque persona humilique et laeta acceptione veritatis circa quam a Deo testimonium dari potest vel etiam debet. Doctrina haec de caritate magni momenti est in notione vere christiana dialogi. Ut docet S. Doctor communis Thomas, caritas non est certe egoisticus et dominatrix amor, nec etiam benevolentia quaedam tantum, etsi sincera et sedula, sed amicitia, i. e. communio amoris eiusdem boni inter amicos. Bonum nostrum commune est donum Dei perfecte omnibus nobis datum in Verbo Dei incarnato et in Spiritu Sancto in cordibus nostris iam inhabitante vel iam impellente. Dialogus inter fratres sic a Patre locupletatos primo et per se caritatis est opus, i. e. amicitiae opus. Caritas talem dialogum expostulat, sicut e contra, eo deficiente, caritas non potest crescere, immo etiam deperit quia privatur experientia communionis, in qua formaliter consistit. [11] talem indolem caritatis christianae. [12] i. e. a Deo electorum. [13] quorum curae institutiones istae committuntur. [14] scil. fratrum nostrorum in Christo. [15] deest. [16] (cf. *Act.* 15, 10). [17] etsi cum verbis melliferis. [18] (*Mt.* 18, 15-17). [19] (*Mt.* 23, 3).

Animadversiones additae:

Pag. 19, in initio lin. 33, addere et invertere: « ... idonei fiant ad attente audiendum veritates quas homines non credentes melius forte ac ipsi iam possident, ad discernendum quod est iuxta Christum, et etiam, sine ulla nec humani prose-

lytismi, nec spiritualis paternalismi specie, sed discreto humilique testimonio, ad propriam spem cum eis communicandam ».

Pag. 19, lin. 35: textus sic mutari et compleri posset: « Ad hoc multum confert vera humilitas et abnegatio in prosequendo vero et bono, necnon habitualis, religiosa et proprie theologalis interior attentio ad audiendum Spiritum Sanctum qui in omnibus nobis habitat vel inhabitare intendit, et de quo Dominus Iesus promisit quod nobis docebit omnia et suggeret omnia quaecumque Ipse dixerit nobis (*Io.* 14, 26). Illo divino interiori Magistro sic docente, cum fratribus nostris fructuose mutuoque profectu colloqui docemur. Deficiente vero illa interiori relatione, ad dispersionem mentium et cordium quam frequenter vertimur ».

Pag. 19, post lin. 35, paragraphus nova addi posset: « Ecclesia ipsa in primis debet esse pro omnibus membris suis vere divinum dialogi locum, in spontanea laetaque caritatis amicitia. In omni gradu apostolicae hierarchiae, invigilent pastores ut mos nullus nullaque lex vel institutio obstaculum sit simplici, confidenti fraternoque dialogo christianorum inter se vel cum hierarchia. Si institutiones quaedam, a praeterito in praesenti haereditate nostra provenientes, evangelicae communioni in Ecclesia Christi obstaculum nunc faciunt, quam primum reformentur vel etiam aboleantur. Praeceptum caritatis, quo a Domino invitamur ut diligamus invicem sicut Ipse dilexit nos (*Io.* 13, 34), eodem Domino docente debet intelligi et in praxim duci sicut praeceptum verae amicitiae, quae sponte dialogum postulat circa omnia quaecumque unusquisque hominum a Patre, loquente Domino Iesu et inspirante Spiritu Sancto, audivit (cf. *Io.* 15, 15). Dialogus ille in Ecclesia ipsa maioris necessitatis in dies fit si vere, ut multi opinant, homines ad adultam aetatem accedunt et si, ad dialogum invitantes omnes homines bonae voluntatis, Pastores Ecclesiae sub tremendo iudicio Domini adversus Pharisaeos incidere nolunt " Dicunt et non faciunt " (*Mt.* 23, 3) ».

Pag. 19, lin. 39, addere: « ... ad conditiones huius dialogi discernendas et implendas... ».

Pag. 20, lin. 6, delere: « ... de re religiosa et morali... ».

Pag. 20, lin. 8, loco « spiritus caritatis », scribere « caritas » vel fortius « caritatis amicitia ».

Pag. 20, lin. 9, loco « vigeat », scribere « vigeant ».

Pag. 20, lin. 13, loco « spiritus fraternitatis et iustitiae », scribere verius et fortius « fraternitas et iustitia ».

Moderator: Sic finis imponitur discussionibus de cap. III. Cras fiet transitus ad cap. IV et erit congregatio hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DE ECCLESIA IN MUNDO HUIUS TEMPORIS

Prooemium – Capp. I-III

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE *

QUOAD SCHEMA DE ECCLESIA IN MUNDO HUIUS TEMPORIS

Prooemium – Capp. I-III

1

EM.MUS P. D. PAULUS AEMILIUS CARD. LÉGER
Archiepiscopus Marianopolitanus

Remarques sur le plan et l'ensemble de l'exposé. Si on lit avec attention le n. 10 et tout le chapitre, on voit qu'une double intention a présidé à la rédaction. La 1ère a été de dire comment l'Eglise comprend son rôle dans le monde. Cette intention est annoncée au n. 10, lignes 7-8 et réalisée dans les numéros 11 et 12. La seconde intention a été de dire l'aide réciproque que l'Eglise et le monde se rendent. Cette seconde intention est annoncée au n. 10, lignes 4-6 et réalisée dans les nn. 13 et 14.

Outre que cette dualité d'intention mène à des répétitions inutiles, j'aimerais faire remarquer que la seconde manière d'aborder les rapports de l'Eglise au monde, à savoir: en disant les services mutuels qu'ils se rendent, n'est pas très heureuse. Elle conduit naturellement l'Eglise à célébrer tout le bien qu'elle a fait et qu'elle fait au monde, ce qui donne à cette partie de ce chapitre un ton désagréable, et qui ne correspond pas à la conscience que l'Eglise a, désormais, d'elle-même. Plutôt que de célébrer ses propres louanges, l'Eglise préfère aujourd'hui rechercher une fidélité toujours plus grande aux exigences de l'Evangile.

Le n. 13, où l'Eglise proteste reconnaître qu'elle reçoit beaucoup du monde prend, lui aussi, un aspect artificiel. Les nn. 13 et 14, en effet, se présentent comme suit: l'Eglise s'intéresse beaucoup au monde parce qu'elle reçoit beaucoup de lui; le monde, en retour, devrait s'intéresser à l'Eglise parce qu'elle lui donne beaucoup. A une protestation d'intérêt correspond une sollicitation d'intérêt. Beaucoup d'éléments excellents qu'on trouve dans les nn. 13 et 14 et qui doivent être conservés se trouvent gâtés par leur insertion dans ce projet peu heureux de dire les bienfaits mutuels que se rendent l'Eglise et le monde.

Remarques sur le rôle respectif du Magistère et des fidèles. Il est bien important d'exprimer correctement le rôle des Pasteurs et celui des fidèles dans l'instauration d'un ordre social conforme aux exigences de l'Evangile.

Il ne convient pas de présenter l'œuvre des fidèles en ces domaines comme si elle consistait à *aider les pasteurs* « sive consiliis, sive applicatio-

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt, quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt, vel disceptatio interrupta est.

nibus factis » comme on le dit p. 15, ll. 21-22, ou encore comme une *participation à la mission de service des pasteurs,* comme on le fait, p. 12, ll. 10-12.

Cette imprécision dans le langage est dangereuse: elle voile la claire distinction à faire entre l'œuvre et la mission des pasteurs qui sont œuvre et mission d'Eglise et l'œuvre et la mission des chrétiens engagés dans le monde qui ne sont pas nécessairement œuvre et mission d'Eglise. Dans l'édification de la cité terrestre, le rôle des fidèles n'est pas d'aider les pasteurs ou de participer à leur service, mais de s'engager comme hommes dans l'action concrète en tenant compte cependant de l'enseignement des pasteurs relatifs aux exigences de l'Evangile dans ce domaine.

Quant au rôle des Pasteurs, il est mieux exprimé dans le schéma, mais il conviendrait aussi de dire qu'il ne leur appartient pas de déterminer les aspects techniques des exigences de l'Evangile.

Pour corriger tout cela, ma proposition est la suivante: Que ce chapitre se contente d'un seul projet, celui qui est indiqué aux lignes 6 et 7 de l'introduction, i. e.: de dire comment l'Eglise comprend son rôle dans le monde. Le chapitre y gagnera beaucoup en clarté et on évitera les inconvénients que je viens de signaler.

Et voici comment ce chapitre pourrait alors se dérouler en utilisant la matière, le plus souvent excellente dans son esprit, qu'on trouve dans le projet actuel:

1. On dirait que la Mission de l'Eglise est d'ordre spirituel (on pourrait utiliser pour cela la matière du n. 11).

2. On dirait comment l'Eglise reconnaît la distinction des deux pouvoirs et veut respecter la juste autonomie des pouvoirs temporels. On ajouterait qu'elle réclame pour elle les libertés nécessaires à l'exercice de sa mission propre (on utiliserait ici beaucoup d'éléments du n. 12).

3. On dirait comment l'Eglise se reconnaît la charge de faire certains enseignements relatifs à l'instauration de l'ordre temporel. A cette occasion, on dirait:

a) comment l'Eglise est amenée à proposer de tels enseignements, i. e. par fidélité à sa mission de faire connaître et d'interpréter l'Evangile dont la loi a aussi des rapports aux activités terrestres. Cet aspect est trop oublié dans notre chapitre;

b) comment l'Eglise conçoit le rôle du magistère et celui des fidèles à cet égard.

4. L'Eglise dirait comment elle conçoit ses activités propres dans le domaine temporel et notamment dans l'ordre de l'activité caritative. Ce dernier point n'est pas touché par le schéma et nécessiterait des éclaircissements.

2

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS BRIZGYS

Episcopus tit. Bosanensis, aux. Kaunensis

Si Concilii Oecumenici est de hoc aliquod decretum emanare, illud debet esse realisticum et omni suo tenore dignum Ecclesiae se pronuntiantis solemnissima Concilii Oecumenici occasione. Nihil in eo esse debet, quod ab aliquo iuste in dubium vocari posset. Diudicando de valore status societatis hominum quam semper tum hodie primo loco quaestio poni debet concordiae inter legem divinam et spiritum ac vitam societatis.

Ad singula. De prooemio, n. 2. Imprimis de vocabulo « vox temporis ». Dubito hoc verbum aptum esse in decreto Concilii, cum est potius ex vocabulario scriptorum sine ullo definito sensu. Quidquid sit, non puto conveniens esse hunc vocabulum elevandum esse usque ad dignitatem vocis Dei.

Etsi secundarium est, quo verbo vocemus statum rerum, si boni medici et pastores societatis esse volumus, debemus esse realistae in facienda analysi societatis. Haec autem realitas nostrorum temporum longe dolorosior est, quam haec in schemate nobis data. Methodica lucta contra Deum et praesertim contra Christum et eius Ecclesiam, contra matrimonii sanctitatem, eius sacramentalem dignitatem, methodici conatus pervertere moralitatem iuventutis. Vae hominibus, si etiam nos putamus quaestiones sociales-oeconomicas esse supremas. Ut melius intelligatis, Patres venerabiles, de quo loquor, dicam me esse episcopum Lituaniae, ubi solummodo in sermonibus demagogicis loquuntur de bono oeconomico populi, revera autem omnes institutiones in manibus gubernii ac immensae expensae serviunt methodicae luctae contra Deum eiusque mandata, severe persequitur religio, methodice pervertuntur mores iuventutis minorennis in convictis scholarum etc. Et hoc hodie in tam magna parte mundi sub regimine communismi athei. Imago societatis hodiernae datus in schemate et nimis incompletus et decipiens.

In hoc n. 2 et fundamentali schematis sermo est solummodo de bonis temporalibus. Fundamentum vero totius vitae: moralis, socialis, culturalis etc. est dictum Redemptoris: « Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius et omnia adicientur vobis ». Veritas horum verborum satis probata est tam historia antiqua populorum, quam experientia 46 annorum in regionibus sub communismo atheo.

Meo humili iudicio, prooemium ex integro mutandum est: primo loco ponenda sunt principia, secundum qua societas hominum ordiri debet, secundum haec principia diudicandus valor societatis hodiernae, proponenda remedia.

Ad cap. I, pag. 8, n. 5. In introductione huius capitis sermo est de duobus extremis falsis: de iis, qui omnia considerant solummodo sub specie finium temporalium, et eorum, qui omnia solis rebus supranaturalibus devo-

venda censent. Puto satis esse de illis mentionem facere, vel etiam omnino illorum mentionem omittere, declarationis autem essentiam ponendam esse in enuntiatione sani fundamenti, quod in schemate vix paucis verbis tangitur in fine n. 5.

Ad cap. II. Puto n. 11 omitti posse, cum de his habemus in schematibus *de Ecclesia* et *de sacerdotibus.*

Item omittenda censeo, quae in pag. 13, n. 13, linn. 1-13. Hic enim duo dicta (linn. 4-7 et 7-8) sibi invicem contradicunt. Hoc locum est aliquo modo offensivum omnibus, ubi bonae relationes inter Ecclesiam et Gubernia civilia existunt. Est etiam contrarium menti et verbis P. Leonis XIII in Litteris Encyclicis *Immortale Dei* et traditionali doctrinae ac praxi Ecclesiae.

Quod continetur in linn. 14-24, pertinent ad schema *de libertate religiosa.*

Quod in linn. 29-40, inclarum et debile est.

N. 13, pag. 14, linn. 15-30 omittendas puto.

N. 14, pag. 15, a lin. 25 usque ad finem paginae mihi non placent. Puto in schemate de sacerdotibus inculcandum clero esse ut se abstineant a rebus et quaestionibus, in quibus se minus competentes sentiunt. Dicere tamen, uti est dictum in 25 et sequentibus, est offensivum, scandalosum et iniustum. Certum est plurimos sacerdotes competentiores esse multitudini laicorum quaestiones vitae intelligere et suis fidelibus consilium dare. Vae Ecclesiae in regionibus, ubi necesse esset fideles dissuadere a quaerendo consilio apud Pastores. Directivae in hac parenthesi datae laicis, uti sonant, mihi minus placent.

Ad cap. III. N. 16. *Primae conditiones* (se gerendi in mundo). Puto primariam et fundamentalem esse bene noscendi doctrinam christianam sine quo qualiscumque modus occurrendi malis semper incertus manet et potest evadi etiam iniuriosum nomini christianorum.

N. 18: quae sunt dicta in n. 18, meo iudicio melius conveniri schemati *de Oecumenismo.*

3

Exc.mus P. D. STANISLAUS BRZANA

Episcopus tit. Cufrutensis, aux. Buffalensis

Hoc quod Maximos IV Saigh dixit die 27 octobris 1964, de instituenda speciali commissione, videtur omnino necessarium. Talis commissio munus habeat revidendi theologiam moralem, ut haec disciplina etiam renovetur secundum sana principia, et accommodetur temporibus modernis. Si renovatio fiat in studiis Sacrae Scripturae, in theologia dogmatica, in liturgia, in apostolatu, ac in tota vita Ecclesiae, fieri debet etiam in theologia morali.

Praecepta Ecclesiae ne obligent sub gravi nisi in vera ac gravi necessitate. Populus christianus hodiernus tractari debet tamquam maturior.

4

EXC.MUS P. D. ALBERTUS CARINCI
Episcopus Boianensis-Campobassensis

Brevissimas animadversiones proponam circa prooemium et cap. I schematis de quo disceptatur.

Considerata indole eminenter pastorali totius schematis, ea mihi placent. Et revera:

In prooemio, n. 1, habili modo fit initium colloquio cum omnibus hominibus: bene enim affirmatur Ecclesiam iunctam esse generi humano eo quod gaudio, luctui, spei, angori hominum huius temporis participet; bene enunciatur nos omnes esse homines, membra populi innumeri a Deo creati, omnesque nos sentire communem nobis esse sortem in rebus prosperis et adversis, communemque conatum progrediendi. Insuper, apte ostenditur omnes nos vocari ad unam filiorum Dei familiam in Christo Iesu efformandam.

Item, in n. 2, ubi Ecclesia dicitur perscrutari signa temporum, sufficienter adumbrantur problemata ex materiali progressu profluentia et efficaciter describitur crisis angoris ob defectum verae pacis et iustitiae socialis, ob coarctatam libertatem multorum, ob periculum immanis belli.

In sequentibus autem numeris et in cap. I, nimis verbose quidem, at sufficienti claritudine, paratur via ad problemata maiora, viva et profunda huius temporis consideranda sub lumine theologiae speculativae, ut bene clarescant, et sub lumine theologiae practicae, ut bene solvantur, praesertim per actuositatem fidelium.

Attamen, aliis quae fieri possunt praetermissis, hae simplices animadversiones mihi faciendae videntur:

1. In prooemio, pag. 6, n. 4, lin. 33, mihi videtur mentio facienda esse de Deo Creatore, antequam sermo fiat de Christo, mundi lumine.

Rationes sunt: *a*) Christus est lux mundi propterea quod est Dei Filius; *b*) Ecclesiae sermo dirigitur etiam ad eos qui in Deum unum utcumque credunt; *c*) quia hoc est tempus atheismi theoretici et practici fere universalis, grave officium est huius Sanctae Synodus solemne testimonium reddendi Deo Creatori et Domino.

Item in cap. I, pag. 8, n. 5, lin. 11, ubi agitur de integra vocatione hominis, mentionem de Deo Creatore censeo esse faciendam. Ratio est: vocatio est aliquid quod homo sentit, quod, ut ita dicam, passive recipit et a quo movetur. Nunc quaero: quis est qui vocat hominem, qui eum impellit ad bona, immo altiora facienda? Num natura? At natura diversimode a diversis intelligitur. Sed si natura intelligatur rationalis, eatenus ipsa vocationem ad bonum et responsabilitatem, quae ab ea consequitur, sentire potest, quatenus a Deo vocatur.

Ad rem Angelicus Doctor, his fere verbis, ait: « Manifestum est quod

obiectum intellectus est universale verum, sicut obiectum voluntatis est universale bonum: ex quo patet quod nihil potest quietare voluntatem hominis nisi summum bonum, quod non invenitur in aliquo creato, sed tantummodo in Deo ». Hoc autem desiderium summi boni, quod reflectitur in bonis particularibus, quae ad Deum ducere debent, est, meo humili iudicio, vocatio a Deo Creatore in anima hominis impressa.

Unus enim Deus in anima humana vocationem indelebilem ad bonum imprimere potest.

2. Stylus latini sermonis, praesertim in his capitibus, parum lucidus videtur: periodus involutae, complexae; incisa haud semper clare connectuntur cum propositione principali et quandoquidem videntur fere suspensa manere. Item propositiones et incisa haud semper recte dividuntur per virgulas et puncta; propterea ideae, iudicia et ratiocinationes verbis expressa haud clare intelliguntur, forsan quia schema ex alio sermone translatum est.

E. g.: in pag. 8, n. 6, lin. 24, non est clarum utrum pronomen relativum « *qui* » logice referatur « *Deo* » an potius « *habitudinis* »; in pag. 12, n. 12, lin. 29, illud incisum: « *qui persaepe virtutem Evangelii in infirmitate testium* » veluti suspensum manet; et ita porro.

Conclusio. 1. Propono igitur ut in n. 4, pag. 6 prooemii, post verba: « S. Synodus, dum christianis universaeque hominum familiae de relatione Ecclesiae mundum huius temporis alloquitur », addantur verba: « *Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum* », prouti est in Conc. Vat. I, *De Revel.* DENZ.-SCHÖN. 1806; et ante verba: « et ipsum solum Christum etc. »; et in n. 5 cap. I, pag. 8, lin. 11, post verba: « in integra hominis vocatione », addantur verba: « *a Deo, universorum Creatore, in homine impressa* », et ante verba: « Christus enim venit etc. ».

2. Desideratur insuper sermo clarior et simplicior; nexus idearum et ordo locutionis faciliora reddantur, ut recte et plene intelligatur textus ab hominibus huius temporis.

5

EXC.MUS P. D. IACOBUS CORBOY
Episcopus Monzensis

Cap. III huius schematis agit « De ratione christianorum se gerendi in mundo in quo vivunt ».

Sine dubio non pauca in hoc capite inveniuntur quae bona sunt, sed etiam plures notabiles defectus in ipso deprehenduntur: nam etiam in hoc capite frequentes repetitiones occurrunt, ordo logicus non clare patet, stylus est quodammodo involutus, sed praesertim deesse videtur solidum fundamentum theologicum totius expositionis.

Ideo propono ut in prima paragrapho huius capitis exponantur principia theologica quae hanc materiam regunt, deinceps vero ex his principiis

deducantur maiores conclusiones quae in forma concinna et clara proponantur.

Inter principia autem theologica primarium quendam locum occupet oportet doctrina christiana circa humanum laborem. Utique enim vita christiana in omnibus ad futuram vitam tendit sed haec tendentia non excludit, immo formaliter postulat laborem nostrum in hoc mundo. Per laborem enim salutem nostram operamur, christianam renovationem mundi praeparamus ac fratribus nostris succurrimus ut fidei vitam habeant vel abundantius habeant. Labor ergo essentialiter ad vitam humanam pertinet tum quia personalitatem humanam evolvit et perficit, tum etiam quia Ecclesiam aedificat et Regnum Dei in hoc mundo propagat et consolidat.

In hoc contextu in schemate clarius dici debet quod evangelizatio mundi, praesertim in terris Missionum, separari nequit a promotione meliorum conditionum materialium. Pauperrimae illae gentes hodie adhuc in tali miseria vivunt et tantopere occupantur in sibi procurandis rebus vel maxime ad sustentationem vitae necessariis, ut eorum corda et mentes nonnisi difficulter ad caelestia erigantur. Omnis ergo labor qui directe vel indirecte eo tendit ut eorum miseria sublevetur evangelizationem effective praeparat.

In specie etiam notandum est quod in schemate rarissime tantum de Providentia Divina est sermo. Iamvero summi momenti est pro evangelizatione mundi pagani, ut de Providentia Boni Dei, data opera, agamus et hisce populis clare indicemus quod praecise per nostrum laborem humanum consilia Divinae Providentiae exsequimur. Per nostrum laborem christianum efficimur collaboratores Dei qui omnibus hominibus providere vult ad eorundem salutem.

Praecise autem quia labor noster in mundo tam intime cohaeret cum nostra vocatione christiana, ampliore modo in ipso schemate agendum est de momento christiano variarum Associationum operariorum aliarumque categoriarum professionalium (Trade Unions, Workers Unions etc.). Huiusmodi enim Associationes, non obstantibus abusibus interdum etiam gravissimis, multum tamen contribuerunt ad dignitatem laboris humani promovendum et sortem laborantium sublevandam. Convenit ergo ut merita harum Associationum clare agnoscantur et christifideles moneantur ad partes activas in ipsis explendas. Qua in re hodie minus generatim convenire videtur quod christiani proprias associationes habeant quam potius quod in Associationibus generalibus et a-confessionalibus spiritum iustitiae, fraternitatis et caritatis christianae promoveant.

In hac et in aliis multis materiis schema nostrum adhuc alio defectu laborat qui sedulo corrigendus est. Nam redactores modo nimium exclusivo prae oculis habuisse videntur situationem europaeam vel illam quae in America Septemtrionali viget. Idcirco plura in hoc schemate inveniuntur circa familiam, proprietatem privatam, educationem, socializationem et sic porro, quae in Africa et Asia simpliciter nec valent nec sensum habent, cum structura societatis et cultura plurisaecularis harum gentium super aliis conceptio-

nibus fundamentalibus exstructa sint. Ex eo autem quod schema condiciones europaeas et americanas praeconizare videtur, serium oritur periculum ne nobis in Missionibus creentur plura et prorsus innecessaria obstacula in opere evangelizationis.

Peculiaris situationis in pluribus terris Missionum etiam ex alio capite magis habenda est ratio. Nam saepe saepius in schemate affirmatur quod determinatae activitates a laicis expleri debent. Quae omnia optime quidem dicta sunt in ordine ideali et theoretico et sine dubio suo tempore etiam ubique in Missionibus actuanda sunt. Sed hodie in plurimis territoriis laicatus christianus sufficienter excultus et formatus nequaquam existit nec in proximo futuro vel existere poterit. Cum tamen agatur de activitatibus vere necessariis et essentialibus, ipsae pro tempore ab ipso clero exsequendae sunt. Necessarium ergo videtur esse, ut in ipso schemate aperte dicatur huiusmodi labores interim a sacerdotibus et aliis Missionariis suscipi debere donec laicatus competens existat. Quod in specie de illis activitatibus valere videtur quae propriam Missionem Ecclesiae manifestent et Regnum Dei in terris visibile faciant.

Tandem, ne ab altera parte humanae activitati et labori nostro nimias vel unicas partes adscribamus, valde optandum est ut in schemate et quidem in hoc capite saltem aliqua dicantur de problemate doloris quod tantas partes in nostro mundo occupat. Tale autem problema modo vere theologico et profundo explicandum erit et quidem ita ut etiam insistatur in gaudio supernaturali cum quo christiani a manu Dei suscipere debent dolores et aerumnas (cf. *Rom.* 5, 3; *2 Cor.* 7, 4; *1 Pt.* 4, 13). Quo in contextu simul statuatur Ecclesiam sentire cum filiis suis dolentibus, pati cum ipsis et ardenter eorundem miseriae omni quovis medio succurrere velle.

6

Exc.mus P. D. IOSEPH FLORIBERTUS CORNELIS
Archiepiscopus Elisabethapolitanus

Schematis nostri defectus principalior videtur esse privatio doctrinae theologicae de relationibus inter Ecclesiam et mundum.

Redactores quidem, ut dictum est, conati sunt documentum stricte pastorale conficere et non doctrinale. Sed quaerimus: cur non doctrinale?

In hoc tempore necessaria omnino apparet doctrina de habitudine Ecclesiae ad mundum.

Si ut mere pastorale schema habendum sit, deficit adhuc fundamentum doctrinale sufficiens et serio caput primum emendari oportet et praesertim in tribus: *a*) vocatio hominis hic descripta minime integra est; *b*) verba « Ecclesia » et « mundus » in sensu incerto et variabili adhibentur; *c*) habitudo christiani in mundo ad simplicem dualismum reducitur.

7

EXC.MUS P. D. LUDOVICUS DEL ROSARIO
Archiepiscopus Zamboangensis

Cap. II. Vox « lex » non convenit cum de Deo loquatur. Deus enim leges non facit, sed postulata personalia ab individuis et communitatibus et quidem modo personali. Lex per se est impersonalis; unde ob rationes pastorales haec vox vitanda est. Aliae rationes pro hac exclusione: studium S. Pauli (omnes leges malae sunt, quia ab extrinseco homini imponuntur et per se nullas vires ei praebent ad eas implendas. E contra Deus homini dat vires ad implendum id quod postulat. Viget ergo distinctio inter postulatum divinum et legem humanam. Melius est adhibere duas voces ad has res distinctas designandas, e. g. « postulatum » quando agitur de Deo in Novo Foedere; « legem » quando de lege humana vel mere ecclesiastica.

Alia ratio: quaedam culturae « mentalitatem legalem » non habent, e. g. Ins. Philippinae. Ibi « postulatum » unius personae ab alia habetur, sicut in cultura « personalistica » seu paterna accidit.

Si expressio « lex divina » traditionalis est in Occidente, idem dici nequit in lingua Novi Testamenti, neque in multis culturis extra-occidentalibus (v. impersonalitatem lin. 3, n. 14, pag. 15).

Cap. III. In hoc capite (ratione habita n. 15, pag. 17) oportet habere declarationem hunc in finem: « Nemini licet se filium Ecclesiae vocare nisi postulatis Evangelii respondere velit et conetur ». Ratio: *a*) ostendere christianis eorum dignitatem ut testes; *b*) vitare scandalum erga non-catholicos propter vitam illorum qui « catholicos » se nominant (quin ut tales vivant); *c*) afferre reformationem vel crisim conscientiae.

8

EXC.MUS P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES
Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Cap. I. Animadversiones generales. Patet totum schema ex hoc capitulo dependere. Quare optandum est ut quam maxime perficiatur, omni ambiguitate expulsa.

Ecclesia mundo duo beneficia affert, quae in hoc capitulo, uti textus datur, quandoque confundi videntur. Nam primo Ecclesia hominibus verbum salutis praebet, ita ut credentes vitam aeternam habeant. Sed secundo et quasi per superabundantiam doctrinam et media ad finem societatis temporalis adipiscendum apta ac necessaria proponit. At permixtim textus loquitur de uno et altero, permixtim de vocatione aeterna et de fine societatis temporalis.

Quoad primum, omnia habentur in schemate *de Ecclesia.* Hic agitur de voluntate Dei erga ordinem temporalem. Sin repetitiones inutiles dantur, quae de facto non semper vitantur.

Immo, ex textu non semper clare apparet, quos vel pro quibus adloquitur schema; utrum agitur de solis christianis an etiam de omnibus hominibus bonae voluntatis? Saepe saepius dubitatur, quidquid sit de intentione, n. 3, pag. 6, clare expressa. Quod gravius adhuc nobis videtur esse, quandoque dicendi modi exhibentur qui occasionem scandali non christianis erunt, quasi insinuent esse christianum conditionem sine qua non constituere, ad hoc quod homo sua munera temporalia recte adgrediatur.

Nostro humili iudicio, haec prae primis desiderantur:

1. Breviter, sed clare et ordinatim elementa *anthropologiae christianae* proponantur: nempe hominis creatio, lapsus, a Christo restauratio et elevatio. Christus restaurat hominem, tum per revelationem, quae per fidem accipitur, eum illuminando, tum gratiam suam in cordibus infundendo.

2. Sed schema nostrum non tractat de Missionibus. Obiectum praecisum hoc est: quid ad ordinem societatis humanae instaurandum Ecclesia confert? Problema adhuc non quasi in abstracto, sed in concreto tractatur: nam agitur de mundo huius temporis, scilicet de universa societate hominum, quorum scimus maiorem partem in hac praesenti generatione cognitionem plenam Christi Salvatoris nondum recepturos esse. Num, antequam proclamatio Evangelii possibilis pro omnibus hominibus evadat, Ecclesia iam opem adiutricem afferre potest, ita ut homines huius temporis vitam honestam et pacificam degant?

3. Ad responsum habendum, duo maximi momenti esse nobis videntur:

a) Revelatio, Ecclesiae concredita, praeter ipsa mysteria fidei, etiam veritates naturales, utpote homini lapso difficiles captu includit (cf. Conc. Vaticanum I). Ex his veritatibus nonnullae ordinem moralem et socialem respiciunt. Eas proponendo, Ecclesia non tantum fideles, sed *omnes homines* adloquitur et sic *ab eis intelligi potest.* Hoc modo processit Encyclica *Pacem in terris.*

b) Hoc in schemate potius agitur de gratia sanante, quam de gratia elevante, cum sermo sit de rectitudine ordinis humani.

Sed gratia Christi nullo modo reservatur his solis qui Ecclesiae plene incorporantur (cf. schema *de Ecclesia,* nn. 14-16, pag. 36-38). Hi abundantius eam recipiunt, dummodo recte sint dispositi. Sed aliquo modo gratia Christi omnes homines attingit, dum obicem non ponant. Sic homines non christiani, qui recta intentione agunt, gratia adiuvantur, etiam ad ordinem humanum recte instaurandum. Ex hoc vitari debent formulae quae videntur affirmare solos christianos aptos esse ad ordinem temporalem iustum instaurandum.

4. Ipse ordo rerum creatarum in Christo glorificato instaurari debet. Sed hoc plene fiet tantum in fine temporum. A. v. mysterium est *eschatologicum.* In tempore nostro, hoc mysterium iam inchoatur, sed « in spe »

nec sine conflictu cum « principe huius mundi » ac « mysterium iniquitatis » quod « adhuc operatur ». Hi duo aspectus, nempe eschatologicus necnon conflictus in textu non sat affirmantur.

Animadversiones particulares.

A) *Prooemium.* Pag. 5, n. 2, linn. 14-15, 18, expressio metaphorica « vox temporis » infausta videtur, cum doctrina de tempore complexa in Novo Testamento detur (eôn, kairos, hora, potius quam chronos). Agitur verbi gratia de hora Passionis, de hora principis huius mundi, vel de temporibus eschatologicis eorumque signis, etc. Expressio hic adhibita non videtur sat fundata.

Lin. 16, absentiam, *immo aversionem* a Deo, nam atheismus saepe, non semper, deliberatus, aspectum culturae hodiernae constituit. At in voce huius temporis, dum peregrinamur a Domino, non tantum vox Dei auditur.

Lin. 20 caritatis *et veritatis,* quia etiam errores et tenebrae dantur.

Lin. 29, pro: eodem, *concordi* passu, quia ex natura rerum non eodem modo crescunt sapientia et ars technica.

Pag. 6, linn. 10-11, in aliquibus eventibus, non Spiritus Sanctus, sed homines peccatores agunt. Unde phrasis non est recta. Dirigere cursum temporum includit etiam malum permittere, quod non est idem ac operari.

Linn. 11-13 non sunt ad rem, dum de sanctificatione loquantur.

Linn. 13-15, iam ex luce rationis homines possunt aliquo modo discernere, et quidem discernunt.

N. 3, linn. 18-19, aedificare mundum est neologismus non tam clarus; melius: in civitate hominum aedificanda.

Lin. 20, communitatum Ecclesiae? Schema *de Oecumenismo* loquitur de *communitatibus ecclesialibus.*

Lin. 23, expressio: Christo nondum agnito, male interpretabitur a nonchristianis, uti scilicet proselytismum quod aiunt sapiens. *Christum non cognoscentes.*

N. 4, linn. 31-39 non sunt clarae; nam sensus *mundi* non patet. Lin. 38, v. g. mundus significat homines salvandos, quod non est obiectum directum huius schematis.

Pag. 7, linn. 1-3 uti sonant respiciunt solos christianos. Sed Ecclesia adloqui debet et vult (cf. n. 3) etiam omnes homines, pro quibus cognitio verae et integrae vocationis non datur adhuc. Haec adlocutio est opus praeevangelizationis quod aiunt.

B) *Cap. I.* Pag. 8, n. 5, lin. 10, a fide promanare: non clarum. Potius: *a christiana vivendi forma.* Lin. 12, *sanaret et* ad altiorem...

N. 6, linn. 13-25 sunt aequivocae et denuo scribi deberent. Nam agitur in textu de elevatione ordinis creationis ad ordinem supernaturalem, sed non sat dicitur quod munera terrestria indolem et dignitatem propriam conservant. Insuper eadem res materialiter sumpta diversimode ad Deum referri potest. V. g. res creatae referuntur ad gloriam Dei in Liturgia, quae pertinet

ad vitam interiorem Ecclesia, vel in opere alicuius poetae, in ordine culturali christiano vel etiam naturali. Habemus ergo duo ordines.

Melius distingui debet inter creationem in Verbo, lin. 19, et incarnationem, quae mysterium Redemptionis inaugurat.

De homine lapso et redempto mentio fit tantum in n. 8. Sed sic munera Christi Regis in n. 6 valde minuuntur.

Teste S. Paulo (*Rom.* 1, 20, cf. Conc. Vat. I), homo Christum ignorans aliquid de Deo cognoscere potest. Linn. 17-19 sic a non-christianis intelligentur ac si fides catholica esset conditio sine qua non pro recta cognitione ordinis naturalis, quod dici nequit. *Rectum* non est idem ac *plenum*. Insuper gratia Christi (in suo munere sanante, quoad nostrum obiectum) potest dari ubi deest cognitio explicita ipsius Christi. Haec distinctio in textu desideratur.

Linn. 21-25, in ordine praesenti aliter se habet elevatio ad altiorem ordinem *hominis,* qui iam hac in terra proprie sanctificatur, et *materiae,* quae, mediante homine, expectat revelationem filiorum Dei. Nam plena absorpsio ordinis creationis in gloria Christi tantum in fine temporum habebitur. Indoles eschatologica deest, dum textus uti sonat *sacralismum* sapit, qui confusionem afferre posset.

Melius esset affirmare *dignitatem propriam* ordinis creati, qui post lapsum, est a Christo *sanatus* et ad altiorem ordinem *ordinatus.*

Re vera textus quasi nihil dicit de momento proprio rerum terrenarum, cf. linn. 10-11.

Linn. 26-28, *filius adoptivus*: est doctrina specifice christiana, quae a non-christianis intelligi non potest.

Pag. 8, lin. 29 - pag. 9, lin. 3, iterum describitur vocatio specifice christiana. Sed obiectum schematis est mundus hodiernus, non tam ut ad eum dirigitur missio Ecclesiae, sed ut ab Ecclesia adiuvari potest ut modo hominis digno vivat.

Unde antequam de vocatione christiana loquatur, melius esset de vocatione religiosa omnium hominum (quomodo gratia rectitudine naturali uti potest non pertinet ad argumentum). Nam Ecclesia duo facit: *a*) proponit valores et normas ad ordinem humanum aedificandum, et sic omnes homines adloquitur; *b*) suis fidelibus docet quale sit eorum munus specificum in hoc ordine aedificando.

Per totum capitulum haec distinctio deest.

Linn. 10-13 non sunt clarae: utrum agatur de opere apostolatus medio in mundo, vel de contributione christianorum in ipsa civitate terrena aedificanda?

Linn. 13-14, idem dicendum. Agiturne de opere caritatis ad bonum divinum communicandum vel de caritate imperante et inspirante activitatem terrestrem in suo ordine manentem?

Linn. 14-20, haec expectatio est una res. Sed ordo terrestris habet insuper proprium valorem, licet subordinatum. De hoc textus tacet.

Linn. 21-24. Agitur de vocatione christiana (ad quam re vera omnes homines vocantur). Sed haec vocatio non excludit aliquam vocationem subordinatam et relativam relate ad ordinem temporalem. Hanc negare videtur textus pro hominibus qui non sunt christiani. Valor proprius rerum et munerum terrestrium non est privilegium pro solis christianis. Re vera *integralitas* confertur a Christo Salvatore.

Hic totus n. 6 laborat, ut ita dicam, quodam *instrumentalismo*, ac si res terrenae tantum ut instrumenta ad salutem aeternam considerari possint. Hic aspectus certe non est negandus, sed non est unicus. Nam gratia non destruit naturam, neque ergo eius fines proprios, ad quos omnes homines, ex natura ordinantur.

Si dialogum cum mundo instituere intendimus, oportet primo de valoribus authenticis, quorum Ecclesia mater custos existit, quosque omnes homines bonae voluntatis agnoscere possunt, loqui. Si e contra solis catholicis loquimur, hoc sine ambiguitate declaretur sub n. 3, pag. 6.

Insuper de his rebus variae sunt theologorum opiniones, non sat maturae. Optandum est ut Concilium prudenter procedat.

N. 7 est clarus, dum solis christianis in memoriam munera revocat, quia etiam in civitate terrena aedificanda debent esse sal terrae et lux mundi.

Pag. 10, n. 8, forsan locus huius numeri esset potius in n. 6, ubi de muneribus Christi agitur.

Linn. 1-3 et 27-29 non intelligentur a non-christianis. Hic explicari posset quomodo nemini (ergo etiam non-christiano) gratia denegatur. Nam gratia invisibiliter operatur, etiam ubi Evangelium nondum proclamatur.

Lin. 14 superbia, egoismo *et erroribus*. Textus in toto capitulo ignorare videtur quanta nocumenta in societate oriuntur ex falsis conceptionibus.

Linn. 19-20 non respiciunt directe obiectum capituli.

Linn. 21-24 denuo insinuari videtur quod esse christianum sit conditio sine qua non ad hoc ut homo in ordine temporali etiam bene vivat. Quod est verum si de plena rectitudine agatur, non si de quadam humana honestate. Insuper res respicit individuum. Quoad societatem collective sumptam alia elementa dantur.

Quoad modos secundum quos gratia omnibus offertur, cf. supra animadversio ad linn. 1-3.

Linn. 19, 24, nemo, homo: problema restringitur ad individuum.

Linn. 19-29, haec omnia sunt vera, pulchre dicta, sed non ad rem. Si etiam non-christianos adloquimur, linn. 24-27 sufficiunt.

N. 9, lin. 34, negato fine divino, alius finis in eius locum venit; unde pro: manca, *manca et perversa.*

Lin. 37, regnum Christi: expressio non convenit, quia *directe* respicit opus Ecclesiae. Qui civitatem terrenam aedificat non *directe* Regnum Christi promovet. Sed re vera labores suos ad Christum referre debet. Expressio confusionem gignere potest.

Pag. 11, linn. 3-4 plures in Novo Testamento sensus *mundi* dantur. Unde vox explicare oportet diffusius.

Linn. 10-11, ordo caritatis, iustitiae *et veritatis,* quia mundus excaecatus est. Unde christiani sunt etiam lux mundi.

Linn. 20-21, quoad redactionem, quid melius invenire posset. V. g. *Lc.* 4, 4.

Unde nova redactio capituli exoptatur. In memoriam revocatur quae sit voluntas Dei erga homines. Creatio hominis et ordo creationis, lapsus, Incarnatio Christi et Redemptio: homo lapsus a peccato sanatur et ad filiationem divinam in Primogenito elevatur.

Sed pro homine lapso et redempto remanet vocatio ad ordinem humanum instaurandum et finaliter etiam ad Christum ordinandum. Haec vocatio relate ad vocationem filiorum Dei est subordinata, sed realis.

Quoad hanc vocationem Christus simul cum Corpore suo mystico duo beneficia praebet: gratiam suam omnibus hominibus etiam invisibiliter offert. Praeter alia praecipua munera, haec gratia naturam sauciatam sanat.

Revelatio Christi, Ecclesiae concredita et ab ea praedicata, praeter mysteria salutis, etiam doctrinam de homine, rationi perviam, continet.

Quam ultimam doctrinam Ecclesia omnibus hominibus proponit, etiam iis quos praedicatio fidei attingere nondum potest.

Insuper et speciali modo Ecclesia fideles adloquitur, utpote etiam in ordine civitatis terrenae plene instaurando sal terrae et lux mundi existentes.

Plena integratio omnium rerum in Christo in fine temporum habebitur. Haec indoles eschatologica clare exprimi debet. Pro *nunc* temporis civitas terrena in suis versus rectitudinem conatus a gratia et luce Christi adiuvatur, sed etiam a « principe huius saeculi » tentatur et quandoque vincitur.

C) *Cap. II.* Hoc capitulum laudo ac adprobo. Tantum aliquas emendationes et praecisiones hic propono.

Pag. 12, n. 10, linn. 1-4, sensus *mundi* non est tam clarus. Nam constat in Sacra Scriptura vox « mundus » plures sensus habere. Qui sensus non pertinent omnes aequo modo ad nostrum schema.

Linn. 1 et 2 agitur de sensu secundum Evangelium Ioannis, qui plus includit ac definitio linn. 3-4. Haec definitio quoad obiectum est adaequata.

Nam hic mundus consideratur ut ordo creationis, non ut sub potestate maligni iacet. Hoc debet ab initio dici.

Unde linn. 3-4 sic mutentur: connectitur cum mundo. *Cum in ordine salutis propter hominis peccatum Malignique tentationes, mundus sub pluribus aspectibus considerari possit, hic mundum intelligimus omnes homines eorumque institutiones et officia. Mutua inter Ecclesiam et mundum relatio...*

Lin. 6, pro: *inevitabilibus,* potius: *surgentibus. Ratio*: qua ex radice surgit haec inevitabilitas? ex natura rerum vel ex hoc quod mundus tentationibus peccati cedit? Unde cautius loquendum.

Pag. 13, n. 12, lin. 3, pro: tamen, legere: *quin.* Lin. 4, pro: ponit,

legere: *ponat,* et pro: nullam, *ullam. Ratio*: quia huic excellenti normae praxis non semper conformis fuit, uti ex historia constat.

Lin. 12, addere: *Prae omnibus sese erga omnes potestates huius saeculi liberam ostendere intendit Ecclesia, ad hoc ut omnibus hominibus, praesertim humilibus, Evangelium pacis praedicare possit. In populo vivere, cum populo sentire, exclusis tantum erroneis sentiendi viis, cupit. Ratio*: quia in societate *hodierna* quaestio non exhauritur cum relationibus cum potestatibus. In multis nationibus, etiam catholicis, datur *de facto* divortium inter auctoritates (etiam laude dignas) et populum (le peuple, les masses). Collaboratio Ecclesiae cum potestatibus apparet quandoque populo ut compromissio Ecclesiae cum potestatibus terrenis. Nil tam expectatur hodie a parte Ecclesiae quam plenae libertatis testimonium. Unde simul desideratur concordia cum potestate civili necnon collaboratio et intima cum populo eiusque legitimis postulationibus coniunctio. Quaestio est pastoralis.

Lin. 22, vox: sincere, deleatur. *Ratio*: quia potestas civilis non potest de hac sinceritate iudicare.

Pag. 14, n. 13, lin. 10, pro: Veritate, legere: *v*eritate. *Ratio*: ne insinui videatur quod veritates ordinis culturalis ad Veritatem divinam quae liberat nos directe conducant. Veritas salvifica est veritas revelata a fide recepta.

Pag. 14, n. 13, lin. 11, pro: perducuntur, legere: *disponuntur.* Ratione allata, lin. 10.

Linn. 15-20 forse deleantur, quia, quamquam sint recta, non cum contextu concordant.

N. 14, lin. 24, pro: futura, *aeterna. Ratio* duplex: vita aeterna, sc. gratiae, iam hic in terra inchoatur. Insuper formula praeiudicium nefas corroborare videtur, secundum quod vita christiana a muneribus praesentibus homines avertat.

Linn. 25-30: utrum textus bene intelligetur a non-christianis? Nonne iterum haec verba insinuare videntur conversionem ad Christum conditionem esse ad hoc ut homines civitatem terrenam aedificare possint? Ex alia parte, scimus missionem evangelizationis duraturam esse usque ad finem saeculi semperque futuros esse homines qui verbum salutis recusabunt. Problema potius est: quid iam nunc omnes homines bonae voluntatis ex doctrina Ecclesiae accipere possunt, ad hoc ut civitatem terrestrem aedificare possint (quod est obiectum schematis)?

Linn. 25-26, textus sic mutetur: factus est, audit, *quid Ecclesia, ex thesauris sui Magistri, Verbi Incarnati, hauriens, de dignitate et vocatione creaturae docet, inde omnes...*; vel etiam linn. 25-30 deleantur cum haec aequivalenter linn. 35 s. dicantur.

Pag. 15, linn. 3-24: nimis simplificatio habetur cum problemata moderna ad caritatem reducantur. Certe caritas est summa lex et vinculum perfectionis. Sed etiam Ecclesia lucem afferre debet, quod pertinet *ad fidem et rationem.* Quid potest caritas si solutiones non bene enucleantur? Unde lin. 11, legere: competentes, *lumine fidei et rationis illustrati,* ipsi...

Pag. 16, lin. 9, legere: *Ecclesia, Spiritu caritatis vivificata. Ratio*: quia ex Deo veniunt haec exempla, dum discordiae ex miseriis hominum oriuntur.

D) *Cap. III.* Hoc caput multa bona continet. Tamen nonnullas emendationes proponere necesse nobis esse videtur.

Pag. 17, n. 15, linn. 1-6 directe respiciunt testimonium evangelizationis et opus sanctificationis. Cooperatio christianorum ad aedificationem civitatis terrestris videtur sic uti hac aedificatione ac si esset purum medium ad Regnum Dei provehendum.

Lin. 7, expressio « praesenti tempore salutis sic utatur » idem insinuat. Nam a fine ultimo christiani non dispensantur fines subordinatos ut veros fines prosequi. Unde lin. 6, addere: aedificandam. *Haec enim aedificatio pro homine ex natura munus obligatorium constituit. Unde* haec est voluntas Dei... Lin. 7, pro: praesenti... utatur, legere: *in praesenti tempore salutis sic conversentur.*

N. 16, lin. 20, caritas *imperat* munera temporalia christianorum eaque *ultimatim* ad testimonium Christi *refert.* Sed textus sic sonat quasi scopus specificus christianorum operis in ordine temporali esset conversio infidelium. Iure textus non-christianos scandalizabit suspicionesque suscitabit ac si christiani in opere dando non possent *purae intentionis* esse. Ordo temporalis habet fines proprios, plene agnoscendos, nec activitas temporalis ut merum instrumentum missionis censenda est. Unde lin. 19, textus sic mutetur: impleant, *ut promotio hominis, ad imaginem Dei creati, plene foveatur utque insuper* ex fidelitate...

N. 17, lin. 30, legere: pro fecunda *eorum* actione... *Ratio*: quia haec necessitas sequelae Christi respicit non opus temporale ut sic sed in hoc opere partem specificam christianorum, qui etiam in hoc tanquam sal terrae et lux mundi sese gerere debent.

Linn. 35-38 vera sed modo non sat nervoso dicunt. Nam pro permultis hominibus ingens ad inhumana miseria, vere intolerabilis, est hodie causa quare contra Deum sese vertunt et in odium cadunt calumniasque benevolenter audiunt, secundum quas caritas christiana sine vigore, inefficax, somniferumque ad tolerantiam et acceptationem passivam mali esset. Unde expressio etiam: « a Domino permittuntur » non bene intelligetur, cum homines hodierni bene causas secundas perspicientes, videant saepe saepius miseriam a causis politicis, oeconomicis et socialibus dependere, quas causas homo mutare potest. Unde linn. 35-36, textus sic mutetur: inopiam *pro seipsis in fiducia erga Patrem* tolerant, *simulque miseriam eradicare maximo cum vigore satagunt cum* minime *desiderent* statum...

Pag. 19, lin. 6, post: exprimat, addere: *oportet. Ratio*: quia ad « aggiornamento » multa facienda remanent quoad hoc.

N. 18: textus compleri oporteret ex iis quae de hac re in Encyclica *Ecclesiam suam* habentur.

9

Exc.mus P. D. IOSEPH FADY
Episcopus Lilongwensis

Je m'associe aux Pères qui demandent une révision des lois de l'Eglise pour les adapter aux temps nouveaux. Il ne faudrait pas qu'on fasse à l'Eglise le même reproche qu'aux Scribes et aux Pharisëens qui multipliaient les fardeaux imposés aux fidèles et qui ne faisaient que multiplier les fautes parce qu'ils étaient ou désuètes ou impossibles à garder.

Dans le Malawi p. ex. nous avons une longue frontière commune avec le Mozambique, où l'*abstinence du vendredi* n'existe pas grâce à un privilège accordé jadis au Portugal et à ses dependances.

Chez nous l'abstinence est de rigueur. D'un village à l'autre, le fait de manger la viande (positis ponendis) constitue faute grave exposant à l'enfer; de l'autre côté de la frontière — parfois à quelques cases après — il n'y a aucune faute. Nos gens ne comprennent pas.

Assistance à la messe le dimanche. C'est plus délicat. Faut-il toujours l'imposer sub gravi? ou l'imposer sous peine de péché grave, une fois par mois tout en la recommandant fortement: plus de générosité, moins de servilité. Le sujet est evidemment délicat. Mais ne multiplions pas les occasions de péchés graves.

10

Exc.mus P. D. ALBERTUS ALOISIUS FLETCHER
Episcopus Petriculanus

In pag. 15, linn. 31-32, loco « ipsi propria responsabilitate suae conscientiae » substituentur: « ipsi, si id fieri possit, petere et recipere debent confessoris vel alicuius sacerdotis prudentis consilium, qui etsi solutio casus peculiaris a magisterio absit, solutionem generatim efformare potest secundum principia theologiae moralis ipsi a magisterio Ecclesiae inculcata ».

Eadem in pag., linn. 37-41, verba « meminerit... oportet » omittantur. *Ratio*: 1) in quaestionibus moralibus difficilibus, sacerdos recte diiudicando et conscientiam dirigendo multo magis idoneus est; 2) « consilium capere secundum praeceptum suae conscientiae » onus nimis difficile individuo imponit quia *a*) loquitur de conscientia incerta aut dubia in re difficili et *b*) quomodo sibi certe conscius fit « se prudentia christiana duci, quae veritati Evangelii et doctrinae moralis Ecclesiae inhaeret »? 3) Ex consilio et ordinatione huius paragraphi, in praxim catholici sibi facile persuadebunt ita ut, data quaestione morali difficiliter solvenda, rationes quas sibi placent fovebunt potiusquam rationes obiectivas, e. g. in usu pillulae « contraceptivae ».

11

Exc.mus P. D. GABRIEL GARRONE

Archiepiscopus Tolosanus

Difficultates quas patitur schema *de Ecclesia in mundo hodierno,* ex suo fine singulari et inaudito provenire constat.

Ideo semper denuo finis iste in lucem inter nos revocandus est, ut viam opportunam iugiter pateat.

Finis autem iste in hoc capite, et praecipue in nn. 13-14, vix discernitur: realitas enim rerum hodierna in his locis praetermitti et omitti videtur, dum omnino praesens esse debeat ne penitus extra viam et in deserto fiat sermo. Necesse est enim ut, ex alia parte, missio Ecclesiae aperte declaretur, quae est *Evangelii praeconium,* et, ex alia parte, *genuina veritas rerum* lucide et sine cunctatione *conspiciatur.*

Liceat igitur finem nostrum rursus dicere qualis textum nostrum renovare et quasi reanimare valeat, ne quasi extra et supra tempora enuntiari videatur.

Huius schematis intentio cum ipsa Concilii intentione confunditur, et ex quodam *requisito* procedit quod totum Concilium pervadit et animat. Ecclesia enim magis ac magis vivide conscia fit novam omnino fieri conditionem hominum in mundo hodierno et proinde etiam novam fieri hominum habitudinem erga Ecclesiam ipsam et fidem.

Novitas quidem in conditione humana multoties in hac aula iam evocata est.

Mundus rerum materialium, opus Creatoris, in hoc tempore ante oculos hominum magis ac magis aperitur et patet: inde admiratio ingens, inde impulsus ad ulteriores et infinitas inquisitiones, inde renovatio vel renovationis spes quoad conditionem humanam, inde etiam gravissima et inaudita problemata, ut est istud cruentum problema de crescenti numero hominum in terra vel de possibilitate terribili humanum genus simul destruendi.

Sed quid inde *quoad habitudinem hominum* qui in hoc mundo versantur, *erga Ecclesiam et fidem? Hoc in veritate et claritate iugiter ante oculos tenendum est.*

Viriliter autem fatendum est, licet non sine fremitu, homines in mundo isto comprehensi, *in vera conditione atheismi virtualis* hodie inveniri. Saepe non explicitus, atheismus iste periculosior est ipso atheismo militante; minus feriunt quae videntur; hic autem est apertus, dum prior secreto et fundamentaliter paulatim conscientias pessumdat. Conspectus rerum hic est:

Alii enim a longe stant vel Ecclesiam deseruerunt. Ipsis Ecclesia veluti *aliena* facta est et indifferens, ut putant, saepe etiam et inimica videtur. Nec ipsorum spei qua fervent, nec angustiis quibus torquentur, nec laboribus quibus dantur ullo modo particeps apparet. Pacem appellant, famem patiuntur vel de fame aliorum dolent, humiliationem personarum et populorum

intolerabiliter ferunt, pericula belli horrescunt... de his autem Ecclesia eis non curare videtur. Spei incredibili mundi nec laboribus communicat!

Sunt et *alii, christiani quidem,* qui Ecclesiam *inconsciam putant* de radicali mutatione rerum. Constructioni huius mundi dediti, totis viribus ad progressum intenti, inter fidem suam et mundum quem admirantes conspiciunt, unitatem invenire conantur et vix inveniunt.

Alii tandem, qui plurimi sunt, licet credentes, in evolutione rerum, velint nolint, provolvuntur, quin explicite perspiciant *chaos quod sensim firmatur* et dilatatur *inter suam fidem et suam vitam.* Paulatim inter has amittitur contactus: cras consummatum erit divortium et evacuabitur fides.

Concilium fugere non potest gravissimum sibi in hac re incumbere officium: actum ponere memoriae dignum qui ipsam vitam Ecclesiae efficaciter ordinet.

Aperte et clare proclamandum est quid in hac re velit Ecclesia immo non possit non velle. Verbum quidem ab ea requiritur et exspectatur sed non verbum tantum. Non audietur enim Ecclesia nisi loquendo aliquomodo iam agat, et verbum eius efficax sit iam initium operis.

Tria in genere requiri videntur: 1) quoad fidem ipsam; 2) quoad habitudinem fidei ad scientiam; 3) quoad habitudinem fidei ad vitam.

Quoad fidem iam plura dicta sunt de quaestionibus in particulari, et de necessitate solutionem saltem indicandi. Sed etiam in genere requiritur *labor ingens theologiae* ipsius. Fundamentum ipsum in hac re determinationibus et inquisitionibus indiget. Iam super Concilium spiritum quemdam vivificum et refrigescentem afflatum transire visum est cum e. g. card. Meyer et card. Bea ad fontem Verbi Dei in hac re nos deducebant. Quot passus adhuc faciendi sunt donec theologia *de rebus creatis* tandem perfecta sit!

Quoad habitudinem fidei ad scientiam ingens etiam labor ex parte hominum scientiae requiritur. Plurimae ex quaestionibus quae hodie nos pungunt in re morali praecipue circa hominem, fundamentum biologicum habent et nec solvi nec quidem poni recte possunt sine collaboratione hominum scientiarum. Necesse est ut illos Ecclesia persuadeat in ipso opere suo scientifico opus christianum peragere et ad suam propriam vitam Ecclesiam eorum labore indigere et simul cum eis intime et permanenter collaborationem inire.

Tandem convincenda est multitudo christianorum ut videant se fidei suae deficere nisi magnis operibus mundi participes generose fiant, nec ulli homini, quamvis humilis sit, ab opere isto liberari. Pluribus abhinc annis, multimode Spiritus Dei Ecclesiam suam urget ut in Actione Catholica unusquisque christianus nexum restituere satagat *inter vitam et fidem.*

Quis cogitaret tantum opus Concilio integrum committi? Concilii est opus istud inaugurare.

Illius est non expositionem theoricam tantum in his rebus afferre sed *ita loqui ut vere initium practicum fiat,* quoad tria quae supra dicta sunt.

Magnum quidem opus est et urgens, longum restat iter, sed Concilii

est *viam efficaciter aperire,* ita ut post Concilium aliquid mutatum inveniatur. Modestum sit Concilium in determinationibus theoreticis immediatis, decisionum in agnitione realitatis rerum et in ostensione imperativa laboris. Hoc in schemate nostro dari semper appareat.

Iudicabitur Concilium ab historia non secundum quod *corda commoverit,* sed secundum quod *opera promoverit.*

Recognoscantur igitur nn. 13-14 ut sub tali lumine appareat doctrina Ecclesiae.

12

REV.MUS P. D. VILLELMUS GAUDREAU
Rector Maior Congr. Ss.mi Redemptoris

De spiritu paupertatis. Valde mihi placet schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* nam proponit dialogum cum mundo, immo declarare non dubitat quasdam rationes et necessitudines intercedere inter Ecclesiam et universos homines huius aetatis praesentis. Iste quippe dialogus, licet Ecclesiae sit necessarius ut ipsa munere suo Matris et Magistrae cunctarum gentium rite perfungatur, ex altera parte non omnino caret periculis, non pro laicis tantum sed etiam pro religiosis et Pastoribus animarum. At schema provide curat de talibus periculis minuendis et removendis, dum viam regalem caritatis in spiritu paupertatis plane demonstrat. Qui revera pauperes spiritu sunt, prorsus alieni sunt a spiritu mundano quo imbuti sunt homines illi qui in divitiis delectantur atque bona terrestria in dies magis concupiscunt. « Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum caelorum » (*Mt.* 5, 3).

Cum autem experientia compertum sit, quam utile, immo quam necessarium sit ut tam fideles laici quam religiosi ac Pastores iugiter in spiritu paupertatis renoventur: haud immerito istiusmodi renovatio computatur inter fines pastorales huius Concilii Oecumenici. Quodsi sane ista renovatio ad universos spectat fideles et ipsos Pastores, quanto magis ad religiosos, qui vigore ac virtute vocationis suae propriae in Ecclesia constituti sunt testes haud incerti ac impigri fautores veri spiritus paupertatis?

In constitutione *de sacra Liturgia* et in schemate *de Ecclesia* innotescit et elucet doctrina de effectu baptismi, quo omnes baptizati suo quisque modo et mensura participant Christi sacerdotium regale. Atqui Christi sacerdotium ipsa sua natura spiritum paupertatis commendat et docet; namque natura humana Christi plenitudine sacerdotali uncta est quando Verbum aeternum Patris « semetipsum exinanivit, formam servi accipiens » (*Phil.* 2, 7); et subinde Pontifex noster Iesus, in cruce pendens et ministerii sacerdotalis munus modo perfectissimo exercens, omnia quae habebat reliquit, immo vitam et semetipsum donavit. Quare veraciter dici potest: in spiritu paupertatis Christus nos redemit. Quam ob rem oportet ut cuncti fideles,

qui volunt reapse participare Christi sacerdotium et consequi salutares fructus redemptionis, pro viribus satagant imitari Christi paupertatem. Imprimis quidem Ecclesiae pastores ceterique in ordinibus sacris constituti et ideo Christo arctiore dilectionis vinculo coniunctiores, probe tenentur sequi exemplum Magistri divini. Prorsus vero decet et convenit ut qui ex Christi mandato pauperibus evangelizant, ipsi sint pauperes spiritu. Nunquam de cetero in Ecclesia defuerunt viri ecclesiastici spiritu paupertatis praestantes, ex temporibus Apostolorum usque in diem hodiernam, qui cum S. Paulo dicere potuerunt: « Argentum et aurum aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis: quoniam et ea quae mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istae » (*Act.* 20, 33. 34); « Memores enim estis fratres laboris nostri et fatigationis: nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus, praedicavimus in vobis evangelium Dei » (*1 Thess.* 2, 9).

Quodsi igitur episcopi, sacerdotes aliique ministri sacri, et ipsi fideles laici quoque, secundum mensuram donationis Christi, spiritu paupertatis eminere debeant: absque dubio Christi paupertas plus enitere debet in religiosis, quia ipsi libere elegerunt modum vivendi ad normas et consilia perfectionis evangelicae, voto paupertatis semet ipsos adstringentes, ita ut, rebus temporalibus spretis ac abiectis, uberius meliusque inserviant Deo, Ecclesiae et hominibus.

Probe iuvat hic verba referre, quae Paulus Papa VI, gloriose regnans, fecit in Allocutione die 23 maii huius anni habita ad membra Capitulorum Generalium plurium Ordinum et Congregationum: « Ne desieritis *studium paupertatis* inculcare; de qua hodie multus est sermo in Ecclesia. Religiosi enim exemplo verae paupertatis evangelicae omnibus debent praelucere. Quapropter paupertatem, qua se sponte astrinxerunt, ament oportet; neque satis est, circa usum bonorum, e Superiorum arbitrio pendere, sed religiosi ipsi contenti sint rebus necessariis, quibus vitae rationibus consulitur, et fugiant commoditates et lautitias, quibus vita religiosa enervatur. Sed praeter paupertatem, quae *singulorum* propria esse debet, non licet neglegere paupertatem, qua *familia ipsa seu totum corpus sodalium* eniteat oportet. Itaque Instituta religiosa in aedificiis suis et quibusvis operibus cultum et ornatum nimis exquisitum, et quidquid luxum redolet, devitent atque rationem habeant condicionis socialis hominum qui circa habitant. Abstineant quoque a nimio studio quaestus faciendi, immo subsidiis temporalibus, quae divina Providentia iis est largita, veris necessitatibus fratrum indigentium subveniant, sive hi sunt conterranei sive aliis in orbis terrarum partibus degunt ».

Post haec praeclara sapientiae caelestis verba Vicarii Christi in terris, haud multa alia dicenda esse videntur. Solummodo haec pauca adiungere audeo:

Religiosi pauperes esse debent nonnisi ex amore erga divinum Salvatorem; qui Christum vere amant, eum etiam imitari volunt, se divino exemplari similes quam maxime reddentes, illum aemulantes, qui propter nos

« egenus factus est, cum esset dives... » (*2 Cor.* 8, 9). Quemadmodum liquet, oportet religiosos amplecti ac sectari paupertatem, non quasi esset finis in se, sed sicut validum adiumentum et forte adminiculum ad securius ambulandum in semita iustitiae et perfectionis evangelicae ex amore Christi et proximi.

Nos omnes denique religiosi possumus, potius debemus admirari studium et exemplum tot episcoporum qui in hac aula saepe inculcavere necessitatem augendi in Ecclesia hodierna spiritum paupertatis. Faxit Deus, per intercessionem B. Mariae Virginis, ut hoc Concilium, istis bonis nixibus et conatibus potenter favens, opportunas ferat leges atque iterum solemniter affirmet, quantopere necesse sit renovare in universa Ecclesia spiritum paupertatis evangelicae ad mentem exemplumque Christi, qui de se dixit: « Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet » (*Lc.* 9, 58).

13

Exc.mus P. D. PATERNUS NICOLAUS GEISE
Episcopus Bogorensis

Proponitur ut pars n. 13, linn. 15-20, inseritur in n. 10. *Ratio*: haec pars est maximae importantiae, utpote sincera abiuratio spiritus « triumphalismi », complacentiae suae, qui, temporibus praeteritis et etiam hodie, scandalum praebuit et praebet multis non-catholicis. Huius importantiae causa hic passus videtur melius poni immediate in ipsa introductione, ita ut omnes, qui antea fuerunt scandalizati, hoc caput, de *servitio* Dei hominumque tractans, legant cum magna advertentia, audientes haec nova et forsan inexpectata verba. Praeterea, putamus non tantum difficultates auferri, si omnes (certissimi non-catholici intelligent: omnes *alii*) bene intellexerint quomodo Ecclesiam suam missionem... interpretetur (uti dicitur n. 10, linn. 6-8) sed etiam si Ecclesia melius defectus in impletione suae missionis scrutetur, et profundius examen instituat de sua natura, uti nunc fit in hoc Concilio Vaticano II. Tertio: haec « nova verba », posita in introductione, veram impressionem non-catholicis dabunt, Ecclesiam revera velle « novas vias ingredi, nova media adhibere in nostro tempore cum novis structuris socialibus. Sequitur nunc textus elaboratus:

N. 10. Ecclesia, quae versatur in hoc mundo (cf. *Io.* 17, 16), etsi non est de hoc mundo, multiplicibus et mutuis relationibus connectitur cum mundo, id est cum omnibus hominibus eorumque institutionibus et officiis. Ipsa noscit quidem Spiritum Sanctum sibi datum ut munera mundo distribuat, sed pariter scit se ex hominibus constare, sibique proinde impositam esse renovationem continuam, usque ad finem temporum. Vult ergo Ecclesia simplici animo eos audire qui membrorum eius peccata defectumque spiritus evangelici obiciunt. Agnoscit quoque seipsam decursu saeculorum et per varias experientias plura paulatim clarius perspexisse et perspicere.

Sperat haec Synodus multas discrepantias et difficultates, quandoque inevitabiliter oriundas ex mutua relatione Ecclesiam inter et mundum, posse auferri, si omnes homines, hanc novam declarationem, cum bona voluntate datam, cum bona voluntate audientes, intelligere possunt, quomodo Ecclesia suam missionem circa mundum a Deo acceptam interpretetur.

N. 13. Deleantur linn. 15-20, propter rationem allatam; videntur etiam non ita logice connexae cum dictis in n. 13, linn. 4-15.

14

Exc.mus P. D. PAULUS GOUYON

Archiepiscopus Rhedonensis

Dum schema nostrum christifidelibus vias indicat, ad solvenda problemata, in hodierno mundo exsurgentia, sane merito eos invitat, praescriptioni obtemperantes a Summo Pontifice in suo nuntio ex Bethlehem prolatae, ut novum assumant modum cogitandi, volendi et agendi.

Videtur autem, quod haec invitatio pressius et fortius exprimenda sit, et quod perutile esset, quasi in unicam effigiem congregare omnia signa distinctiva vultus hominum novi temporis, quibus indiget mundus hodiernus. Sic melius intelligeretur qui et quales esse debeant illi novi homines; melius etiam appareret modus dirigendi instituta in quibus educantur et efformantur, v. g., ad Ecclesiam quod attinet, modus dirigendi sua seminaria, universitates, scholas, motus actionis catholicae, opera diversa caritatis vel pietatis.

Vultum huiusmodi hominum inspicere intendo, ut per eorum tractus accedere possim ad typum excelsum, i. e. Christum, et sic conditiones indicare valeam, in quibus tales homines hic in terris exsistere queant.

1. *Vultus novorum hominum.* Homines hodierni formatione technica competenti pollere debent, ut problemata sat ardua aggrediantur, quae ab eis solutionem exspectant. Non ergo sufficiunt cognitiones confusae, nec speculationes abstractae; oportet habere formationem technice congruentem, quae ex studiis provenit, necnon ex practica experientia, praesertim ex practica cognitione difficultatum aliorum.

Novis hominibus necessaria est visio clarissima rerum, sine adulatione vel nimia indulgentia, etsi talem visionem exprimere debent eo modo, ut nunquam leges caritatis offendant. Ab eis colenda est sinceritas, quasi usque ad scrupulum; a desiderio habendi sic abstineantur oportet, ut reapse pauperes efficiantur; virtus in eis usque ad audaciam invalescere debet; ita heroici sint, ut persecutiones nequaquam timeant; prompti sint ad triplicem tentationem Christi in deserto sustinendam, quin ei succumbant. Sed necessaria est etiam eis magna prudentia, ita ut summum ius ab eis promovendum nunquam fiat summa iniuria; denique, aequilibrium per omnia servare debent, et ideo semper sint parati oportet ad dialogum omni tempore

cum aliis instituendum, vel ad quaestionem iterum atque iterum perpendendam.

2. *Typus novorum hominum.* Spes huiusmodi homines inveniendi quasi evanesceret, si non pro quovis ex nobis typus non praesto esset, scil. *Christus,* qui est reapse nostrum exemplar et socius in via, et qui potestatem habet aquam vivam effundendi: « aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam ».

Omnes tractus huiusmodi vultus novorum hominum a mundo tanquam veri et sinceri agnoscuntur; siquidem aliud non sunt quam expressio vultus unici hominis novi, ipsius *Christi,* ad cuius similitudinem Paulus apostolus indesinenter convocat fideles suos; homines huius temporis, etsi ab Ecclesia procul degant, ad eum tamen oculos cum maestitia convertunt. Nonnunquam eum agnoscunt in hoc vel illo servorum suorum, qui eum peculiari modo iterum inter nos praesentem facit; sic factum est abhinc paucos annos in persona per aevum veneranda Pontificis Ioannis XXIII, in quo intime uniebantur ad idem servitium causa Dei et causa hominum.

3. *Quomodo suscitandi sunt illi novi homines?* Certe, turbatim exsurgere non possunt nisi in vero « aggiornamento », scilicet nisi in ambitu strictissimae aptationis rerum ad necessitates hodiernas, per sincerum et efficacem reditum ad fontes Evangelii. Quia etiam hodie « venit hora, nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate... Pater tales quaerit, qui adorent eum » (*Io.* 4, 23). Hoc plane in rem deductum est tempore post-tridentino. Puritatem Evangelii denuo invenire oportet, et servitium Dei per unicas vias Dei. Talem spem omnes participare constringimur.

Sed quia necessario technica institutio iungenda est sanctitati, optamus ut in operibus nostris pro formatione hominum ratio habeatur exigentiarum mundi hodierni, et talia instituta condantur, in quibus rite praeparentur periti artis technicae, secundum necessitates temporis nostri.

Utique, ut declaratur in schemate nostro: « Haec est enim voluntas Dei ut unusquisque praesenti tempore salutis sic utatur, ut non solum suam propriam vitam in Christo instauret, sed etiam eodem spiritu suas partes assumat in omnibus communitatibus quarum particeps est... ut novus modus sentiendi, volendi et agendi appareat ».

15

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

Prooemium, pag. 5, linn. 2-3: « gaudium... afflictorum ». Mihi videtur bonum non esse hoc modo rem proponere propter evidentiam contradictionis in terminis.

Pag. 5, lin. 5: « populi innumeri, creati a Deo ». Deus non creavit populum, sed, ut ita dicam, radicem populi innumeri!

Pag. 5, lin. 6: « ut excolamus eam ». Nescio an hoc modo bene repraesentetur idea Dei Creantis et simul via Patrum Conciliarium! Meo iudicio, haec novissima verba auferenda essent.

Pag. 5, lin. 14: « Tempus enim ». Non video quocum connectitur haec periodus ut iustificetur particula « enim » quae connectiva vel demonstrativa, natura sua, est.

Pag. 5, linn. 14-15: « Tempus signum et vox est ». Nescio quo sensu dicatur tempus esse *signum* praesentiae vel absentiae (!) Dei; certo certius, sunt me maturiores qui intelligant, sed rudiores mihi videntur plures esse, et quid ipsi intelligent?...

Interim, quod tempus sit *vox* bene intelligo, nam omne verbum, et tempus proinde, est vox; sed aliter intelligebant schematis Paratores; insuper intelligere possum vox praesentis (16), sed absentis (16), nullo modo!

Modus iste loquendi videtur diaristis (« giornalisti ») consonus, non philosophis, non theologis, non conciliaribus Patribus!

Pag. 5, lin. 15: « pro Ecclesia et pro hominibus ». Divisio non est adaequata quia Ecclesia ex hominibus componitur! Aliter dicendum esset si homines determinarentur aliquo modo per aliquam restrictionem, ita v. g. « pro hominibus bonae voluntatis » vel aliquid simile.

Pag. 5, lin. 15: « secumfert ». Verbum hoc, sic absolute positum, scholastice, dicerem naturam rei indicare, at hic contraria indicantur elementa et nescio quomodo componi possint!

Pag. 5, lin. 16: « praesentiam... absentiam ». Quid ergo secumfert tempus, Dei praesentiam vel absentiam?...

Pag. 5, lin. 18: « in voce temporis ». Recole quod superius dixi quando de tempore, ut voce, dixi quae dicenda videbantur!

Pag. 5, lin. 20: « adumbrent ». Nimis debile videtur verbum hoc « adumbrare », praesertim si verba considerantur quae praecedent, « praesentes opportunitates... concretum mandatum... ».

Pag. 5, lin. 25: « qui hominibus etc. ». Haec verba ad consilium Aeterni Patris recurrentes, videntur forsan a quibusdam uti conamen Ecclesiae omnia baptizandi, ut ita dicam; non ita si res aliter proposita fuisset, scilicet si Aeterni Patris consilium, ab initio... usque ad consummandam unitatem in caelo, per diversos gradus diversasque formas, propositum fuisset. Deus enim ideam habuit in initio, quam perfecit in tempore plenitudine vitae et mediorum.

Pag. 5, lin. 27: « genus humanum ». Verba haec pessimismus gignunt et non sunt realis, nam alio in loco, loquitur de viribus validis. Si examen est faciendum, fiat examen nostrae societatis quae christiana est nomine et non re; quod mundus non sit Dei, non est novitas, sed ad hoc misit nos Deus, ut mundus per nos suum finem altissimum attingat; oportet proinde potius quam mundum describere corruptum, videre quantum nomen chri-

stianum sit implicatum in hac corruptione et quomodo faciendum ut *a*) sal (christiani) sit sal, et *b*) mundum condiat!

Pag. 6, lin. 2: « quae fructus sit ». Meo iudicio dicendum esset « quae fructus est ».

Pag. 6, lin. 2: « fructus... caritatis et iustitiae veritatis et libertatis ». Cum pax non sit fructus tantummodo harum virtutum, bonum esset inter « est » et « caritatis » interponere aliquid, ita v. g. « fructus est virtutum, praesertim caritatis et iustitiae... ».

Pag. 6, linn. 9-11: S. Synodus in variis eventibus « totius generis hominum operationem Divini Spiritus dignoscit ». Nescio quomodo haec et quae sequuntur usque ad lineam 15 componi possint cum iis quae dicebantur in lin. 27 pag. 5: hic est Spiritus Sanctus qui dirigit, at genus humanum quantum abest ab itinere suo (pag. 5, lin. 27)! De cetero, in nostro Concilio, non videtur Spiritus Sanctus in bona luce poni; nam, amplius non docet (cf. observationes circa schema *de revelatione*), amplius non ducit; quid ergo facit?... Ad vitam privatam, ad intra scilicet, se contulit?...

Conclusio: supprimatur, vel alio modo dicatur, quod dicitur a lin. 9 usque ad 15.

Pag. 6, lin. 14: « in praesenti civili cultu ». Quid significant verba haec?... Estne cultus positivisticus a Compte et asseclis eius propositus?... Verba loquamur clariora, magis definita et omnibus perspicua!

Pag. 6, lin. 19: « sed exoptamus ». In lin. 17 dicebatur « S. Synodus »; cur hic transitum fit ad aliud subiectum?

Pag. 6, lin. 19: « cum unus nobis sit labor ». Haec propositio latius patet quam realitas, unde corrigenda; nam etsi plura, non omnia habemus in commune cum separatis Fratribus!

Pag. 6, lin. 20: « communitatum Ecclesiae ». Forsan rationes oecumenicae nos suadent ad usum vocabuli « Ecclesia » etiam quando de separatis loquitur; at Ecclesia est una, quia vera Ecclesia una est, scil. catholica; ceterae cum sint falsae, non sunt Ecclesiae, uti aurum falsum non est aurum!

Pag. 6, lin. 22: « paris sollicitudinis ». Estne aequum et conveniens promere iudicium de hac re et ponere aequalitatem inter nos et separatos?...

Pag. 6, lin. 28: « voluntate cooperandi ». Foedus cum omnibus, mihi non placet, quia ad hoc non misit nos Dominus, sed ut sal et fermentum ceteros excitare debemus; tamen, transeat si haec est generalis convocatio hominum bonae voluntatis; quod nullo modo intendo, nec intelligere possum, est reductio muneris Ecclesiae ad cooperationem. Nos ceteros vocamus ad cooperationem, et non ipsi nos!

Pag. 6, n. 4: numerus hic deberet alio in modo proponi, praesertim si attenditur quod in priori numero asseritur (« illis alloquimur qui, Christo nondum agnito... » lin. 23). Cf. etiam quae de modo proponendi (« impostazione ») dixi in aula conciliari, seu de motu ascensionali et non horizontali humanae historiae!

Pag. 7, lin. 1: « in omnibus ». Sic esse deberet, sed cur postea Ecclesia

dicitur nihil habere nihilque scire circa aliqua?... Forsan praeter « omnia » datur « aliquid »?...

Pag. 7, lin. 5: « Christum agat ». Si sermo noster ad non-credentes dirigitur (cf. dicta in n. 3 schematis) quid de hac paulina expressione intelligent?...

Pag. 7, lin. 5: « implicatas ». Verbum non bene sonat quamvis vera dicat, propter sensum faciliter distracturum ad peiora; dicatur « necessarias » vel aliquid simile!

Pag. 7, lin. 7: « Sed etiam ». Bonum commune hic videtur esse aliquid superadditivum (« non solum... sed etiam »); at Ecclesia, natura et actione sua, confert ad bonum commune. Auctores, forsan, dicere volebant quod Ecclesia non tantum cogitat de caelesti sed et de terrestri civitate; tamen clariori modo hoc esset dicendum et semper in luce ponendum esset quod scholastici obiectum formale vocant; nam etsi in materialibus intenta, Ecclesia supernaturalia intendit!

Pag. 8, lin. 2: « de civitate ». Quid, hoc verbo, significatur?... Politica?...

Pag. 8, lin. 12: « ad altiorem dignitatem ». Ad altiorem vel « ad maximam »?...

Pag. 8, lin. 13: « Christum secuta » vel « Christum agens »? (cf. pag. 7, lin. 5).

Pag. 9, lin. 21: « Plena... hominum vocatio » non ita videtur describi in catechismo et in ipso schemate *de Ecclesia*. Vocatio christiana duplex est, prior terrestris, caelestis altera, et prior ad alteram ordinatur!

Pag. 9, lin. 27: « vita non solum privata sed etiam sociali... manifestent ». Loco « sociali » forsan ponenda esset vox « publica » et loco « privata » vox « particulari »; et cum natura seu vita publica sit manifesta, forsan ordo esset immutandus, ita, « vita non solum publica sed etiam particulari ».

Pag. 9, lin. 30: prior citatio Matthaei non venit ad rem, ibi enim non de Mammonis idolatria loquitur.

Pag. 10, linn. 3-5: « Natura humana... evolutio ». Hic de evolutionibus certo certius non loquitur, tamen, sine ullo infenso labore, ad illum distrahi possunt haec verba quae mutari vel auferri debent!

Pag. 10, n. 8: multum loquitur in hoc numero de peccato, at oblivisci non possumus quod sermo noster et ad non christianos dirigitur: quid intelligent?... et quid dicent quando legent: « homo... nec iniustitiam... evincet nisi vestigia premens Christi »? Certe his quos non sunt christiani offendimus, et ipsi possunt dicere de christianis quod hoc non est verum quia christiani sunt saepissime ut ipsi, et aliquando etiam peiores!

Pag. 10, lin. 23: « a Deo... resuscitatus ». Mihi non videtur bene exprimi natura Resurrectionis Christi per haec verba: Christus enim resurrexit, non resuscitatus fuit a Deo!

Pag. 10, lin. 34: « manda ». Neologismus exaticus, auferatur!

Pag. 10, linn. 33-36: ut oppositio materialismum inter et angelismum

clarius pateat, debemus verbositatem auferre et verba verbis, conceptum conceptui opponere.

Pag. 10, lin. 40: « christiani versantur in mundo... ad mundi aedificationem ». Hoc iam dictum est saltem ter et iterum atque iterum dicetur: repetitiones textum aggravant!

Pag. 11, linn. 1-3: « In mundo exercent amorem Dei... ». Non intelligo contradictiones nostri textus: aliquando homines depravati, aliquando sancti dicuntur. Evidenter hoc non potest schema nostrum commendare!

Quod si est verum quod in linn. 1-3 asseritur, ad quid paterna admonitio quae sequitur usque ad lin. 13?...

Pag. 11, lin. 14: « perficitur homo cognitione... ». Hic non apparent media supernaturalia quae procul dubio etiam ad progressum materiale inserviunt! Immo, de istis loqui debemus uti Ecclesiae propriis; secus et Ecclesia evanescit in naturalibus sat discusso!

Pag. 13, lin. 1: « Ecclesia, quae versatur in hoc mundo » (cf. *Io.* 17, 16). Hoc modo non proponitur Ecclesia in suo schemate proprio; terrestris, seu militans Ecclesia non est tota Ecclesia, sed Ecclesiae pars tantummodo!

Citatio Ioannis (17, 16) hic non bene applicatur quia de Ecclesia Christus non loquebatur sed de Apostolis et de quibusdam discipulis tantummodo.

Pag. 12, lin. 2: « etsi non est ». Dicatur « etsi non sit » latinitatis causa!

Pag. 12, lin. 4: « Haec... relatio est fecunda pro Ecclesia et pro mundo ». Cum agatur de activitate Ecclesiae, forsan melius esset in primis obiectum istius activitatis in luce ponere, denique ipsam Ecclesiam! Ita dicerem: « est fecunda pro mundo et etiam pro ipsa Ecclesia ».

Pag. 12, lin. 6: « Multae difficultates etc. ». Res tali modo praesentatur, ut difficultas semper videtur surgere ex alia, non e nostra parte et nescio an hoc sit verum; et si verum opportunum est hoc ipsum declarare?...

Pag. 12, linn. 8-10: « Qua in re... ». Pluries legi has lineas et sensum non intellexi: durus certe ego sum, at illae clarae non sunt!

Si Ecclesia quae prospiciebat et prospicit, incomprehensiones de quibus supra, in linn. 6-7, Ecclesiae debentur! Et possumus dicere Ecclesiam non intelligere quomodo « missionem... a Domino acceptam » interpretari debeat?...

Pag. 12, lin. 19: « praescripsit ». Dicatur: « praescripserat » ut consecutio temporum servetur!

Pag. 12, lin. 27: « qui mortem... a mortuis ». Ad quid haec pinguedo inutilis et onerosa?... Inutilis quia pluries iam dictum est Christum mortuum esse et resurrexisse! Onerosa quia propter ornamenta non apparent elementa essentialia propositionis!

Pag. 12, lin. 28: « eadem innituntur potentia Dei ». Forsan, aliquis malitiose, dicere posset parum posse ista Dei potentia et hoc ipsum probare facile esse ipsis verbis Concilii Vat. II (cf. quae habentur in pag. 5, de, ut ita

dicam, perditione generali et quae dixi de Spiritu Sancto in animadversione ad pag. 6, linn. 9-11).

Pag. 13, lin. 3: « in privilegiis etc. ». Hoc nec bonum nec oecumenicum videtur; non bonum quia inaniter exquirerentur quod concedere non possum; non oecumenicum quia animum illorum qui potestate pollent non bene disponuntur erga nos et Ecclesiam, et non bene intelligerent verba quae sequuntur: « Certe sanam cooperationem etc. » (lin. 7).

Pag. 13, linn. 8-24: Permultum hic disseritur de libertate religiosa, ac si de ea alibi Concilium non locutus fuisset; meo iudicio, nec proportio datur materialis inter declarationem de libertate religiosa et has lineas; tamen haec tractatio pulchrior mihi videtur quam illa!

Pag. 13, lin. 35: « Relinquent mundana dirimenda negotia ». Hoc nec bonum, nec verum mihi videtur; immo contradictorium esse censeo!

a) Non est bonum et non est verum, quia Religio totum hominem informat, et nihil haberi potest totaliter mundanum vel profanum;

b) est contradictorium iis quae dicuntur in lin. 23 ad pag. 9, ubi asseritur: « Omnia vere sunt nostra »! (cf. etiam pag. 8, linn. 19-25, et pag. 14, lin. 6).

Pag. 13, lin. 36: « Suo sacro munere... ». Bonum esset, perspicuitatis causa, iterare subiectum quod oblitum derelinquitur in lin. 29.

Pag. 13, lin. 40: « Quibus illuminandis ». Haec duo verba non bene collocata iuxta grammaticam, mihi videntur; nec video cur debeant ab antecedentibus separari!

Pag. 14, lin. 2: « in negotiis temporalibus curandis minus in dies implicentur ». Res pulchra, at quomodo provisum est ut hoc possibile evadat?... Simplex exhortatio?... Res ita manebunt si aliquid practicum non determinatur!

Et res gravior evadit ex eo quod inter « pastores » de quibus est sermo censentur fere omnes episcopi et fere omnes sacerdotes: et ipsi non sunt angeli!... et ipsi rebus indigent plurimis!... Solutio quam propono practica, haec est:

a) in unaquaque natione, episcopi, provinciales patres, provinciales matres, paroeciae in quantum possunt, efforment corbonam (cassa) seu unicum capitale;

b) haec corbona tradatur competentibus et probis viribus qui administrent;

c) efformantes corbonam beneficia recipient in unoquoque semestre, sine ulla implicatione in materialibus et poterunt « orationi et verbi Dei praedicationi » instanter esse.

Bonum esset pariter, aliquid statuere pro Missionariis qui debent non tantum egenis frangere panem sed et ipsum panem quaerere inter civiles!

Pag. 14, lin. 15: « Simplici animo ». Pauperrima videtur haec propositio: nulla mater de filii sui malis loquentes audit « simplici animo »! Et Ecclesia est mater!

Pag. 14, lin. 15: « membrorum »: dicatur « filiorum »!

Pag. 14, linn. 15-20: Haec linea fortasse melius aptarentur ubi loquitur de realitate humana corpore et anima constante; melius enim intelligeretur relatio, nam et ipsa Ecclesia, supernaturalis societas, constat hominibus!

Pag. 14, linn. 21-30: Pulchra, etsi non semper pulchre, praesertim propter repetitionem vocis. « Verbum », tamen, iam dictum est!

Pag. 14, linn. 31-34: Melius esset, meo humili iudicio, omnia haec declarare non per modum speculativum, scil. quasi principium enuntiando, sed per modum practicum, i. e. per descriptionem facti.

Pag. 14, lin. 35: Iterum affirmatur quod iam dictum est in prioribus paginis!

Pag. 15, lin. 7: « versus perfectam caritatis iustitiam ». Certo rudiores, immo fideles nostri communes parum intelligere debent de perfecta iustitia caritatis! Evidenter, « non omnibus datum est... » et mihi etiam datum non fuit!

Hic, in lin. 7, loquitur de iustitia caritatis, et in lin. 14 de caritate in iustitia dum in lin. 15 de iustitia in caritate: iustitia et caritas suntne termini aequipollentes?...

Pag. 15, lin. 10: « tum id, quod ab omnibus urgeri potest ». Quid est hoc « id »?... Pronomen est terminus syncategorematicus, indiget saltem relatione alterius termini ut aliquid indicare possit, secus nihil dicit!

Pag. 15, linn. 3-24: Etsi pulchra in hoc spatio inveniantur, tamen idea centralis non est perspicua et onerata videtur compluribus elementis uti mulier quaedam, pulchra sed fere mortua sub onere ornamentorum!

Pag. 15, linn. 25-36: Hic continetur gravissima iniuria magisterio et magistris Ecclesiae et imponitur fidelibus onus quod supportare nequeunt!

Pag. 15, lin. 37: « Dissentiones... an recte statuerint ». De quibus fit sermo?... de fidelibus vel de pastoribus?... Res non est liquida et certo certius non bene proponitur!

Pag. 15, linn. 37-41: Verba Augustini clariora et pulchriora sunt: cur non ad litteram hic transferuntur?...

Pag. 16, lin. 4: « quorum etc. ». Latinitati prospiciatur, nam difficile est intelligere sensum propositionis sic constructae « quorum fecunditatem sanctorum hominum vitae produnt »!

Pag. 17, lin. 5: « generosa cooperatione ». Non dicitur quocum cooperari debeant fideles!

Pag. 17, lin. 17: « novae possibilitates novaque pericula sunt tot causae »... Non bene intelligo cur *ad extra* repetenda sit necessitas actionis Ecclesiae, et non *ad intra!* Et in pag. 6, lin. 11 de Spiritu Sancto dicitur quod Ipse « dirigit... renovat... ducit »!

Pag. 17, lin. 21: « monemus ». In lin. 3 huius paginae legitur « S. Synodus... instruit »; cur hic dicitur « monemus »... Haec mutatio subiecti non bene sonat!

Pag. 17, lin. 21: « a caritate et iustitia ». Hucusque locuti sumus tantummodo de caritate et erat veluti praemissa; cur nunc, in conclusione, et de iustitia loquitur?... Latius conclusio patet quam praemissa!

Pag. 17, lin. 22: « a divina Providentia ». Praeponatur « veluti » ut melius intelligatur quae antecedent, vel, forsan melius dicatur: « officia *caritatis* (et *iustitiae*), hodiernis temporibus specialiter imposita, a Divina Providentia libenter accipiant ».

Et cum propositio haec sit completa bonum est unicum punctum derelinquere et alterum auferre; nam et propositiones sequentes sunt, forsan prima excepta, ex structura sua, independentes!

Pag. 17, lin. 31: « christiani ». Meminisse iuvat quod terminus « christianus », natura sua, aequivocus est.

Pag. 18, lin. 13: « Germanus ». Fides et scientia suntne sorores?... Fides a Deo, scientia ab hominibus! Nec celeberrimum textum paulinum cito ubi dicitur « sapientia huius mundi »... Nisi intelligatur per « germanus spiritus fidei » fides rationalistarum germanorum, auferatur haec vox « germanus ».

Pag. 18, lin. 39: « sed etiam ipsum amorem ». Iterum *divisio* (bonorum) non est adaequata, quia materiale et spirituale dividunt ens; ac proinde et amor in hac divisione includitur!

Pag. 19, linn. 2-3: « pauperum evangelizatis... praeclarum signum regni Dei ». Citatio Matthaei non bene applicatur, quia si honesti et veraces esse debemus dicere deberemus « unus e praeclaris signis » et non « signum praeclarum » ac si unicum esset.

De cetero, rationes non video, iterum atque iterum hoc affirmandi quando Christus, *pro omnibus passus, ad omnes nos misit* et *non ad pauperes tantum!* Daturne aliqua demagogia conciliaris ut datur demagogia politica?...

16

EXC.MUS P. D. HENRICUS GUFFLET

Episcopus tit. Calamensis, coad. c.i.s. Lemovicensis

Cap. III. Ostendere vellem quia magis clare insistere deberet textus quantum ad « spiritum », seu virtutem veram iustitiae, in omni actione christianorum in mundo.

In illo capite volumus primo christianis dicere, ut praesentes sint in mundo, et, praesertim, in institutionibus eius temporalibus.

Christiani autem in illo tantum, ut christiani, praesentes sunt quantum laborant ut institutiones illae quaerant iustitiam instituere et statuere. Etenim, status iustitiae humanae, pro christianis, est fructus Dei iustitiae et eius regni.

In illo capite volumus, secundo, christianis ostendere qualitates vere christianas huius praesentiae in mundo, i. e.: spiritus paupertatis — dicendum esset spiritus omnium beatitudinum — et caritas.

Semper autem debemus evitare depravationes satis cognitas — et statim a non-christianis patefactas —, spiritus paupertatis, et caritatis.

Quis esset spiritus paupertatis qui non ut primum effectum haberet, strictam verecundiam aliorum iuris?

Quae esset caritas si non prius intenderet ad iniustitiam ipsam delendam?

Sic spiritus iustitiae habetur ut necessarium signum authentici spiritus paupertatis et authenticae caritatis.

Illa prima ratio, ut mihi videtur, nos coget ut in isto capite fortiter dicamus « sensum iustitiae » actionem christianorum in mundo inspirare debere.

De secunda ratione nunc mihi loquendum est; praestantior mihi videtur.

Iure, in n. 2 huius schematis, pag. 6, linn. 1-5, dicitur: « Nec vera habetur pax, quae fructus sit caritatis et iustitiae, veritatis et libertatis, dum innumeri homines debita libertate privantur, dum alii autem bonis terrae iniuste distributis, in famem detrudentur vel a congrua evolutione retardantur ».

Coram istum statum — quem fusius describi oporteret —, cap. III exprimere vult modum se gerendi christianorum.

Sed hoc caput, sicut totum schema, quia sensum positivum voluerunt illud ostendere, defectu laborat in non satis exprimendo omnes cruciatus in mundo, ut signa temporis nostri. Hodie autem pauperes clamant ut sibi iustitia reddatur.

Et, signum huius temporis est, quod non solum pauperes ab iniustitia cruciantur sed autem de illa conscientiam habeant.

Pauper, dum iniustitiae victima invenitur, scitis, Patres venerabiles, certo dolet quia ab iniustitia aliquo bono privatur. Sed, multo magis ab ipsa iniustitia cruciatur, quia suam hominis dignitatem violat.

Victima iniustitiae inveniri, quando pauper quidam est, numquid pro nihilo reputari apparet, numquid despici plane quia pauper est?

Numquid peior forma materialismi est iniustitia erga pauperes? Numquid haec est ratio cur tot pauperes credere non volunt amori Dei? Numquid haec est ratio cur Prophetae tam vehementer hunc crimen damnarunt?

In sensu positivo, e contrario, numquid est sensus iustitiae erga pauperes securissima manifestatio verecundiae erga personam humanam, et via aperta ad spiritum paupertatis et caritatem?

Cum Ecclesia, de facto, pauper sit in his regionibus ubi vexatur, et, quantum ad centenas millionum fidelium suorum in omnibus nationibus, non possumus ita loqui ut habentes tantum fideles divites, qui « pauperes sublevare debent », ut dicitur pag. 19, lin. 4.

Hic textus bene demonstrat quantum nobis difficile sit nosmetipsos ob-

noxios pauperum sentiri. Prima conditio autem pro iustitiae sensu in hoc consistit ut nos conscii simus huius solidarietatis.

Numquid inveniri poterimus personas magis obnoxias quam fratres, quorum omne est commune? Quare, caritas, fraterna dicitur.

Ante omnia ergo oportet christianos ipsos in suo corde « iustos » esse. Habeant sensum illum *sacrum* iustitiae, et praecipue, quia pauperes verebuntur. Illa sacra pauperum verecundia, a christiano in Beatitudinum spiritu hauritur quia exigentia est gratuiti amoris quem a Christo incessanter accipit.

Concludo. Humiliter peto quod in capite illo tertio, ad optime respondendum signis temporis nostri, curemus omnino in nostro loquendi modo, ne unquam quidem videamur dicere quod caritas compensat et locum tenet iustitiae.

Instanter christianis petamus ut se imprimis imbuant illo sensu iustitiae et totis viribus ad illud instaurandum adlaborent, et *speciatim erga pauperes.*

Et nostrum faciamus hoc oraculum Patris nostri caelestis qui per Ieremiam proclamat: « Ego sum Dominus qui facio misericordiam et iudicium et iustitiam in terra: haec enim placent mihi » (*Ier.* 9, 24).

17

EXC.MUS P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET

Episcopus tit. Doritanus, prael. Cluniensis

Ad prooemium. a) Novus ordo proponitur, et accurate describitur, quo textus schematis integre servatur, sed magis logice, uti opinor, dispositus; *b*) additur affirmatio, quam fundamentalem puto, ut manifestetur efficacitatem *actionis christianorum in mundo* vim suam *accipere ab unione eorum cum Christo,* qui est lux et salus mundi.

a) *Ordo idearum exponitur et describitur*: 1. Ecclesia, Christi vestigia sequens, cunctas mundi spes, gaudia et luctus sua facit (par. 1 completa).

2. Ecclesia perscrutatur signa temporum quasi vocem Dei, et in bonis et miseriis huius temporis, lumine fidei, mandatum caritatis adumbrat, quae est solutio problematum actualium (par. 2, usque ad lin. 9, pag. 6).

3. Ecclesia in historia mundi agnoscit actionem Spiritus Sancti, qui ad Christum ducit, lucem et salutem mundi (pag. 6, linn. 9-13 et 31-36); unde Ecclesia docet omnem efficacem actionem illo fundamento niti oportere, quod in vita interiori seu supernaturali consistit, ex qua Ecclesia propriam vim haurit ut in mundum apte influat.

Tertia paragraphus ergo sic se haberet: « 3. S. Synodus vero, in variis eventibus totius generis humani operationem Divini Spiritus *agnoscens* — qui mundat corda hominum, renovat faciem terrae, et inter mundanas vicissitudines diversis viis ad Christum perducit —, ipsum solum Christum, verum Deum et Hominem, intendit, qui est lux et salus mundi,

e quo et per quem omnibus omnia bona profluunt (cf. *Io.* 8, 12; 12, 46) et Ecclesia sua fungi potest missione pro mundi vita.

« His ducta rationibus S. Synodus aperte profitetur, iam ab initio huius documenti, omnem actionem et efficacem influxum christianorum in mundum huius temporis ab illo fonte promanare et illo fundamento niti, quo homines Christo intima coniunctione uniuntur, atque proprie vita interior seu supernaturalis nominatur.

« Vita enim supernaturalis gratiae, a Christo promanans, est fons uberrimus, unde Ecclesia suas supernaturales vires haurit; via propria, qua in mundum venit Spiritus Sancti influxus; radix fecunda, qua omnis actio religiosa et socialis Ecclesiae alitur; certissimum denique praesidium et semper reviviscentis roboris causa, qua Ecclesia munitur inter profani huius saeculi difficultates (cf. PAULUM VI, Encycl. *Ecclesiam suam*).

« Inter infirmitates et in spiritu crucis, christifideles visibilem efficere debent in mundo praesentiam Christi, qui humili vita et morte amorem Patris erga mundum manifestavit et, resuscitans a mortuis, ad dexteram Patris sedens et pro nobis interpellans, suo amore vivificat Ecclesiam et mundum » (ex par. 4, pag. 6, linn. 36-39).

4. Nunc dicendum esset ad quos S. Synodus alloquatur, prout invenitur in par. 3 schematis (pag. 6, linn. 16-30).

5. Tandem optime quae in pag. 7 inveniuntur, dicenda sunt ut Concilium declaret, quasi per summarium, quid Ecclesia intendat dum alloquitur mundum huius temporis.

Sed textus propositus in pag. 7 obscurus saepe videtur et *titulo* indiget, quo explicite manifestetur connexio numerorum cum capitibus subsequentibus.

Rationes, quibus ordo proponitur, non alio fundamento nituntur nisi ut lectori clarius pateat quid in prooemio Concilium dicere intendit. *Addita vero sunt quaedam verba,* quibus declaratur *Ecclesiam omnem vim haurire, ut in mundum feliciter influat, a vita interiori seu unione cum Christo. Rationes huius additionis deducuntur*:

a) *Ex ipsa rei natura,* scil. *ex natura Ecclesiae* qualiter mundo hodierno exhibenda est. Concilium ad hoc convocatum est, iuxta mentem Summorum Pontificum qui illud indixerunt, ut vultus Ecclesiae originaria pulchritudine magis splendeat et mundo innotescat; non intendit ergo haereses damnare, sed novum spiritus vigorem Corpori mystico infundere, et Ecclesiam societatem visibilem purgare a defectibus et miseriis membrorum, atque ad virtutem incitare. *Sed arma* omnium *potentissima,* quibus Ecclesia seipsam *renovare* et mundum in Christo instaurare potest, *est sanctitas seu vita supernaturalis a Christo profluens, quam mundo transmittere debet.*

Ecclesia enim renovabitur, non has vel illas leges sanciendo, haec vel illa artificia seu methodos operandi innovando, sed seipsam ad Christi exemplar componendo, ita ut ipsi firmius adhaereat, diligentius pareat, fidelius imitetur. « In hoc vertitur, ait Paulus VI, eius renovationis vis; in hoc eius

metanoia...; in hoc demum eius perfectionis exercitatio » (*Ecclesiam suam,* pag. 28).

b) *Ex opportunitate in hodiernis adiunctis.* Nostris enim diebus, praesertim ex Concilii et Magisterii Pontificii influxu, sub ductu Spiritus Sancti, magna eaque laudanda renovationis sollicitudo totam Ecclesiam pervasit. Sacerdotes et laici novas et efficaciores agendi rationes inquirunt et a Concilio spectant, ut mundum renovent. Sed ne ista pacifica et renovata Christi agmina aerem verberent vel insidiatas et periculosas ingrediantur vias, officium Concilii est perspicue describere finem, obiectum et arma seu media huius certaminis. Aliter periculum est ne in solis structuris temporalibus mutandis omnes vires insumant, ignorantes vel oblivioni vertentes renovationem interiorem hominis praecipuam esse vim Evangelii, etiam ad ipsas structuras temporales innovandas, prout luculenter attestatur historia antiqua et experientia recens.

Nisi hic ordo teneatur, absurde Ecclesia verba Christi recitaret: « Regnum meum non est de hoc mundo », « Quaerite primum regnum Dei »; et perdifficile explicari posset cur Salvator mundi, antequam gratiam adoptionis revelaret et ad poenitentiam invitaret, non proclamasset renovationem socialem, servitutis abolitionem, tyrannicae oppressionis damnationem, vel optimas et necessarias inventiones, quibus conditio humana et pauperum aerumnae sublevantur. Perdifficile etiam esset explicare qua ratione Apostoli, magistri nostri, non humanam culturam et scientiam, sed stultitiam crucis mundo praedicaverunt, et ad populum venerunt « in ostensione spiritus et virtutis » (*1 Cor.* 2, 4).

Certe aliud periculum est vitandum, ne hodierni apostoli falsam et sterilem spiritualitatem colant, qua detineri possent ne fructus caritatis mundo praeberent et iustitiam exercerent. At contra tale periculum optima erit cautio, doctrina in schemate proposita.

Nunc ergo reale, non fictum periculum manet ne, sub influxu hodierni pragmatismi et materialismi, fideles vitam supernaturalem et vim divinae gratiae parvi pendentes, solam renovationem materialem et terrenos progressus intendant, quando mundum instaurare in Christo nituntur.

Ad pag. 13, lin. 7. Loco verbi « sanam », postulo ut dicatur « harmonicam ». *Ratio*: mihi videtur aptius vocabulum ad exprimendam cooperationem inter Ecclesiam et Statum civilem.

Ad pag. 13, linn. 10-13. Loco textus qui his lineis comprehenditur, haec formula, si placet, adhibeatur: « Omnia et sola media adhibens, Evangelio secundum temporum et conditionum diversitatem propria, quod etiam in bonum civile redundat ». *Ratio*: vitandus est parellelismus inter Evangelium et bonum omnium, quasi essent duo bona diversa.

Ad pag. 13, linn. 25-28. Hic agitur de materia ad Ius Publicum Ecclesiasticum pertinente, scil. de relatione inter Ecclesiam et Statum (cf. linn. 7-8 eiusdem paginae, et etiam pag. 123-124 schematis *de Ecclesia,* n. 36, a linea « propter ipsam... », ad verba « ...merito reiicitur »).

Placet quidem ut directe agatur de officio sacrorum pastorum non ignorandi « res temporales Deo esse subiectas » (linn. 36-40), sed valde etiam *placeret ut aliquid directe et aperte diceretur potestatibus civilibus de officio suo res temporales ordinandi secundum Dei consilia et praecepta.* De hoc argumento schema omnino silet, dum Romani Pontifices rem luculenter docuerunt.

His non obstantibus, libenter fateor doctrinam huius par. 12 optimam esse et praestantissimam in schemate.

Ad pag. 19, lin. 22. Textus, ubi legitur: « Vera etenim caritas, memor propriae debilitatis »..., ita componatur: « Vera etenim caritas, memor *humanae debilitatis...* ». *Ratio*: non enim vera caritas, sed humana natura debilis est.

Ad pag. 19, linn. 17-40 et pag. 20, linn. 1-14. Tota paragraphus quae agit « De dialogo eiusque conditionibus » multos conceptus repetit. Oportet ergo eam *pressius et densius exprimi.*

Prae oculis habere oporteret optimum documentum a Paulo VI datum, nempe Encyclicam *Ecclesiam suam* in his quae de dialogo dicit, cuius etiam ordo logicus et argumenti distinctio exemplo nobis esse deberent.

Ad pag. 21, lin. 9. Textus hoc modo compleatur: « ... agnoscatur personae humanae dignitas, *quae ad imaginem Dei mirabiliter creata et in Christo mirabilius reformata* (*vel instaurata*) *est,* et quidem... ». *Ratio*: haec verba, ex Offertorio Missae desumpta, perfecte exprimunt unde haec personae humanae dignitas originem ducat, et hanc explanationem optime complere possent.

Ad pag. 23, lin. 16. Videtur omittendum esse verbum « sincera ». Forsan eius loco aptius diceretur « vera ». *Ratio*: verbum « sincera » non videtur aptum huic loco, licet ethymologice idem fere significet ac « vera ».

Ad pag. 26, lin. 37. Melius forsan diceretur: « *ordinatus* locus detur conatibus... ». *Ratio*: sic omnis sensus vitiosus et liberalisticus devitaretur.

Ad pag. 27, lin. 2. Dicendum esse videtur « nullo habito discrimine sive *classis* sive stirpis sive mundi regionis... ». *Ratio*: oportet addere *classem,* ut descriptio magis completa evadat.

Ad pag. 27, linn. 2-5. Verbis quibus liberalismus quem « Manchesterianum » vocant, consideratur, logice aliquid addendum esset, ut etiam communismus reiiceretur; scil.: « Nec evolutio oeconomica ut suprema et prima lex historiae et ordinis socialis urgeri potest ». *Ratio* patet.

Ad pag. 27, linn. 27-28. Claritatis gratia, melius diceretur: « ... iniustum est excludere operarios a progressu isto et a iusta perceptione fructuum... ». *Ratio* patet.

Ad pag. 27, lin. 34. Addatur « et fructu », ita ut textus dicat: « ... ut socii in communi opere *et fructu...* ». *Ratio* obvia est.

Ad pag. 29, linn. 20-21. Textus ita compleatur: « ... solutiones... quae moralitatis parvam vel nullam rationem habent, *iura et dignitatem personae humanae graviter laedunt,* etc. ». *Ratio* obvia est.

Ad pag. 29, linn. 22-27. Textus loquitur de profectibus scientificis ad prolem rationabiliter limitandam, quorum *validitas* bene probatur, et quorum *moralitas* in nullum dubium vocatur.

Sed valde desiderandum, immo necessarium videtur ut declaretur *quid requiratur ut moralitas profectus scientifici huius generis in nullum dubium sit vocanda. Rationes*: schema loquitur in abstracto de profectibus scientificis et opportunum quidem non est ad concreta descendere. Attamen, sicut scientiae proprium est, ut omnes agnoscunt, *de eorum validitate iudicare,* sic affirmare oportet munus esse Ecclesiae proprium de *moralitate horum profectuum scientificorum ultimum iudicium ferre.*

Millies millium hominum, etiam christianorum et catholicorum, his profectibus scientificis de facto utuntur, quin Pastores vel Confessarios et conscientiarum Moderatores de hac re audeant consulere, etiamsi magna anxietate spiritus turbentur. Confessarii et Moderatores spiritus merito sperabunt Pastores Ecclesiae principia fundamentalia moralitatis hac de re affirmaturos esse in Concilio.

Oportet ergo *exponere principia* tenenda ad rectum iudicium de moralitate pronuntiandum, vel *documenta invocare* a Magisterio Pontificio prolata vel in futurum proferenda.

Ad pag. 30, lin. 22. Forsan textus melius componeretur hoc modo: « Haec S. Synodus, *officio proprio* atque supplicibus vocibus undequaque ad se pervenientibus obsecundans, etc. ».

18

Exc.mus P. D. EDUARDUS MASON

Episcopus tit. Rusicadensis, vic. ap. de El Obeid

De prooemio. In fine n. 3 prooemii mihi videtur aliquid esse ponendum ad declarandam naturam et finem Ecclesiae in bonum animarum. Haec explanatio perlucide fit in cap. I eiusdem schematis; attamen mihi videtur perutile si breviter eadem idea et hic inculcetur.

Ecclesia utique est societas in hoc mundo sed non de mundo; scilicet bonum temporale hominum tantum indirecte et mediate pertinet ad activitatem Ecclesiae. Ecclesia per se et immediate attingit bonum spirituale hominum, attamen tanquam mater omnium non potest separare eorum bonum temporale quasi illud excludendo a sua activitate, immo potius debet et ad ipsum cooperare sive per principia moralia quae ad id confluunt quam per exercitium operationum misericordiae sive corporalis quam spiritualis ad bonum integri hominis.

Haec simplex mentio operationum misericordiae est necessaria ad refutanda vel cavenda duo pericula promanantia ex opinionibus sibi invicem contradicentibus. Prima opinio est eorum (communistarum) qui dicunt Ecclesiam non solum non adiuvare miseros in re temporali sed neque posse eos

adiuvare, si vellet, quia spiritualibus intenta, de temporalibus minus curat!

Altera opinio eorum qui dicunt Ecclesiam sese indebite immisceri in quaestionibus humanis quae ei minime pertinent. Sic fit ut dum isti nos in sacristia relegare volunt, illi nos accusant quod de sacristia nunquam exeamus ad pauperes adiuvandos.

19

EXC.MUS P. D. FREDERICUS MELENDRO

Archiepiscopus Nganchimensis

Ad prooemium et cap. I. Pag. 5, n. 1, lin. 6, dicatur: ut *excolentes* eam unanimes, *assequamur aeternam beatitudinem.*

Pag. 7, n. 4, lin. 5, verba illa: « Christum agat » obscura valde sunt.

Pag. 8, n. 5, linn. 7-10. Praeferrem ut haec supprimerentur: quia pauci veri christiani huiusmodi dubitationem habebunt.

Pag. 8, n. 6, lin. 28 compleatur hoc modo: ... glorificare: *quod certe obtinebit, si cunctis mundi creaturis recte utatur, divinam in omnibus quaerens voluntatem.*

Ad cap. II. Pag. 12-13, n. 12. Agitur in hoc numero de gravi et magni momenti quaestione, de relationibus nempe inter Ecclesiae et civilis Status auctoritates. Doctrina in eo exposita in genere placet. Aliqua addenda exopto de Status officiis erga religionem: de mutua inter ambas partes seu potestates intelligentia et auxilio in rebus mixtis, puta, in re scholari, matrimoniali, etc. etc.

Pag. 15, linn. 25-40. Haec corrigenda aut forte supprimenda erunt. Ecclesia enim, Magistra hominum, officio ac divino auxilio gaudet, ad quamcumque religionis quaestionem, quae ad fidem vel mores pertineat, declarandam, docendam, illustrandam, praecipiendam, etc.

Ad cap. III. Pag. 18, n. 17, lin. 36. Vox « permittuntur » substituatur voce « *dantur* ». Verba vero quae sequuntur in eadem lin. 36: « minime tamen desiderant statum miseriae, nec sibi, nec aliis, sed », omittenda videntur, utpote inutilia.

20

EXC.MUS P. D. THOMAS VILLELMUS MULDOON

Episcopus tit. Fesseitanus, aux. Sydneyensis

Ad cap. I. Homo hodiernus, exceptis catholicis et aliis quibusdam christianis religioni vere dicatis, hoc petit ab Ecclesia: Dicas mihi clare *quid sum?* Huic quaestioni respondere debemus antequam de hominis integra vocatione agimus.

Observanter igitur peto ut in initio cap. I descriptio accurata hominis succinte ponatur, praesertim quoad eius elementum *spirituale,* nempe *animam spiritualem atque immortalem.*

Sic enim solummodo *dignitas* hominis, atque eius *essentiale discrimen* ab omnibus animalibus, necnon *fundamentum eius iurium omnium* in clara luce ponitur, atque spes eius ad altiora et aeterna erigitur.

21

EXC.MUS P. D. CAROLUS QUINTERO ARCE
Episcopus Vallipolitanus

Ad cap. I, n. 6. Ubi de valore rerum et munerum terrestrium: Melius proponatur « elevatio hominis ad vitam supernaturalem » ne videantur christiani usque nunc parum curasse de rebus mundanis.

Ad cap. I, n. 8 (pag. 10). Ubi agitur: quantum homo peccator indigeat Salvatore mundi:

a) dicitur *evolutionem* terrae tendere per innumeros annos ad naturam humanam tamquam fastigium operum creationis. Mihi videtur etiam poni debere interventus directus Dei in ipsa formatione corporis hominis ne nimis indulgeamus falso evolutionismo.

b) Praeterea videtur schema proponere tamquam peccatum originale concupiscentia: nam dicitur n. 8 lin. 7: « Homo nascitur proclivis ad malum et vitae condicionibus temptatus ». Clarius proponenda est doctrina de peccato originali sicut in Tridentino habetur.

Ad cap. I, n. 9. De harmonia diversorum munerum in integra hominis vocatione (pag. 10, linn. 34 s.).

Homo in sua vocatione primum quaerit regnum Dei et etiam exstruit civitatem terrenam: sed mihi videtur debere etiam clare proponi vitam *contemplativam* aliquorum sanctorum qui orationibus suis sese pro mundi salute devoverunt.

22

EXC.MUS P. D. CANDIDUS RADA SENOSIAIN
Episcopus Guarandensis

Inter munera praecipua a prooemio schematis absolvenda adnumeranda est clara determinatio obiecti ipsius schematis.

Iamvero, incertitudo hac de re a multis Patribus expresse notata est, quae fortasse in ambiguitate ipsius tituli schematis fundatur. Alii vero Patres, de hoc expresse non habuerunt, sed in suo sermone ex aliqua interpretatione talis obiecti de facto processerunt, quae cum interpretatione aliorum non conveniebant. Rebus sic stantibus, nostra disceptatio hucusque hanc ambiguitatem manifestavit, sed nullo modo abstulit. Si autem non auferatur, utilitas successivae discussionis valde minuetur: iudicium enim sive de schemate prouti iacet, sive de propositis additamentis ferendum, magna ex parte ab eo pendet, quod tractare contenditur.

Omnes enim in eo convenire videmur, quod praesens schema dialogum cum mundo hodierno instaurare debet. Sed circa quodnam obiectum versari debet hic dialogus?

Porro, huic quaestioni dupliciter saltem responderi potest; unde duae sunt praecipuae schematis interpretationes, inter quas nobis eligendum est. Alii tenent hoc schema proficisci debere ex analysi signorum temporum, praecipua problemata hodierna detegere, praecipuas tendentias in eorum solutione; et omnium horum habita, Ecclesiae doctrinam de his variis quaestionibus, hodiernis adiunctis accommodatam, exponere. Alii vero tenent schema obiectum magis limitatum sibi proponere debere, id est sensum christianum valorum profanorum, sive in genere sive in specie quoad quaedam peculiaris momenti et actualitatis.

Nullo modo autem idem est elaborare schema de praecipuis problematibus huius temporis, et de problematibus ordinem profanum spectantia. Problemata enim ordinem profanum respicientia pertinent procul dubio ad praecipua nostri temporis; sed non omnia praecipua problemata nostri temporis ad ea quae ordinem profanum spectant reduci possunt.

Plurimi Patres, primam schematis interpretationem prae oculis habentes, iure merito iudicarunt ipsum essentialia omisisse, ut sunt tendentiae ideologicae nostri temporis problema veritatis, spei et desperationis, doloris et gaudii, mortis et immortalitatis, mortalitatis et immortalitatis, etc.; iure merito exhortarunt ut in eo integra anthropologia christiana elaboretur.

Quae cum ita sint, inde ab initio determinandum est utrum et quomodo haec omnia ad obiectum schematis spectent: aliis verbis, inter duas supradictas interpretationes eligendum est. Quaenam autem solutio eligenda?

Profecto, prior potest prima facie magis placere, quippe quae dialogum magis completum et profundum aperire videatur. Hoc autem non obstante, meo humili iudicio, obiectum secundo modo delimitandum est, ex sequentibus praesertim rationibus:

1. Responsum praecipuis problematibus nostri temporis, si serio tradi deberet, expositionem fere totius doctrinae christianae implicaret: aliis verbis obiectum schematis fieret immensum et eius seria tractatio impossibilis. Cum autem schema syntheticum esse debeat de facili superficiale evaderet. Cum denique de tot tantisque ipsi agendum esset, interna unitate careret: et magis speciem cuiusdam catechismi quam documenti conciliaris praeberet. Aliis verbis, schema munus tam ambitiosum sibi profanaret, magnam suscitaret expectationem, quam fere certo postea deciperet. Dialogus itaque cum mundo hodierno non potest haberi ut obiectum huius solius schematis, sed totius Concilii, immo totius vitae Ecclesiae. In quolibet autem schemate parando, signa temporis prae oculis habere debemus, et problematibus hodiernis, vel saltem hodiernis formis problematum perennium, responsum Ecclesiae tradere. In hoc vero schemate, dialogus de speciali, sed magni momenti problemate instauremus, nempe de sensu christiano valorum profanorum.

2. Schema conciliare, quantumvis actuale esse velit, debet sibi praecipue proponere obiectum, quod aliqua universalitate praeditum sit, et quod proinde adiuncta temporum et locorum aliquatenus transcendat: non debet, v. g., problemata exclusive europaea vel occidentalia nimis extollere. Singulorum vero episcoporum, vel episcopalium coetuum sit haec principia mutabilibus conditionibus temporum et locorum applicare. Hac de causa nobis opportunum non videtur analysim nostri temporis complexive sumpti ut obiectum specificum huic schemati assignare. Eius vero obiectum sit problema de sensu christiano valorum profanorum, quod, quamvis hodie prima vice sollemniter agitatum, tamen hodierna et localia adiuncta transcendit.

3. Schema prouti nunc iacet, quamvis aliqua ambiguitate laboret, de problemate valorum profanorum agere videtur, et iam plura elementa ad eius solutionem praebet, quamvis penitus recognoscenda. Hoc sensu loquitur relatio schemati adnexa, circa rationem qua schema elaboratum est: « non agitur de evangelizatione mundi, sed potius de habitudine Ecclesiae ad problemata temporalia » (pag. 42). Procul dubio, si problema de valoribus temporalibus serio considerare velimus, ipsum a complexu existentiae christianae seiungere non possumus: immo, in hoc praecise est sensus christianus talium valorum, quod ipsi in vocatione hominis integrali assumantur. Attamen, aliud esset de vocatione hominis integrali simpliciter agere (ut faciendum esset v. g. si in hoc schemate integra anthropologia christiana proponenda esset), aliud vero de ipsa est agere sub hoc speciali aspectu, quatenus scil. ipsa est horizon (italice orizzonte) existentiae profanae.

Sensus itaque christianus valorum profanorum sit respectus sub quo omnia in schemate, sive in genere sive in specie dicenda, unificetur.

Quod si ita est, ipse titulus schematis, et tituli singulorum capitum tale obiectum clarius exprimere deberent. Quod schema in genere spectat, proponerem hunc vel alium similem titulum: « De Ecclesiae habitudine ad valores profanos ».

Concludo igitur, venerabiles Fratres, 1. Nobis obiectum schematis quam primum delimitandum est. Haec determinatio mihi videtur non esse commissioni relinquenda, ut quidam Patres proposuerunt, sed a congregatione generali facienda: sive ob momentum talis decisionis, sive ob eius urgentiam.

2. Propono igitur ut quam primum em.mi moderatores, audita competenti commissione, quaesitum elaborent Patrum suffragationi submittendum, ita ut ipsi de obiecto schemati assignando suam mentem clare aperire valeant. Quaesitum hoc vel simili modo formulari posset: « Utrum in praesenti schemate specifice agendum sit de sensu christiano valorum profanorum; an magis generice de gravioribus problematibus aetatis nostrae ».

23

EXC.MUS P. D. CLAUDIUS ROLLAND

Episcopus Antsirabensis

Sicut et permultis Patribus ita et mihi placet hoc schema tanquam basis valida ad ulteriorem determinationem tam doctrinalem quam pastoralem. Ad quam elaborandam statim et succincte, sed instanter aliquod propositum affero de valore et munere laboris humani, quod propositum tum ad meliorem cognitionem conditionis hominis moderni ducit, tum ad profundiorem intelligentiam creationis provocat.

De facto, in textu schematis, cap. I, pag. 9, et alibi, labor evocatur cum proprietatibus et effectibus suis tanquam elementum « altioris consilii Dei de homine ». Sed, ut mihi videtur, non sufficienter evolvitur consideratio illius laboris qui, ut manifeste apparet, constans est et anxia occupatio uniuscuiusque hominis, simul ac cardo aedificationis huius mundi in quo praesens esse praetendit Ecclesia. Revera propriissime nominatur era actualis huius mundi « civilizatio laboris », quae denominatio melius notam humanam, immo et personalem significat quam « civilizatio technica ».

1. Homo non subiicitur labori tanquam necessitati ab extrinseco impositae, quae solummodo vulneraret ipsum mente et corpore; sed afficitur ab intra in sua natura, secundum quam per corpus et in corpore connexionem habet efficacem et promotricem cum universo materiali (scientifico, oeconomico, etc.) rerum terrestrium. Quod notari oportet contra dualismum anthropologicum et falsum spiritualismum.

2. Profundius dicendum est quod haec connexio ontologica, ut ita dicam, cum elementis et potentiis universi, cointrat in ambitu complexo perfectionis suae, prout humanizatio huius universi, per scientias et diversas artes technicas, implicat promotionem ipsius hominis in sua humanitate.

3. Revera, homo constitutus est a Deo dominus orbis (*Gn.*), paulo minus ab angelis (*Ps.*). Propterea homo non occasionaliter superponitur orbi terrae, sicut angelus lapsus, sed partem habet in continuatione creationis, quae sic ab illo ad completionem suam perducitur. In quo, ut dicitur a Patribus Graecis, homo est imago Dei. Labor eminentem dignitatem sic exhaurit ex vera notione creationis et providentiae, ita ut appareat tanquam motor historiae temporalis sub gubernio divino, simul ac penetratur spiritu religioso per hanc relationem, etiam implicitam.

4. Proinde civilizatio, cuius extraordinarii progressus hodie ad aedificationem mundi et promotionem populorum concurrunt, oeconomiam divinam in libertate et responsabilitate hominum manifestat, simul ac eo ipso tanquam conditio materialis expansionis Regni Dei consideratur. Propter quod civilizatio et evangelizatio quodammodo in labore connectuntur, ut ex historia Ecclesiae patet.

5. Iamvero ad talem progressum artium technicarum in labore pervenimus, ut non amplius unusquisque pro parte sua proficiat, sed per quamdam condensationem, omnes simul paulatim de gente in gentem, ab una parte mundi ad alteram, solidarietatem magis ac magis intimam experiamur. Haec socializatio, quae forsan est inter omnia « signum novi temporis », mirabilem dispositionem ad fraternitatem praestat; quae quidem, heu nobis miseris, peccatis personalibus et collectivis pervertitur, sed, gratia restaurante, bonum commune civitatis ultra caritates personales procurat, et ad communitatem gentium tendit, in favorem iustitiae et pacis.

6. Inde ipsamet paena laboris, quae certo certius non evacuatur in progressu industriali, et perdurat ex servitute peccati, non tantum offerri potest in paenitentiam personalem, sed etiam intrat quodammodo in redemptionem a Christo acquisitam, in quantum ad liberationem fratrum nostrorum egentium in mundo excitamur, iustam distributionem divitiarum exsequentes, contra egoismos personales et nationales.

Conclusio. In cap. I, par. 6, pag. 9, magis explicite et formaliter enuncietur dignitas humana et religiosa laboris, et non tantum per transennam, in considerationibus moralibus et spiritualibus.

Labor humanus dignificetur *in seipso,* tanquam participatio obiectiva oeconomiae divinae in creatione et redemptione, et non tantum ex intentione *subiectiva,* ac si esset mera occasio meritorum acquirendorum. Ex quo, in cap. IV, par. 23, de vita oeconomica et sociali, diversa praecepta radicitus fundantur.

24

EXC.MUS P. D. IOANNES RUPP

Episcopus Monoecensis

Cum totum caput III laicos christianos respicit, quaedam de praecipuis muneribus a christianis implendis in hoc mundo legere intendo quae a *laicis* dioecesis monoecensis conscripta sunt. Hi laici *omnes* panem quotidianum humili labore sibi lucrantur et vel in sic dictis « syndicats » vel alio modo progressui sociali concivium praesertim pauperum sese devovent. Propterea de re sociali vel oeconomica praesertim sed non exclusive verbum faciunt, ergo de materia quae in § 23 habetur.

Quinque sunt animadversiones.

Prima animadversio. Ad actionem valentem in mundo ante omnia maior requiritur inter catholicos et omnes christianos *solidarietas.* Christianitas exemplum debet praebere amoris mutui, *unitatis* et in omni bono iucundae cooperationis. Si catholici inter se valde divisi sunt et amore fraterno carent, quis non-christianus vim unitivam, vivificantem et salvificam quae ex Evangelio procedit agnoscet?

Secunda animadversio. Populus Dei, populus Evangelii seu Nuntii boni emancipationem et liberationem oppressorum, i. e. eorum qui opprimun-

tur, exoptare debet ea verba quae a Summo Pontifice feliciter regnante in urbe Nazareth prolata sunt semper meditans « Beati erimus si cum oppressis magis quam cum oppressoribus stamus et si iustitiam, quae semper strictior fiat, esurimus ».

Neque Mammon, neque amor sui exaggeratus, neque potentia illorum qui homines magis pro servis quam pro fratribus habent, neque structurae iniquae civitatum nostrarum propter *silentium* nostrum quod nos iniustitiae associat proficere debent vel propter pugnam nimis debilem vel nimis partialem quam ducimus adversus mala quorum radices aggredi non audemus.

Tertia animadversio. Discipuli Christi a pastoribus vel laici qui actioni catholicae praesunt die noctuque de officiis quae adimplere debent erga totum mundum certiores fieri debent ubi terra tota nunc tanquam navis apparet quae in spatio fluctuat atque homines omnes ad eundem portum ducit.

Fames, analphabetismus, defectus culturae, scientiae, numerus insufficiens scholarum et magistrorum, iniustae inaequalitates in vita sociali vel inter nationes, segregationes, sic dictus « razzismo » totalitarismus, dictatura status sunt mala de quibus christiani debent quotidie cogitare ad mentem S. Pauli dicentis: « Quis infirmatur et ego non infirmor? ». Numerus christianorum, vis quae eis inest et multa mala iam in praeterito devicit sat potens est ut mala hodierna non tantum in superficie sed in radice debellari possint quorum *ipsae causae* cognoscuntur et debellandae sunt.

Quarta animadversio. Iuvenes totius mundi, si fieri potest ab ipso Concilio moneantur ne spem in mundum meliorem amittant, ne voluptatem vel Mammon vel amorem sui vel individualismum pro summo bono habeant.

Ecclesia Christi quae iuvenes peculiari amore diligit scit corda eorum magna esse, ad sacrificium prompta ac vestigia Christi Salvatoris et Liberatoris libenter secutura esse si nobili et ardenti voce ad praelium vocantur.

Nihil sine iuvenibus attingi potest qui insuper maior pars sunt mundi universi ac Cordi Christi propiores.

Quinta animadversio. Si christianitas fit magis christiana, magis generosa, erit lux mundi.

Si, e contra, fit nimis prudens, nimis politica, nimis ratiocinatrix, nimis feminea, nimis ex hoc mundo, mundum neque salvabit, neque attrahet nec ultimatim quidem ad hoc inclinabit ut ipsum ius subsistendi sibi non deneget.

25

Exc.mus P. D. AUGUSTUS OSVALDUS SALINAS FUENZALIDA
Episcopus Linarensis

N. 16, letra *c*) del Capítulo III. Dice el texto citado: « Christifideles magni faciant progressum scientiarum et artium liberalium quippe quae suo modo mirabilia hominis et totius operis creationis Dei gratiam melius ma-

nifestent. Unusquisque iuxta propriam virtutem ad hunc finem assequendum operam conferant ».

1. Estimamos que esta disposición debe ser ampliada en forma tal que los hombres de ciencia, los de letras y los artistas católicos, reciban de la Iglesia una ayuda tan eficaz, que los capacite para que difundan la verdad y la belleza, en armonía con la Verdad y la Belleza eternas, en todos los ambientes humanos.

2. Es una verdad evidente que las ideas, los sistemas ideológicos, son los que dirigen al mundo, cuando son expuestos por hombres especialmente dotados, los sabios, los genios, los artistas.

Así, en tiempos lejanos, un San Agustín, un Santo Tomás, un Leonardo da Vinci, un Miguel Angel.

Por desgracia, también así, en los últimos tiempos, un Carlos Marx, un Freud, un Jean Paul Sartre, un Picasso.

3. En el mundo moderno el crecido número de pensadores y artistas que están lejos de la Iglesia, o que son indiferentes o adversos a ella, ha promovido un ambiente de indiferentismo y de ateísmo, que ha llegado a su grado más alto al promover la existencia de Estados ateos y un materialismo tal en las costumbres, que delitos tan graves como el asesinato de los hijos, ya sea por medio del aborto, ya directamente a los de algunos años, efectuada por sus propios progenitores, no ha sido considerado como delito por las mismas autoridades civiles.

4. En nuestros tiempos existen, por cierto, sabios y artistas católicos, pero, aparte de constituir tan sólo una minoría, su obra, meramente individual, esporádica y desorganizada, está muy lejos de ejercer el influjo que la Iglesia necesita para que la verdad sea difundida y defendida en todos los ambientes, en forma eficaz.

5. Los Sumos Pontífices se han preocupado de este grave problema, especialmente desde que las crisis racionalista y modernista, constituyeron un grave peligro para la fe. El Papa Pío XI, al crear la « Academia Pontificia de las Ciencias », demostró la necesidad de reunir a los sabios católicos y de fomentar su precisa obra en la sociedad.

Sin embargo, los hechos están demostrando que se requiere una obra de mayor envergadura, más organizada, más profunda, que logre el influjo a que nos referimos.

La obra que se necesita, ha de juntar a los intelectuales especialmente dotados, para ofrecerles los medios adecuados a una preparación del más alto grado, en los diversos órdenes del saber (Ciencias, Letras, Artes - Biología, Matemáticas, Astronomía, Física, Química - Bellas Artes, Historia, Poesía, etc. etc.), de tal modo que puedan consagrar su vida a la investigación y a la difusión de la verdad, siempre bajo la inspiración cristiana.

En esta virtud, venimos en proponer la creación de un Instituto de Altos Estudios, creación que el Concilio recomendaría, en donde intelectuales de todas partes del mundo, que ya posean una preparación superior, vengan

a profundizarla, y a conferir entre ellos mismos (como ya en parte y en grado pequeño, lo han hecho en algunas partes - Poblet), a fin de armonizar sus conocimientos y ofrecer una síntesis del total.

Desde ese Instituto, que ojalá estuviera en Roma, esos sabios y artistas y hombres de Letras, difundirían, por los múltiples medios de comunicación actualmente existentes, hacia todo el mundo, el rico acervo de sus conocimientos científicos y artísticos, fortaleciendo así la fe de muchos, que no saben cómo responder a los incrédulos, y abriendo el camino para que los carentes de ese dón divino puedan alcanzarlo por la gracia de Dios.

26

Exc.mus P. D. PETRUS SALMON

Episcopus tit. Iucundianensis

Pag. 8, lin. 7. Cum de integra hominis vocatione agitur, recte notatur non deesse « christianos qui dubitant an opera progressui civitatis terrestris impensa non aptius solis rebus supernaturalibus devovenda sit ». Ut efficacius remedium praebeatur huic defectui, mihi videtur non inutile fore aliquid de eiusdem causa saltem remota proferre.

Omnibus notum est, sub fine medii aevi, post nimiam implicationem christianorum et maxime praelatorum in rebus saecularibus, exortum esse motum ad renovandam vitam christianam sub nomine « devotionis modernae » cognitum. Motus ille, certe a Spiritu Dei suscitatus, magni pretii et fructus fuit pro tota Ecclesia: principium fuit progressus spiritualitatis christianae qui usque ad nostram aetatem floruit. Attamen, revocationes illae vehementes et iteratae « de neglectu omnis creaturae, de contemptu vanitatum mundi, de vita interiore, de propria consideratione... » sensim sine sensu optimos christianos ad religionem « individualisticam », seu pro se quisque agendam, perduxerunt.

Similiter, fere eodem tempore, devotio erga mysteria Christi ita evoluta est ut maxime et praecipue in mysteria passionis et mortis Domini commoraretur, et quidem in eiusdem cruciatibus et doloribus, parum dicens de Resurrectione ac de toto aspectu positivo mysterii Paschalis vitam novam in Christo hominibus afferentibus.

Consequenter, mirum non est si decursu temporis plurimi optimi christiani, non tantum separationem inter vitam suam christianam et activitatem exteriorem, praesertim suae artis propriae (métier) in societate exercendae, duxerunt, sed etiam multi aestimarunt perfectionem in sola vita interiori consistere. Alii vero nimis versabantur in aspectu morali et poenitentiali vitae christianae et in quemdam pessimismum incidebant. Atqui in ista declinatione magnam partem habent multi auctores innumerorum librorum spiritualitatis temporum modernorum et adhuc recentium, nimis extollentes

partem interiorem et maestam religionis in damnum vitae christianae integrae, ecclesialis, socialis et etiam vitae simpliciter humanae.

Submisse ergo optarem ut Concilium omnes quorum interest moneat ut in praedicando, docendo vel scribendo de rebus ad spiritualitatem christianam pertinentibus magis ac magis extollant officium omnium hominum sese gerendi ut christiani in tota eorum vita atque activitate, cum gaudio participando per sacramenta et in liturgia divitiis a Christo acquisitis per suam beatam Passionem, ab inferis Resurrectionem et gloriosam Ascensionem, quibus « mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit », semper prompti animo in rebus temporalibus sese dedicandi ut mundum ipsum sanctificent.

27

Exc.mus P. D. ERNESTUS SENNA DE OLIVEIRA

Archiepiscopus-episcopus Conimbricensis

Aliqua velim notare modo generico circa stylum, formam et logicam concatenationem quarumdam partium huius schematis.

Sed cum mihi nec sanitas nec tempus sufficienter suppeditant, tantum circa duo puncta aliqua dicam et quidem praesertim quoad substantiam:

1. Circa n. 12, in linn. 3-4 (pag. 13), in quibus legitur: « Ecclesia in privilegiis ab auctoritate civili oblatis spem nullam ponit. Immo exercitio iurium quorundam legitime acquisitorum libenter renuntiabit, ubi primum constiterit eorum usu ob novas vitae conditiones candorem testimonii vocari in dubium ». Liceat mihi mentem meam sincere et humiliter aperire.

Saltem modus dicendi non mihi placet. Haec, ut puto — parcite mihi si male puto —, sonant tanquam quaedam arrogatio et velut contemptus erga auctoritatem civilem. Sed quoad substantiam doctrina haec mihi videtur omnino contraria iis quae hucusque Romani Pontifices, theologi et periti Iuris Canonici docebant circa relationes inter Ecclesiam et Statum; immo catholicis non licebat defendere thesim de separatione inter Ecclesiam et Statum sed tantum hypothesim. Nunc vero videtur quod in schemate contrarium inculcatur.

Quaeri potest an sit conveniens et prudens ut Concilium haec dicat et doceat et quidem modo tali qui facile haberi potest tanquam contemptus eorum quae auctoritas civilis erga Ecclesiam praestat vel ut officium suum adimplens vel saltem ut signum considerationis, reverentiae et bonae voluntatis erga ipsam.

Et certo certius saltem in nationibus maioritatis catholicae, hoc quasi idem esset ac si Ecclesia sponte sua renuntiaret conditionibus iam creatis inter ipsam et Statum, v. g., quoad matrimonia inter catholicos, pro quibus etiam coram Statu vinculum matrimoniale tanquam indissolubile habetur; quoad libertatem doctrinam et moralem catholicam docendi in scholis pu-

blicis cuiusvis gradus; quoad assistentiam religiosam militibus praestandam; quoad libertatem pro catholicis consociationibus, et ita porro.

Si haec in Concilio solemniter declarantur, mea humili sententia, sensim sine sensu pessima consequentia advenirent cum magno detrimento pro animabus et cum magno gaudio pro adversariis ipsius Ecclesiae, quae quidem, de se sola et sine saltem bona voluntate Status facile deveniret *silentii Ecclesia* in toto orbe terrarum.

2. Circa n. 17: mihi videtur quod fere omnia bene dicuntur in hoc numero, circa spiritum paupertatis.

Sed multa audivi in aula conciliari a quibusdam venerandis Patribus conciliaribus circa paupertatem Ecclesiae et eius ministrorum quae mea humili sententia, si eos bene intellexi, non sunt plaudenda.

Sapiunt — parcite mihi si in hoc minus reverenter dico — quendam « fraticellismi » spiritum, immo demagogiae, vel saltem quemdam idealismum cum quo exigentiae vitae realis, dignitas et verae necessitates Ecclesiae minime componi possunt.

Indubitanter Ecclesia et ministri Ecclesiae, ut clare affirmatur in n. 12, linn. 2-3 (pag. 13): « ... temporalibus utitur, quantum propria missio id postulat... » et in n. 17, linn. 35-36: « ... spiritu pauperes... minime tamen desiderant statum miseriae, nec sibi nec aliis... », necessitatem habent bona temporalia possidendi et eis utendi ut suam missionem congruenti modo humanae conditioni adimplere possint.

Ipse Christus, qui tanquam pauper vivere voluit et vixit, noluit miseriam nec pro semetipso nec pro discipulis suis. Ut in Evangelio legitur, et ipse loculos habuit, etsi pessimo administratori commissos. Voluit vitam humanam dignissimam degere sine recursu ad miracula, etsi ea facere posset, immo aliquando veram magnificentiam — quae, ut ait S. Thomas, vera virtus est — ipse voluit in quibusdam actis vitae suae, v. g., in ingressu vere triumphali in Ierusalem et in ultima coena quam noluit celebrare nisi in coenaculo « grandi et strato ».

Sicut Christus et Ecclesia ac eius ministri vitam humanam vere dignam vivere debent, praesertim his nostris temporibus, in quibus aliqua quae in aliis aetatibus superflua videbantur, hodie tanquam penitus necessaria etiam ab opificibus et humilibus reputantur.

Ecclesia et ministri ipsius harum hodiernarum necessitatum pondus sentire debent, etsi cum hac differentia quod ad illa bona minime animum suum coarctant, quia parati sunt ad ea relinquenda si Dei providentia ita disponat et ad repetenda in cordibus suis verba similia eis quae Sacra Scriptura Iob tribuit: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sit nomen Domini benedictum.*

Et generatim Ecclesia et ipsius ministri, praesertim Summus Pontifex et episcopi, magnis copiis indigent ad tot et tanta incepta illa quae bonum Ecclesiae et dilatatio Regni Christi, peculiari modo his nostris temporibus omnino requirunt. Debent certo certius verum spiritum paupertatis habere

et semetipsos solvere a propriis ambitionibus et commodis, sed omnino oportet ut habeant quae necessaria sunt ad officium suum implendum. Quid esset practice et quid practice facere posset Sancta Mater Ecclesia si in egestate et stricta paupertate viveret?

Si praesertim ii, qui in ea societate perfecta, qualis est Ecclesia, auctoritatem habent et, peculiari modo, Summus Pontifex et episcopi, in toto orbe terrarum, sub ductu ipsius, Ecclesiam regunt semper humiles et pauperes vestes sese ostendere deberent, quisnam esset qui erga eos signa verae oboedientiae et reverentiae haberet?

Vestes, quibus Summus Pontifex et episcopi non tantum in sacris sed in profanis utuntur, non parum adiuvant ut homines in eis videant, potius quam fragilitatem humanam, id quod in eis intus latet, scil. auctoritatem, potestatem et charismata a Christo data pro animarum salute. Sunt velut signa visibilia illius quod in ipsis supernaturaliter absconditur. Secus, saltem meo humili iudicio, Ecclesia deveniret potius mortua quam viva, praesertim his nostris temporibus, quae ipsius adiutorio maxime indigent.

28

Exc.mus P. D. BENIAMINUS SOCCHE
Episcopus Regiensis in Aemilia

In cap. II, pag. 14, n. 13, linn. 4-5 dictum est: « Ecclesia sciens in toto mundo virtutem operari Verbi, in quo condita sunt et constant universa ».

Hic mihi videtur valde bonum esse affirmare plenam regalitatem Domini nostri Iesu Christi Ecclesiae Capitis et eius primatum absolutum et universalem, ut magis ac magis in faciem mundi clarescat, in iis temporibus tam languidis in fide et in materialismi triumpho, sive palam sive in occulto magis imminente.

S. Paulus dicit in *Col.* 1, 14-20: « In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum: qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae (prototòcos pases ktiseos): quoniam in ipso (en autò: causa exemplaris) condita sunt universa, in caelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni sive dominationes, sive principatus sive potestates: omnia per ipsum (di 'autou: causa efficiens) et in ipso (eis autòn: causa finalis) creata sunt. Et ipse est ante omnes et omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens (ina ghenetai en pasin autòs proteuon) ».

Omnes versus *Col.* 1, 14-20 sunt convergentes ad hoc: *ina ghenetai,* quae verba conceptum semper habent veniendi et fiendi; et etiam si *ghenetai* traducatur *sit,* semper significationem habet *esset in fieri.*

Nunquam igitur referendum est *ina ghenetai* Verbo ut Deo, quia Verbum ut Deus in potentia non est ad aliquod fieri.

Unde patet Primatum (en pasin) in omnibus rerum ordinibus Verbo Incarnato referri.

Ex Littera ad *Eph.* 1, 3-10: « Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum (dià Iesou Xristou eis autòn)... ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suae: instaurare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terris sunt in ipso... ».

Praepositio *eis* significat finalitatem et duabus vicibus in eodem versu repetita est (eis uiosezian... eis autòn).

Quod est sacramentum voluntatis Patris? « Instaurare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terris sunt in ipso (anakefalaiosastai ta panta) ».

Duabus vicibus tantum S. Paulus hoc verbo utitur: *Eph.* 1, 10; *Rom.* 13, 9, ubi dicit: « Et si est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur (anakefalaioutai), diliges proximum tuum sicut teipsum »; « sicut caritas est recapitulatio legis, sic in Christo omnia recapitulantur ».

S. Hieronymus ait: « Miror cur ipso verbo graeco non usi sint translatores... Oratores in epilogis, in fine causarum, propter memoriam iudicum, anakefaleusin solent facere. Sensu itaque in praesenti loco (*Eph.* 1, 10) iste est: omnis dispensatio quae et ante mundum et postea esse coepit in mundo tam invisibilium quam visibilium creaturarum, adventum Filii Dei pollicebatur » (Commentum ad *Eph.* 1, 10). Mirabilis sententia, sed prorsus oblita!

Iterum ad *Col.* 2, 9-10 S. Paulus ait: « Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (somaticòs: in hoc textu S. Paulus certe loquitur de Verbo Incarnato). Et estis in illo repleti qui est caput omnis principatus et potestatis ». Ex hoc igitur S. Thomas docet: « Corpus mysticum Iesu Christi id est Ecclesia, non solum ex hominibus constare, sed etiam ex Angelis » (P. 3, q. 8, a. 4). Et idem S. Thomas, commentans Evangelium *Io.* 1, 16 « De plenitudine eius omnes nos accepimus », ait: « Ut ergo evangelista hanc singularem plenitudinem redundantiae et efficientiae de Christo ostenderet, dicit: De plenitudine eius omnes accepimus: scil. omnes apostoli, patriarchae et prophetae, et iusti qui fuerunt sunt et erunt et etiam omnes angeli. Nota quod haec praepositio *de* aliquando quidem denotat efficientiam, seu originalem causam, sicut cum dicitur: radius est, vel procedit de sole: et hoc modo denotat in Christo efficentiam gratiae seu auctoritatem: quia plenitudo gratiae quae est in Christo est causa omnium gratiarum, quae sunt in omnibus intellectualibus creaturis ».

In hoc schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* loquimur hominibus nostrae aetatis, i. e. in maximo scientiae et technicae artis incremento, in aevo quod dicitur « spatiale », in tot gravibus hodiernae culturae problematibus et dum in pluribus orbis partibus multi conati fiunt accedendi ad illam unitatis plenitudinem, quam D. N. Iesus Christus vult et de qua saepissime S. Paulus loquitur.

Unde haec Sancta Synodus, signa temporis agnoscens, operi oecumenico sollerter incumbens, sine dubio, Regalitatem D. N. Iesu Christi absolutam et universalem affirmando, efficere potest ut perfectius ipsum mysterium Christi et Ecclesiae ab omnibus cognoscatur, ad eius triumphum, maxime super materialismum in hoc nostro tempore imperantem, qui fidem christianam ubique terrarum suffocare vult.

29

EXC.MUS P. D. EMMANUEL TALAMÁS CAMANDARI

Episcopus Civitatis Juarezensis

Certum est iam ab hinc saltem tria saecula, multos fuisse et esse, praesertim inter scientiarum cultores homines necnon rei politicae professos, qui acriter Ecclesiam impetunt et accusant, quibusdam certo dolendis at — perspectis circumstantiis historicis —, fere inevitabilibus casibus innixi, in quibus affirmata fuit oppositio realis fidem inter et scientiam vel inter potestatem aliquam terrenam et munus Ecclesiae concreditum, cum oppositio haec revera solum erat apparens.

Hae frequentes accusationes ansam praebent incomprehensionibus multis, et detortum de Ecclesia cogitandi sentiendique modum generant in pluribus sive hominibus singulariter sumptis, sive institutionibus culturalibus, immo, et guberniis civilibus. Quae omnia hic et illic vere difficilem reddunt et aliquando fere omnino impediunt adimpletionem missionis salvificae Ecclesiae inter homines integrasque nationes, propter diffidentiam erga Sponsam Christi mysticam atque fidem ab ea praedicatam. His accusationibus perspectis, nunc, quando Ecclesia vult colloqui cum mundo et coram mundo et suum sentiendi modum aperiat relate ad gravia problemata quae ipsum mundum afficiunt atque angunt, vel ad aperiendam suam mentem circa vias a mundo perlustratas aut perlustrandas ut proprias inquietudines sedet, inter quas certo eminet investigatio scientifica, omnino utile videtur — et forse necessarium —, quod Ecclesia omnem conatum faciat ad corrigendam tam erroneam aestimationem quam de seipsa habent tot ac tanti homines et institutiones, et quae illos corde et mente ita alienatos ab Ecclesia tenet ut clausi fere maneant suae actioni salvificae nomine et auctoritate Christi exercitae. Quare laudandum est consilium commissionis includendi in hoc schemate pericopa illa quae sic sonat, in pag. 14, lin. 15: « Simplici animo Ecclesia eos audit qui membrorum eius peccata defectumque spiritus evangelici obiciunt. Ipsa noscit quidem Spiritum Sanctum sibi datum ut munera mundo distribuat, sed pariter scit se ex hominibus constare, quorum ignorantia ac peccatis fidelitas erga Spiritus impulsionem saepe impediatur, sibique proinde impositam esse renovationem continuam, usque ad finem temporum ».

Attamen, pro mea sententia, videtur omnino conveniens ut immediate

post, schema notare faciat ex illis historiae casibus perperam quis deducere et immerito affirmare poterit — ut revera, proh dolor!, multoties fit —, Ecclesiam natura sua, vel saltem conscia ac deliberata voluntate verae scientiae progressum impedire vel legitima alicuius civilis potestatis iura inficere. Quae cum ita sint, propono sequentes additiones his vel similibus verbis faciendis: pag. 14, lin. 15: addere verbum « errores » ante verbum « peccata » ita ut tota phrasis ita sonet: « Simplici animo Ecclesia eos audit qui membrorum eius errores, peccata defectumque spiritus evangelici obiciunt ». Et post punctum in lin. 20 eiusdem paginae addere: « Quare ex illis historiae casibus in quibus propter omnino speciales temporum circumstantias atque hominum peculiares modos cogitandi, accidit oppositio quaedam realis asseri ubi solum erat apparens fidem inter et scientiam, et inter potestatem aliquam terrenam et munus divinitus Ecclesiae concreditum, perperam quis deducere et immerito affirmare poterit Ecclesiam natura sua vel, saltem, conscia et deliberata voluntate verae scientiae progressum impedire vel legitima alicuius civilis potestatis iura inficere; cum, contra, intimo cordi Ecclesiae sit scientiam omnem extollere, quippe quae natura sua est lumen de aeterno lumine profluens, et iura legitima omnis potestatis agnoscere ».

Et ad ulterius firmandam declarationem hanc, quo melius et citius e mente illorum hominum et institutionum excidat ille tam erroneus quam perniciosus cogitandi modus, operae pretium erit ut Ecclesia, omnibus qui possibiles sint modis, adhuc magis in lucem ponat et manifestius exhibeat coram universo mundo hanc suam firmam voluntatem ac dispositionem, sive commendando omnibus, et imprimis suis filiis, operam omnem impendere in scientifica investigatione; sive recipiendo adhuc maiori cum gaudio — si fieri potest —, novas inductiones ac deductiones scientiarum quam primum constet eas rei veritati respondere; immo, alliciendo talem investigationem quae serio modo et sine praeiudiciis tendat ad comprobandam vel definitivam veritatem vel falsitatem eorum de quorum verisimilitudine aut probabilitate iam saltem indicia quaedam exstant, et quae suadent forse aliquando demonstratam iri veritatem alicuius hypotheseos, etiam si prima facie videretur opponi alicui traditionali interpretationi hucusque datae singulari cuidam affirmationi in deposito fidei contentae. Quandocumque enim hoc acciderit, nempe, hypothesim talem scientificam transire ad categoriam veritatis certo comprobatae, hoc non esset nisi novum adiutorium scientiae ad profundiorem exactioremque interpretationem eorum quae in deposito fidei continentur. Quod etiam iam expresse dicitur in alia parte huius schematis.

30

EXC.MUS P. D. HENRICUS TENHUMBERG

Episcopus tit. Tiburnicensis, aux. Monasteriensis

I. Consentio animadversionibus plurimorum Patrum quoad fundamentum theologicum respective *a*) ad conceptum « mundus », *b*) ad anthropologiam catholicam utpote responsionem positivam ad haereses anthropologicas communismi et atheismi. Culmen istius anthropologiae catholicae est doctrina de B. Maria Virgine (cap. VIII *de Ecclesia* una cum cap. II « de populo Dei »). Huius doctrinae anthropologicae cum relatione ad dicta capita II et VIII de Ecclesia in schemate nostro expressis verbis mentio fiat; *c*) ad stylum latinitatis, qui claritatis et artis linguisticae causa est emendandus.

II. *Specialiter ad n. 18 cap. III,* quae sequuntur animadverto:

1. In hac paragrapho exclusive *conditiones* sic dicti dialogi *psychologicae* enumerantur. Quod autem pro dialogo fructifero nequaquam sufficere potest.

2. Paragraphus nimis idealistice, irrealiter et optimistice loquitur, si in obliquo manet, quae et quales sunt conditiones talis dialogi ex altera parte correspondenti. Nisi ambo partes sincero animo ad invicem loquendi et audiendi parati sunt, veritatem et pacem quaerentes, in vanum loquetur. Praeter elementa psychologica imprimis elementa ontologica e. g. de momento veritatis utpote conditiones dialogi humani nominentur.

3. Revera ergo etiam in hoc documento — et speciatim in hac paragrapho — nobis non liceat tacere de conditionibus theologicis vel de fundamento christiano talis communicationis inter homines bonae voluntatis. Hic agatur oportet:

a) de fundamento communi pro dialogo et pro omni communicatione spirituali inter homines, nempe de creatione mundi per *Verbum Divinum.* Tota creatio et sua corona imprimis ad dialogum est creata, id est ad foedus amoris in dialogo cum Deo et ad dialogum inter homines caritate Dei formatum.

b) Christianus ergo veram et fructiferam dialogum cum hominibus prosequi nequit, nisi ipse in dialogo cum Deo, in verificatione perpetua foederis salutiferi Dei vivit: Dialogus christianorum ergo ex oratione et adoratione venire debet.

c) In hoc foedere salutis christianus autem non est solus, sed sodalis et membrum familiae sacrae, quae est Ecclesia. Dialogus christianus ergo impossibile est sine perpetua cohaesione vitali cum Ecclesia. Talis dialogus ergo vivit ex eodem Spiritu Sancto, qui in Ecclesia vivit, in sacra Scriptura semper ad nos loquitur, et in sacra liturgia verbum humanum virtute sua imbuit. Dialogus christianus cum mundo hodierno ergo vitam vere christia-

nam, ex sacra Scriptura, doctrina Ecclesiae, liturgiae vivifica celebratione nutritam praesupponit.

Propono ergo, ut in hac paragrapho de istis conditionibus dialogi christianorum cum mundo hodierno latius loquatur. Tali modo etiam intima connexio inter constitutiones de sacra Liturgia, de Ecclesia et nostro schemate clarius evaderet.

31

EXC.MUS P. D. MESROB TERZIAN

Episcopus tit. Comanensis in Armenia

Quod attinet ad dialogum et culturam fovenda cum et in mundo huius temporis, mihi liceat proponere ut S. Synodus laudet « benemeritos » fundatores ordinum et societatum, moderatores atque membra institutorum atque permultos alios viros ecclesiasticos ac laicos, pro conaminibus, adimpletionibus ipsorum in Ecclesia tam multis variis, in omnibus campis apostolatus, scientiarum, artium, in testimonium, ad firmitatem atque incrementum fidei, morum atque civilisationis christianae, per opera caritatis, per exemplum vitae, per opera scientifica, artistica, per scripta, per omnimodam praedicationem et dialogum.

Rogo ut S. Synodus ipsorum animos augeat debitis incitamentis atque magis illuminet mentes christifidelium speciatim circa systemata et ideologias adversantia fidei, moribus, dignitati atque libertati humanae.

Obsecro ut crisis clara et brevissima fiat de marxismo, de capitalismo, de « massoneria » atque de aliis systematibus et ideologiis erroneis quae saepe praevalent in mundo et movent homines contra Deum atque suam Ecclesiam.

Postulo ut detur « directorium » praeprimis ad dialogum efficaciorem reddendum speciatim sub luce documentorum Summorum Pontificum inde a Syllabo usque ad Encyclicam *Ecclesiam suam.*

Hac in re enim, ni fallor, est una ex finalitatibus maximi momenti huius S. Concilii. Hoc modo melius exercentur praesentia atque activitas renovatrix Sanctae Ecclesiae, quae debet dare omnibus hominibus veritatem atque gratiam Divini Redemptoris in spiritu amoris et servitii per dialogum apostolicum et per culturam christianam.

32

EXC.MUS P. D. CAROLUS IOSEPH VAN MELCKEBEKE

Episcopus Nimsciianus

Ad par. 18, lin. 22. Si vera caritas est regula suprema relationum et dialogi inter catholicos et ceteros homines, aeque tamen necessariae sunt veritas et fides (loyauté).

In dialogo veritas duo stadia seu phases praesentat: *veritas obiectiva,* quae est unica et finem ultimum dialogi constituit; sed prius *veritas subiectiva,* qualis nempe apparet singulis interlocutoribus. Quae veritas subiectiva diversa erit, immo omnino contraria apud varios interlocutores, quamvis eorum bona fides sit integra. Consequenter:

A) Catholicus dialogum instituens, primo debet dispositus esse ad audiendum, dein ad loquendum; id est, per attentionem, reflectionem et informationem debet eo pertingere ut clare perspiciat opinionem, seu veritatem subiectivam sui interlocutoris. Valor dialogi illa comprehensione directe mensurabitur.

V. g. Communismus multis catholicis primo tamquam potestas destructiva civilisationis occidentalis et ordinis christiani apparet.

Pro Sinensibus vero Communismus est motus reconstructionis, primo nationalis dein totius mundi, eo fine ut maximo numero individuorum honestum et rationabile commodum vitae praebeatur.

V. g. Non paucis catholicis Communismus sinensis se exhibet ante omnia ut persecutorem Ecclesiae catholicae.

Pro communistis autem, ut conditio necessaria ad finem revolutionis communistae assequendum habetur remotio obstaculorum, uti sunt feodalitas, capitalismus, et etiam religio christiana (ex una parte, qua impedimentum productionis et ascensionis classium, ex altera parte, propter eius ligamen cum potentiis imperialisticis vel capitalisticis).

B) Interest ut, a priori et usque ad probationem contrarii, admittatur bona fides interlocutoris, id est, ut credamus eum loqui ut censet faciendum esse secundum suam conscientiam vel disciplinam ab officialibus acceptam. Communista quocum dialogus instituitur, passus est diuturnas periodos indoctrinationis, quibus factum est ut mundum, homines et res videat sub aspectibus qui ei monstrati fuerunt. Ipse errat quidem, sed non est malae fidei.

C) Si communista improbat vel condemnat quaedam acta vel manifestationes Ecclesiae, oportet sincere examinare num Ecclesia in sua historia, in suis methodis suisque membris rationem non praebuerit illis improbationi vel condemnationi.

Item rationabile est confiteri mundum christianum vel civilisationem occidentalem nondum ad statum pervenisse perfectionis, neque in suis institutionibus, aut regiminis individuorum, neque in sua aptitudine erga populos Asiae et Africae.

D) Semper in mente et in memoria teneatur existentia interpretationum erronearum (malentendus), quae vitari non possunt, et alte in mentibus insidunt: fundantur factis prout hodie apparent, vel falso vel erronee relata vel interpretata sunt.

Unus e finibus dialogi est illustrare haec facta (ut fructus colonialismi, imperialismi vel capitalismi exhibita, quae in suo ambitu reposita, excusari vel iustificari possunt), sub vera eorum luce. Minime vero ea simpliciter ut mendacia vel calumnia habere: id finem dialogo imponeret.

E) Inde ab initio dialogi valde attendendum est ad sensum verborum: Catholicus cum communistis dialogans, verbo « communismus » intelligit ideologiam et dialecticam marxistam atheamque, systema sociale essentialiter perversum.

Pro communistis idem verbum significat non solum ideologiam atheam et dialecticam marxistam, sed etiam formam gubernii, ordinem socialem praesentem, totum populum sinensem.

Quapropter, si opportunum videtur condemnare ideologiam atheam, condemnatio tamen « communismi » locum daret erroneae interpretationi aeque gravi ac irreparabili.

Nam pro communistis haec condemnatio secumferret condemnationem hominum et rerum; esset declaratio qua omnes reformationes sociales ut immorales et perniciosae haberentur.

Re autem vera, videtur aliquas reformationes sociales, uti v. g. modus vitae magis communitariae, vel ad minus imbutus spiritu communitatis, conformiores sunt Evangelio quam organisatio capitalistica mundi occidentalis.

Nonne optima adhiberetur methodus impugnandi communismum, « in suo proprio campo », si nationes christianae redirent ad modum vitae minus liberalis-capitalisticae, et magis sociali-communitariae, atque ad spiritum minus egoisticum munusque deliciis addictum, atque magis ad necessitates communitatis attendentem?

33

Exc.mus P. D. PAULUS VERSCHUREN

Episcopus tit. Aquaesirensis, coad. c.i.s. Helsinkiensis

Commissioni, cui elaboratio schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* concredita est, imprimis gratias agere vellem pro arduo et excellenti labore quem perfecit. Licitum tamen mihi sit sequentem animadversionem humiliter proponere.

In cap. I schematis nostri pluries de spe agitur: e. g. pag. 8, lin. 29: « spes... elevatur ultra civitatem terrestrem aedificandam quae... coli debet spe civitatis venturae caelestis ». Deinde pag. 9, linn. 3 ss.: « haec spes sane non minuit, sed potius exaltat huius vitae... dignitatem et momentum. In hoc *enim* cursu vitae terrestris homo suam fidelitatem erga Deum et amorem in fratres probare debet ».

Nihil amplius et melius de spe dicendum est? Talis enuntiatio nimis unilateralis videtur et inclinat hominem in illum scepticismum exaggeratum relate ad realitates terrestres, de quo in n. 5, pag. 8, lin. 7, et de quo pluries in aula locutio fiebat, sed nunquam, mihi videtur, relate ad virtutem spei. Tamen recta interpretatio huius virtutis forsan solutionem praebere potest in illo dilemmate de quo in introductione cap. I schematis nostri. Quod explicatur.

In virtute theologali spei enuntiatur et exprimitur situatio paradoxalis

christifidelis, qui tendere vult ad civitatem aeternam et simul sensibilis esse debet suae participationis (« engagement ») in constructione mundi melioris.

Haec paradoxa aliquando duxit ad dilemma perfalsum: aut Deus aut mundus, ita ut boni christiani, unice sperantes in Regnum Dei futurum nimis obliviscerent sortis humanae. Cum locum haberent progressus technici, scientifici et culturales qui manifestarent ingenium et potestatem causarum secundarum, haec evolutio terrestris extra tendentiam spei theologalis remansit. A. v.: visio beata in praedicatione et in tractatibus theologicis tamquam unicum et completum obiectum spei praesentabatur, quae praesentatio suadebat fugam mundi et culpabilem absentiam christianorum in constructione mundi melioris causabat.

Etiam hodie evenit, quod imago Dei apud fideles obscuratur propter unilateralem conceptum virtutis spei, ita ut res intramundanae, evolutio scientifica et culturalis, actio causarum secundarum in tendentiam spei theologalis non assumantur.

Attamen, christianus, homo viator, debet et potest sincere sese dedicare constructioni huius mundi, etiamsi eodem tempore anhelat civitatem manentem; quod ipse facit considerando tamquam obiectum spei theologalis executionem totius propositi providentialis: hoc propositum amplectitur non tantum civitatem venturam caelestem, sed etiam perfectionem mundi et cooperationem hominis in hoc opere perfectionis mundi. Solummodo hoc modo obiectum spei in sua plenitudine proponitur; hoc modo vi ipsius virtutis spei homo ad dandam operam constructioni mundi melioris stimulatur.

Etenim, in proposito divino, si velitis, duae dimensiones intravideri possunt: Prima dimensio comprehendit ordinem creationis et videt Deum ut gubernantem mundum cuius progressus progreditur ex voluntate ipsius et ab ea dependet. Ex abundantia bonitatis Deus hominem voluit tamquam cooperatorem in executione huius propositi circa mundum. Homo ergo tendere debet ad finem quem Deus sibi proposuit circa mundum, perficiendo creationem et ea quae in illa continentur.

Alia dimensio respicit ordinem salvationis. Spes theologalis quidem realizationem propositi divini in ambabus dimensionibus respicit.

Quare proponitur, quod schema nostrum a fidelibus postulet, ut spem ponant in executione propositi divini, ita ut spes, aliquando olim ducens ad quietismum vel pietismum, nunc incitamentum praebeat christiano, ut sese dedicet mundo modo aequilibrato. Sic spes theologalis non amplius alienat a civitate terrestri hominem christianum, sed illum stimulat ut opus praebeat reditui universorum ad Deum per Christum. Hoc modo etiam *ex virtute spei* christianus participare potest e. g. Conferentiis de pace, de fame etc. et finis imponetur exclusioni realitatum terrestrium e vita theologali.

« Ut ponant in Deo spem suam, neque obliviscantur opera Dei »: *Ps.* 78, 7.

34

Exc.mus P. D. HENRICUS VION
Episcopus Pictaviensis

In cap. I schematis XIII, tria puncta mihi videntur subiicienda esse attentioni eorum qui, procul dubio, textum nunc propositum revisuri et emendaturi sunt, scil. 1) opportunitas cap. I; 2) compaginatio externa et interna huius capitis; 3) conceptus fundamentalis eiusdem capitis.

1. *Opportunitas.* De cap. I valde disputatur. Ex disceptationibus clare apparet, quod aliqui textum praesentem tanquam necessarium iudicant, dum plures Patres aestimant eum plane abiiciendum esse in nova exaratione schematis XIII.

Mea sententia, etiamsi caput illud notabiliter modificandum est, attamen conservari debet, ut fideliter observetur directio a commissione pro schemate XIII intenta, scil.: « Promovere colloquium cum hominibus omnibus, ut homines de eorum mente et de eorum conditionibus et problematibus audirentur, et vicissim ipsi norint quae sit mens Ecclesiae circa significationem, directiones et maiora problemata nostri temporis » (ex Relatione).

Quomodo etenim dialogus haberi poterit, secundum veritatem et substantiam rerum, si Ecclesia non considerat omnia in sua propria luce, et clare explicat, cur et quomodo christifideles tenentur, ex ipsa sua vocatione, curas cogitationesque suas conferre mundo, in quo vivunt?

Momentum suum habet monitio relatoris, et nedum parvi pendamus, eam magni facere debemus, quando dicit: « Securius in capitibus sequentibus... Si prius homo in unitate sua apparet, qui totus Dei Dominio subest, et totus amicitiae cum Deo destinatur... ».

Possibile est, iuxta votum haud raro in disceptatione generali expressum, problema de Ecclesia in mundo aggredi ex parte rerum, prout in concreto exstant. Sed etiam in hoc casu necesse esset, ob rationes supra allatas, exponere doctrinam essentialem de vocatione hominis.

2. *Compaginatio cap. II.* Textus nobis perhibitus non respondet, mea sententia, scopo sibi praefixo. Quod de homine dicitur non satis amplectitur eius dimensionem socialem, cosmicam et eschatologicam. Et quod peius est, in textu deficit compaginatio necnon cohaerentia interna et externa.

Stricto vinculo coniunguntur quaestiones de vocatione hominis et de constitutione Ecclesiae, speciatim in cap. V: « De vocatione universali ad sanctitatem », et in cap. VII: « De adspectu eschatologico Ecclesiae peregrinantis ». Tale vinculum autem non affirmatur modo satis explicito. Et hoc est eo magis dolendum, quod huiusmodi connexus, etiam absque fusiori repetitione eorum, quae tam perfecte exponuntur in constitutione *de Ecclesia,* luce splendenti et proficua illustravisset integrum schema decimum tertium, quod aliter in discrimen venit, ne tanquam membrum disiectum appareat in opere a Concilio Vaticano II in effectum deducto.

Magis etiam deest cohaerentia interna in expositione capitis, de quo nunc agitur. Dum textus legitur, tanquam pia exhortatio apparet, in qua sane abundanter exhibentur optimi conceptus, sed illa robusta firmitate caret, qua textus conciliaris insigniri debet. Dum expositio evolvitur, vix distingui potest conceptus, qui fundamentum constituit, scil.: valores terrestres et mundus in vocatione hominis, et proinde in vocatione christiani.

3. *Idea centralis huius capitis.* Ex praedictis statim elucet idea centralis, ad quam enucleandam exarari posset textus novus et emendatus.

Immo, mihi videtur quod talis idea per titulum magis praecisum enuntiari valeret: loco « de integra hominis vocatione » cur non diceretur clariori modo: « de valoribus terrenis et de mundo in vocatione hominis »? Vel etiam: « de valoribus terrenis et de mundo in vocatione christiana »?

Sub huiusmodi titulo efficeretur synthesis theologica, in qua conceptus totius capituli concinne evolveretur circa tria haec puncta: *a*) sub lumine fidei considerantur homo et mundus in aeterno consilio Dei; *b*) caritas et res terrestres; *c*) mundus et spes christiana.

a) *Sub lumine fidei considerantur homo et mundus in consilio Dei.* Secundum praefinitionem Dei (hoc est cardo revelationis et fidei), voluntas divina relate ad hominem voluntas est amoris. Deus nos vocat ad suam vitam felicitatemque participandas; vocatio hominis vocatio est filii adoptivi Dei; finis eius est ordinis supernaturalis.

Textus cap. I hoc innuit sed in memoriam cum vi maiore vocare deberet. Et praesertim in lucem ponendum esset opus salutis a Patre intentum et a Filio in Ecclesio adimpletum.

Verbum Incarnatum, dum naturam humanam assumpsit, in seipso recapitulavit omnem hominem cum omnibus eius adiunctis, in omnibus eius nexibus cum creatione (S. Paulus). Ex eo quod genus humanum salvavit, etiam sibi mundum universum subiecit, ita ut in suo mysterio mortis et resurrectionis non tantum hominem sed etiam totam creationem adduxit in viam renovationis, liberationis et vitae: « Exaltatus a terra, omnia traham ad meipsum » (*Io.* 12, 32).

Ex hac doctrina consequentiae immediate deducuntur, quando sermo fit de rebus terrenis et de mundo in relatione ad vocationem hominis et ad vitam christifidelis.

Sane, rite distinguendae sunt natura et gratia, necnon ordo naturalis et ordo supernaturalis, *Deus* et mundus. Sed etiam affirmandum est quod distinctio non idem sonat ac separatio, a fortiori minime idem est ac oppositio. Fortiter proclamandum est, quod in consilio Dei gratia hominem comprehendit in tota extensione suae naturae, suae vitae et suae activitatis. Mundus exstat in christiano, et christianus exstat in mundo; Ecclesia sistit in medio mundi, et mundus in corde Ecclesiae.

Res omnes huius mundi, activitas terrestris, minime ergo sunt quaedam basis, supra quam exstruitur vita spiritualis; potius sunt secundum consilium Dei (et non tantum secundum intentionem hominis) totaliter ordinatae

ad vitam hominis simul terrenam et spiritualem, exclusa qualibet mutatione substantiali, et quasi ab interno.

b) *Caritas et res terrenae.* In vita concreta et quotidiana impossibile est homini sese indifferentem habere ad res temporales et ad ipsum mundum, si tamen fideliter obsequitur consilio Dei.

Sequens conceptus speciatim illustrandus est: christifidelis diligere debet res terrenas et ipsum mundum, in quibus vivit, non solum propter gloriam et bonitatem Dei, quae in eis proclamantur, sed sicut Christus (sic Deus dilexit mundum) ratione habita eorum ipsorum et quia in opere salutis homo colligitur mundo et mundo ipsi homini adunatur.

Sub hoc respectu apparet plena extensio caritatis, tanquam locus et perfectio sanctitatis. In unum coadunat vitam terrestrem et vitam spiritualem, hominem quatenus est vivis hic in terris degens, et quatenus membrum est populi Dei; haec autem coadunatio fit non ad instar lapidum in aliquo aedificio, sed ordine naturali prorsus servato et inalterato, ita ut integra activitas hominis, et etiam quodammodo ipsa « realitas » rerum, ex hac coadunatione intime penetrentur.

Fidelitas caritate plena erga mundum procul dubio signum distinctivum est sanctitatis et apostolatus laicorum, qui in saeculo huius temporis operam plene impendunt. Haec via quidem ad remotissimum finem tendit: dum enim laici christiani mundum illum diligunt, secundum propositum Dei, et eius finem proprium necnon naturam plene observant, tunc eum audire possunt, cum eo adlaborare queunt ad commodum materiale et spirituale obtinendum, et cum auxilio orationis eum constituunt ut in ambitu gaudii et iustitiae.

c) *Mundus in spe christiana constitutus.* Verbum novissimum in capitulo primo deberet esse verbum fiduciae. Hoc ad cor hominis hodierni eo magis loquetur, quod gravissimis problematibus obnoxium se sentit. Sane quam maximum fiducia indiget. Nemo in via longe progreditur, si non subsidium habet, ad baculi instar, virtutis fidei et incitamenti amoris.

Nunc autem, etiam hac in re, ostendere oportet quomodo mundus, secundum consilium Dei, particeps efficitur spei christianae.

Cap. VII constitutionis *de Ecclesia,* doctrina imbutum apostoli Pauli (*Eph.* 1, 10; *Col.* 1, 8) affert rationes altissimas huius spei, quae hic etiam adhiberi debent, etsi alio modo: « Adveniet tempus restitutionis omnium atque cum genere humano universus quoque mundus perfecte in Christo instaurabitur ». Sed fiducia valorem habet non solum relate ad aeternitatem, sed etiam, iuxta consilium Dei, relate ad vitam praesentem, pro bono hominis in baptismate regenerati, in caritate constituti, et ad vitam in Ecclesia et in mundo vocati.

Conclusio. Cap. I: « de vocatione integra hominis » merito inseritur schemate XIII. Quoad substantiam revisendum est. Cum titulo pressius definito, eo principaliter tendere debebit, ut res terrenas et mundum universum consideret secundum consilium Dei, et proinde secundum vitam theologalem christifidelis.

35

EXC.MUS P. D. IOANNES VONDERACH
Episcopus Curiensis

Ad *prooemium,* n. 2. Laudandum certe est, quod in textu schematis adhibetur expressio biblica « signa temporum » et quod affirmatur Ecclesiam haec signa perscrutari debere. Dolendum tamen est, quod in textu non proceditur a profundo sensu biblico huius expressionis et quod haec neque in sensu biblico adhibetur ad diiudicanda tempora nostra. Inde visio temporis nostri vago quodam optimismo referta, qui laudat communem sensum « familiae humanae », tacet vero funestam illam divisionem mundi, qua laceratur humana familia, laudat magnam aestimationem personae humanae, silet autem de ideologia late diffusa collectivismi spernentis dignitatem personae humanae. Pro emendatione textus haec mihi notare liceat.

1. *Mt.* 16, 3-4 refert verba Iesu, quae hic maxime consideranda sunt: « Faciem caeli diiudicare nostis, signa autem temporis non potestis scire. Generatio mala et adultera signum quaerit — et signum non dabitur ei nisi signum Ionae prophetae ». « Signum Ionae »: Salvatoris mors et resurrectio signum est aevi eschatologici. « Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum » (*Io.* 12, 32).

Hoc est signum elevatum spei christianae, signum advenientis Domini in signis « ambivalentibus » temporis.

Alii quoque textus Novi Testamenti (ut v. g. *Mt.* 12, 38; *Lc.* 12, 56; *Io.* 2, 11 et omnia, quae Ioannes dicit de signis a Christo factis) et tandem tota eschatologia Novi Testamenti clare ostendunt ipsum Christum, qui venit et qui venturus est, qui praedicavit et signa fecit, qui mortuus est et resurrexit esse signum temporis, etiam temporis nostri, in quo Ecclesia vivit in hoc mundo.

2. Si praeterea considerantur, quae secundum *Lc.* 12, 54 - 13, 9 et in sermonibus eschatologicis Synopticorum (v. g. *Lc.* 21, 8-36; cf. « signum », « signa »: *Lc.* 21, 7. 25) Iesus de eventibus aevi, in quo existit Ecclesia sua, exponit, doctrina Christi nostra quoque tempora spectans manifesta est: omnes calamitates huius mundi transeuntis et omnia malefacta potestatum tenebrarum in hoc mundo agentium christifidelibus sunt signa, quibus moneantur, ut paenitentiam faciant et spe in solo Christo fundata exspectent adventum regni Dei.

3. Tantum in luce harum veritatum Evangelii Ecclesia audere potest signa nostrorum temporum perscrutari. Quia Ecclesia Christum resuscitatum et glorificatum ut signum huius aevi eschatologici, Christum victorem et regem universi atque Dominum historiae cognovit, aliis oculis quam ceteri homines diiudicare valet etiam tempora nostra. Omnia secundum fidem Ecclesiae sub iudicio Dei sunt. Christus spes est fidelibus. Magna sunt opera humana: civilizationis, vitae socialis, eruditionis, scientiarum naturalium,

philosophiae, artis — « ambivalentia » tamen sunt sine illo « uno necessario », sine « primo » illo quaerendo, regno nempe Dei — in « signo Ionae », i. e. Christi crucifixi et victoris.

Puto pro efficacia schematis utile, immo necessarium esse, ut hae veritates in adhibendo conceptu « signorum temporum » considerentur et in emendando toto textu prae oculis habeantur.

[*Subscripsit etiam*] Ludovicus Haller, abb. Agaunensis et ep. tit. Bethleem.

36

EXC.MUS P. D. CAROLUS WOJTYLA

Archiepiscopus Cracoviensis

Pag. 5, linn. 14-20 « tempus » videtur nimis personificatum. Propterea dicatur in v. 14: « *Quidquid enim nostro tempore evenit,* signum... ». Et in lin. 17 dicatur: « *In eventibus ergo temporis...* »; talis modus loquendi concordat cum pag. 6, lin. 10.

Lin. 23 addendum: « eadem singulis *personae dignitatis aestimatio...* ». Nam positio socialis hominis, quae ex aestimatione aliorum fluit, non est eadem pro omnibus (e. g.: « classes » sociales).

Lin. 31 non placet verbum « alienatur » ob nimis specialem significationem (canonicam, vel marxisticam, vel psychologicam). Hoc verbum, nimium pessimismum sapiens, non concordat cum lin. 25.

Pag. 6, lin. 10 loco: « ... operationem Divini Spiritus... » proponitur: « ... operationem Spiritus Sancti, qui tertia in uno Deo est persona... ».

Lin. 13. Sec. Evang. S. Ioan., Pater est, qui ducit homines ad Christum: *Io.* 6, 44-45; 6, 66; 10, 16; 17, 12; 17, 24.

Lin. 18 loco: « in mundo secundum spiritum Christi aedificando », proponitur: « in mundo secundum *legem Dei* aedificando » (Spiritus S. dicitur Spiritus Christi: *Rom.* 8, 11; 8, 9).

Linn. 31-39, ad n. 4. Mundus dicitur esse solum *occasio* loquendi de Deo, de Christo et de Ecclesia. Schema tamen intendit loqui etiam de mundo qua tali.

Lin. 39 loco: « suo amore vivificat Ecclesiam et mundum », proponitur: « suo amore vivificat Ecclesiam et *mundum ad vitae aeternae participationem vocat* ». (In schemate mundus contradistinguitur Ecclesiae, propterea non potest dici, quod eodem modo vivificatur amore Christi).

Pag. 7. Lin. 1 addendum: « *Proinde S. Synodus relationem Ecclesiae ad mundum hodiernum tali modo concipit*: 1. In omnibus... ».

Lin. 4 loco: « ... exhibito... », proponitur: « ... *fungendo*... ».

Lin. 10 loco: « et generosa cooperatione cum omnibus hominibus in spiritu fraternitatis, paupertatis... », proponitur: « et generosa cum omnibus hominibus cooperatione fraterna et humili servitio... » (expressiones tales « in spiritu crucis », « in spiritu fraternitatis » vitandae esse videntur,

quia immoderatus improprius usus vocabuli « spiritus » eius depretiationem causat).

Pag. 8. Lin. 17 loco: « ad Deum vocant », proponitur: « ad Deum *aliquo modo* vocant ».

Lin. 21 addendum: « Verbum Patris, *quod est secunda in uno Deo persona* » (S. Synodus loquitur etiam ad non-christianos!).

Lin. 22 « totum hominem »: haec verba omittenda sunt, ne erroneam conceptionem personae Iesu Christi provocent.

Lin. 23 « omneque creationis opus »: talis expressio extendit nimis Incarnationis extensionem. Ita potius linn. 21-23 sonent: « Verbum Patris, assumendo sua incarnatione naturam humanam, corpus et animam, omne creationis opus et ipsam quoque materiam... ».

Pag. 9. Lin. 10 addantur verba: « ... compleantur amore, *quo hominum indigentiis providet* (cf. *Lc.* 12, 30), *et insuper Filium suum Salvatorem mundi constituit,* ... ».

Lin. 13 loco: « Caritas non solum super terram... » proponitur: « Caritas non solum *in spiritualibus...* ».

Linn. 30-31 loco: « qui bonis terrenis immoderate inhaerent... » proponitur: « qui *bonorum terrestrium servi facti sunt* cf. ... » (verbum « immoderate » solum peccatum veniale indicat, iamvero citati textus Evangelii de absoluta disiunctione dicunt).

Pag. 10. Linn. 3-6 expressio « depravata » vix tolerari potest relate solum ad statum historicum naturae paradisiacae, non vero relate ad naturam puram. Propterea ita mutandum est textus: « Natura enim humana ... ab ipso *debilitata est* homine, qui, *etsi in iustitia originali constitutus fuerat,* tamen libertate... ».

Linn. 7-9 non concordant cum linn. 10-15 pag. 6. Loco: « ... non tantum proclivis ad malum... », proponitur: « non tantum proclivis *ad inordinatum bonorum* terrae *usum,* ».

Lin. 18 loco: « qui ad vitam nequaquam resurget... », proponitur: « qui ad vitam *vi gratiae a Christo promeritae* nequaquam... ».

Linn. 33-34 loco: « Cultura enim terrena, negato fine et subsidio divino, fieret manca; », proponitur: « Cultura enim terrena, negato fine *eius ultimo* et subsidio divino, fieret manca *quoad plenam suam humanam significationem*; » (cf. pag. 6, lin. 24: non est simpliciter manca).

Lin. 36 loco: « ... qui... mundo renovando non velit secundum vocationem propriam inservire, Deum quaerit in vanum », proponitur: « qui *sua in mundo officia* non velit secundum Dei *voluntatem* explere, Deum quaerit in vanum ». (Illa nimis severa sententia gratis supponit: 1. unusquisque habet vocationem, 2. sub gravi obligantem, 3. ad renovationem mundi).

Pag. 11. Lin. 7 loco: « Ita patet conversionem cordis ad Deum... » proponitur: « Ita patet *aedificationem iustae et fraternae in mundo communitatis* minime... » (contextus, invocatus per verba « Ita patet », exigit talem correctionem).

Pag. 12. Lin. 17 loco: « et omnes credentes congregarent... » proponitur: « et omnes credentes *baptizando* congregarent... ».

Lin. 20 loco: « subiciuntur Spiritui Iesu... » proponitur: « subiciuntur Spiritui *Christi...* » (ita sec. S. Paulum: *Rom.* 8, 9. In Evang. sermo est de spiritu Iesu tamquam de eius anima: *Io.* 11, 3; *Mc.* 2, 8).

Lin. 29 loco: « in infirmitate testium, utantur oportet, viis... » proponitur: « in infirmitate testium ostendit, utantur oportet viis... ».

Pag. 13. Lin. 17 loco: « sed contra sinceram conversionem... » sit: « sed contra, sinceram... ».

Lin. 23 loco: « ... iuribus aliorum hac in re sancte servatis... » proponitur: « ... *officiis* aliorum *hac in re iuribus correspondentibus sancte servatis...* ».

Lin. 29 loco: « etiamsi implendo suam missionem... » proponitur: « etiamsi implendo *spiritualem* suam missionem... ».

Lin. 30 loco: « de rebus temporalibus ratione fidei et morum iudicare debent... », proponitur: « de rebus *saecularibus* ratione fidei et morum *spirituali sua potestate* iudicare debent... ».

Lin. 35 potius ita sonet: « ubi non agitur de servitio in extraordinario necessitatis casu reddendo vel de caritatis officio libere a civibus postulato ».

Lin. 39 loco: « et sapientiae eius legibus », proponitur: « et *sapientibus* eius legibus ».

Lin. 38 loco: « res temporales... » proponitur: « activitates hominum temporales in quantum sunt actus humani... ».

Pag. 14. Lin. 16 loco: « defectumque spiritus evangelici... » proponitur: « defectumque perfectionis evangelicae... ».

Lin. 25 loco: « terrestri vita... », proponitur: « terrestri vita *praesertim per expositionem et adaptationem moralitatis legis naturalis, sicut hoc videmus in doctrina sociali Ecclesiae* ».

Lin. 35 loco: « servat verbum Dei sibi commissum... », proponitur: « servat commissa sibi verba revelationis Divinae... ».

Lin. 39 loco: « fit virtus et norma », proponitur: « fit norma... ».

Pag. 15. Lin. 7 loco: « versus perfectam caritatis iustitiam... », proponitur: « versus perfectum caritatis ordinem... ».

Lin. 10 loco: « tum viam... », proponitur: « tum principia quorum ope... ».

Lin. 14. Difficillime intelligitur, quomodo finis perfectus caritatis situs sit in iustitia et simul finis perfectus iustitiae positus sit in caritate! Linn. 6-12 incipiendo a verbis « Cum autem » usque ad « ... socialis Ecclesiae » inclusive, potius omittantur.

Linn. 13-15 ita sonent: « Quodsi fidei doctrina semper immutabiliter indicat perfectum iustitiae et caritatis ordinem socialem tamquam finem, in explorandis gressibus... ».

Linn. 20-21 loco: « ... doctrinam Evangelii et quae cum ea essentialiter

connexa sunt », proponitur: « ... doctrinam Evangelii *legisque naturalis praecepta* ».

Lin. 24 loco: « ... saepta sunt », proponitur: « ... saepta inveniuntur ».

Pag. 17. Loco: « De ratione christianorum se gerendi... », proponitur: « De christianorum ratione se gerendi... ».

Lin. 1 loco: « ... Spiritu ducti... », proponitur: « ... Spiritu Sancto ducti... ».

Lin. 8 loco: « ... sed etiam eodem spiritu... », proponitur: « ... sed etiam secundum eius voluntatem... ».

Lin. 18 loco: « in spiritu servitii... », proponitur: « cum serviendi voluntate... ».

Pag. 18. Lin. 16 loco: « Hominibus... tam avidis... », proponitur: « Cum nostri temporis homines maiorem iustitiam tam avide quaerant, ... ».

Linn. 30-32 loco: « et pro spiritu vere aperto: sequelae Christi crucifixi in spiritu paupertatis. Quicumque spiritu pauperes sunt... » (tres « spiritu » in 2 lineis!), proponitur: « et pro animo vere aperto: sequelae Christi crucifixi in paupertate. Quicumque spiritu pauperes... ».

Lin. 34 loco: « quatenus vires et facultates... », proponitur: « quatenus, officiis prius erga propriam familiam expletis, vires et facultates... ».

Pag. 19. Lin. 6 loco: « Hic spiritus paupertatis... », proponitur: « Haec interna paupertatis attitudo... ».

Lin. 21 loco: « ... christiana prudentia id permittit », proponitur: « ... christiana prudentia *cum vigilantia coniuncta* id permittit ».

Pag. 19. Lin. 38 loco: « numquam spiritu peculiaria appetentes vel pusillanimi », proponitur: « sine nimia affectione ad particularia et sine pusillanimitate ».

Pag. 20. Lin. 8 loco: « ut spiritus caritatis, animus... », proponitur: « ut caritas atque animus... ».

Lin. 9 loco: « qui eodem spiritu cooperari... », proponitur: « qui sub iisdem condicionibus cooperari... ».

Lin. 13 loco: « ut spiritus fraternitatis et iustitiae... », proponitur: « ut athmosphaera fraternitatis... ».

Nomine episcoporum Poloniae.

37

EXC.MI PP. DD. EPISCOPI CONFERENTIAE INDONESIAE

Ad prooemium. Ad 1: Alia introductio, minus pathetica, praeferenda videtur, in qua sobrie dicatur S. Synodum adhuc sub luce fidei loqui velle de rebus terrenis, uti nunc corda hominum occupant. Fiunt enim nostris diebus magna in mundo, a quibus felicitas hominum multum pendet et quae sociantur cum urgentibus necessitatibus ex nova evolutione exortis vel cum

ea patefactis, et ideo cum novis problematibus quorum solutio pro omnibus magni est momenti. In Ecclesia quidem agitur de relatione inter Deum salutis et homines, sed ipsa terrena suo modo cum hac relatione cohaerere omnino liquet. Quod iam ex eo patet, quod ab una parte ipsa vita christiana fidelium in hac nova evolutione multis modis implicata est, et quod ab alia parte ex mandato et exemplo Domini discipuli eius omne gaudium et omnem luctum omnium participare debent.

Ad textum ut iacet: Ut duae rationes indicatae revera sonent ut ad rem pertinentes, addendum est ad primam quod de hominibus valet quod *alter alteri* est concreditus et quod Deus nobis terram credidit ut eam *pro omnibus* unanimes colamus (iam hoc in textu idea quod in terra officium erga Deum implendum habemus, praevalet, et recedit idea quod, virtute huius officii erga Deum, terra est excolenda ut aliquid bonum pro hominibus efficiatur; ad alteram addenda est explicatio quod mandatum amoris, unitatis et pacis etiam res terrenas respicit.

Ad 2: Prima sententia de signis temporum vix intelligi potest; ergo intentum clarius exprimatur. Postquam in numero primo S. Synodus declaravit se agi velle de rebus terrenis, hic nunc explicet quare praecise ad ea quae in mundo huius temporis fiant, attendat. Mentem ad mundum huius temporis vertit, quia in voce temporis vocem Dei audire oportet ita...

Et explicetur, *quare* in voce temporis vocem Dei audire oporteat.

Omnino laudandum videtur quod textus totius schematis semper memor est de eis quae in terrenis sunt facienda, iudicari non posse ex sola luce fidei et ex principiis ex hac luce promanantibus, sed semper ad hoc necesse esse ut sub luce fidei concretae circumstantiae historicae interrogentur. In pag. 5, lin. 20 autem minus recte dicitur « adumbrent », quia in luce fidei ex praesentibus opportunitatibus et miseriis hominum concretum contentum mandati caritatis erui debet.

Pag. 5, lin. 20: « Plura videt Ecclesia etc. »: haec sententia nimis impressionem facit, quod Ecclesia de alto iudicat de valore operum aliorum; et quid est haec Ecclesia? Estne Sacra Hierarchia? Ut sequens alinea praeparetur, hic tantum in genere dicatur nostram aetatem certissime multa praebere de quibus homines merito gaudent, et textus immediate prosequatur: « ast neminem fugit... ».

Pag. 5, lin. 22: « inter quae eminet... »: quod omnes homines ut membra unius familiae, agnoscuntur atque eadem singulis aestimatio tribuitur, est thema quod iterum iterumque in sequentibus extollitur et saepius quam par est repetitur; hic melius omittatur; idem valere videtur de « scientiae et technicae artis incremento ».

Pag. 5, lin. 29: « Non enim eodem passu... » hic nimis moralistice sonat; textus hic agatur tantum de sensu historiae: « Neminem fugit, quantum absit genus humanum a vera solutione tot gravium problematum quae hodiernae culturae progressui inhaerere videntur. Haud raro homines rerum

externarum evolutione, ratione vivendi, laborandi ac se recreandi sibi magis alienantur. Multi confuso quodam inanitatis sensu... ».

Pag. 6, lin. 9: « S. Synodus vero in variis eventibus totius generis hominum operationem Divini Spiritus dignoscit ». Intentum minus recte exprimi videtur; esset enim exaggeratio, quando textus dicere vellet Sacram Synodum in variis eventibus dignoscere quid Divinus Spiritus in eis operari velit vel operetur. Dicatur: « Nostra vero fides tenet (non est aliquid solius Synodi sed pertinet ad omnes fideles) in eventibus totius generis hominum Divinum Spiritum, obscuro quidem modo, operari, ut omnia cooperentur in bonum diligentibus Deum. Ipse dirigit cursum temporum ut renovet faciem terrae (allusio ad textum Sacrae Scripturae non convenit cum sensu litterali). Ipse est qui, hominum mundans corda, ea inter mundanas vicissitudines diversis viis ad Christum ducere potest et vult ». Omittatur ultima sententia ut non satis contextui conveniens.

Ad 3: Pag. 6, lin. 22: « paris sollicitudinis testimonia dederunt non pauca »; ut species iudicii, etsi benevoli, tollatur, melius dici potest: « et quorum corda pari sollicitudine implentur ».

Pag. 6, lin. 29: « libenter quoque agnoscendo... »; qui sunt illi qui agnoscunt? fideles an alii? Dicatur: « Certi sint... fraterna, scientes quod etiam grato animo agnoscimus bonum quod ipsi iam contulerunt et semper conferent ».

Ad 4: Index (pag. 7) sub numero distincto ponatur. Quid hic intenditur sub voce « mundi »? Quando textus fidelis manere vult iis, quae in relatione super schema pag. 10, nn. 31-33 et praesertim 33, dicuntur, tunc hic clarum fieri debet sub voce « mundi » indicari res terrenas ut ad totam familiam hominum pertinentes. Ex supradictis hic sensus iam patet in lin. 32 quo loquitur « de relatione Ecclesia *ad* mundum huius temporis »; et in additione in linn. 34-35 « e quo omnibus omnia profluunt bona » apparet textus « mundum » in sensu a nobis indicato prae oculis habere.

Cum hoc non concordat significatio vocis in textu Sacrae Scripturae « lux et Salvator mundi »; hic enim mundus stat pro omnibus hominibus redimendis et quidem ita ut relatio ad res terrenas non extollitur; idem valet de « pro mundi vita » et « de erga mundum » in lin. 38; insuper animadvertendum est textus citatos (cf. *Io.* 8, 12; 12, 46) pertinere ad « lux mundi » in lin. 35. In lin. 37 « mundus » significat « terram ut habitaculum hominum », sed talis usus vocis hic admitti posse videtur quia ansam aequivocationis non praebet.

Pag. 6, lin. 39: « suo amore vivificat Ecclesiam et mundum »: tali modo Ecclesia et mundus nimis ut adaequate distincta indicantur.

Relatio ad Christum valde inadaequate exprimitur; dicatur: « ipsum solum Christum, verum Deum et hominem, prae oculis habet. Quae enim Ecclesia credit facere posse et debere relate ad mundum, nituntur in sua missione a Domino accepta, qua missione nonnisi per ipsum fungi potest. Omnia enim per ipsum et in ipsum sunt creata (*1 Col.* 1, 16) et Pater, qui

eum, redemptione facta, a mortuis resuscitavit, omnia ei ut Domino subiecit (*Hebr.* 2, 8). Redemit nos Christus, ut omnia dona caritatis Patris mirabilius redderet hominibus, non excepto illo dono quod Pater in mundo hominibus dare voluit. Et si Ecclesia, opus Domini in mundo continuans, inter infirmitates et in spiritu crucis Christi amorem eius visibilem efficere debet, qui humili vita et morte amorem Patris erga mundum manifestavit, tunc scit hunc amorem etiam illum includere qui hominibus vult dare mundum ».

Pag. 7, linn. 1-2: dicatur: « In omnibus, spirituali missioni intenta, quam Ecclesia a Christo suscepit, S. Synodus homines edocet... ».

Pag. 7, lin. 4: dicatur: « Cum universa Ecclesia ministerio suo Christum agat, qui in forma servi venit... ».

Ad cap. I, ad 5: pag. 8, lin. 2: « quaestiones de cultura etc. »; accuratius indicetur cuius ordinis sint quaestiones hic intentae.

Pag. 8, linn. 11-12: « Christus enim venit etc. »; homo ad altiorem dignitatem elevatus est inde a creatione; Christus hanc altiorem dignitatem potius mirabilius restauravit.

Ad 6: pag. 8, lin. 17: *Io.* 1, 3 et *Col.* 1, 17 nihil dicunt quoad affirmationem, quod omnes res creatae ad Deum vocant.

Pag. 8, linn. 17-19: cohaerentia inter affirmationem et textum allatum non omnino liquet; esset explicanda.

Pag. 8, lin. 20: quare haec verba humana, altum sensum rerum creatarum revelantia, non amplius citantur? nimis facile haec dici videntur.

Pag. 8, lin. 23: « ad altiorem evexit dignitatem »: haec sunt explicanda.

Pag. 8, linn. 23-25: « omnia, etiam terrestria munera, altiori inseruit cum Deo habitudini qui naturam hominis excedit »: haec non sunt primo a Christo facta sed sic erat a principio; quare omnino necesse est explicationem dignitatis terrestrium incipi ab illis quae in Vetere Testamento manifestantur.

Pag. 8, lin. 26: « sic transire per bona temporalia, ut non amittat aeterna »; haec sunt quidem vera sed non apta ad revelandum ipsam significationem et valorem terrestrium.

Pag. 8, linn. 29 ss.: elevatio spei ultra civitatem terrestrem aedificandam proponitur tantum in sua distinctione a vocatione ad terrestria aedificanda; disserendum esset de assumptione ipsorum terrestrium in vocatione hominis ad salutem.

Pag. 9, linn. 4 ss.: dignitas et momentum huius vitae tantum ponuntur in fidelitate erga Deum et probatione amoris; sed etiam indicandum esset quid valeat ipse effectus huius activitatis humanae, quam fidelitas erga Deum et probatio amoris requirunt. Quae in fine huius pericopae dicuntur ad id adducere possent.

Pag. 9, linn. 5-14: in quattuor sententiis huius pericopae veritates de opere in mundo faciendo proponuntur sine intima cohaesione et sine sufficienti explicatione intentorum.

Pag. 9, linn. 9-10: « altiori inseritur consilio Dei de homine »; hoc non est nisi repetitio enuntiationis in pag. 9, lin. 24; haec repetitio omnino est superflua, quando hic non explicatur quid haec insertio contineat. Textus de labore quo homines terram sibi subiiciunt, inter alia dicit, quod iam naturaliter est praeclarum vinculum sociale. Ad hoc quod altiori inseritur consilio Dei de homine, pertinet e. g. quod tum ipse labor tum effectus huius laboris vinculo caritatis inter homines inserviunt, in quantum nempe hoc vinculum aspectum humanum et ideo mundanum importat.

Pag. 9, linn. 10-12: omnino verum est « filios adoptivos omni studio sollicitudinem Patris erga omnes homines etiam in rebus terrestribus induere debere », sed non sequitur ex ratione allata, quia vox « mundus » in formula « Salvator mundi » secundum suum sensum biblicum non significat mundum ut totalitatem rerum terrestrium sed homines redimendos in mundo viventes. Ratio in eo est quod Deus mundum creavit ut donum ad salutem hominum et quod hoc donum hominibus concredidit pro invicem excolendum secundum consilium benignitatis eius.

Pag. 9, lin. 15: « qui est lux et Salvator mundi »; textus suum fundamentum biblicum immerito quaerit in talibus textibus, quia « mundus » in eis aliud significat quam contextus requireretur np. homines redimendos in mundo viventes.

Pag. 9, lin. 19: optime dicitur redemptos etiam structuris et ordinibus terrestribus initia spei suae communicare debere, sed non indicatur verum fundamentum biblicum nec explicatur in quo consistat.

Ad totum n. 6: In hoc numero ergo aliter procedendum videtur ad explicandum quid fides nostra sentiat de valore rerum et munerum terrestrium.

a) Non superfluum videtur lectorem praemoneri hic in alio sensu de « mundo agi quam fit in multis locis Novi Testamenti. Ibi enim non tantum indicat homines redimendos in mundo viventes, sicut in *Io.* 3, 16: « Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in ipsum, non pereat sed habeat vitam aeternam », sed etiam saepe stat pro hominibus, in quantum de facto Christo et missioni eius adversantur; in hoc sensu dicitur quod mundus Christum odio habuit (*Io.* 15, 18). Omnes et omnia in quantum hoc spiritu adversationis imbuuntur sub voce « mundi » comprehendens S. Iacobus amicitiam huius mundi inimicam vocat Dei (*Ic.* 4, 4), et S. Ioannes scribit: « Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo » (*1 Io.* 2, 15-16). Ecclesia semper huius monitionis memor fuit et esse debet, sed etiam numquam oblivisci potuit omnes res creatas ut donum bonum e manu Dei prodiisse. Et ideo, quando sub voce « mundi » in luce fidei de rebus terrestribus iudicare volumus, imprimis memores simus oportet earum originis et finis, sicut in Sacra Scriptura indicantur.

b) In Sacra Scriptura mysteriosus nexus apparet omnium rerum visibilium cum Christo. « Omnia per ipsum facta sunt » (*Io.* 1, 3); « Nobis

tamen unus Deus, Pater ex quo omnia et nos in illum: et unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia et nos per ipsum » (*1 Cor.* 8, 6).

Et huic origini omnium rerum correspondet etiam finis: « Est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae: quoniam in ipso condita sunt universa in caelis et in terra, visibilia et invisibilia...: omnia per ipsum et in ipsum (eis auton) creata sunt: et ipse est ante omnia et omnia in ipso constant » (*Col.* 1, 15-17).

c) Hic nexus mysteriosus cum Christo iam innuit res creatas non esse sine relatione ad opus salutis, ad quod Filius Dei in mundum venit. Et revera, haec relatio iam in Vetere Testamento apparet. Mundus enim secundum Sacram Scripturam creatus est ut donum pro hominibus ad eorum salutem; est expressio eiusdem benignitatis Dei qua homines vocavit ad suam amicitiam; pertinet ad ipsam salutem eorum, qui ut « homines » secundum eorum totalem conditionem ad amicitiam Dei vocati sunt. Sed in historia salutis populi Dei simul magis ac magis apparet bona terrestria non esse elementum centrale vel decisivum salutis hominum. Hoc tantum invenitur in ipsa amicitia cum Deo vel in iustitia, quae rectum ordinem tum ad Deum tum ad proximum includit. Et insuper, hac in terra mundus ille est donum officia pro hominibus secumferens. Debent enim homines in eo operari ut revera pro omnibus ad salutem prosit; ad quod conferunt, quando homines mundum ita excolant et efforment ut omnes in eo vivere possint vere humane, decenter, feliciter. Tunc enim consilium Dei circa mundum exsequuntur, et, ex mundo facientes quod Deus in eo dare intendit, curant ut mundus retineat indolem doni et expressionis benignitatis divinae. Mundus, in quantum ita excultus, iam ad initia salutis in hoc tempore pertinet, et insuper non est sine momento pro elemento centrali et decisivo salutis, quatenus condiciones praebet quae vitae vere humanae et christianae sunt favorabiliores.

Ex supradictis patet homines in opere circa temporalia induere debere caritatem Dei, qua hominibus mundum dare voluit ad eorum salutem. Et patet insuper executionem divini consilii circa mundum in ipsam figuram mundi influere, ita ut mundus fiat expressio iustitiae et caritatis.

d) Sed sicut elevatio hominis eo ipso pro mundo significat elevationem in finem altiorem, et sicut exsecutio divini consilii mundum in figuram a Deo intentam efformat, ita etiam lapsus hominis et peccata ipsum mundum non attingere non possunt. Homo peccator sub ira Dei stat cum omnibus quae ei ad suam salutem sunt dedita. Amisso recto ordine ad Deum, qui rectum ordinem ad socios homines includit, homo iam est mortuus et haec mors se in corruptionem omnium vitae donorum explicabitur, si non a longanimitate Dei, quae ad paenitentiam adducere vult, retinetur (cf. *Rom.* 2, 4). Etiam si homini a Deo averso non statim donum mundi detrahitur, tamen vanitati et servituti corruptionis subiicitur.

In quantum homines in suis peccatis sua officia in ordine ad mundum negligunt vel contra ea agunt, etiam opus efformationis mundi in servitium

omnium detrimentum patitur. Ex quo factum est quod in cursu historiae peccata hominum sua vestigia in mundo nostro reliquerunt. Figura huius mundi iam non est illa a Deo intenta et donum illius benignitatis obscurat et pervertit.

Ex singulorum superbia et egoismo, et ex eo, quod in peccato conveniunt multi, mundus in multis expressio iniustitiae et defectus caritatis factus est.

Quapropter Prophetae, qui mundum semper adhuc ut donum divinae benignitatis considerant, iterum iterumque contemporaneos vituperant, quia terrena ita consectantur ut Dei obliviscantur et proximos negligant et opprimant.

Per peccata creantur in mundo conditiones vitae, quae fidelitati erga Deum et proximos non sunt favorabiles. Mundus enim dirutus iniustitia, mendacio ac violentia et in suis institutis peccatis contaminatus, quam maxima impedimenta hominibus praebet ad vivendum vere humane, feliciter et decenter. Et ita, ubi ordo rerum peccatorum sequelis perturbatus est, nova semper oriuntur incitamenta ad peccata.

e) Sed sicut elevatio et peccatum, ita etiam redemptio hominem totum attingit et ideo mundum in quo homines vivere debent.

In Christo apparuit ipsa « benignitas et humanitas Salvatoris Dei nostri » et quidem sub omni respectu et ideo etiam in quantum haec benignitas mundum dat ad hominum salutem. Exemplum dans discipulis suis « pertransiit benefaciendo » (*Act.* 10, 38). Loquitur de Patre, qui scit quibus indigeamus (cf. *Mt.* 6, 8. 32) et docet rectam habitudinem ad res mundanas (*Lc.* 12, 18-34), praedicans de transcendentia Regni Dei, de divitiarum illecebris quae natae sunt hominem a Deo avertere et ad iniustitiam erga proximum allicere, de spiritu servitii et caritatis in quo cognosci debet eius discipulus.

Sed Christus non tantum exemplum dat et officia inculcat; etiam hominem et mundum renovat sua virtute, qua res terrenae ita restaurantur ut denuo ad suum finem a Deo statutum adduci possint. Redemptione generis humani enim omnes homines cum omnibus in quibus vivunt in Christo Patri sunt dicati. Quod ipsa redemptio generis humani etiam omnia creata attingit, clare in Sacra Scriptura enuntiatur, dum ea quae in *Ps.* 8 de homine dicuntur « omnia subiecisti sub pedibus eius et constituisti eum super opera manuum tuarum » applicantur ad ipsum Christum, qui, per opus redemptionis, resurrectione completum, Filius Dei in virtute constitutus secundum spiritum sanctificationis (cf. *Rom.* 1, 4), recepit nomen quod est super omne nomen: ut in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum et omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus Christus in gloriam Dei Patris » (*Phil.* 2, 9-11). Explicite haec applicatio fit in *Hebr.* 2, 5-10, quo concluditur: « In eo enim quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei » (*Hebr.* 2, 8) necnon in *1 Cor.* 15, 27: « Omnia enim subiecit sub pedibus eius » (cf. *1 Pt.* 3, 22; *Phil.* 3, 21).

Sed sicut dominium Dei virtute creationis non impedit mundum esse datum pro hominibus, ita et dominium Domini nostri Iesu Christi virtute redemptionis non impedit mundum pro redemptis esse restauratum. Quare S. Paulus scribit: « Omnia enim vestra sunt... sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura: omnia enim vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei » (*1 Cor.* 3, 22-23).

f) Quod ipsa redemptio hominum etiam omnia creata attingit, iterum apparet in eis quae dicuntur de consummatione redemptorum in die Domini. Exspectamus enim « Salvatorem Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae, secundum operationem, *qua etiam possit subiicere sibi omnia* » (*Phil.* 3, 21). Et dum nos ipsi, primitias spiritus habentes, gementes exspectamus redemptionis corporis nostri, et « exspectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe: quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei » (*Rom.* 8, 18-23). Consummatio mundi erit participatio consummationis filiorum Dei. Tunc mundus ad suam plenam rationem doni et expressionis divinae benignitatis perveniet in indissolubili connexione cum elemento centrali et decisivo salutis, quod est iustitia, secundum illud: « Novos vero caelos et novam terram expectamus, *in quibus iustitia habitat* » (*2 Pt.* 3, 13).

g) Nunc autem hanc consummationem adhuc exspectamus per patientiam. « Spe enim salvi facti sumus » (*Rom.* 8, 23). Subiectio enim omnium Domino Iesu Christo pertinet ad ea quae iam sunt facta et tamen adhuc exspectantur. Iam omnia Pater ei subiecit et nihil dimisit non subiectum ei. « Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei » (*Hebr.* 2, 8). Et ita *1 Cor.* 15, 22-28: « Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem in suo ordine, primitiae Christus: deinde ii, qui sunt Christi, qui in adventu eius crediderunt. Deinde finis: cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuerit omnem principatum, et potestatem et virtutem. Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Novissima autem inimica destruetur mors: Omnia enim subiecit sub pedibus eius... Cum autem subiecta fuerint illi omnia: tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus ».

Ex his apparet quomodo corpus omneque creationis opus, ipsa quoque materia ad altiorem dignitatem cum ipso homine sit evecta et quomodo omnia, etiam munera terrestria altiori hominis cum Deo habitudini inserta sint: *a*) terrena, ab hominibus in terris virtute Redemptoris excolenda et in die Domini ab ipso Redemptore consummanda, sunt donum divinae benignitatis ad ipsam salutem hominum pertinens; *b*) ipsa ordinatio rerum terrenarum creat conditiones vitae humanae et christianae favorabiliores; *c*) in ordinatione rerum terrenarum secundum consilium Dei, homo cursu vitae terrestris suam fidelitatem erga Deum et suum amorem in fratres probat

et ideo etiam in terrenis ut filius adoptivus, Deum audit et ut Patrem glorificat.

Sed insuper apparet res terrenae numquam esse considerandae vel quaerendae ut elementum centrale et decisivum salutis. Hoc enim invenitur in recta habitudine ad Deum et proximum. « Quaerite primum Regnum Dei et iustitiam eius: et haec omnia adiicientur vobis » (*Lc.* 12, 31). Quare omnia terrena postponenda sunt impletioni voluntatis Dei, secundum doctrinam, iterum iterumque inculcatam Evangelii (cf. quae dicuntur pag. 5, lin. 29 - pag. 6, lin. 3; pag. 6, linn. 25-39).

Haec autem transcendentia vocationis et spei nostrae non aufert officium mundi excolendi, nec diminuit eius valorem, sed requirit hoc officium sic impleri ut transcendentia spei nostrae se in eo manifestat.

Apparet etiam valor rerum terrenarum numquam inveniri in divitiis materialiter sumptis, sed tantum in servitio quod praestant vitae vere humanae secundum vocationem Dei; et haec vita hominem non in seipso claudit sed eum dirigit in Deum et in proximos. Mundus ut pro omnibus hominibus datus semper tractari debet in spiritu servitii ita ut homines tum in ipso opere ordinationis tum in ordinatione effecta suam coniunctionem in unam familiam Dei fovent.

Apparet tandem mundum ut de facto efformatum est, contaminatum esse a peccatis, quapropter pro homine imperfecto et peccatore nova incitamenta iniustitiae secumfert. Etiam redemptione iam facta, hae sequelae peccati his in terris nondum auferuntur. Quapropter semper pro omnibus Domini monitiones valent de periculis divitiarum huius saeculi. Sed iam datur nova vita in Christo Iesu, etiam novas vires secumferens pro opere quod in mundo est faciendum. Et ita, etsi plena creaturae liberatio a servitute corruptionis nonnisi in secundo adventu Domini manifestabitur, tamen redempti, etiam structuris et ordinibus terrestribus, initia spei suae, meliore quo fieri potest modo, communicare debent.

Ad 8: pag. 10, lin. 9: « erga Deum, erga fratres, erga mundum »: haec iuxtapositio non est commendanda; dicatur: « ne recte se gerat erga Deum et fratres in mundo ».

Pag. 10, linn. 10-17: hic bene disseritur de contaminatione ordinis mundi a peccatis et de ordine rerum peccatorum sequelis perturbato.

Pag. 10, linn. 19-29: addendum est quod Ecclesia credit virtutem gratiae ubique operari ubi homines bonae voluntatis operantur, ne impressio relinquatur labores non-christianorum non conferre ad exstructionem terrenorum super solidum iustitiae et caritatis fundamentum.

Ad 9: pag. 10, lin. 33: « negato fine et subsidio divino »: intentum non videtur recte expressum; ubi finis divinus vel subsidium Dei non agnoscuntur (i. e. negantur), potest adhuc ipsa directio in finem necnon subsidium datum adesse.

Pag. 10, linn. 36-40: « Dei enim voluntas est ut homo agnoscat eius dominium super omnes res, et ut regnum Christi crescat... dum homo...

officia sua exsequitur erga Deum, erga proximum, erga mundum, qui est Dei et hominum »; nexus cum vocatione altiori tantum ponitur in aspectu supernaturali activitatis ut executionis officiorum; nullum verbum dicitur de nexu ipsius boni in mundo operati; nec dicitur Dominium Dei agnosci et mundum in Deum ut finem dirigi per hoc quod ipse mundus per suam ordinationem in servitium vitae vere humanae excolitur ut donum, hominibus datum; insuper iuxtapositio « erga Deum, erga proximum, erga mundum » est minus opportuna et relationes inter nominata obnubilans; dicatur ut cum contextu concordans: « dum homines mundum, ut donum divinitus datum, in spiritu servitii pro omnibus cum quibus vivunt, ita excolant et efforment, ut vere humane, decenter et feliciter in eo vivere possint ».

Pag. 11, linn. 1-13: hic textus bene loquitur de determinato aspectu relationis quam mundus rite ordinatus habet ad salutem.

Pag. 11, lin. 14: in conclusione huius numeri immediate tantum fructus pro et in homine operante considerantur; in primo loco autem nominandi essent fructus qui in ipsa ordinatione mundi inveniuntur vel ex ea profluunt.

Pag. 11, lin. 18: « quanti pretii sit cognoscere Deum »; addatur: « et Eius Filium in mundum missum ».

Pag. 11, linn. 16-21: animadversio optima, quae autem, magis explicata, transferenda esset in caput secundum de « Ecclesia Dei hominumque servitio dedita ».

Totum caput primum eget meliori ordinatione, in qua ea quae in nn. 7, 8, 9 bene dicuntur sine repetitionibus et cum clariori explicatione proponuntur.

Ad cap. II, ad 10: pag. 12, linn. 1-4: In hac sententia vox « mundus » in diversis significationibus adhibetur et quidem ita ut fiat aequivocatio. Apud Ioannem « mundus » stat pro hominibus Christo adversantibus. In *1 Io.* 2, 16-17 indicare videtur etiam ipsum ambitum humanum in quantum spiritu Christo adversantium imbutum i. e. concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae. Quando ergo textus dicitur: « Ecclesia... connectitur cum mundo i. e. cum omnibus hominibus eorumque institutionibus et officiis », ad alium conceptum mundi transit.

Pag. 12, linn. 4-6: Hic textus Ecclesiam et mundum indebito modo distinguit. Insuper denuo transit ad novum conceptum mundi. Hic enim mundus identificari apparet cum hominibus extra Ecclesiam et cum eis, quae isti in mundanis efficiunt vel efficere volunt. Quando textus autem loquitur de relatione mutua fecunda pro ipsa Ecclesia et pro mundo, loquitur de relatione inter Ecclesiam et ea quae in mundo efficiuntur generatim sumpta, sive a christianis sive ab aliis.

Pag. 12, linn. 8-10: Quae hic dicuntur, possunt esse obiectum introductionis huius capitis. Agitur enim de transitu ab iis quae in priore capite sub luce fidei dicta sunt de rebus terrestribus ad relationem inter Ecclesiam et opus in rebus terrestribus faciendum.

« Sibi conscia alti valoris et finis rerum terrenarum, Ecclesia persua-

sum habet Populum Dei teneri ad cooperationem in rebus terrenis. Sed quando suam missionem circa mundum interpretatur, scit se loqui de opere quod semper omnes homines respicit. Mundus enim pro omnibus creatus est et omnes homines in mundo excolendo laborant. Scit Ecclesia quod non vult ad aliquid aliud operari quam quod omnes homines intendunt, quando hanc terram pro omnibus habitabilem reddere conantur. Scit hoc officium omnibus cooperantibus in unanimitate implendum esse.

Nihilominus non omnes semper bene cogitant de intentionibus Ecclesiae in ordine ad mundum excolendum. Multae autem difficultates auferri vel saltem diminui poterunt, si omnes bene intellexerint, quomodo Ecclesia suam missionem circa mundum a Domino acceptam interpretetur. Qua in re ipsa decursu saeculorum et per varias experientias plura paulatim clarius perspiciebat et perspicit.

Quandoque cogitatur in Ecclesia praedicari fugam mundi et negligentiam officiorum in mundo implendorum propter exspectationem felicitatis aeternae. Et scimus revera nostram doctrinam ansam huius opinionis praebere. Verum est enim quod speramus felicitatem aeternam et quod fides nostra tenet hac in terra numquam inveniri felicitatem perfectam et definitivam. Credimus etiam hominem esse peccatorem et a divitiis huius saeculi allici ad obliviscendum Dei et proximorum. Sed ex supradictis iam apparet hanc doctrinam male intelligi ab eo qui putat officium in hac terra negligi posse. Concedendum etiam est nonnumquam in Ecclesia illecebras mundi ita proponi vel propositas esse ut dignitas et momentum rerum terrenarum obscurata fuerit. Sed simul numquam in Ecclesia doctrina est agnita, quae mundum ut malum proponere volebat. In his autem temporibus ipsa evolutio dominii hominum super res terrenas etiam in Ecclesia momentum officii in terrenis magis in lucem duxit; et insuper adiuvit ad relationem inter potestatem hierarchicam et res terrenas clarius perspiciendam.

Ecclesia dolet obscurationem suae interpretationis quoad suum munus in rebus terrenis in cursu historiae etiam causatam esse ab infirmitatibus humanis. Ipsa noscit quidem Spiritum Sanctum sibi datum ut munera mundo distribuat, sed pariter scit se ex hominibus constare, sibique proinde impositam esse renovationem continuam usque ad finem temporum. Vult ergo Ecclesia simpliciter animo eos audire qui membrorum eius peccata defectumque spiritus evangelii obiiciunt (ex n. 13 linn. 15-20).

Pag. 12, linn. 10-12: Primo loquendum est de missione totius populi Dei, tunc demum de ipso munere hierarchiae. De iis quae speciatim laicis incumbunt, ob propriam indolem materiae hic tractatae, melius sermo esse potest ante elaborationem muneris hierarchiae. Loco « erga mundum », quod nimis insinuat agi de re extra Ecclesiam, dicatur « in ordine ad mundum ».

Ad 11: pag. 12, linn. 13-24: Suo loco tantum paucis verbis munus hierarchiae proprium indicetur, ut nexus cum eis quae in mundo sunt facienda, elucidetur. Sed linn. 21-24 retineantur.

Ad 12: pag. 12, linn. 25 ss.: Immerito textus de munere hierarchiae in ordine ad res terrenas agens, immediate de eius relatione ad potestates civiles transit. Idea hic expressa tamen in textu est retinenda, quamvis aliter exprimi possit.

Pag. 13, linn. 1-12: « tamen in privilegiis ab auctoritate civili oblatis spem nullam ponit »: quia sonat ut enuntiatio facti, exaggerationem redolet. Dicatur ipsum munus hierarchiae essentialiter aliis mediis uti debere quam potestate in ipsis rebus terrenis. Sed necesse est Ecclesia etiam temporalibus uti. Est ergo congregatio hominum, quae humano modo ad suam missionem spiritualem agere oportet. Egemus possibilitate communicationis, egemus aedificiis et institutis et aliis huiusmodi. Rogamus ad hoc ea quae omnibus hominibus concedi debent ad dictamini suae conscientiae oboediendum et suas relationes cum Deo socio modo fovendas. Saepe Ecclesiae concedebantur privilegia et immo quaerebat. Sed libenter haec Sacrosancta Synodus declarat se in privilegiis ab auctoritate civili oblatis spem nullam ponere velle nec debere. Et ideo exercitio iurium etc.

Pag. 13, lin. 25: « Ecclesia ceterum docet»; dicatur: « Ecclesia ceterum tenet » vel « Magisterium Ecclesiae docet ».

Pag. 13, linn. 35-36: « ubi non agitur de necessario vel libere postulato caritatis servitio »; expressius dicatur quid his verbis intendatur et quomodo Pastores Ecclesiae hoc servitium caritatis praestent.

Videtur relationem Pastorum Ecclesiae ad auctoritatem civilem considerari debere ut aspectum relationis Ecclesiae ad opus in mundo faciendum et ideo haec relatio primo in genere consideretur oportet. In hac consideratione dici oportet christianos in mundo excolendo operari debere in spiritu christiano, repletos fide et caritate, quia id quod in mundo est factum vel faciendum, non est sine relatione cum exigentiis vitae moralis, religiosae, christianae. Relationes cum his exigentiis autem imprimis detegi et solvi debent ab ipsis operantibus in mundo, in quibus fides cum experientia rerum et peritia coniungitur. A. v. ipsi laici partes principales agere debent in his quaestionibus detegendis et solvendis. Hoc autem non fit sine adiumento Magisterii. Quamobrem dicendum erit quid Magisterium Ecclesiae in his rebus virtute eius specialis missionis et charismatis praestare possit, quid non. Et insuper clare dicendum est quomodo Pastores Ecclesiae id, quod praestare possunt et debent in hac materia, uti debeant cooperatione ipsorum laicorum. Praesertim vitari debet impressio quasi directio fidelium per normas speciales a pastoribus Ecclesiae propositas esset condicio ordinaria. Hac in re merito dicitur in textu, quod « Pastores in novis mundi adiunctis negotiis temporalibus curandis minus in dies implicantur ». Sed addenda esset explicatio illustrans rationes huius rei et ipsius valorem. Hoc modo enim relationes in Ecclesia inter hierarchiam et laicos magis genuinae fiunt et vultus authenticus Ecclesiae clarius se manifestabit.

Ad 13: pag. 14, lin. 4: In titulo dicatur: quomodo Ecclesia iuvetur

ab iis quae in terrenis efficiuntur, ne suggeratur adaequata distinctio inter Ecclesiam et mundum.

Pag. 14, linn. 7-9: paucis verbis indicandum esset quare haec ut adiumenta pro Ecclesia considerentur.

Pag. 14, linn. 4-14: adiumentum quod Ecclesia invenit in iis quae in mundo efficiuntur, nimis partialiter describitur. Textus imprimis impressionem relinquit Ecclesiam non esse nisi aliquid spirituale. Est autem congregatio hominum, qui suam fidem, spem et caritatem in mundanis vivere debent, et qui tum pro relationibus inter hierarchiam et ceteros fideles, tum pro omni cooperatione ad salutem inter membra Ecclesiae, tum pro opere evangelizationis in toto orbe terrarum suo modo temporalibus uti debent. Quantum e. g. hac in re progressus scientificus in re psychologica et sociologica significat, quantum media communicationis!

Est Ecclesia insuper communitas Deo dicata, in qua homines etiam vinculis humanis et mundanis coniungi debent, ut eorum unitas sit etiam vere humana et ut pro omnibus testimonium perhibeatur quali unitate Deus omnes homines in Ecclesiam in unam familiam, Deo dicatam, congregare velit. Et quando Ecclesia nihil bonum et verum a se putat esse alienum et sibi indifferens, tunc ratio est quod omnia sunt consideranda ut gratiae Dei.

Pag. 14, linn. 15-20: haec transferenda videntur ad introductionem huius capitis; videntur non logice connexa cum dictis in hoc n. 13.

Ad 14: pag. 14, lin. 25: hic « mundus » significat « homines in mundo habitantes »; propter contextum, qui in genere alio modo de mundo loquitur, melius dicatur: homines in mundanis operantes vel aliquid huiusmodi.

Pag. 14, linn. 26-30: hic bene indicatur quibus modis Ecclesia, ut doctrina et virtute Christi ditata, conferre possit ad opus in mundo efficiendum. Sed verba quibus hoc fit, minus opportuna videntur in quantum verba « inde omnes verum sensum et finem rerum creatarum recte intelligunt » ansam praebere possent falsae interpretationis et ideo impressionem facerent exaggerationis. Propterea hic dicendum esset quid non ex revelatione cognoscenda sit np. sensus et finis rerum in ipso ordine terreno, ut appareat hic agi de sensu et fine ultimis.

Pag. 14, linn. 31-34: Haec sententia satis ambigua manet, praesertim propter verba ultima « atque per opera et institutiones etc. ». Quae opera et institutiones hic intenduntur? Nonne opera et institutiones quae in fines temporales diriguntur? Videtur hac in re clarius loqui oportere. Indicetur primo quomodo ea quae in terrenis sunt facienda, detegantur labore communi omnium hominum, praesertim profana peritia praeditorum, et quomodo hic labor communis adhuc multum valeat ad detegendas relationes cum exigentiis moralibus et religiosis, praesertim quia lux et gratia Christi operantur in omnibus hominibus bonae voluntatis.

Tunc demum bene indicare debet quid in hac re magisterium Ecclesiae et manifestatio sensus fidei fidelium praestare possit et debent. Maximi

momenti est hac in re impressionem vitari quod iudicium de exigentiis moralibus et christianis in rebus terrenis facile et sine labore inveniretur.

Pag. 14, linn. 35 ss.: Quae hic dicuntur est repetitio eorum quae in supradictis intenduntur, sed hic textus iam clariori modo loquitur.

Pag. 15, linn. 3-24: In his lineis multa bene dicuntur sed minus harmonice inter se ordinata. Ultima sententia nimis est additio: assumi oportet in ipso opere a fidelibus praestando quoad detegenda quae in hoc mundo in verum servitium hominum sint praestanda. Relatio inter hierarchiam et laicos in detegendis exigentiis christianis non omnino cum realitate consonans explicatur; hoc tantum possibile est, quando cum proprio officio et propriis possibilitatibus laicorum incipitur. Nunc textus impressionem facit partes principaliores ab hierarchia agi.

Verbis « Ecclesia sollicite proponit » (linn. 8-9) probabiliter Magisterium Ecclesiae intenditur. Hoc Magisterium proponit certissime caritatem ut summam legem et virtutem Evangelii pro humano convictu. Sed quomodo invenit « finem perfectum caritatis » i. e. quid perfecta caritas in concretis circumstantiis requirat? Quomodo determinat id quod ab omnibus in concretis circumstantiis urgeri potest? Quomodo invenit viam, qua homines competentes ipsi pro rerum condicione meliores semper solutiones practicas quaerant? Recte dicitur in sequentibus quod in explorandis gressibus versus finem perfectum caritatis populus Dei continenter (cum omnibus hominibus bonae voluntatis) perscrutari debet, quid signa temporum postulent. Sed quare influxus huius veritatis non apparet in iis quae in linn. 9-12 dicuntur? Tunc etiam minus facile textus loqueretur de sic dicta « doctrina sociali Ecclesiae » (lin. 12). Nostris diebus necessarium videtur significationem huius expressionis diligentius exponere. Haud raro enim ut principia huius doctrinae propositae sunt theoriae, quae cum determinatis adiunctis historicis, nondum in sua variabilitate cognitis, cohaerent. Et insuper est doctrina quae non ex sua natura revelationem requirit et in qua semper considerationes ad scientias practicas profanas pertinentes magni sunt momenti. Videtur in hoc schemate explicationem prudentem et secundum hodiernas conceptiones de expressione « doctrina socialis Ecclesiae » abesse non licere.

Pag. 15, linn. 25-41: Intentum huius alineae est optimum, sed quia tantum in fine capitis apparet, relationes reales inter hierarchiam et laicos in hac re obscurantur. Impressionem enim relinquit quod condicio ordinaria est hierarchiam ipsam invenire et dare responsa, solutiones et directivas concretas.

Ad cap. III: ad 15: pag. 17, linn. 7-8: « ut non solum suam propriam vitam in Christo instauret, sed etiam eodem spiritu etc. »: intentum tali modo exprimatur ut appareat instauratio propriae vitae in Christo omnino requirere et includere assumptionem officii in rebus terrenis.

Ad 16: Quae hic dicuntur, sunt in genere bona, sed magis harmonice et non per enumerationem exprimenda; insuper animadvertendum est haec, sicut cetera in hoc capite, esse aptam materiam pro capite secundo, in quo

enim nostro iudicio primo agi debet de officio totius populi Dei in ordine ad res terrenas.

Ad capp. II-III simul sumpta. Proponere volumus aliam ordinationem materiae ita ut quae in his capitibus dicuntur in unum caput comprehendantur.

In hoc capite disserendum esset de relatione Ecclesiae ad ea quae in rebus terrenis sunt facienda.

a) Primo agatur de officio totius populi Dei, qui res terrenas aestimare debet in luce fidei et secundum consilium Dei. Ex quo sequitur quod christifideles in mundanis laborare debent cum omnibus hominibus ut mundus fiat vera gratia a Deo intenta, adducens ad Deum et ad unitatem et congregationem totius generis humani in unam familiam; in ordine ad hunc finem simul curare debent ut coniunctionem omnium in Christo incorporatorum se etiam exprimit in vinculis caritatis mundanis, ut manifestetur in quantam et qualem unitatem omnes homines a Deo in Christo vocentur. Quia autem in rebus terrenis semper bonum omnium intendi debet, populus Dei in Ecclesia semper visibilem reddere debet amorem Christi, omnibus omnia bona Patris communicare volentem. Tandem indicandum est quomodo opus in terrenis rebus conferre debeat ad praefigurationem novae terrae, in qua iustitia habitat.

b) Tunc agendum est de spiritu in quo populus Dei suum officium in rebus terrenis impleri debet. Et agitur de transcendentia Regni Dei in omnibus respicienda. Hoc loco dicatur quod id quod pro omnibus valet, a quibusdam specialiter testificatur in eo quod se vitae statu vel apostolatu rebus divinis consecrant (et addenda quae dicuntur pag. 11, linn. 16-21). Agitur hic etiam de spiritu servitii in caritate, de spiritu crucis et abnegationis, de communione fraterna in spiritu paupertatis aedificanda, necnon de dialogo.

c) Postea agatur de ipso opere persequendo et de iis quae ad hoc requiruntur. Hic primo dici debet quod in mundo secundum consilium Dei ita est operandum ut omnes homines in eo vivere possint vere humane. Aliquatenus indicentur diversae regiones culturae humanae et addatur quod ad ordinationem mundi etiam pertinet id, quod quisque in suo proprio ambitu pro hominibus cum quibus vivit, praestare debet. Ex spiritu christiano sequitur quod haec omnia fieri debent in spiritu caritatis et iustitiae. Mundus per laborem humanum ita efformari debet ut fiat expressio iustitiae et caritatis. Quia autem ut homines nostram fidem, spem et caritatem in mundanis vivere debemus, etiam haec elementa specifica christiana se diversimode in mundo exprimere possunt.

d) Ex supradictis autem sequitur quod in mundo operandum est non tantum cum bona intentione sed cum efficientia et ideo cum rerum peritia. In hac re cognitiones hauriri non possunt ex revelatione vel doctrina Ecclesiae, sed cum omnibus hominibus bonae voluntatis scientiae et artes profanae excolendae sunt. Sed quia non agitur de divitiis materialibus acqui-

rendis sed de servitio vitae vere humanae praestando, opus in terrenis perficiendum simul requirit cognitionem exigentiarum moralium et religiosarum vitae humanae. Ad haec cognoscenda ipsa revelatio et doctrina Ecclesiae multa valent. Quapropter in mundo operari debemus in spiritu christiano i. e. repleti fide et caritate. Etiam in hac re ipsi laici, in quo fides cum peritia et experientia rerum coniungitur, quaestiones per prius detegere et ad solutionem ducere debent. Non autem sine adiumento Magisterii.

e) Tunc tantum sermo esse debet de iis quae Pastores Ecclesiae in ordine ad opus in mundo perficiendum praestare possunt et debent.

CONGREGATIO GENERALIS CXI

28 octobris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CXI

28 octobris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Gratias vobis dico plurimas, Patres venerabiles, in mea, ut dici solet, paucitate.

Hanc congregationem generalem, quae est 111, moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Petrus Gregorius Agagianian.

Durante congregatione, distribuetur fasciculus continens « Modos circa caput I schematis *de Ecclesia* », nempe « de Ecclesiae mysterio ». Uti meministis, Patres venerabiles, cap. I approbatum iam est a congregatione generali. Sed modi quidam propositi sunt, quos humanissime et laboriose expedit commissio doctrinalis. Profecto circa hanc modorum expensionem moderatores proponent quaestionem — « an placeat expensio facta a commissione doctrinali circa modos cap. I respicientes cum supradictis correctionibus »? Haec omnia habentur in fasciculo.

Suffragatio circa expensionem modorum habebitur feria sexta proxima. Itaque crastina habebitur suffragatio circa cap. VIII schematis *de Ecclesia*: « De Beata Maria semper Virgine ». Talis suffragatio, ut iam dixi, fiet sub unica quaestione — « an placeat? ». Responsio triplex esse potest, nempe *placet, non placet, placet iuxta modum.* Modi exhibendi sunt una cum schedula. Haec omnia iam multoties dicta sunt.

Econtra, haec votatio super expensionem modorum, quae fiet feria sexta, habebit tantum duas responsiones, aut *placet* aut *non placet.* Nam *placet iuxta modum* circa modum revera aliquid absurdum continet, nonne? Ergo, crastina suffragatio « De Beata Maria Virgine », vel melius circa cap. VIII schematis *de Ecclesia,* quod inscribitur « De Beata Virgine ».

En igitur nomina eorum qui verbo uti petierunt circa cap. IV schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis.* Quidam Patres rogaverunt me ut lentius legerem nomina. Hoc faciam libentissime. Quoad cap. IV complexive sumptum loqui volunt exc.mi DD. Marcellus Gon-

zales, ep. Asturicensis in Hispania; Isaac Ghattas, arch. ep. Thebensis Coptorum in Aegypto.

Deinde fit transitus ad nn. 19 et 20 eiusdem cap. IV. Circa quos numeros loqui postulaverunt em.mus ac rev.mus D. card. Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici in Stat. Foed. Amer. Sept.; et exc.mi DD. Dominicus Athaide, arch. Agraensis in India; Georgius Béjot, ep. aux. Remensis in Gallia; Andreas Grutka, ep. Gariensis in Stat. Foed. Amer. Sept.; Simon Lourdusamy, ep. aux. Bangalorensis in India; Paulus Barrachina, ep. Oriolensis-Lucentinus in Hispania; Patricius O'Boyle, arch. Washingtonensis in Stat. Foed. Amer. Sept.; Gerardus Coderre, ep. S. Ioannis Quebecensis in Canada; Stephanus Bäuerlein, ep. Diacovensis in Jugoslavia; Eduardus Schick, ep. aux. Fuldensis in Germania; Petrus de la Chanonie, ep. Claromontanus in Gallia; Ioseph Malula, arch. Leopoldpolitanus in Congo; Stephanus László, ep. Sideropolitanus in Austria; Ioseph Stimple, ep. Augustanus Vindelicorum in Germania; Santus Quadri, ep. aux. Pineroliensis in Italia.

Deinde venitur ad n. 21 cap. IV. Circa quem loqui postulaverunt em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis in Belgio; exc.mi DD. Eugenius Beitia, ep. Santanderiensis in Hispania; Tullius Botero, arch. Medellensis in Columbia; Paulus Rusch, ep. Oenipontanus in Austria; Rudulfus Staverman, ep. vic. ap. Sukarnapuraensis in Indonesia; Ioseph Reuss, ep. aux. Moguntinus in Germania.

Ante disceptationem circa cap. IV fiet, ut dicet em.mus moderator, relatio.

Moderator: Venerabiles Patres, exordimur nunc examen momentosi cap. IV: « De praecipuis muneribus a christianis nostrae aetatis implendis ». In hoc capite, uti patet legenti, plura attinguntur problemata, inter quae quaedam sunt peculiaris naturae et de istis quidem in particulari, ut iam nonnulli Patres praemonuerunt, non congruit ut in aula conciliari habeatur publica disceptatio.

Facile praeberi posset ansa abusibus atque pravis et erroneis interpretationibus extra aulam et inter profanos. Enixe tamen rogantur Patres ut omnes suas animadversiones, si quas habeant, velint cum omni libertate, etiam de particularibus, in scriptis tradere secretariatui generali qui eas transmittendas curabit ad competentem commissionem. Commissio ista perlibenti animo accipiet eiusmodi animadversiones in scriptis exhibitas easque attentissimae considerationi subiciet ad textum definitivum eiusdem capitis concinnandum.

Exc.mus P. D. IOANNES IOSEPH WRIGHT
Episcopus Pittsburgensis Latinorum

RELATIO

Venerabiles Fratres,

In capp. I-II-III, schema dictum « decimum tertium » (numerus fama infelix!) intendit proponere quod Ecclesia cogitat de vocatione hominis, de parte Ecclesiae in tali vocatione munienda et de usu rerum terrestrium et divinarum ab homine in vocatione sua implenda.

In cap. IV autem sermo est de quibusdam principalioribus thematibus et problematibus quae prope ubique et fere semper praeoccupantur homines propter impedimenta quae vocationi hominis interdum obstruunt et de quibus ergo Ecclesia animum suum patefacere rogatur, debet et vult.

Haec themata et problemata ea argumenta respiciunt quae in omni tempore hominum intersunt; « quaestiones cardines », ut ita dicam, sortis humanae tangunt — *"masterknots of human fate"* — videlicet: naturam et dignitatem personae humanae; naturam, sanctitatem et angustias familiae; difficultates vitae oeconomicae et socialis; valores culturales quae intime cum perfectione hominum et cum ipsa salute animarum connectuntur; pacem et securitatem populorum. Sed hic in schemate nostro agitur de his et similibus examinandis sub aspectibus qui *peculiares sunt aetatis nostrae,* qui vocem Dei nostris contemporaneis resonant, et qui « signa temporum » revelant ad perspicientiam hodiernam pastorum et fidelium.

Nostrum proinde non erit in lucem ponere puncta particularia, singulas res et responsa lepida et prompta quidem sed lubrica et tandem aliquando *dolosa.* Nec est nostra intentio omnia quidem « signa temporum » singulariter inspiciendi; esset opus multorum annorum et in rebus particularibus saepe, sed non semper, potius a credentibus sociologis vel scientificis quam a Concilio faciendum, ut exc.mus arch. Heenan *recte* [1] monuit et non negavit hebdomade elapsa; Deo gratias, non desunt periti, sive clerici sive laici, qui nobis adiuvabunt sicuti iam nobis adiuvaverunt ut secure stabilientur praecipua signa temporum seu problemata et conamina hominum in unoquoque campo anxietatum, aspirationum et votorum aetatis nostrae. Sic tantum antiqua sapientia Ecclesiae et perennes normae moralitatis apponi possunt novis et inauditis condicionibus conscientiae christianae molestis.

Nullomodo autem caput nostrum intendit esse neque exhaustivum neque definitivum; *debet esse, etenim, non ultimum verbum in dialogo cum mundo moderno, sed potius primum verbum, seu initium, saltem ex nostra parte, novi omnino dialogi.* Portas aperire vult ad novum contactum, de aliquibus principalioribus nunc agendo, conditiones huius dialogi stabiliendo, praeiudicia auferendo, falsas tendentias praecavendo. Dialogus qui nunc sic incipitur, si bene initiatus, debet longe et debite protrahi ab Ecclesia, scil. ab episcopis auctoritative tum ab omnibus christifidelibus qui in mundo christiane simul et humane laborant. Ponitur pro sumptione certa in cap. nostro IV, quod multae erunt in posterum et futuro litterae pastorales coetuum episcoporum et singulorum episcoporum quae themata generalia huius schematis, ut tandem aliquando rescripti et retractati *secundum beneplacita vestra,*[2] applicabuntur pro diversitatibus locorum ad particulariora problemata variarum regionum. Hoc bene intelligendum est, humiliter rogamus, ne nimis sit petendum ab hoc schemate sine exemplo conciliari praeterito sed non sine magna spe pro futuro.

Iam institutus est parvulus coetus ad audiendas relationes de episcopis et peritis ex potioribus regionibus mundi — praesertim ex « tertio mundo » — ad problemata vere universaliora in schemate bene praesentanda.

Relatio fiet commissioni mixtae plenariae de omni hoc quod auditum est in conventibus iam factis de « signis temporum » a repraesentantibus ex potioribus regionibus mundi, magna cum mole documentorum. Patres venerabiles omnes invitantur ut etiam earum relationes huic commissioni praestent ad meliorem confectionem schematis nostri.

Sic dictis, ad res praeparandas quae in cap. IV tractantur, inclyta nostra commissio mixta in subcommissiones necnon et sub-subcommissiones subdivisa est. Pro prima ex his, scil. pro ea *de persona in societate* breviter aliqua per modum introductionis dicam.

Quae dicuntur *de persona tamquam prima* haberi debent non tantum in ordine chronologico, sed etiam *in ordine logico* quia omnis disquisitio seu analysis de praecipuis muneribus a christianis nostrae aetatis implendis, incipere oportet, immediate post agnitionem maiestatis et iurium Dei, *cum persona humana* tamquam imagine hisce in terris Ipsius et Eiusdem Dei. Et ratio est duplex: primum, quia inter omnia creata huius mundi sola persona humana in imaginem Dei facta est et ergo primatum creatum habeat et *entis,* et *valoris,* et *iuris*; ulterius, sicuti fundamentum et origo omnis societatis initium seu principium capit in natura hominis tamquam personae — scil., in exigentiis, iuribus, officiis personae secundum illud effatum divinum: *Non est bonum*

hominem solum esse — sic etiam et logice et historice omnis impetus seu oppugnatio contra ordinem socialem in lege divina fundatam, aut mox aut sero aggreditur et corripere quaerit *personam* humanam suamque dignitatem. Ita plane communismus atheisticus in aliquibus regionibus et temporibus; ita alibi et quandoque quaelibet alia forma « collectivismi » seu « totalitarismi » quae extollit collectivitatem, statum seu societatem non dico super individuum seu super civem ut sic, sed super *ipsam personam*; et ita etiam, et vix minus fataliter, talis cultura « technocratica » qualis practice, dum fortasse theoretice vocabulis « democraticis » utens, nihilominus redditum ex *machinis lucrosis* saepe praeferre et praeponere personis humanis videtur et ergo suo modo labefactat et destruere potest personarum iura et dignitatem, secundum illud poetae qui anglice terram descripsit: *"where wealth accumulates and men decay"*. Sic, denique, dignitas spiritualis personae humanae putrescit sub opibus immoderatis unius partis societatis nostrae, dum opprimitur et suffocatur sub inopia et penuria squalida alius partis eiusdem societatis mundialis — et omnia ad delendam seu absorbendam *personam humanam* quam Deus creavit « distinctum subsistens in natura intellectuali », quam maxime Deiformem, Deisimilem.

In annexo nostro fusius de his omnibus tractamur; sed in capite praesenti schematis generalis fundamentalia et prolusiones de munere christianorum in dignitate personae *renovanda* et *fovenda,* verecunde offerimus, pro disceptatione Concilio digna, sed praesertim schemati nostro valde necessaria et, ut sincere speramus, fructuosa. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest [2] deest.

Moderator: Gratias quam maximas, exc.me Pater, pro perlucida relatione et peropportunis delucidationibus. Et addimus vota ut schema post reelaborationem revera fiat dignum ex omni capite Concilio Oecumenico.

PATRUM ORATIONES
(*De Ecclesia in mundo huius temporis*: cap. IV)

1
Exc.mus P. D. MARCELLUS GONZALEZ MARTIN
Episcopus Asturicensis

Venerabiles Patres et carissimi Fratres,

Forsan hoc cap. IV quod prae manibus habemus sit quod maiorem attentionem excitet inter eos qui deliberationes nostras sequuntur ...[1]. Amor erga Concilium et gratitudo versus eos qui adeo ...[2] adlaboraverunt in hac commissione moveant nos oportet ut omnes curemus, quantum possimus, ne defraudatio producatur.

Hoc spiritu ductus, sequentes reflexiones proponam de perspectiva generali sub qua totum caput apparet...[3]

1ª consideratio. Respectu eorum ad quos caput dirigitur. Loquimur ad christifideles, laicos praesertim, eisque assignamus munus onerosissimum aedificandi civitatem terrestrem sub luce Christi.

Certe, ita est dignitas christiani, ut tale onus mereatur portare. *A laicis petimus ut sint simul in negotiis oeconomicis, politicis, familiaribus, simul iudices et partes.*

Hoc est valde difficile. Ubinam invenient laici formationem ad sic agendum quae supponit ideas clarissimas in mente et quamdam quasi-mysticam in voluntate? Certe laicorum est temporales missiones adimplere, non nostrum. Sed talis actio laicorum exigit ut semper habeant lumen doctrinae sufficienter pro eis appositum. Certe assentiendum est iis quae nuper audiebamus: in schemate non possunt dici omnia quae aliquis vellet. Non est possibile!

Sed[4] credo nos omnes, pastores, theologos, moralistas, in nostro proprio campo, quin ingrediamur in munera terrestria, obligationem habere aspiciendi magis magisque ad problemata hodierna eaque in luce ponendi, ne accusationem mereamur quam frequenter passi sumus, nimirum: quod nimis tarde loquimur, cum iam problemata conscientiam hominum invaserint.

Antiquitus Universitates Ecclesiae, ...[5] Sorbona Parisiensis, Salmanticensis in Hispania, responsa praebebant ad illuminandam actionem laicorum *suo tempore.*[6] Hoc etiam fecerunt Pontifices *nostri*[7] moderni, a Leone XIII hucusque. Hanc viam sequi oportet, et forsan conveniens

si ut in hoc capite *hoc agnoscatur relate ad nos omnes ut nos vere iuvamen simus pro laicis, licet non quaestiones omnes tractentur in schemate.*[8]

2ª *consideratio.* Respectu eorum quae dicuntur. Hic, humiliter confiteor, ...[9] magis timeo defraudationem. Nonne nimis generaliora sunt quae asseruntur, et iam saepe saepius repetita a magisterio ordinario Ecclesiae, ea nempe de cultura, de vita oeconomica et sociali, de solidarietate populorum? Et aliae quaestiones, *de quibus nunc altum et discretum silentium nobis rogabatur, non possunt tractari ita simpliciter cum quibusdam phrasibus quae indigent explicatione. Immo quaedam phrases provisoriae quae adsunt in schemate quod permanet non decet ut appareant pro semper ut provisoriae. Nam schema permanet sed istae phrases — quid postea? Sociologi, medici, biologi, etc. clarificationem facient. Si facient, superfluum est hoc; si non facient, peius est ponere hoc.*[10]

3ª *consideratio.* Respectu eorum quae desunt. Iam aliqui Patres notaverunt absentiam quorumdam problematum maximi momenti. *Ego velim tantum vestram intentionem rogare super quoddam punctum quod mihi valde extraneum est quod non appareat hic.*

In cap. III egimus de spiritu caritatis cum quo debemus nos movere. Credo valde opportunum esse ut in hoc cap. IV in quo ponderamus actionem christifidelium hic debere nos agere de operibus caritatis bene intellectis. Praecise cum loquimur ad mundum in quo frigescit caritas multorum.[11]

a) Quia opera caritatis thesaurus characteristicus Ecclesiae sunt.

b) Quia, historia teste, quae hodie sunt postulata iustitiae socialis prius fuerunt manifestationes *amoris christiani.*[12] Idem *potest accidere*[13] in futuro ad maiorem iustitiam *et maiorem progressum promovendum.*[14]

c) Quia de facto pro multis pauperibus et egenis corporis et animae ...[15] unicum auxilium quod ad eos perveniet, non obstantibus *his*[16] declarationibus *quos agamus de cultura, etc., unicum auxilium quod de facto perveniet erit hoc quod eis praebeatur nomine amoris christiani.*[17] Famelici non possunt sperare diu *donec hae quaestiones de cultura, de distributione plus iusta bonorum oeconomicorum, etc. fiant modo magis ordinato.*[18]

d) Quia in operibus caritatis *non tantum laici sed tota Ecclesia potest sine metu invadendi iurisdictionem extraneam compromissum plenum sumere. Manus sacerdotis, etsi ad altare consecratae, non im-*

purae evadant eo quod samaritanum imitantes, proximum elevent semivivum relictum in itinere. Exemplum habemus nunc in intentu nostri Pontificis cum iter programmat ad Indiam. Ille loquitur de visitatione pauperum et infirmorum.[19]

4ª consideratio. Refertur ad connectionem eorum quae dicimus in hoc capite cum visione exacta Ecclesiae quam omnes *habere debemus.*[20] Hoc est: in hoc capite, in quo adeo hortamur ...[21] ad civitatem terrestrem condendam, clara affirmatio detur, concors omnino cum eis quae Christus nos docuit, de limitatione humana, ne ingenuus progressismus foveatur, et de necessitate gratiae sanctificantis, sine qua progressus mundi non respondebit ad intentionem salvatricem Christi. Adsunt hodie nationes et populi valde evoluti in re materiali sed in quibus spiritus christianus penitus evanuit, deperditus inter scorias sordidi materialismi. Sciat bene mundus quid possit et quid non debeat sperare ab Ecclesia. Sciant bene christiani mundum terrestrem non esse finem in se.

Conclusio. Reverenter peto ut *meliori perspectiva generali dotetur caput hoc ut*[22] perficiatur iuxta sequentia:

1. Appareat tota Ecclesia, non solum laici, utique debitis distinctionibus factis, illigata in hoc munere de mundi elevatione.

2. Quoniam fructus *schematis et capitis istius*[23] potius quam in declaratione nunc facienda erit in eius capacitate ad nos omnes movendos in posterum in hoc colloquio cum mundo, *cogitemus*[24] de convenientia creandi aliquem organismum, e laicis et ecclesiasticis compositum, ad lucem afferendam opportune, in quaestionibus quae afficiunt civitatem terrestrem *cum*[25] apparent...[26]

3. Opera caritatis urgeantur non solum laicis sed toti Ecclesiae.

4. Quaestiones concretae de quibus agitur profundius pertractentur ...[27] et remittantur *opportune*[28] ad studium nostrorum omnium *ante proximam sessionem.*[29]

5. Denique, clara imago Ecclesiae praebeatur ita ut vitetur optimismus infundatus et finis supernaturalis totius actionis christianae praeprimis appareat.

Ecclesia in *hoc schemate loquitur ad extra. Sed primum quod Ecclesia debet prae oculis ponere est quod ad efficaciter operandum ad extra primum ad intra sese debet renovare.*[30]

In textu scripto tradito: [1] Ideo curare debemus ne defraudationem inducat. [2] enixe. [3] Potest enim accidere ut unaquaeque ex affirmationibus prolatis digna consideratione sit, et tamen tractatio generalis gaudeat defectibus

qui eam debilitent vel claudicare faciant, diversis de causis. [4] Sed quaererem ubinam laici invenient formationem ad sic agendum quae supponit ideas clarissimas in mente et quandam quasi mysticam in voluntate? Ab eis petimus ut sint iudices simul et partes in sua praxi morali. Nonne oporteret ut tota Ecclesia appareat compromissum sumens de hac re? Certe laicorum est temporales missiones adimplere. Sed talis actio exigit semper ut lumen doctrinae habeant. [5] sicut. [6] tunc temporis. [7] deest. [8] ita agnoscatur. Pius XII reprobavit eos qui vellent ut sacerdos intra sacristiam maneat. [9] adhuc. [10] de numero prolis e. g. (pag. 24, n. 3, lin. 7; pag. 29, n. 5, lin. 18) ansam praebebunt conflictibus conscientiae si remanerent ita sine explicatione. Nec decet in documento conciliari quod permanet, apponere verba provisoria ut illa de pag. 24, n. 4, linn. 30 ss. [11] Addere liceat mihi esse extraneum quod, postquam in cap. III actum est de spiritu caritatis, hic non agatur de operibus caritatis semper promovendis. Ne contraponantur iustitia et caritas. Urgeatur iustitia semper et pro semper. Sed etiam de operosa caritate loquamur cum Ecclesia se dirigit ad mundum in quo « frigescit caritas multorum ». Propter varias rationes. [12] caritatis christianae. [13] accidit. [14] promovendam. Et hoc est verus progressus. [15] erit. [16] deest. [17] Concilii et aliorum coetuum civilium respectu culturae, iustitiae etc. [18] deest. [19] magis promovendis Ecclesia tota, non solum laici, potest sese implicare sine metu incidendi in opus ad civitatem terrestrem pertinens. Schema loquitur de Ecclesia in mundo, non tantum de laicis. Et manus sacerdotis, etsi ad altare consecratae, non impurae evadunt eo quod samaritanum imitantes, proximum elevent semivivum relictum. Exemplum Pauli VI in India. [20] et semper prae oculis habere et offerre debemus ne periculum oriatur creandi falsas perspectivas. [21] laicos. [22] caput. [23] istius schematis. [24] cogitetur. [25] prout. [26] Mundus civilis habet hoc in suis diversis campis. [27] in quantum possibile sit. [28] tempore opportuno. [29] deest. [30] mundo huius temporis intendit sese renovare, non « modernizare ». Ex intimis visceribus suis depromit necessaria ad renovationem. Ideo opportuna esset referentia ad ea omnia quae Ecclesia, agens ad intra, offert ut optimum medium ad renovationem ad extra. Quae tractantur in aliis schematibus (de Liturgia, de Ecclesia, de Oecumenismo ...) intimam connectionem habent, etsi ita non appareat primo intuitu, cum intento distantias inter mundum et Ecclesiam supprimendi. Ita Paulus VI in *Ecclesiam suam*.

2

Exc.mus P. D. ISAAC GHATTAS
Archiepiscopus-episcopus Thebanus

Venerabiles Patres,

Nostrum schema, quod quidem intendit ostendere Ecclesiam ut attentam ad signa temporum, defectu quodam gravissimo hic laborat, scil. *vix loquitur de natione qua tali.*

Allusio ad nationem invenitur in cap. III ...[1], solummodo ut corda

fidelium dilatetur ultra eius limites. Tractatur passim de progressu scientiarum, de dominatione supra naturam, de incremento divitiarum; de progressu vero politico, nullum verbum. Quando agitur de bello aut de evolutione morali et culturali, rationes mere oeconomicae aut sociales invocantur, sed ratio nationalis et politica omnino tacetur.

Una vice tantum nostrum caput nationes alloquitur ...[2] sed ut eis iussus imponet. Putamusne quod haec mandata sic enunciata, acceptabilia erunt?

Ubi agitur de guberniis, prima vice, dicuntur cives expectare et postulare ab eis ut libertatem religiosam agnoscant ...[3]. Num putamus christianos sic magis reverentiam accipere? Ubi tractatur de oboedientia potestati civili debita, statim additur quod talis oboedientia non debetur nisi quando mandata iusta sunt ac dummodo libera sit propagatio Evangelii ...[4]. Sed S. Paulus liber non erat propagandi Evangelii quando iubebat subiectos Neronis potestatibus temporalibus « subditos esse » ...[5]. Haec expressio « iustis mandatis » periculosa videtur si interpretatio esset: unicuique licet iudicare de legitimitate legum; dum vero Ecclesia docet christianos legibus temporalibus obligari, praeter peccatum.

Denique, in nostro cap. IV tractantur problemata de persona, de familia, de cultura, de vita oeconomica et sociali, de solidarietate, de pace... de omni quaestione, praeter illam quae ceteris supponitur in ordine practico et ceteras efficaciter solvere potest, scil. de *communitate nationali*. Vere dolenda est tanta omissio.

Exinde in tribus defectibus incidimus.

1. Loquimur contra materialismum, sed, obliviscentes dimensiones politicas et nationales in quodam materialismo labimur, realitates ad oeconomiam reducentes. Eratne materialista hic Praeses africanus, quaecumque sit eius doctrina, quando declarabat: « Malo independentiam in paupertate quam divitiam in dependentia »?

2. Nostrum caput irrealismum sapit quando loquitur de civitate terrestri contradistincta a civitate caelesti. Obliviscamur tunc quod plures sunt civitates terrestres, quae quidem habent in primis dimensionem spiritualem. Magni momenti videtur esse loqui de civitatibus terrestribus quae, natura sua, negant omne materialismum. Quando enim agnoscitur natio ut coetus familiarum humanarum, agnoscitur simul dimensio spiritualis hominis. Si volumus dialogum instaurare cum hominibus nostri temporis entitatem nationis omittere non possumus; e contra, eam agnoscendo, viam aperimus ad agnitionem valorum spiritualium in familia gentium.

3. Oppositio civitatis terrestris et caelestis aliquando sapit duali-

smum, ad mentem alicuius augustinismi. Sed Augustinus ipse ostendebat amorem pro patria sua!

...[6] Nationalismus morbus est; sensus vero nationis sanus est. Optamus ergo vehementer ut positive et clare ostendatur *inspiratio christiana sensus nationis.*

1. Sola enim inter societates humanas, natio, una cum familia, *personam moralem* constituit, cum dimensione terrestri et spirituali, cum corpore et anima. Fermentum christianum eo magis subsistit in aliquo populo quo profundius invasit animam suam. Populi enim animam habent; propterea nationes crescunt in decursu historiae, dum e contra imperia evanescunt quia anima propria carent.

2. Quando Romani Pontifices et episcopi nationes novas ad independentiam accedentes salutant, non agitur de opportunismo sed de agnitione realitatis vere christianae. *Liberatio enim christiana* hominem sanat et ideo omnem subiectionem aut imperialismum reiicit. Mens christiana radicaliter opponitur omni speciei servitutis, sive individualis, sive socialis, sive politicae, sed promovet pacem et dignitatem. Persona humana essentialiter communitaria est, quod exprimitur per familiam et nationem. Eo magis pacifice ortae sunt nationes quo propinquiores erant Christo.

3. Loquendum est ergo de nationibus, de earum dignitate necnon de earum officiis, praesertim de mutua cooperatione ac de *libertate minoritatum tuenda,* ad mentem Papae Ioannis in Litteris Encyclicis *Pacem in terris.* In primis loquamur de nationibus cum amore, quia personarum communitates sunt.

4. Loquamur demum civibus *de iusto amore patriae propriae,* fundato non super divitias, potentiam vel magnitudinem nationis, sed super donum paternum patriae quae dat unicuique civi linguam suam, culturam suam et vitam humanam in communitate. Excellentia patriae non mensuratur a potentia vel divitiis sed a terra materna ubi regnat concordia, iustitia et pax, terra ubi cives vivunt ut fratres et alieni ut amici.

5. Loquamur denique de *officiis civium,* sicut Paulus Apostolus in fine epistolarum suarum. Haec consilia semper valent pro tantis christianis, in necessitatibus difficillimis, etiam dramaticis, hodie positis. Recordamur quod christianus, etiamsi aliquando patriam suam reprehendit, hoc facit quia diligit patriam suam, quia vult eam fieri terram iustitiae et pacis, non quia spernit eam. Hic est verus amor rerum mundi et spiritualis est. Oportet praesides nationum scire quod christiani, a sua religiosa obligatione, sinceri cives sunt et eorum habitus inspiratur ab amore lucido patriae.

Concludo. Ecclesia debet adiuvare nationes ut intelligant dignitatem suam personalem. Sic oriri poterit vera solidarietas internationalis, vera pax, in amicitia et aestimatione mutua fundata necnon in iniuriarum venia, sicut evenit inter personas.

Moderator: Exc.me Pater, tempus exhaustum est.

Orator: Utique! ...Tunc poterimus ad nostras patrias redire ut cives sinceri et pacis nuntii. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (pag. 17, n. 16 b). [2] (n. 24 sub 2 et 4). [3] (pag. 13, linn. 19 ss.). [4] (pag. 13, linn. 25 ss.). [5] nam non est potestas nisi a Deo (*Rom.* 13, 1). [6] Fortasse redactores schematis moti fuerunt ad reactionem dandam contra excessus nationalismi, sed hoc non excusat inclinationem ad defectus supra dictos.

3

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

Venerabiles Patres,

Dignitas personae humanae eiusque agnitio practica fundamenta sunt necessaria omnis vitae humanae, sive individuae sive socialis. Laudandum est quod schema illas ponit prima inter obiecta discutienda. Attamen modus in quo schema de illis tractat minime placet. Par. 20, ut mihi videtur, emendationibus indiget quoad contenta, quoad ordinem, et quoad finem.

1. Quoad *contenta.* Quinque ultimis lineis exceptis, tota paragraphus enumerat illa quae considerabuntur in sequentibus. Fere nihil dicitur praecise de dignitate humana intelligenda vel de eius agnitione fovenda. Econtra schema tractat de effectibus et signis talis intelligentiae et agnitionis. Propono ut omnia dicta in paragrapho, ultimis lineis exceptis, aliquantum abbreviata, ita disponantur in introductione ut totum caput adumbretur et relationes intimae relationes inter partes demonstrentur.

2. Quoad *ordinem.* Omnes aliae paragraphi in capite eundem ordinem sequuntur: problemate aut materia paucis lineis illata, principia enumerantur quae dirigant activitatem christianam ad finem specificum attingendum. Ex toto capite, par. 20 est unica exceptio. Propono ut etiam in illa, schema eundem ordinem inducat.

3. et maioris momenti, quoad *finem.* Finis huius paragraphi sit agnitio dignitatis humanae fovenda. Talis agnitio radicem capere potest solummodo in mente et corde individui hominis: necesse est ut unusquisque primo intelligat et practice agnoscat suam propriam dignitatem. Si christifideles volunt mundo communicare conceptum christianum dignitatis humanae, debebunt hunc conceptum illustrare, non in verbis, sed in omnibus vitae activitatibus. Proinde schema debet in hoc loco enumerare illas qualitates quae describunt vitam vere christianam et dignitati hominis conformem. Sequentem enumerationem propono, non ut taxativam, sed ut illustrativam.

Primum principium. Agnitio practica propriae dignitatis requirit dedicationem sui totalem ad Deum honorandum et possidendum. Aut velle aut accipere aliquid minus est vitam humanam obtrectare et contemnere. Vita christiani debet esse testimonium mundo prolatum: de realitate et transcendentia Dei; de redemptione mundi a Deo facta in Christo; de permanente et amante praesentia Dei in mundo.

Secundum principium. Agnitio practica propriae dignitatis requirit ut christiani in sua vita rationem habent intimae unionis cum Deo. Nulla persona, nulla societas, potest se interponere huic relationi nisi ut medium maioris familiaritatis. Dignitas humanae personae postulat ut homo suam conscientiam formet, ut passivitatem naturalem superet, ut responsabilitatem exerceat in vita privata et publica, et ut bona promoveat malaque vincat.

Hoc ultimum, venerabiles Patres, mihi videtur maximi momenti. Infeliciter christiani pro sua conscientia personali saepe substituunt activitatem et responsabilitatem collectivam: mundus persaepe magis format christianos quam christiani mundum. Hoc tempore, quando scelera contra personam humanam multiplicantur, christiani responsabilitatem propriam exercere haesitant aut etiam renuunt. Suo silentio, si non activitate, rei sunt magnae iniuriae contra dignitatem humanam, scandali erga mundum, et infidelitatis erga Deum. Conceptus responsabilitatis personalis et oboedientiae rationalis enucleentur in schemate ut omnes christifideles, suae relationis ad Deum et dignitatis propriae conscii, mundo demonstrent valorem transcendentem humanae vitae et dignitatem veram humanae personae. Dixi.

4

EXC.MUS P. D. DOMINICUS ROMUALDUS BASILIUS ATHAIDE
Archiepiscopus Agraensis

Patres Fratresque carissimi,

Loquor nomine plurimorum Patrum variarum nationum et stirpium.

1. In schemate de quo agitur, Ecclesia, sua facit gaudia et dolores, spes et anxietates hominum nostri temporis, in specie, pauperum et *afflictorum.* Litterae Encyclicae *Pacem in terris* amantissimi Papae Ioannis XXIII, ab omnibus hominibus, ab iis quoque, qui ex traditione infensi sunt Ecclesiae, maximo cum gaudio et aestimatione fuerunt acceptae. Cur? Quia verba eius lucidissime exposuerunt *fundamentale principium dignitatis humanae*; dignitatis ab ipso Deo concessae, ipsissimae naturae humanae consentaneae, et non mere cuidam privilegio, a gubernio civili concesso, adscribendae.

2. Sed, proh dolor! nostris etiam temporibus, in mundo clandestine perdurat servitus. Homines emuntur et venumdantur! Et existunt certae regiones quae vocantur liberae, ubi cives, plenis iuribus civilibus non gaudent. Miserandi, certissime, sunt illi homines, qui in ipsa terra patrum suorum, in ipsa terra nativitatis suae, obnoxii sunt multis restrictionibus et obligationibus, impositis a gubernio non-benevolo, vel a concivibus hostilibus. Et quod mirandum et pessimum est — et maxime scandalosum achristianis —, situatio ista verificatur, praecise in regionibus, quae, aliunde, gloriantur christianis traditionibus.

3. Intendo varia segregationum genera, inter quae praeprimis, sic dictum: *colour-bar; apartheid; ségrégation raciale; segregazione razziale*: nempe, segregationem in colorem pellis fundatam, vi cuius, homines priventur certis iuribus legitimis, ob hoc solum quod pellis eorum non est albi coloris, sed e contra, nigri aut obscurioris coloris. Et quod incredibile est, ista segregatio aliquando imponitur a gubernio, sub praetextu vere fallaci et inintelligibili, quod necessaria sit ad protectionem hominum nigrorum.

4. Talis iniustitia non tolletur, per sola verba piae sympathiae a nobis expressa. Illi homines oppressi, merito expectant ut in favorem eorum, ponatur actus quidem positivus, ab hoc Concilio Oecumenico. Illi miserabiles, oculos et manus levant ad nos, ut per interventum nostrum, liberabuntur a nova forma servitutis.

5. Non peto ut damnetur populus aut status civilis, talis iniustitiae reus. Peto remedium magis positivum. Existit aliquid quod voca-

tur « conscientia mundi », « opinio mundi », quae oritur ex intima et abscondita cuiuslibet hominis natura. Iamvero, nos, Patres conciliares, omnia debemus adhibere media legitima, ad excitandam conscientiam istam; et, speciatim, mundo christiano patefaciendam situationem illam tristem, quae reapse viget in regionibus illis.

6. Deo favente, hodierno tempore, non pauci inveniuntur homines « bonae et optimae voluntatis », et quandoquidem nulli religioni positivae adscripti, tum individui, tum in associationibus congregati, qui, vero humanitatis spiritu moti (qui, tandem aliquando est spiritus Christi), strenue et indefesse laboraverunt et laborare pergunt, ad abolendum quemlibet segregationis aut discriminationis modum. Laudemus eos explicitis verbis; animosque eorum ad continuandum exhortemur. Approbatio ex parte nostra, quammaxime illos homines discriminatione oppressos sustentabit, iisque intimam consolationem afferet.

7. Omni admiratione, ergo, dignus est ille praeclarus vir: *Mahatma Gandhi,* qui sese devovit ad sublevandos illos sexaginta milliones hominum, qui *Pariah* vocantur, seu « extra castas » (out-castes: fuori caste) opprobrio sociali in India oppressos. Similiter, laudemus Gubernium Indiae, quod declaravit: coram lege Indiana, iam nullam admitti discriminationem, stirpis, religionis aut castae causa. Veneratione, quoque, dignus est ille vir, *Vinobha Bhave,* qui adhuc indefesse laborat pro iustitia sociali, nempe ut a divitibus, modo aequo ...[1] et donetur terra in favorem pauperum Pariah. Omni aestimatione digna est memoria illius John Fitzgerald Kennedy, qui tot strenue laboravit pro iuribus civium ex stirpe nigra.

8. Locutus sum de his viris et de his exemplis quia mihi magis notis. Sed, ubique terrarum, inveniuntur similes casus et similes homines, exsequentes modo eminenti et practico mandatum Christi Dei, circa caritatem erga proximum. Et hic, omnino oportet recolere conamina, aliquando heroica tot christianorum, tam laicorum quam sacerdotum, episcoporum et etiam conferentiarum episcoporum nationalium, ad vindicanda iura humana hominum oppressorum propter colorem pellis suae.

9. Recenter, ipse Summus Pontifex, Paulus VI, benevolentissime audientiam personalem concessit Pastori Protestanti, Reverendo Martin Luther King, promotori sic-dictae "American Civil-Rights Campaign", eumque incitavit ad recte continuandos conatus pacificos pro gente sua ex stirpe nigra. In hac occasione, Summus Pontifex explicite laudavit pugnam pacificam et non-violentam olim conductam a Mahatma Gandhi in favorem iurium civilium populorum in India, et expressis verbis iudicavit eum speciali mentione et aestimatione dignum...[2]

Conclusio. Cum gaudio, ergo, subscribimus assertioni, in ipso schemati nostro inventae, sub n. 20, ubi legimus: « Quare, christifideles, intrepide, non solum libertatem et responsabilitatem personae humanae, ipsi quacumque ratione et actione vindicent, maxime renovando conditiones vitae... Sed etiam aliorum incoepta, quaecumque sunt, hac in re promoveant, omnibus mentis angustiis et pessimismo abdicatis ».

Ut homines omnium stirpium in imagine tua creatos, in caritate fraterna coadunare digneris, Te rogamus audi nos! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] distribuatur. [2] 10. Ne timeamus forti animo exprimere mentem nostram relate ad hoc problema, non perterriti praeteso periculo, quod ex interventu nostro forsitan imminere possint maiores et severiores repressiones, in ipsum populum quem adiuvare intendimus. Conditio illorum, interventu nostro, certocertius peiorari non potest.

5

Exc.mus P. D. GEORGIUS BÉJOT
Episcopus tit. Cassandrensis, aux. Remensis

Venerabiles Patres,

Optime schema, inter tot munera a christianis huius temporis, implenda, locum dat, et etiam primum, muneri dignitatis personae humanae fovendae. Etenim ad personam humanam ordinantur omnia problemata huius temporis ubique terrarum. In hoc ordine schema nostrum ad expectationem gentium respondet, afferens nuntium ab Evangelio directe dimanantem.

Attamen, in tam brevi textu, scil. in n. 20, dignitas personae humanae in ipso lumine Christi Salvatoris fulgeat oporteret. Paucae emendationes sufficerent ut hic finis obtineatur.

Humiliter propono ut textus recognoscatur ad mentem sequentium...[1]

1. ...[2] Homo nostri temporis maximi facit vitam humanam. Ad vitam salvandam cuiusvis hominis omnia media adhibentur: v. g. quantum fit ad hominem ex periculo arripiendum, in mari, in montibus, in profunditate terrae! Sponte conveniunt homines ex omnibus nationibus ad auxilium praestandum.

Homo nostri temporis mysterium cognoscere cupit propriae vitae, in ordine physico, et psychologico, et patienter conatur ut nexus detegat inter vitam spiritualem et organismum corporalem; praeterea le-

ges vitae socialis accurate investigat, v. g. mysterium unionis humanae, vitam sexualem, ordinem socialem et politicum, bonum commune nationale vel *etiam* [3] internationale.

Homo nostri temporis subiicere cupit etiam mundum cosmicum dum itinera ad ipsa sidera incepit, dum quam minimum perscrutat mundum, dum omnia genera fontium activitatis, necnon vires illimitatas naturae redigit in servitium suorum inceptorum. Sese liberat a tenebrosis potentiis, magis magisque in dominium mysterii ingreditur. Propriam autonomiam statuit in extruenda civitate sociali, et praesentem progressum generis humani dirigit et futurum praeparat.

Quinimmo, in omnibus suis conatibus, homo nostri temporis ita generose procedit, ut actio gratiae divinae quasi aperte in eis videatur. Non raro, ex toto corde suo, sese dedicat huic promotioni humanae, alicui humanismo a quadam generosa ideologia inspirato, commodiorem vitam pro suis filiis praeparat et alicui messianismo adlaborat, quin eius adimpletionem visurus sit.

Sed, omni tempore, homo subiicitur viribus contrariis quae periculosum auxilium inveniunt in sua natura. Tentationi obnoxius est inveniendi in seipso proprium finem, seipsum considerandi tanquam absolutum et reiiciendi omnem dependentiam ab extra. Talis est eius conditio, in quantum peccator! Cum in forma Dei non sit, exaltat semetipsum, factus inoboediens usque ad mortem peccati. Ex proprio egoismo in semetipso includitur, et sic principium fit dissolutionis continuae in societate humana, et homines comminuuntur sive per individualismum sive per collectivismum qui eos in servitutem redigit.

Hic est fons anxietatis humanae. Humanitas ex timore deprimitur et miseria ubicumque grassatur.

2.[4] Proprie in hoc puncto, Ecclesia occurrit hominibus ut eos edoceat de mysterio eorum praestantiae et dignitatis eorum vocationis divinae.

Sese exhibet generi humano, ad ei revelandum quod in Christo Salvatore omnis homo accedit ad dignitatem personae humanae, ad qualitatem filii Dei in Christo, ad amorem reciprocum erga fratres suos homines. Homo est per essentiam in relatione ad Alterum. Non est solummodo aliquod individuum, i. e. subiectum iuris, sed etiam est persona, scil. subiectum responsabilitatis. *Persona humana, imago Dei, creata est ad imaginem trium Personarum Trinitatis, quae ad alterutrum ordinantur in amore, in unitate Dei. Item persona humana ad alterum ordinatur, scil. ad Deum essentialiter, et ad homines, in conditione sociali, quae suam veritatem constituit.*[5]

Vocationem habet, et respondere debet huic vocationi, scil. Amori

praevenienti. Deus prior dilexit nos. Ordo amoris ei praebetur, ut plane reiiciatur ordo odii et pugnae inter fratres. Quidquid in homine est, exaltatur in Verbo incarnato. Ita apparuit benignitas et humanitas Dei ut filium suum ad humanitatem misit pro eius salute. Per Christum, in gloria assumptum, cuius Ecclesia hic in terris Signum est et Plenitudo, homo ad suam aetatis plenitudinem pervenit. Per suam adhaesionem Christo Domino, per suam oboedientiam in fidem Christi, homo accedit ad suam genuinam veritatem, scil. filiationis divinae et fraternitatis universae.

Conclusio. Omnia haec dicenda sunt in n. 20 quae antecedit omnes expositiones respicientes problemata maiora nostri temporis. Praecise in hoc loco addenda sunt, quia dignitas personae humanae sub lumine fidei, conditio fundamentalis est in omnibus quaestionibus disceptandis, et in omnibus solutionibus inquirendis.

Praeterea haec omnia in vitam adducenda sunt ab Ecclesia, in sua hierarchia et in suis membris, ut homines hodierni per eam audiant vocationem Dei Viventis, et recipiant salutem a Christo Domino oblatum. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] scil. 1. In luce fidei, quid sit persona humana? 2. Quomodo mundus huius temporis laborat in dolore ut homo in melius promoveatur? 3. Quomodo Ecclesia in mundo missa est ut victoriose contrarias peccati vires pugnet, ad personam humanam, in veritate vocationis suae, restaurandam. [2] Virtute reconciliationis in Christo, homines fiunt filii Dei. Non ille homo adoptivus fit filius Dei per modum adoptionis legalis vel externae, fictionis characterem sapientis, sed per modum assimilationis, in virtute Spiritus Sancti, sicut dicit apostolus (*Rom.* 8, 16): « Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei »; (*Eph.* 1, 15): « Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum ». Assimilatio gratuita, in Christo Iesu a Patre proposita, certiorem facit aliquam similitudinem iam concessam in ordine Creationis. Persona humana, imago Dei, creata est ad imaginem trium Personarum Trinitatis, quorum nomina Relationes sonant, subsistentes in Unitate Dei, scil. Paternitatis, Filiationis, Spirationis, per quae Pater Filius et Spiritus Sanctus ad alterutrum ordinantur, in unitate Dei. Item persona humana ad alterum ordinatur, scil. ad Deum essentialiter, et ad homines, in conditione sociali quae suam veritatem constituit. Persona humana in amicitia Dei vocata, in amoris reciprocitate eius dilectionem cognoscit: « Per Christum habemus accessum in uno Spiritu ad Patrem » (*Eph.* 2, 18). Persona humana ad alterum vocatur in humano commercio, membrum humanitatis constituta. Responsum dat Deo, in exercitione responsabilitatum vocationis suae. Responsabilitas personae nihil aliud est nisi responsum. Iure personae in responso debito fundatur. Persona humana iugiter interpellatur ab amore Christi Salvatoris, qui eam reconciliavit in paschali mysterio. Persona humana invenit plenitudinem vocationis suae in amore. Talis est dignitas hominis, in veritate Christi Salvatoris. 2. [3] deest. [4] 3. [5] deest.

6

EXC.MUS P. D. ANDREAS GREGORIUS GRUTKA
Episcopus Gariensis

Patres venerabiles, viri patientissimi,

Assentio cum iis quae nuper dixit em.mus card. Ritter et exc.mus Pater ex India. Atque utile mihi videtur addere haec particularia ordinis concreti.[1]

Necesse est ut pastorales et oecumenici aspectus deliberationum praesentis Concilii ita consolident defensionem dignitatis hominis eiusque iuris ad vivendum modo vere humano, ut vi et soliditate prope granitica perstet. Homines minus fortunati, ubicumque terrarum vivant, oculos ad duces Ecclesiae militantes convertunt exspectantes solutionem suorum problematum.

Discriminatio segregatioque hominis hac una causa quod colore vel terrae origine aut professione religionis differat nulla ratione iam admitti debet. Hominis enim contemptus ob colorem eius aut originem nihil aliud est quam Divinae Providentiae provocatio. Quomodo quaeso, poterit aliquis parentes suos terramque originis sibi eligere? Quis pariter est qui non videat, dignitatem personae humanae et essentialia hominis iura maximum detrimentum capere, quamdiu segregatio et discriminatio existat? Quaevis actio, quae segregationi et discriminationi indulgeat quamdam hominis degradationem secum fert, odii germina fovet, continet contemptum. Omnis homo, nihil attentis colore, origine, professione religiosa, iisdem frui debet opportunitatibus decentis habitationis, educationis, culturae et laboris.

Decens habitaculum prorsus necessarium homini est ad promovendam et fovendam honestam vitam familiae, quae fundamentum est quo nititur tota societas; e contra vero habitatio miserabilis integram aream habitabilem mutat in conglomeratum casuncularum, quod brevi seminarium evadit scelerum et vitiorum. Sicuti nemo inter sordes pulchritudinem quaerit, sic pariter nullus expectabit flores virtutum ex suburra squalida; vel melius lingua anglica (Beauty is not sought on a garbage dump and neither should virtue be expected from slums).

Deplorandum sane est, quod huiusmodi discriminatio et segregatio adhuc in pluribus orbis partibus perstiterint, nec semel Ecclesiae imaginem deturpaverint, frustraverint pastorales sacerdotum labores et apostolica opera missionariorum veluti stagnantia reddiderint. Haec

enim omnia effecerunt ut parochiani totam aream dereliquerint, postquam homines diversi coloris in vicinia habitare coeperint.

Nobis constat Ecclesiam Christi spem et salvationem esse omnium hominum, haec tamen veritas non semper cernitur in usum vitae deducta. Si autem ad signa nostrorum temporum attendamus, patet nos non satis dignitatem personae humanae eiusque iura *afferre*[2] in hoc capite. Patres igitur huius Concilii, qui ex omni mundi parte hic praesentes sunt ac diversam terram originis exhibent et diversum colorem, decet ut in hoc particulari capite ...[3] suam oppositionem contra omnem formam segregationis et discriminationis una ac firma voce, quae tubas Iericho evocet, manifestent et omnino aperte proclament humanae personae iura et dignitatem. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] efferre. [3] « de Ecclesia in mundo huius temporis ».

7

Exc.mus P. D. DURAISAMY SIMON LOURDUSAMY

Episcopus tit. Sozusenus in Lybia, aux. Bangalorensis

Patres ac Fratres carissimi,

Nomine fere omnium episcoporum Indiae, i. e., nomine plus quam 60 episcoporum hic praesentium, loquor, et sequentem animadversionem facere audeo *tum de n. 20 tum de n. 24, qui inter se nexum arctum habent et etiam cum n. 17.*[1]

Multoties et multimodis in schemate nostro (in pag. 5, 9, 11, 18, 28, 30 etc.) iterum atque iterum dicitur omnes nos homines *ad unam filiorum Dei familiam efficiendam* hac in vita vocatos esse. Haec est nostra vocatio et ideo nostra obligatio. Vi huius vocationis et obligationis, *fratrum miseriae succurrere, vires et facultates nostras in servitium fratrum adhibere et pauperes sublevare debemus,* sicut schema optime enuntiat *in multis locis.*[2]

Sed prae oculis habendum est quod auxilium mere materiale non sufficit ad fratres miseros et egenos ad statum aliorum sublevandos, ad dignitatem personae fovendam, ad communionem fraternam aedificandam, ad solidarietatem promovendam, et ita totum genus humanum ad unam Dei familiam ...[3] transformandum. Id quod imprimis desideratur et ubique terrarum requiritur ideoque in schemate bene sublineari debet, est (una cum auxilio oeconomico, technico et scientifico) *integratio emotionalis,* sensus unitatis et aequalitatis inter homines et

homines, inter divites et pauperes, inter prosperos et miseros, inter sanos et infirmos, inter summos et imos in societate; a. v., auxilium psychologicum plus quam physicum et materiale requiritur, nempe, auxilium quod ex corde oritur et ad cor attingit necessarium est. Habitudo totalis personae adiuvantis erga personam adiuvandam nunc praevalens penitus mutari oportet, et quidem non tantum in campo internationali sed etiam in ambitu eiusdem nationis, dioecesis, et paroeciae. Haec habitudo sic mutari debet.

1. Frater prosper auxilium praebeat sine ulla specie sic dictae « superioritatis complexi », ita ut frater miser illud *auxilium* [4] recipere valeat quin se humiliatum sentiat, et quin, etsi physice sublevatus, psychologice egenum se teneat. Ergo, fratres adiuvent fratres, ut ita dicam, in plano, non vertice ex alto, nempe, non ut dives panem canibus in terram eiiciens ...[5] sed ut frater prosper cum fratre misero simul discumbens. Ita Dominus Noster nos tractatus est, redemit et sublevavit; dixit enim: « Iam non dicam vos servos... sed amicos » ...[6]. Pro dignitate personae et solidarietate *hominum* [7] hic sensus aequalitatis necessarius est, quia amor unitativus aequales invenit vel aequales reddit.

2. Miseri ac egeni adiuvandi sunt, et immo simul bene aestimandi atque honore etiam digni habendi, propter Christum in eis praesentem, auxilium recipientem et mercedem aeternam promittentem. Non solum hanc ob considerationem supernaturalem, sed quandoque etiam ex ratione ordinis naturalis, miseri et egeni fraterna rerum animorumque aestimatione prosequendi sunt. Etenim sunt quidam qui, sive singillatim sive collective sumpti, divites et prosperi sunt in cultura, in sensu religioso, in sanctitate vitae familialis, etsi oeconomice et technice pauperes et miseri. Ita, inter sic dictas « nationes non plene evolutas » sunt quaedam sub aspectu culturae, sensus religiosi, etc., valde evolutae, et ideo etiam ex ratione naturali honore dignae habendae sunt. Status evolutus et honor debitus non sunt determinandi consideratione seu criterio prosperitatis mere oeconomicae vel technicae.

3. Miseri in seipsis propter Deum vere amandi sunt atque miseratione circumdandi. Ob hunc amorem fraternum et miserationem supernaturalem illis auxilium praestandum est ab aliis etiam sua sponte. Nam sunt quidam pauperes et egeni, qui fodere non valent et mendicare erubescunt, et hoc non propter superbiam sed ob quemdam pudorem legitimum, ob "self-respect" et quandoque etiam ob bonum commune et decorem Ecclesiae. Auxilium sponte datum secumfert adiutorium psychicum plus quam aliter et valde contribuit dignitati personae et solidarietati familiae populorum.

4 et ultimo. Mihi videtur tum hoc schema, tum schema *de aposto-*

latu laicorum activitatem consociatam et organizatam maximi momenti facere, et quidem iuste et merito, quia in praesentibus adiunctis hic modus agendi in forma consociata, cumulativa et *organizativa*[8] fructus uberiores edere valet. Attamen, activitas individua fovens habitudines directas, intimas et informales inter homines et homines, inter familias et familias, inter nationes et nationes non est parvi pendenda. In medio stat virtus. Nam, in quibusdam adiunctis, in quibusdam ambitibus, etiam contactus privatus, directus et informalis valde desideratur; sic in activitate caritativa quandoque (non dico semper) auxilium beneficiario a benefactore directe datum, mediante nulla organizatione vel agentia praestitum — dummodo tamen prudenter fiat — sine dubio aptius est ad eorum relationem mutuam et intimam fovendam et ita ad integrationem emotionalem inter eosdem efficiendam. In actione caritativa consociata, si auxilium fertur organizatione nimis interposita et ...[9] exaggerata, contactus directus ac intimus inter benefactorem et beneficiarium non datur, manus manum non tangit, cor ad cor non loquitur, sympathia et aestimatio (i. e. auxilium psychicum) non communicatur, et consequenter miseri et egeni non totaliter adiuvantur et sublevantur.

His dictis, concludo: mihi persuasum est quod omnia haec elementa psychica hucusque delineata, si auxilio materiali seu physico coniunguntur, veram integrationem emotionalem efficere possunt, et sic omnes homines in unam familiam humanam convenire seque fratres vere sentire valent. Secus duae classes se ab invicem separatae vivent et nunquam habebitur una familia. Sit igitur, quaeso, Patribus conciliaribus in votis quod aspectus psychologicus bene ac satis in schemate nostro sublineatur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] circa n. 20, qui nexum arctum habet cum n. 17 et etiam cum n. 24. [2] in pag. 18 (lin. 34), 19 (lin. 4), 28-30 et in multis aliis locis. [3] colligendum vel. [4] adiuvamen. [5] (*Mc.* 7, 27; *Lc.* 16, 21). [6] (*Io.* 15, 15). [7] deest. [8] organizata. [9] centralizatione valde.

8

Exc.mus P. D. PAULUS BARRACHINA Y ESTEVAN
Episcopus Oriolensis-Lucentinus

Venerabiles Patres et carissimi Fratres,

Schema non praestat personae humanae locum capitale quo indiget in dialogo Ecclesiae cum mundo, In n. 7, locutum est schema potius de

vocatione quam de dignitate hominis. In introductione huius capitis, magis quam de tractatu fundamentali, agit de urgenti necessitate. Et in hoc n. 20, neque structuratur eius notio, neque eius dignitati conceditur momentum speciale.

Agitur quidem de dialogo: quaestio methodologica. Sed hic dialogus, modo convenienti, a veritatibus naturalibus et supernaturalibus praescindere nequit: *quaestio doctrinalis.*[1]

Homini non licet restringere vel minimizare conceptum et dignitatem personae, in qua radicantur et ad quam ultimo referuntur omnes veritates naturales. Quod magis patet a momento historico, quo Verbum, naturam humanam assumens, homo factus est. Christianus scit omnimoda certitudine quid sit homo, et ideo tenetur hanc veritatem uti fundamentalem propagare.

Sicuti unio hypostatica concipitur ut ratio ultima Christi et Ecclesiae, recta conceptio personae humanae est origo totius veritatis circa conviventiam, progressum et pacem, *quod in schemate debet nitide apparere.*[2]

Eodem modo ac omnes errores christologici non intellexerunt: aut naturam humanam, aut naturam divinam, aut ambarum unionem in Christo; ita omnes errores huius temporis: aut ignorant corpus, aut nesciunt animam, aut non intelligunt utriusque unionem in homine.

Nos, autem, certi sumus de huiusmodi personae humanae dignitate. Sed theoretice. Possumus idem affirmare practice, vel in vita reali? Timeo quod non; ideo neque dialogum incipere valemus, si prae mentem non habemus et corpus, et animam, et ambarum unionem in homine *et in historia.*[3] Et personam humanam non adaequate intelligemus, si *anthropologiam philosophicam et*[4] anthropologiam theologicam non structuramus.

1. *Forma dialogandi in personae conceptione radicatur.* Forma nos gerendi, sacerdotum et fidelium, et dialogandi saepe fundata est in dualismo philosophico circa personam. Deus, e contra, cum corpus e limo formasset et animam spiritualem infundisset, hominem unum, indivisibilem, creavit. Et Christus, non praecisive animam, sed totum hominem redemit. Quae veritas uti centrum omnium veritatum doctrinalium, quae ad Christum, et simul ad homines, referuntur, consideranda est. Et etiam sicut cardo historiae circa relationem hominum cum Ecclesia.

Natura humana tota assumpta est a Verbo divino. Et fuit sententia Sanctorum Patrum, uno ore: « Deus quod assumpsit, et redemit ».

« Ideo — ut ait S. Paulus ad Hebraeos — Christus ingrediens mundum dicit: hostiam et oblationem noluisti: corpus autem aptasti

mihi »...[5] Quae oblatio est *magis expressio obiectiva*[6] suae unionis cum Patre. Et nos redemit per opera theandrica, humano-divina, per suam vitam in terris, facta sic historia nostrae salutis.

Quae applicari debent corpori, mundo cosmico, et progressibus scientificis, et duplici modo mundum moralem concipiendi, quae utpote dicta relinquo.[7]

Nos autem, tractu temporis, activitatem illam temporalem vel parvipendentes, vel Ecclesiae alienam existimantes, *saepe*[8] homines solos reliquimus. Et sic dialogus impossibilis vel levis evasit, ex parte nostra et, consequenter, illorum qui nos extraneos putaverunt. Sicut Christus omnia assumpsit, praeter peccatum, Ecclesia, in mundo stans, cognoscere debet spiritum temporum — formam sentiendi, cogitandi et operandi —. Non potest mundum relinquere, vel laborare tantum negative, cum fastidio vel contemptu; sed hoc modo positivo.

2. *Huius dialogi themata circa personam.* A minimo ad maius procedendo in dialogo, Ecclesia affirmare debet hominem esse ens biologicum. Immo: docet magisterium Ecclesiae omnes homines minimas necessitates debere posse satisfieri in qualibet societate bene constituta.

Sed, conscia hominis dignitatis, in hoc distinguit elementum qualitativum diversum, eum distinguens essentialiter a brutis animalibus: elementum psychicum nempe. Ideo nefas est considerare psychologiam ut partem physiologiae, neque scientiam psychologicam ad puram experientiam restringere. Sed homo, cum unum sit, affirmare debemus elementum biologicum et psychicum, sed in unitate, unum quid efformans.

Tantum hoc modo, homo dicendus est dominus suarum operationum, et unicus ethice responsabilis propriorum actuum.

Quibus suppositis, clare patet in ipsa radice suae personalitatis, esse elementum spirituale-immortale, fundamentum suae maximae dignitatis, ex quo homini advenit maxima cum Deo similitudo, qui illum sic creavit.

Sed Ecclesia, in suo dialogo, loqui non valet de homine dumtaxat naturaliter concepto, seu de anthropologia philosophica. Debet, ultimo, anthropologiam structurare theologicam.

Et nullo modo personam humanam intelligere potest, in hac societate technocratiae et materialismi, nisi opponendo primo Adamo, qui cum esset homo, concupivit fieri Deus, novum Adamum, qui cum esset Deus, homo factus est. Quod ineffabile mysterium exprimere possumus verbis Gelasii Papae I: « Homo Deus, in ambitione primi hominis; Deus Homo, in condescendentia novi Hominis ».

Et inter haec dua extrema, homo hodiernus invenitur, qui est sicut relatio vel potius reconciliatio, iuxta verba S. Pauli ad Colossenses...[9]

3. *Iura hominum.* Exposita notione dignitatis personae humanae, loqui deberet schema de iuribus hominum, eorum fundamentum rite stabiliendo.

1. Quia declaratio O.N.U. non superat conceptum rationalisticum iuris. Revolutio gallica, cum haec iura declararet, positivismum iuridicum sancivit. Et conceptio medioevalis, quae rite in iure naturae ea fundaverat, reiecta fuit ut theorica et inoperans.

2. Haec, praeterea, declaratio iurium hominis maximi momenti est, si caput de persona humana nostri schematis transcendere volumus in campum internationalem. Quae declaratio fundari debet, primo in iure naturae, et, ultimo, in Revelatione, ut Ioannes XXIII dixit in initio suae Encyclicae *Pacem in terris,* et in fine.

3. Adversus hanc notionem et dignitatem personae humanae, error e diametro oppositus est doctrina totalitarismi, quae personam considerat, non ut quid in se, sed ut accidens huius totalitatis absorptivae.

Penes hanc notionem sunt alii Status, qui, etsi theoretice hanc conceptionem materialisticam non admittant, eorum forma gubernandi in ethica totalitaria fundatur, cum non recte bonum commune societatis concipiant.

Quapropter, ut complementum totius doctrinae de persona humana, puto omnino necessarium esse agere de bono communi: ut personam humanam in tuto ponamus et ut ratio Status recte exponatur.

Conclusiones trado secretariae generali.[10] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] ultimo. [5] (10, 5). [6] expressio magis obiectiva. [7] 1. Ideo nobis non licet corpus, mundum cosmicum, scientias materiales, ipsos progressus technicos ut quid accidentale relinquere. Radicaliter eorum perfectio est necessaria, ut omnia renoventur in Christo. 2. Ambivalentiam mundi moralis non licet ignorare: scil. eius malitiam ob peccatum, sed et eius reconciliationem in amore Christi. Haec reconciliatio non consummabitur, nisi propter mundi perfectionem obiectivam et intentionalem hominis (in omnibus eius operationibus). Haec maturitas totalis est quam omnis creatio exspectat, ingemiscens et parturiens, secundum Paulum (*Rom.* 8, 22). [8] deest. [9] (1, 20). In tota enim Liturgia primitiva, in qua fas est Irenaeum et Augustinum memorare, haec reconciliatio « commercium » nomen habet. Quae cum ita sint, novus Homo, qui peccatum veteris hominis tollit, totam humanitatem evehit in formam secundi Hominis, Christi nempe, qui est forma Dei. Haec est, paucis, anthropologia theologica. [10] 1. Initio cap. I

agi deberet de persona humana sub hoc titulo: « Dignitas personae humanae rite intelligenda et fovenda ». 2. Forma dialogandi dualismum philosophicum, utpote falsum et a doctrina Ecclesiae clare alienum, transcendere debet. 3. In dialogo initium sumere debemus ab esse biologico; agere statim et per modum unius de psychico; et pervenire usque ad structurationem « anthropologiae theologicae ». 4. Schema non potest non loqui de iuribus hominis, in iure naturae et revelatione fundatis. 5. Ad firmanda illa iura hominum et ut ratio Status pateat, ultimo schema deberet agere de bono communi.

9

EXC.MUS P. D. PATRICIUS ALOISIUS O'BOYLE
Archiepiscopus Washingtonensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine episcoporum Statuum Foederatorum Americae, Romae coadunatorum pro hac sessione Concilii Oecumenici. Brevitatis causa, unum tantum punctum intendo proponere...[1]

In hac interventione non intendo suggerere ullas mutationes neque ullas omissiones in schemate. Econtra, volo proponere unicam additionem, in forma sectionis distinctae in cap. IV, de problemate discriminationis racialis, vel cuiuslibet speciei iniustitiae racialis.

Racismus, scil., iniusta discriminatio fundata super diversitatem stirpis vel coloris ("*Racial discrimination*" uti in Statibus Foederatis Americae vocatur) invenitur in variis formis et in variis gradibus in fere omnibus regionibus orbis terrarum.

Racismus non est problema mere sociale, vel culturale, vel politicum. Est imprimis, problema morale et religiosum immensae magnitudinis.

Verum est, textus praesens schematis XIII loquitur de hoc problemate, sed tantum passim et accidenter. Nos episcopi Statuum Foederatorum Americae postulamus ut hoc problema formaliter et explicite tractetur tamquam aliquid in se distinctum, non mere sub aspectu sociologico, sed praecipue sub aspectu morali et religioso, uti meretur.

Haec additio potest esse brevis, non debet necessario proponere solutiones particularium quaestionum in particularibus nationibus orbis terrarum vigentium. Sed, ad minimum, debet continere claram et definitam condemnationem racismi in omnibus eius formis, necnon, in genere saltem, fundamentum theologicum huius condemnationis. Haec additio debet fortiter proclamare obligationem omnium membrorum Ecclesiae Christi omnia media adhibere ad eliminandum illud detesta-

bile malum iniustitiae racialis, et ad promovendam fraternitatem omnium hominum, sine discriminatione, sub paternitatem Dei. Addere possum, quod experientia episcoporum Statuum Foederatorum Americae probat hanc sphaeram actionis socialis offerre opportunitatem fructuosam pro cooperatione inter catholicos, protestantes, iudaeos, et alios homines bonae voluntatis.

Nostro iudicio, racismus enumeratur inter gravissima problemata, moralia et religiosa, huius temporis. Si negligimus hoc problema adaequate discutere in Concilio Oecumenico, timeo ne mundus iudicet Ecclesiam catholicam non esse consciam de signis temporum vel — quod peius esset — Ecclesiam catholicam nullam curam habere de innumeris viris et mulieribus innocentibus, qui per totum orbem terrarum crudeliter torquentur per superbiam et iniustitiam racialem.

In conclusione, volo in verbis meae linguae repetere portionem quamdam allocutionis a Summo Pontifice Pio XII felicis memoriae prolatae ad coetum nigritarum professioni preli dedicatorum ...[2] qui Romam e Statibus Foederatis visitaverunt. Utor ipsissimis verbis anglicis Summi Pontificis:

"All men are brothers in Jesus Christ, for He, though God, became also man, became a member of the human family, a brother of all. This fact, the expression of infinite universal love, is the true bond of fraternal love which unites men and nations. May it be welded even more firmly through the efforts of all men of good will".

Ni fallor, totus mundus expectat repetitionem huius simplicis sed profundae veritatis per declarationem solemnem Concilii Oecumenici. Ex toto corde, venerabiles Patres, ...[3] petimus ut talis declaratio clare, praecise et fortiter a Concilio proclametur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Schema XIII in genere mihi placet. Quinimmo, mihi valde placet spiritus generalis huius schematis, spiritus positivus et constructivus. Schema manifestat illam profundam sympathiam et cordialem sollicitudinem pro valoribus vere humanis, elucentes in illis praeclaris litteris Encyclicis Summi Pontificis Ioannis XXIII, felicis memoriae, *Mater et Magistra* et *Pacem in terris.* Similiter ac recentes litterae Encyclicae Summi Pontificis Pauli VI feliciter regnantis *Ecclesiam suam,* hoc schema demonstrat necessitatem dialogi incessantis Ecclesiam inter et mundum. Adhuc, hoc schema indicat plures methodos quibus hic dialogus, promittens innumera beneficia futura, potest exerceri, non tantum a membris hierarchiae, sed etiam — quod est maioris momenti — a laicis, ad quos (uti cap. IV in schemate *de Ecclesia* bene notat): « peculiari modo spectat res temporales omnes, quibus arcte coniunguntur, ita illuminare et ordinare, ut secundum Christum iugiter fiant et crescant et sint in laudem Creatoris et Redemptoris ». Uno verbo, schema XIII, si acceptabitur (cum illis modificatio-

nibus quae Patribus placuerint), multum conferet ad reducendum in praxim illud « aggiornamento » quod bonus Papa Ioannes tam feliciter et providenter incepit, hoc Concilium historicum inaugurando. [2] (journalists). [3] nos episcopi Statuum Foederatorum Americae.

10

Exc.mus P. D. GERARDUS M. CODERRE
Episcopus S. Ioannis Quebecensis

Venerabiles Patres,

De n. 20 *de linn. 22 ss.*[1] loquor, et loquor nomine quadraginta episcoporum canadensium et etiam plurium aliorum e diversis nationibus.

Scopus meus est proponendi quod in schemate melius in luce ponatur mulierem personalitatem propriam ei a Deo ipso datam habere et propterea munus in societate humana et in Ecclesia valde specificum et amplius necessarium ab ea adimplendum esse. Nam, usque ad tempora nostra, mulier, tum in tota humana societate, tum in Ecclesia, partem tota personalitate sua postulatam perfecte tenere non potuit; etiamsi semper scholas et opera hospitii ...[2] aliorum similiorumque diriget.

Sed hodie fit circa hoc aliqua magna et profunda evolutio. Paulatim mulier conscientiam acquisivit de sua specifica dignitate et locum suum providentialem non esse alicuius entis inferioris experta est. Hoc est unum ex signis temporum pro Ecclesia in Concilio congregata. Nam Ecclesia Dei omne quod humanum est, excepto peccato, agnoscere, assumere et perficere debet.

Praeterea illa patefactio sensus dignitatis mulieris maximum progressum in evolutione humanitatis repraesentat quia sic profundius explicitatur valor humanus quae pro nobis christianis aliquam actionis creativae Dei epiphaniam significat.

Haec evolutio cum Sacra Scriptura concordat, dummodo sub luce totius Revelationis bene intelligatur hoc quod de creatione viri et mulieris in sic dicta traditione Yavista libri Geneseos dicitur.

Vir et mulier non tantummodo complementum sibimetipsis invicem afferunt. Attamen et vir et mulier totam, perfectam et integram naturam humanam modo valde diverso et specifico possident.

In hac diversitate divitiae humanae naturae perficiuntur. Nam illa in duabus viis et in duobus modis diversis perfecte efflorescit. Et ideo evolutio hodierna ducit ad perfectam adimpletionem regalis vocationis quam secundum fontem sacerdotalem Libri Geneseos, Deus creator generi humano dedit. Etenim, homo, qua vir et mulier, imago Dei est praecipue ab isto regali officio quo dominium suum in universo exercere

potest. Praeterea cum hodie, plusquam antea, mulier totam potentiam suam humanam active in mundo exercere possit, hoc videtur aliqua magna explicitatio illius potentiae regalis. Illud concordat cum doctrina christiana de officio salvifico B. Mariae Virginis; nam illa in quantum femina « mundo dedit Salvatorem ».

Attamen, Ecclesia non potest hanc evolutionem solummodo agnoscere. Proclamare et promovere debet illum progressum intra se et in tota communitate humana usque ad eius adimpletionem. Ad hoc faciendum deberent in nostro schemate ad minus tria inveniri:

1. Clarius affirmari debet, divinum erga humanitatem creativum propositum, iam in ipsa natura hominis prout concrete et biologice evolvitur, revelari. Et ideo, cum de facto, mulier dona naturalia et supernaturalia propria et valde specifica habeat, sequitur mulierem munus proprium et ad completionem divini propositi necessarium tam in ambitu naturali quam supernaturali habere. Hoc videtur praesertim inveniri: *a*) quantum ad perfectionem et sublationem viri. Muliere vocante et adiuvante, homo potest pervenire ad statum perfectum « oblativitatis » qui in ordine supernaturali est caritas; *b*) quantum ad perfectionem familiae in qua mulier — insimul sponsa et mater — modo suo proprio valores humanitatis transmittere debet. Mulier a constitutione sua propria tenet quod sit quasi memoria in qua omnes divitiae humanae conservantur et a qua, modo opportuno, traduntur; *c*) quantum ad perfectionem totius societatis in qua donis suis propriis actio hominis praeparantis civitatem maiorem locum dat dignitati humanae, respectui vitae et sensui communitatis.

2. Amplius, schema dicere debet quod, cum res ita sint, sine contributione mulieris societas humana et etiam Regnum Dei modo incompleto, imperfecto, et proposito divino valde infideli existerent.

3 et concludo. Ecclesia in isto periodo historiae humanitatis, invitare debet homines, praesertim christianos, ut totis viribus suis faciant quod mulier locum suum proprium in vita tum societatis, tum Ecclesiae, obtineat. Hoc dicendo, Concilium vere et fideliter proposito divino inserviret; quia Deus virum et mulierem in aequalitate naturae creavit utroque eadem iura ad gratiam infundit, et amplius tam uni quam alii responsabilitatem dare voluit in vita Ecclesiae suae sicut etiam ad eamdem aeternam beatitudinem tam virum quam mulierem advocavit. Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] orphanotrophii.

[*Adhaeserunt etiam*] Allen F.; Audet L.; Baudoux M.; Carter A.; Carter G. E.; Caza P.; Decosse A.; De Roo R.; Doyle W. E.; Flahiff G. B.; Frenette E.;

Gagnon J. R.; Hacault A.; Harrington M. A.; Hains G.; Jetté E.; Johnson M. M.; Charbonneau P. E.; Coudert J. L.; Klein F.; Leblanc C. A.; Lemieux M. J.; Leverman A. B.; Lévesque L.; Lussier P.; MacEachern M.; Morin L.; Noel L.; O'Grady F.; O'Neill M. C.; Pocock P. F.; Power W. E.; Roborecki A.; Roy M.; Routhier H.; Sanschagrin A.; Scheffer L.; Audet A.; Couturier G.; Smith W. J.; Turner K.; Jobidon J.; Lanctot A.; Turner K. R.; Parecatil J.; Alapatt G.; Markall F.; Hage A.; Schoiswohl J.; Hengsbach F.; Zoghby E.; Deschamps G. J.; Bäuerlein S.; Mowicki E.; Rivera Meja P. J.; Ekandem D.; Huot R.; Dufaut W.; Lalande G. M.

11

Exc.mus P. D. STEPHANUS BÄUERLEIN
Episcopus Diacovensis et Sismiensis

Venerabiles Fratres,

...[1] Caput mihi placet, sed adhuc quaedam perficienda essent, ideo illud mihi placet iuxta modum.

In textu schematis passim adhibentur voces, scil.: stirpis, sexus et conditio socialis, ita et in cap. IV pag. 21, linn. 10-11, sed nullo modo inveni citata verba « classis socialis ». Nescio cur redactores textus hanc vocem omiserint, quae vero tantum hodie actualis est, immo actualior quam stirps, sexus et conditio socialis. Textus enim loquendo de stirpe certe certius alludit ad razismum et optime fecit, sed si loqui debemus de razismo, cur non deberemus clare loqui de lucta classium socialium tam digne repraesentata a materialismo dialectico praesertim a marxismo atheo, vulgo dicto communismo. Forsitan quis ipsam dixerit in verba « conditio socialis » inclusam esse et classim socialem. Verum est, sed ex mea opinione quadam exegesi indigemus ut in verbo conditio socialis classem socialem retegamus. Sed cur ad exegesim recurrendum sit, si clare loqui possumus, praesertim *sic*[2] e Concilio Vaticano II quod vero Concilium de omnibus problematibus clare loqui intendit, quia pastorale sese per antonomasiam declaravit? Ideo propono ut loco « conditio socialis » ponatur in textu « classis socialis » vel saltem expressioni « conditio socialis » iuxtaponatur expressio « classis socialis ».

2. In pag. 22, lin. 5 sermo fit de erroribus naturae et personae humanae dignitati officientibus quin ullo verbo illi expresse nominentur. Nescio an Concilium munus suum pastorale ad felicem suum exitum non conducturum sit, si modo tantum generico fideles suos alloqui intendit. Pastores enim sumus, proinde optime scimus ex experientia sermones nostros fere nullam efficaciam habere si auditoribus nostris

res sensui subiectas seu, sit venia verbo, concretas non monstramus. Concrete autem de erroribus loqui imprimis significat vero nomine eos indicare, deinde doctrinam clare exponere et rationes confutare. Clara enim errorum expositio eorumque confutatio utilitati potest esse non tantum nostrum omnium fidelium ut ab eis abhorreant verum etiam errantibus ut de nostris rationibus cogitent.

Ideo proposuerim ut in pag. 22, lin. 5 clare indicarentur errores ad quos in textu alluditur.

3. In n. 21, pag. 22 profecto multa pulchre dicta invenimus, sed visionem completam matrimonii christiani et periculorum eius temporibus nostris non tam facile reperire possumus. E. g., matrimonii tamquam sacramenti, ni fallor, nulla mentio facta est. Ex mea opinione proprie hoc punctum doctrinae christianae de matrimonio extollendum esset, quia visio haec supernaturalis matrimonii e mentibus coniugum fere evanuit et in defectu istius visionis principale periculum pro matrimonio et familia christiana inquirendum esse videtur. Pius XI in encyclica *Casti connubii* peropportune adhortatus est coniuges christianos ad hanc permanentem visionem supernaturalem sui status hisce verbis: « Magnopere autem ipsos (coniuges) ut hanc firmam voluntatem concipiant, retineant atque executioni mandent, iuvabit frequens sui status consideratio atque operosa recepti sacramenti memoria.

Meminerint assidue se ad sui status officia et dignitatem peculiari veluti consecratos et roboratos esse sacramento, cuius efficax virtus quamquam characterem non imprimit, perpetuo tamen perseverat »...[3]

Quae verba in textu schematis locum suum deberent habere priusquam in pag. 23 conceptus veri amoris describeretur.

Deinde sat mirum est, quod textus ad aliud periculum matrimonii et familiae christianae nostris diebus maximum animos fidelium non convertit, scil. ad abusum matrimonii, ut eos ab eo declinet. Sed loco altam vocem contra abusum matrimonii extollendi, textus prout iacet occasionem dari posse videtur eum magis diffundendi. Etenim ex altera parte tam insistere videtur cultui amoris coniugalis teneri ut finis primarius matrimonii aliquatenus in sordina, sit venia verbo, tantum sentiatur ...[4] et ex altera parte ab heroismo expressis verbis coniuges christianos aliquatenus declinat in hunc modum: « Ad sponsos se convertens S. Synodus sincere agnoscit multis et gravibus praepediri difficultatibus... quibus perdurantibus amoris coniugalis intima vis... aegre servari possit, nisi ab iis, qui iam magnis dotibus ornati sunt ».

Textus ergo agnoscit tantum sat paucis possibilitatem conservandi intimam vim amoris coniugalis. Quae vero conciliaris agnitio ex mea opinione non potest esse quin producat effectum sat negativum in

multos iam desperatos coniuges. In illis verbis audio responsum multorum coniugum matrimonio abutentium et sincere confitentium scil. ad viros heroicos se non pertinere, moralem catholicam suas vires excedere ideoque ad impossibilia neminem teneri. Nonne melior illius agnitionis esset exhortatio ad coniuges christianos facta, ut forti animo fierent et confiderent in gratiam sacramentalem die nuptiarum large effuseque collatam, quae vero deficere nequit si coniuges reapse christiane vixerint? Nonne melius esset ut exhortaremur eos ad heroismum christianum ad quem vero omnes christiani ratione baptismatis et ratione ipsius Evangelii cui adhaerent obligantur, quatenus Evangelium Christi amplius eius non esset si ad heroismum non conduceret? Nonne in hac invitatione multae familiae Ecclesiae silentii et aliae orbe terrarum dispersae sed pro Christi nomine patientes sentirent se, sin in ore, saltem in cordibus Patrum Concilii Vaticani II aliquatenus fuisse?

In textu ulterius proponitur doctrina sat nova et aliquatenus contradictoria. Sat nova, quatenus ibi doceri videtur fines nempe matrimonii non conducere ad coniugum satisfactionem et Dei glorificationem. In pag. 23, linn. 7-10 haec verba referuntur: « Deus enim caritatis suae consilio voluit coniugium non solum ad prolis procreationem et educationem ac mutuum viri et mulieris adiutorium in rebus terrestribus sed etiam ad mutuam sanctificationem et communem Dei glorificationem ».

Ex verbis enim consequi videtur, quod ex mente Dei fines matrimonii non conducerent ad sanctificationem coniugum et Dei glorificationem, a. v. ac si coniuges procreando et filios educando necnon adiutricem manum sibi porrigendo in rebus terrestribus sese perfici et Deum glorificare nequirent. Dixi « aliquatenus contradictoria » quia in pag. 24, linn. 4-6, expresse docetur coniuges se perfici posse et Deum glorificare munus procreandi recte implendo.

Demum quod attinet ad conceptum « verae naturae amoris coniugalis », in pag. 23, n. 2, descripti, ibi ex mea opinione saltem sufficienter non extollitur, quod perfectus amor coniugalis christianus tendit ut coniuges sanctificaret seu a. v. etiam in amore coniugali genuino et christiano Christus primum locum tenere debet. Forsitan a Concilio haec idea magis extollenda esset quam teneritas illa amoris de quo loquitur textus, quia diebus nostris in amore etiam pro dolor coniugali christiano non deest tantum teneritas quantum Deus eiusque Filius.

Quibus omnibus perpensis propono ut hic numerus funditus iterum conficiatur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Multa enim pulcherrime et optime dicta sunt in

hoc capite, ideo. [2] si. [3] (*A.A.S.*, 22 [1930], p. 583). [4] (sufficit animos convertere ad pag. 23, linn. 7-9: « Deus enim caritatis suae consilio voluit coniugium non solum ad prolis procreationem et educationem »; lin. 36: « Matrimonium non est merum procreationis instrumentum »; lin. 34: « Nil sane fecundius amore coniugali fideli atque puro ad profectum ipsorum coniugum »).

12

Exc.mus P. D. EDUARDUS SCHICK
Episcopus tit. Araditanus, aux. Fuldensis

Venerabiles Patres, in Christo dilecti Fratres et Sorores,

Inter alia schema nostrum [1] laudandum est, quia a loquela accusationis seu iudicii sese abstinet, potius (*et exemplum istius est cap. IV schematis,*[2]) libero animo et aperto corde examinans situationem generis humani nostri temporis propriam, quaerens quoque qualia auxilia Ecclesia Christi divina revelatione illuminata hominibus hodiernis indicare et praebere possit. Tali conamini obviam venit ex parte hominum factum gratum longe lateque observandum, quod homines in diebus nostris promptiori affectu quam in decenniis prioribus huius saeculi paratos sese praestant ad audiendam Ecclesiae vocem, et hoc praesertim, si in ipsa eius voce resonat ille habitus caritatis in verbis Domini sequentibus sese patefaciens: « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret... Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum » *meminisse iuvat, hac praesertim die, qualem et quantam sympathiam totus mundus praebuerit personae magni et boni Papae Ioannis XXIII piae memoriae et omnibus eius litteris encyclicis et orationibus.*[3]

Iterato exprimebatur querela in hac aula schemati nostro deesse sufficiens fundamentum theologicum, quod factum mihi videtur imprimis imputandum esse quod Revelata Divina saltem immediate, nempe ipsis verbis et contentis Sacrae Scripturae tam raro in textu audiantur.[4] Cap. nostro IV haec egestas maxime propria est: in suis duodecim fere paginis solummodo quattuor citationes Sacrae Scripturae inveniuntur. Quaero utrum haec circumstantia, deficientis nempe loquelae biblicae, forsan una et non minima ex causis sit, propter quas schema non tantopere placet.

Duas praecipue vias Sacra Scriptura nobis offert ad dispositionem et munus Ecclesiae in hoc mundo melius et theologice profundius determinanda: una historice monstrat ad primordia, altera prophetice ad finem et consummationem, quaeque inveniuntur in libro Actuum Apostolorum et in libro Apocalypseos S. Ioannis. Actus Apostolorum

ingressum Ecclesiae referunt victricem in hunc mundum, et quidem significativum pro aetatibus omnibus futuris. Liceat mihi breviter saltem *in memoriam revocare,*[5] quibus viribus Ecclesia primaeva omnem effectum tribuerit. Unaquaeque fere pagina *Actuum Apostolorum*[6] insistit omnem Evangelii Christi in mundo proventum debere virtuti Spiritus Sancti faciem terrae per Ecclesiam Christi renovantis, ita ut liber Actuum Apostolorum iam interdum appellatus sit Evangelium Spiritus Sancti, *id est*[7] de Spiritu Sancto. Elucet in paginis istius libri non hominum scientia, prudentia, ars organizandi et administrandi, in condenda et tuenda Ecclesia vim habens et ad effectum ducens, sed semper numini Spiritus Sancti tribuitur incrementum Ecclesiae ad extra et ad intra. Quapropter nil mirum, si hanc historiam evangelizationis apostolicae pervadit tanta confidentia et spes, libertas et gaudium. « Ubi enim Spiritus Domini, ibi libertas » ...[8]. Iam ex hoc libro solo erui posset pneumatologia ecclesialis.

Modus in nostro schemate loquendi, qui non sufficienter respicit Sacrae Scripturae cogitationes et loquelam, etiam aliud detrimentum secumferre posset, nempe apud illos qui foris sunt impressionem falsam efficere posset, quod et nos offerremus sic dictam ideologiam, aliam inter tantas hodie vigentes. De genere litterario, quod schemati nostro correspondeat, aliquoties sermo fiebat in hac aula, et nonnulli Patres iure dubitaverunt, num tenor admonitionis, etsi suavis et respectuosae, aequus congruusque esset dialogo inter Ecclesiam et mundum. Istius tractationis genus praecellens et authenticum — quia mandato Christi et consuetudine apostolorum sancitum — potius vel saltem imprimis esse deberet modus testimonium perhibendi veritati, i. e. testificandi realitatem divinae salvationis a Christo peractae et ab apostolis mundo praedicatae.

3. In opere salutis a Deo perpetrato aperte elucet quanti Deus faciat creaturam humanam; indeque deduci possit et recte intelligi effigies dignitasque personae humanae.

N. 20 schematis quod attinet, revera non sufficit factum illud tantummodo stabilire, quod homo hodiernus acute sensibilis effectus sit quoad conscientiam personalitatis suae. Nec sufficiens quidem esset hisce hominibus simpliciter declarare suam opinionem de seipsis rectam evadere. Ecclesia etiam rationes, cur sit recta haec opinio, afferre potest et debet, exhaustas vero ex revelatione divina. Huic argumento referatur quomodo oeconomia salutis dignitatem personae humanae ut fundamentum supponat, quomodo etiam in eius realisatione praeservetur et honoretur.

Homo a Deo creatus « ad eius imaginem et similitudinem », i. e.

ut persona, intelligentia et libero arbitrio praedita, ita etiam possibilitate data — aut si vis periculo — creaturae contra creatorem sese declarantis. Historia redemptionis hominis lapsi incipit a libera oblatione et ex parte hominis a libera acceptione foederis in quo homo dignatur qui cum Deo tamquam socius in pactum veniat. Intimitas personalis huius consociationis describitur a prophetis imagine amoris coniugalis. In plenitudine autem temporis salutem Deus perficit per Filium suum ...[9] morti pro nobis traditum, et offert hanc salutem unicuique absque ulla violentia, sed plane libera voluntate faciendam sibi propriam. Sicut iuvenis virginem petit, ita Deus unumquemque hominum mediante gratia attrahere quaerit. Christus enim e. g. amans vocat adulescentem illum divitem ad sequelam et dolens sinit eum abire ...[10]; item retrahere quaerit severe monens discipulum suum traditorem, et permittit eius finem tragicum.

Fidem, actum maxime liberum personalemque humanum, statuit *Deus* [11] fundamentum suppositumque salutis singulis sibi acquirendae. Tamquam summam autem omnium mandatorum divinae voluntatis caritatem declarat erga Deum simulque ad proximum; sic tandem dignitas personae humanae in ordine morali quoque statuitur atque firmatur.

Tales similesve considerationes, e divina revelatione sumptae, non tantum in adnexis aliquomodo adumbratae, sed passim in schemate ipso audiri deberent. Tunc illi fundamentum tantopere non deesset theologicum, et gratiam nobis haberet homo huius temporis, qui plus quam priores generationes scit, at magis consilio egit; magis sui ipsius conscius est, simulque magis insecurum se sentit et auxilio privatum; magis terrenis deditus sese ostendit, at minus domo sua terrestri gaudens. Ille Ecclesiae Christi gratias habere vellet pro explicatione suiipsius et orientatione vitae suae, quae defluunt non e qualicumque sapientia huius mundi, sed e veritate absoluta Dei sese revelantis.

De cetero semper vera manebit sententia: Solummodo is qui novit Deum novit et hominem. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] 1. Laude certe dignum est hic procedendi modus nostri schematis, qui scil. in suo argumento de Ecclesia in mundo huius temporis « dialogum » de mundo hodierno non solum cum christifidelibus habere, sed et cum mundo ipso initiare scit. Item schema. [2] deest. [3] (*Io.* 3, 16 s.). [4] 2. Si nihilominus — uti iterato exprimebatur quaerela in hac aula — sufficiens deest fundamentum theologicum in dicto schemate, hoc mihi videtur imprimis imputandum ei quod Revelata Divina tam raro in textu saltem immediate, nempe ipsis verbis et contentis Sacrae Scripturae audiantur. [5] indicare. [6] deest. [7] nempe. [8] (*2 Cor.* 3, 17). [9] Incarnatum et. [10] (*Mt.* 19, 16-23 parr.). [11] deest.

13

Exc.mus P. D. PETRUS DE LA CHANONIE
Episcopus Claramontanus

Venerabiles Patres,

Iam multi oratores in aula rogaverunt, ut magis ratio habeatur iuventutis, quippe quae maximum momentum habet in mundo hodierno et futuro. Hic tantum vellem, occasione nostri schematis, subiicere attentioni Concilii partem aliquam iuventutis nostri temporis, quae caritate peculiari digna est, tum ratione sui muneri, tum ratione suae indigentiae materialis et moralis; partem illam dico, quae comprehendit pueros vel iuvenes, qui « inadaptati » vocantur.

Huiusmodi inadaptatio ex causis diversis oritur, et proinde sub diversis formis invenitur, v. g.: deficientia in ordine physico, physiologico vel psychologico; evolutio mentalis retardata; propensio praecox ad delinquendum; defectus conditionum vitae normalis in familia; perversitates morum in ambitu sociali in quo adolescunt iuvenes.

Variae illae formae inadaptationis hanc habent consequentiam, quod notabilis pars iuvenum nostrorum vitam non habent ordinatam.

Persaepe plerique homines ne id quidem suspicantur, quanti ex pueris et iuvenibus hodiernis victimae sunt multiformis huius inadaptationis. In mea natione fere quarta pars iuvenum, i. e. circiter tricies centena millia (tre milioni), hac deficientia laborant; in aliis regionibus talis proportio adhuc maior exsistit.

Per longum tempus Ecclesia sola curam habuit huiusmodi infelicitatis, ad eam adleviandam; etiam hodie praesens esse debet in hoc campo activitatis, iuxta organismos a laicis, sive privatim sive publice ad hunc scopum feliciter et continuo institutos, ut collatis viribus cum eis laboret, ad bonum miserandae iuventutis.

Ecclesia sese proclamat, et reapse esse desiderat « Ecclesiam pauperum ». Nunc autem, numquid non pauperrimi omnium sunt illi iuvenes inadaptati?

Quidquid sit de deficientiis, quibus afficiuntur, et quidquid sit de earum causis, huiusmodi iuvenes etiam ius habent adimplendi propriam vocationem humanam, in ordine naturali et supernaturali. Et Ecclesiae officium incumbit, eos hac in re adiuvandi, cum peculiari et materno affectu.

Agitur ergo de gravi problemate « mundi huius temporis », et exoptare audeo, ut saltem nominetur in n. 20 nostri schematis, inter alias quaestiones ibi iam indicatas. Dixi.

14

Exc.mus P. D. IOSEPH MALULA
Archiepiscopus Leopoldpolitanus

Venerabiles Patres,

In hoc capite « De praecipuis muneribus a christianis nostrae aetatis implendis », nobis omnino persuasum est, ante omnia unum principium fundamentale, quod est norma totius habitudinis hominum inter se, ab Ecclesia vehementer proclamari debere. Et hoc principium sic sonat: « Dignitas personae humanae in quocumque homine, ubique et ab omnibus, agnoscenda est ».

Sane hoc principium schema affirmat, sed quasi per transennam, dicens: id et illud desiderant huius aetatis homines, et ista desideria Ecclesia agnoscit... Sed hoc non satis est. Nonne quidem haec verba quodammodo opportunismum sapiunt? Ecclesia autem veritatem asserit, non quia casu hodie inter homines floret, sed quia veritas est.

Item, principium de dignitate humana in limine huius capitis splendere debet, quia fere omnia crimina contra hominem perpetrata, ab huius principii negatione diffluunt, ut sunt nempe racismus, iniusta servitus feminae, oppressio invidui vel populorum in re oeconomica vel sociali, etc. etc.

Unde humillime, sed vehementer petimus, venerabiles Patres, ut hoc principium de observanda in omnibus et ab omnibus dignitate personae humanae, veluti norma fundamentalis ethicae pro omnibus hominibus ubique terrarum a Concilio solemniter proclametur. Pro omnibus hominibus, et quoad christianos quidem, a fortiori. Nam si quis dixerit se, ex caritate, omnes homines ut fratres diligere, non autem in omnibus hominibus, primum, talem dignitatem personae verecunde observaverit, mendax est et veritas in eo non est, et ipse caritatem nullomodo intellexit.

Inde liceat ad quasdam huius principii applicationes transire, quae in Africa maximi sunt momenti.

1. Valde optandum est — et si auderem, dicerem: omnino necesse est — ut Concilium aperte Racismum *reprobet,*[1] — racismum inquam, qui est oppressio vel vexatio ab aliquo hominum genere passa, ex parte aliorum, propter rationem coloris vel stirpis.

Vos omnes scitis, venerabiles Patres, quam aegre et dolenter ferunt Afri nigri quamcumque iniustitiam sic dictam « racialem » ubique in mundo, quae re vera iniuria est pro quacumque persona humana. Sane

patiuntur populi nostri, ut dicam, aliquem complexum qui eorum multitudinem acutissimam facit in hoc campo.

Ecclesia quidem apta est eos potenter adiuvare, illos tali complexu liberando. Et certo, nemo extra terram Africae degens, potest intelligere quantam spem in populis nostris peperit recens canonizatio Martyrum Ugandaensium. Gaudium magnum annuntiatum est populis immensis quia vere ostensum est portam caeli omnibus patere, quia vere manifestum est semen Evangelii floruisse, in terra Africae, in virtutes fidei, spei, caritatis atque castitatis usque ad heroicitatem martyrii.

Maximi ergo momenti est ut Concilium memoriam revocet harum duarum veritatum, nempe: *a*) omnes homines penitus eadem aequalique dignitate humana vigent, ut sunt omnes ad eamdem Dei imaginem creati; *b*) omnes homines sine ulla discriminatione, vocati sunt ad plenam divinae naturae participationem ita ut veri filii Dei nominentur et sint, quia coram Deo « non est iudaeus neque graecus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina » sed omnes sunt « unum in Christo Iesu »...[2]

2. Sicut plaga cruenta in latere Africae adest quaedam species minoris racismi, i. e. tribalismus, cuius venenum neque etiam christiani semper effugiunt. Tribalismus secum fert fructus mortis qui sunt odium et tremor, vis, ultiones et caedes, et ipse habendus est erga caritatem christianam ut obex maxima.

Unde optandum est ut a Concilio denuntietur tribalismus ut peccatum grave contra caritatem, et ut ipsi christiani serio moneantur ut moribus paganis renuntient et tamquam veri filii Patris aeterni sibi mutuo serviant.

3. In Africa hodierna, longe abest ut femina pari dignitate ac ipse vir gaudeat. Ut saepe dictum est: evangelizatio populorum semper secum duxit liberationem mulieris a servitute; sed opus liberationis perficiendae diuturnus est.

Audiatur ergo et hodie vox Ecclesiae ad omnes fideles clamans ut ab ipsis hoc opus insigne civilisationis perficiatur, promotio scil. feminae ad plenam humanam dignitatem et responsabilitatem.

Bonum esset si Concilium in memoriam omnium revocaret illam Creatoris intentionem in divinis moribus tam clare patefactam: cum Dominus creavit hominem masculum et feminam, in eadem parique humana dignitate, ita ut femina sit viri non mere serva et ancilla, neque mere genetrix filiorum eius, neque instrumentum voluptatis, sed re vera auxilium et socia; cum Dominus elegit inter filias hominum beatissimam Virginem in matrem sui Unigeniti; cum Dominus quotidie in

Ecclesia suscitat in sexu fragili exempla insignia fortitudinis et sanctitatis.

Denique ipsa Ecclesia exemplum perlucidum omnibus populis praeberet, si in suiipsius sinu, veterem suspicionem relinquens, feminis largiorem partem in communibus muneribus benigne tribueret. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] damnet. [2] (*Gal.* 3, 28).

15

Exc.mus P. D. STEPHANUS LÁSZLÓ

Episcopus Sideropolitanus

Venerabiles Patres et Fratres,

Conabor vestram iustam expectationem, nempe ut breviter loquar, pro posse implere. Si verbum petivi, propterea tantum ne videatur ac si libertas, et cum ea, dignitas personae ex uno capite tantum, nempe ex iniusta coactione, in periculo posita esset. Certum est multos homines propter defectum libertatis varias passiones tum corporales cum spirituales subire debere, quod certe deplorandum et accusandum est. Crimina autem contra libertatem et dignitatem personae plura sunt quae pariter in nostro numero ne omittantur. Ita praeter crimen iniustae coactionis de quo in hoc numero non neglegetur etiam illud aliud,[1] aut saltem falsus usus libertatis qui in eo constat ut non raro libertas tum in vita privata cum in publica alicui personae aut societati concedatur aut imponatur, quamvis pro hoc alto dono non sit satis matura (e. g. si parentes liberis suis nimis largam libertatem concedunt aut conceptus libertatis alicuius nationis sine sufficienti praeparatione aliae imponitur).

b) Contra libertatem et ideo etiam contra dignitatem personae, quin haec ei coactione tollatur, etiam alio modo peccari posse, nempe per culpam propriam i. e. per abusum et non usum libertatis.

1. Quae omnia fiunt sub specie libertatis tum in vita privata cum in vita publica! Varii excessus contra moralitatem (e. g. in publica exhibitione imaginum amoralium, in vita sic dicta dulci, in exhibitione sexualitatis, in usu iurium sine respectu iustitiae socialis, in abusu iurium democratiae et in aliis) hi omnes iterum atque iterum nomine libertatis iustificantur; qui autem non veram libertatem, sed magis eius abusum significant et ergo dignitatem hominis non augent, sed minuunt.

2. Contra libertatem autem etiam per defectum, i. e. per non usum, peccari potest. Consentiendum est, multos homines libertate plena frui. Possident libertatem personalem, socialem, politicam, culturalem et etiam religiosam. Sed proh dolor, quot hac libertate tantum parum utuntur! Qua pro eorum habitudine multae causae proferuntur, aut, ut dicunt, non esse necessarium, hac libertate uti, aut propter commoditatem et opportunitatem huic iuri in variis campis vitae renuntiant.

c) Quo magis ergo necesse est, ut in connexione cum dignitate personae humanae, de variis respectibus libertatis tractetur, ut christiani magnam suam missionem pro libertate semper agnoscant et etiam exerceant, i. e. ut pro vera libertate vocem suam extollant et etiam operam suam semper praestent, ut libertate, quae eis convenit, non abutantur, ut iuri suo ad libertatem numquam renuntient; quia ita libertas hominis eiusque dignitas optime in tuto posita est. *Concretas propositiones ad textum secretariatui trado.*[2]

Schema nostrum ita non tantum ad personae dignitatem fovendam sed etiam ad singuli et populorum libertatem promovendam et tuendam suo modo conducere possit. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] 1. Inter varia bona hodierni mundi et temporis bonum libertatis maxime aestimatur. Quod bonum tum singuli tum nationes et populi vehementer desiderant. Libertas hodie sine dubio in progressu est, quamvis non negandum est, multos homines hoc pretioso bono privari et ideo graves passiones, tum spirituales tum corporales sustinere debere. 2. Propono ergo ut schema nostrum de hac quaestione fusius agat. Verum est, in nostro n. 20 de hac re iam tractari et etiam iniustam coactionem ut praecipuum crimen contra libertatem reprobari. Necesse autem est, ut etiam alia crimina contra libertatem ne omittantur. *a*) Ita non est negligendum illud aliud crimen. [2] 3. Propono ergo *a*) ut alinea 3 n. 20 (incipiens a verbis « Attamen etc. » pag. 22, linn. 4 ss.) suppleatur, nempe ut libertas iniusto modo ne tollatur, sed etiam nemini concedatur aut imponatur, qui pro eius usu non est satis maturus; *b*) ut etiam (forte in proprio comate) de aliis offensis contra libertatem, nempe de abusu et non usu libertatis tractetur; *c*) ut in alinea 4 n. 20 (incipiens a verbis « Quare christifideles etc. » pag. 22, linn. 25 ss.) christianorum officia sub hoc multiplici aspectu, ergo non tantum sub aspectu suppressionis libertatis aut falsae concessionis sive impositionis, sed etiam sub aspectu abusus et non usus libertatis exponantur.

Moderator: Proxima congregatio generalis crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

APPENDIX

APPENDIX

I

DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS

1. Schema decreti [5]

DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS *

Pars I

DE DISCIPLINA ECCLESIARUM ORIENTALIUM **

PROOEMIUM

1. Sancta Oecumenica Synodus Vaticana II, amplissima Patriarcharum ac Praesulum orientalium corona honestata, peramanter oculos ad illas venerabiles Orientis Ecclesias convertit atque in memoriam laeta revocat merita quae illae decursu saeculorum inter tam varias vicissitudines sibi et catholicae universae Ecclesiae comparaverunt. Percupiens, igitur, suas sollicitudines erga has venerandas Ecclesias, quae nunc sive in Oriente sive in Occidente conspiciuntur, patefacere, idque spectans, ut eaedem floreant, et novo robore apostolico missionem propriam

---

* *In initio fasciculi legitur:* Ss.mus Dominus Noster Ioannes Pp. XXIII, in audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, in Concilio Oecumenico Vaticano secundo discutiendum, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXII mensis Aprilis, anno MCMLXIII.

Hamletus Ioannes Card. Cicognani
a publicis Ecclesiae negotiis

Notae, quae singulis schematis capitibus adiciuntur, schematis partem non efficiunt, sed a Commissione Conciliari ideo exaratae sunt, ut Patribus schema pervestigantibus essent subsidio.

** Haec prima pars complectitur ea omnia quae, a Commissione Praeparatoria de Ecclesiis Orientalibus apparata, proposita sunt Commissioni Centrali et ab ea probata et emendata sunt; postea vero, iussu Commissionis de Coordinandis laboribus, eadem in hanc breviorem et aptiorem formam redacta sunt.

[5] inter populos Orientis explicent, nonnulla capita, a Patriarchis ac Praesulibus orientalibus proposita, probare et promulgare opportunum censuit, ceteris ad providentiam Synodorum Orientalium nec non Sedis Apostolicae remissis.

I – DE ECCLESIIS PARTICULARIBUS

2. Ecclesiarum particularium Orientalium varietas in Ecclesia nedum eiusdem noceat catholicitati, eam potius declarat; Ecclesia enim catholica intendit ut salvae et integrae maneant legitimae uniuscuiusque nationis vel regionis particulares traditiones pariterque vult suam vitae rationem aptare variis temporum locorumque necessitatibus.[1]

[6] 3. Sancta enim et catholica Ecclesia, quae est Corpus Christi Mysticum, organice constat ex fidelibus qui fide, sacramentis et regimine uniuntur, atque in coetus hierarchia iunctos coalescentes, particulares Ecclesias constituunt. Huiusmodi particulares Ecclesiae, ritibus, uti aiunt, scilicet liturgia et ecclesiastica disciplina partim differens, aequali modo concreditae sunt pastorali gubernio Romani Pontificis, qui Beato Petro in primatu super universam Ecclesiam divinitus succedit. Eadem proinde pollent dignitate, iisdem fruuntur iuribus, etiam quod attinet ad propagandam fidem catholicam ubique terrarum sub moderamine Romani Pontificis; nulla vero Ecclesia ratione ritus ceteris praestat.

4. In hac tamen diversitate Hierarchae variarum Ecclesiarum particularium in eodem territorio iurisdictionem obtinentes, curent, collatis in periodicis conferentiis consiliis, unitatem actionis fovere, et, viribus unitis, communia adiuvare opera, ad bonum religionis expeditius promovendum et cleri disciplinam efficacius tuendam.[2]

5. Provideatur ubique terrarum tuitioni atque incremento omnium Ecclesiarum particularium, sive erigendo paroecias pro variis Ecclesiis, sive constituendo pro unaquaque Ecclesia propriam hierarchiam, ubicumque id postulat numerus atque bonum spirituale fidelium, et quantum fieri potest.

6. Ordinibus et Congregationibus Ecclesiae latini ritus, quae inter fideles orientales operam navant, enixe commendatur ut, ad

maiorem apostolatus efficaciam, domos aut etiam provincias orientales, quantum fieri potest, constituant.[3] [6]

7. Illi vero qui ratione sive muneris, sive apostolici ministerii, frequens habent cum Orientalibus Ecclesiis aut cum earum fidelibus commercium, in cognitione doctrinae, historiae, atque indolis Orientalium accurate, pro gravitate officii quod gerunt, sint instituti.[4]

8. Omnes et singuli fideles proprium ubique terrarum retineant ritum, eumque colant et, pro posse, observent; nec ad alium ritum transire valent, nisi iuxta normas ab Apostolica Sede statutas.[5]

9. Baptizati acatholici ad catholicam Ecclesiam redeuntes, in [7] regionibus sui proprii ritus servare monentur ritum proprium; extra vero regiones sui ritus seu Ecclesiae, ritum quem maluerint amplecti poterunt, etsi optandum est, ut proprium ritum retineant; salvo iure ad Sedem Apostolicam recurrendi.[6]

II – DE SACRA HIERARCHIA

De Patriarchis

10. Quoniam omnes Episcopi iure divino inter se aequales sunt et soli Romano Pontifici subduntur, clare constat neminem eorum in alios superiorem auctoritatem habere aut exercere posse, nisi illam iure ecclesiastico obtinuerit. Potestas igitur patriarchalis in Episcopos, clericos et fideles, quae inde ab antiquis temporibus in Ecclesia viget, iuris est ecclesiastici.[7]

11. Nomine enim Patriarchae orientalis venit Episcopus cui canones tribuunt iurisdictionem in omnes Episcopos, haud exceptis Metropolitis, clerum et populum territorii vel ritus, ad normam iuris et sub auctoritate Romani Pontificis exercendam.[8]

12. Secundum antiquissimum Ecclesiae morem, singulari honore prosequendi sunt Ecclesiarum Orientalium Patriarchae, quippe qui amplissima potestate, a Romano Pontifice vel a Concilio Oecumenico data vel agnita, suo cuique patriarchatui tamquam pater et caput praesunt. Ideoque exoptat haec Sancta Synodus non solum ut eorum iura atque privilegia, in bonum animarum, salva

[7] maneant, verum etiam ut patriarchatus orientales prospere vigere ac florere pergant et in pristinum splendorem restituantur.[9]

13. Patriarchatus Ecclesiarum Orientalium, licet alii aliis tempore posteriores sint, omnes tamen aequales sunt dignitate patriarchali, salva inter eos praecedentia honoris legitime statuta.[10]

14. Constitutio vero novorum patriarchatuum, si id bonum Ecclesiae postulare videatur, Synodo Oecumenicae vel Romano Pontifici reservatur, cuius est etiam pro necessitate et opportunitate normas statuere circa iura, privilegia et quaestiones quae ad patriarchale institutum spectant.[11]

[8] *De Episcopis*

15. Apostolorum successores sunt Episcopi, qui a Spiritu Sancto positi, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, potestate quidem propria atque ordinaria, gubernant et pascunt, sub auctoritate Romani Pontificis.[12]

16. Episcoporum orientalium potestas in suis ecclesiis regendis iis reservationibus restringatur, quas bonum commune Ecclesiae necessarias esse probaverit. In dubio tamen positivo et probabili, sive iuris sive facti, de reservatione facta Sedi Apostolicae, Patriarchae vel alii Auctoritati, praesumptio stat pro ordinaria Episcoporum potestate, donec intercedat Romani Pontificis in contrarium declaratio.[13]

17. Singulis Ecclesiarum Orientalium Episcopis facultas est a lege generali pro Ecclesiis Orientalibus lata in casu peculiari dispensandi, quoties id ad bonum spirituale fidelium conferre iudicent, dummodo agatur de re in qua Sedes Apostolica dispensare solet, nec specialis reservatio a Sede Apostolica sibi vel Patriarchis vel alii Auctoritati facta fuerit.[14]

De Synodis

18. Exoptat Sancta haec Oecumenica Synodus ut Synodorum institutum, antiquitate venerandum, novo vigeat robore, ut necessitatibus et disciplinae Ecclesiarum Orientalium, pro temporum adiunctis, aptius et efficacius provideatur.[15]

19. Enixe commendatur ut Praesules Orientalium Ecclesiarum [8], in disciplina propriae Ecclesiae in Synodis promovenda et ad opera in bonum religionis efficacius fovenda, rationem etiam habeant boni communis totius regionis, ubi plures Ecclesiae particulares exstant, consiliis in conventibus ex variis ritibus collatis.[16]

III – DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

De Ministro Sacramenti Chrismatis

20. Etsi Episcopus est solus minister ordinarius Sacramenti Chrismatis, huic Sanctae Oecumenicae Synodo placuit traditam praxim apud Orientales inde ab antiquissimis temporibus vigentem [9] plene instaurare. Idcirco presbyteri hoc Sacramentum administrare valent, adhibito Chrismate a Patriarcha vel ab Episcopo benedicto.[17]

21. Presbyteri omnes orientales hoc Sacramentum, sive una cum Baptismo sive separatim, valide conferre possunt omnibus fidelibus cuiusvis ritus, latino non excluso, servatis ad liceitatem praescriptis iuris sive communis sive particularis.[18]

22. Presbyteri quoque latini ritus, qui facultate hoc Sacramentum conferendi sint praediti, valent illud etiam fidelibus Orientalium Ecclesiarum administrare, servatis quoad liceitatem iuris communis praescriptis.[19]

De Sanctissima Eucharistia

23. Curent locorum Hierarchae ut, iuxta antiquissimum et laudabilem Ecclesiarum Orientalium morem, fideles ad sacram Synaxim, saltem praecipuis anni festis diebus, accedant, imo et frequentius, ad vitam spiritualem nutriendam ac roborandam.[20]

24. Omnis fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, tenetur semel saltem in anno ad SS. Eucharistiam accedere, firmis legibus et consuetudinibus propriae Ecclesiae de Communione Paschali et salva facultate uniuscuiusque fidelis eam in quolibet catholico ritu suscipiendi.[21]

25. Memores sint fideles obligationis, qua, saltem diebus dominicis et festis de praecepto, adstringuntur Divinae Liturgiae

[9] vel, iuxta praescripta aut consuetudinem proprii ritus, Divinis Officiis adsistendi. Curent autem animarum pastores fideles ita instruere, ut hi actuose et devote Sacris Actionibus intersint.[22]

26. Ut vero huic obligationi facilius satisfacere valeant, eisdem conceditur facultas hoc praeceptum implendi per adsistentiam Sacrae Liturgiae aut, ubi talis vigeat consuetudo, Divinis Officiis, inde a vespere vigiliae usque ad finem diei festi.[23]

[10] *De Ministro S. Poenitentiae*

27. Cum Patriarcharum et Hierarcharum orientalium pastoralis cura saepe saepius ad plures regiones Orientis et Occidentis extendatur, placuit huic Sanctae Synodo ut ipsi facultatem ad confessiones excipiendas fidelium cuiusvis ritus ubicumque terrarum a iure delegatam habeant.[24]

28. Ob cotidianam permixtionem fidelium diversarum Ecclesiarum particularium in eadem regione vel territorio, facultas presbyterorum orientalium ad confessiones excipiendas, a propriis Hierarchis rite et sine ulla restrictione concessa, ad totum territorium patriarchatus, archiepiscopatus, metropoliae, eparchiae vel exarchatus et pro cuiusvis ritus fidelibus extenditur. Huiusmodi tamen facultatem Hierarchae ne concedant, nisi de sacerdotis idoneitate plene sibi constet, et servatis requisitis in Synodis particularibus praescriptis.[25]

29. Presbyter vero, qui istam facultatem extra proprium territorium habituali modo exercet, certiorem facere tenetur Hierarcham loci, habita praeterea licentia parochi aut rectoris ecclesiae vel oratorii, in quibus confessiones excipiendae sint, et salvis praescriptis a Hierarcha loci datis.

De Diaconatu permanenti

30. Cum plurima argumenta et motiva, praesertim liturgica et pastoralia, suadeant ut institutum diaconatus permanentis, quod ab antiquis temporibus non paucae Ecclesiae orientales retinuerunt et adhuc retinent, instauretur, exoptat Sancta Synodus ut diaconatus permanens in Ecclesiis orientalibus, ubi in desuetudinem venerit, iterum vigeat, ut qui in tali statu sint constituti, sacerdotes sive in spiritualibus sive in temporalibus ad normam iuris adiuvent.[26]

31. Curent Hierarchae locorum ut ad hoc institutum resti- [10] tuendum, in quavis provincia ecclesiastica, communi de consilio procedatur, et servatis normis a Synodis propriarum Ecclesiarum Orientalium statutis.

De Matrimoniis mixtis [11]

32. Licet matrimonia mixta haud facile omnino vitari possint, monentur tamen fideles ut ab huiusmodi matrimoniis abstineant. Quoties vero id vitari nequeat, memores sint obligationis, qua adstringuntur, bonum fidei et unitatis catholicae tam sibi quam proli servandi, per fidelem adimpletionem cautionum quas Ecclesia statuit. Pastores autem fidelium, qui matrimoniis mixtis iuncti sunt, eorumque prolis peculiarem habeant curam.

33. Ad praecavenda autem matrimonia invalida christifidelium orientalium, qui cum acatholicis baptizatis matrimonium ineant, et ad consulendum nuptiarum firmitati et sanctitati necnon domesticae paci, omnibus Hierarchis locorum orientalium, non vero Syncellis sine speciali mandato, facultas conceditur dispensandi proprios subditos a forma canonica matrimonii in mixtis nuptiis, ubi pars acatholica suaderi nequeat ut se coram competente parocho sistat et simul adsit periculum ne eadem partem catholicam sibi adhaerere adigat; Hierarcharum tamen conscientia graviter onerata de observantia cautionum quae in iure praescriptae sunt.[27]

IV – DE CULTU DIVINO

De temporibus sacris

34. Dies festi pro omnibus Ecclesiis Orientalibus sunt: omnes et singuli dies Dominici, festa Nativitatis D. N. Iesu Christi, Epiphaniae, Ascensionis, Dormitionis seu Assumptionis Dei Genetricis Mariae, et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, salvo iure particulari quoad alios dies festos.[28]

35. Alios dies festos omnibus Ecclesiis Orientalibus communes constituere, constitutos transferre aut supprimere, unius est Sedis Apostolicae. Dies festos pro singulis Ecclesiis particularibus constituere, aut constitutos supprimere, praeter Apostolicam Sedem, competit Synodo patriarchali aut archiepiscopali.[29]

[11] 36. Diebus Dominicis et festis de praecepto lex abstinentiae vel abstinentiae et ieiunii cessat.

37. Lex abstinentiae vel ieiunii et abstinentiae observanda
[12] est secundum usum proprii ritus, legitima consuetudine vel iure particulari firmatum, ita tamen, ut lex solius abstinentiae in omnibus Ecclesiis Orientalibus servetur singulis feriis sextis, iis exceptis quae in proprio iure excipiuntur; lex vero abtinentiae et ieiunii prima die Magnae Quadragesimae et Feria sexta Hebdomadae Sanctae, salvo particulari iure quod abtinentiam et ieiunium aliis quoque diebus Magnae Quadragesimae praecipiat.

38. Singuli fideles extra regiones proprii ritus versantes, quoad leges de abstinentiis et ieiuniis, ad disciplinam in loco ubi degunt vigentem se plene conformare possunt. In familiis mixti ritus hanc legem servare licet iuxta unum eundemque ritum.[30]

De celebratione Paschatis

39. Sancta Oecumenica Synodus conamina ad aptius instaurandum Kalendarium in societate civili laudans, exoptat ut catholici aliique christiani non catholici conveniant ad unicam diem, qua festivitatem Paschatis omnes celebrent, stabiliendam.

40. Ad unitatem inter christianos in eadem regione vel natione degentes fovendam, Patriarchis vel Supremis Auctoritatibus ecclesiasticis in loco committitur, ut, collatis consiliis cum iis quorum interest, de festo Paschatis eadem die Dominica celebrando conveniant.

De Officio Divino

41. Valde commendatur clericis et religiosis orientalibus celebratio Laudum Divinarum, quae ab antiquo in magno honore fuit apud omnes Ecclesias orientales. Omnes, igitur, exempla maiorum prementes, secundum propriae disciplinae praescripta, in Divinas Laudes assidue et devote incumbant.[31]

De usu linguarum vernacularum in liturgiis

42. Ad Patriarcham cum Synodo vel ad Supremam cuiusque Ecclesiae orientalis Auctoritatem cum Consilio ius pertinet appro-

bandi et moderandi usum linguarum in celebratione liturgica, quas ipsi magis conferre ad bonum animarum existiment. [12]

43. Versiones textuum liturgicorum in linguam vernaculam, antequam in Liturgiae celebratione adhibeantur, a competenti Auctoritate approbentur. [13]

44. Si ob bonum spirituale adstantium in celebratione liturgica, ex parte vel ex toto lingua adhiberi debeat diversa ab illa vel ab illis, quibus Ecclesia celebrantis ex tradito more utitur, id non fiat inconsulto Hierarcha loci.

NOTAE

Notae infra positae ad pleniorem illustrationem argumentorum propositorum et ad meliorem informationem Patrum alligantur, adnotatis etiam iis, quae nova omnino sunt vel vigenti disciplinae canonicae contraria videntur.

[1] S. Leo IX, litt. *In terra pax,* an. 1053: « Ut enim »; Innocentius III, Synodus Lateranensis IV, an. 1215, cap. IV: « Licet Graecos »; litt. *Inter quatuor,* 2 aug. 1206: « Postulasti postmodum »; Innocentius IV, ep. *Cum de cetero,* 27 aug. 1247; ep. *Sub catholicae,* 6 mart. 1254, prooem.; Nicolaus III, instructio *Istud est memoriale,* 9 oct. 1278; Leo X, litt. ap. *Accepimus nuper,* 18 maii 1521; Paulus III, litt. ap. *Dudum,* 23 dec. 1534; Pius IV, const. *Romanus Pontifex,* 16 febr. 1564, § 5; Clemens VIII, const. *Magnus Dominus,* 23 dec. 1595, § 10; Paulus V, const. *Solet circumspecta,* 10 dec. 1615, § 3; Benedictus XIV, ep. enc. *Demandatam,* 24 dec. 1743, § 3; ep. enc. *Allatae sunt,* 26 iun. 1755, §§ 3, 6-19, 32; Pius VI, litt. enc. *Catholicae communionis,* 24 maii 1787; Pius IX, litt. *In suprema,* 6 ian. 1848, § 3; litt. ap. *Ecclesiam Christi,* 26 nov. 1853; const. *Romani Pontifices,* 6 ian. 1862; Leo XIII, litt. ap. *Praeclara,* 20 iun. 1894, n. 7; litt. ap. *Orientalium dignitas,* 30 nov. 1894, prooem.; etc.

[2] Pius XII, Motu proprio *Cleri sanctitati,* 2 iun. 1957, can. 4.

[3] Ex praxi Ecclesiae catholicae, praesertim sub pontificatu Pii XI, Pii XII, Ioannis XXIII; cf. *A.A.S.,* ann. 1925-1962.

[4] Cf. Benedictus XV, Motu proprio *Orientis catholici,* 15 oct. 1917 (de erectione Pont. Inst. Orientalium studiorum in Urbe).

[5] Pius XII, Motu proprio *Cleri sanctitati,* 2 iun. 1957, can. 8 dicit: « sine licentia Sedis Apostolicae ».

[6] Pius XII, *l. c.,* can. 11, ubi dicitur: « ritum quem maluerint amplecti possunt », et quidem ubique terrarum.

[7] Cf. ex. gr. Pius XII, *l. c.,* can. 38, § 3; Synodus Libanensis, III, IV, in *Collectio Lacensis,* t. II, col. 289 sq.; *Elenco dei privilegi patriar-*

[13] *cali, presentato alla Propaganda dall'Episcopato Melkita nel 1900* (C. KOROLEVSKIJ, *Studio di diritto comparato su l'odierna legislazione "de Patriarchis Orientalibus"*, Tip. Poligl. Vaticana, 1936, P. III, p. 10).

[8] Cf. PIUS XII, *l. c.*, can. 216, § 2, 1°.

[14] [9] Cf. PIUS XII, *l. c.*, can. 216, § 1; ampliatus ad finem Concilii obtinendum.

[10] Cf. Synodus Nicaena I, an. 325, can. 7; Syn. Constantinopolitana IV, an. 869, can. 21; S. NICOLAUS I, litt. *Ad consulta vestra,* 13 nov. 866: « Desideratis nosse »; « Porro quia »; S. LEO IX, litt. *Congratulamur vehementer,* an. 1052/53: « Pro cuius »; INNOCENTIUS III, litt. *Inter quatuor,* 24 nov. 1205; litt. *Praerogativa dilectionis,* 30 mart. 1205; litt. *Cum unigenitus,* 25 apr. 1205; litt. *Divisis aliis,* 15 maii 1205: « Vocati enim »; litt. *Inter quatuor,* 2 aug. 1206; litt. *Licet apostolica sedes,* maii 1205, etc.; EUGENIUS IV (in Syn. Florent.), const. *Laetentur caeli,* 6 iul. 1439, § 9; S. LEO M., litt. *Quantum dilectioni,* 11 iun. 453.

[11] Synod. Carthaginen., an. 419, can. 17, 57; Syn. Chalcedonen., an. 451, can. 12; S. INNOCENTIUS I, litt. *Et onus et honor,* a. c. 415: « Nam quod sciscitaris »; S. NICOLAUS I, litt. *Ad consulta vestra,* 13 nov. 866: « A quo autem »; INNOCENTIUS III, litt. *Rex regum,* 25 febr. 1204; LEO XII, const. ap. *Petrus Apostolorum Princeps,* 15 aug. 1824; LEO XIII, litt. ap. *Christi Domini,* an. 1895; PIUS XII, *l. c.,* can. 159.

[12] Cf. PIUS XII, *l. c.,* can. 392; cf. Canones Apostolorum, 39; Syn. Tridentina, sess. XXIII, de ordine, cap. 4, can. 8; Syn. Vaticana I, sess. IV, cap. III; LEO XIII, ep. enc. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896.

[13] Contra ius canonicum vigens.

[14] Contra ius canonicum vigens; cf. can. 81 C.I.C., ubi habetur: « nisi haec potestas eisdem fuerit explicite vel implicite concessa ».

[15] S. VICTOR, litt. an. c. 190: *Poteram autem*; cf.: Synodus Carthaginen. an. 419, can. 76, 88, 94; Syn. Nicaena I, an. 325, can. 4 et 6; Syn. Chalcedonen., an. 451, can. 18; Syn. Antiochena, an. 341, can. 16, 20; Syn. Trullana, an. 691, can. 8; Syn. Constantinopolitana IV, an. 869, can. 17; et Synodi particulares singularum Ecclesiarum Orientalium recentiorum.

[16] Cf. PIUS XII, *l. c.,* can. 4 et can. 340 § 3.

[17] Cf. INNOCENTIUS III, ep. *ad Ep. Primatem Bulgarorum,* 27 febr. 1203; INNOCENTIUS IV, ep. *Sub catholicae,* 6 mart. 1254, § 3, n. 4; Syn. Lugdunen., an. 1274 (professio fidei Michaelis Palaeologi Gregorio X oblata); EUGENIUS IV (in Syn. Florentina), const. *Exsultate Deo,* 22 nov. 1439, § 11; CLEMENS VIII, instr. *Sanctissimus,* 31 aug. 1595; BENEDICTUS XIV, const. *Etsi pastoralis,* 26 maii 1742, § II, n. I, § III, n. I, etc.; Synodus Laodicena an. 347/381, can. 48; Syn. Sisen. Armenorum, an. 1342; Syn. Libanen. Maronitarum, an. 1736, P. II, cap. III, n. 2, et aliae Synodi particulares recentiores.

[18] Cf. S. C. S. OFFICII, instr. (ad Ep. Scepusien.), an. 1783; S. C. DE PROP. FIDE (pro coptis), 15 mart. 1790, n. XIII; decr. 6 oct. 1863, C, a; S. C. PRO ECCL. ORIENT., 1 maii 1948; S. C. S. OFFICII, resp. 22 apr. 1896 cum litt. 19 maii 1896.

[19] C.I.C., can. 782, § 4; S. C. PRO ECCL. ORIENT., decretum « *de Sa-*

cramento Confirmationis administrando etiam fidelibus orientalium rituum a presbyteris latini ritus, qui hoc indulto gaudeant pro fidelibus sui ritus », 1 maii 1948. [14]

[20] Cf. Canones Apostolorum, 8 et 9; Syn. Antiochena, an. 341, can. 2; TIMOTHEUS ALEXANDRINUS, interrog. 3; INNOCENTIUS III, const. *Quia divinae,* 4 ian. 1215, et quam plures Synodi particulares singularum Eccl. Orientalium recentiores. [15]

[21] Novum quid quoad dictionem « in quolibet ritu catholico », et quoad obligationem annuam Communionis Paschalis.

[22] Cf. Syn. Laodicen., an. 347/381, can. 29; S. NICEPHORUS CP., cap. 14; Syn. Duinen. Armenorum, an. 719, can. 31; S. THEODORUS STUDITA, sermo 21; S. NICOLAUS I, litt. *Ad consulta vestra,* 13 nov. 866: « In quorum apostolorum »; « Nos cupitis »; « Quod interrogatis »; « Praeterea consulitis »; « Si die dominico », et Synodi particulares.

[23] Novum quid quoad vigiliam diei festi, saltem ubi adest obligatio audiendi S. Liturgiam. Cf. Decreta particularia S. C. S. Officii et S. C. de Prop. Fide, nec non Synodus recentiores particulares.

[24] Novum quoad Episcopos; extenditur quoad Patriarchas etiam ad fideles ritus latini; cf. PIUS XII, Motu proprio *Cleri sanctitati,* 2 iun. 1957, can. 283, 1°.

[25] Contrarium territorialitati iurisdictionis, saltem in disciplina latina et orientali catholica.

[26] Cf. Syn. Nicaena I, an. 325, can. 2; Syn. Neocaesarien., a. 314/325, can. 12; Syn. Sardicen., an. 343, can. 8; S. LEO M., litt. *Omnium quidem,* 13 ian. 444; S. C. PRO ECCL. ORIENT., decret. 27 ian. 1940, n. 7, 8, et Synodi particulares recentiores.

[27] Cf. PIUS XII, Motu proprio *Crebrae allatae,* 22 febr. 1949, can. 32, § 2, n. 5° (Facultas Patriarchis datur dispensandi a forma); PIUS XII, Motu proprio *Cleri sanctitati,* 2 iun. 1957, can. 267 (facultas sanandi in radice Patriarchis data); a S. Officio et S. C. pro Eccl. Orient., an. 1957, concessa fuit facultas dispensandi a forma et sanandi ob defectum formae (ad quinquennium): « extra patriarchatus, Metropolitis, ceterisque Ordinariis locorum... qui nullum habent Superiorem infra Sanctam Sedem ».

[28] Cf. Syn. Laodicen., an. 347/381, can. 29; THEOPHILUS ALEXANDRINUS, can. 1, et Synodi particulares recentiores.

[29] Cf. S. LEO M., litt. *Quod saepissime,* 15 apr. 454: « Petitionem autem »; S. NICEPHORUS CP., cap. 13; Syn. Sergii Patriarchae, 18 sept. 1596, can. 17; PIUS VI, litt. ap. *Assueto paterne,* 8 apr. 1775.

[30] Cf. CLEMENS VIII, instr. *Sanctissimus,* 31 aug. 1595, § 6: « Si ipsi graeci »; S. OFFICIUM, 7 iun. 1673, ad 1 et 3; 13 mart. 1727, ad 1; S. C. DE PROP. FIDE, decret. 1 maii 1897, n. 1; pro negotiis Ritus Orientalis, decret. 18 aug. 1913, art. 33; decret. 17 aug. 1914, art. 27; decret. 27 mart. 1916, art. 14; S. C. PRO ECCL. ORIENT., decret. 1 mart. 1929, art. 36; decret. 4 maii 1930, art. 41. His decretis facultas similis quibusdam Orientalibus iam concessa fuit.

[31] Syn. Laodicen., an. 347/381, can. 18; Syn. Mar Isaaci Chaldaeorum, an. 410, can. 15; S. NERSES GLAIEN. ARMEN., an. 1166; INNOCENTIUS IV, ep. *Sub catholicae,* 6 mart. 1254, § 8; BENEDICTUS XIV, const. *Etsi pasto-*

[15] *ralis,* 26 maii 1742, § 7, n. 5; instr. *Eo quamvis tempore,* 4 maii 1745, § 42 ss.; et Synodi particulares recentiores: Armenorum (1911), Coptorum (1898), Maronitarum (1736), Rumenorum (1872), Ruthenorum (1891), Syrorum (1888).

[16]

PARS II

DE UNIONE CHRISTIANORUM ORIENTALIUM *

PROOEMIUM

45. Sancta haec Oecumenica Synodus intimo cum gaudio de communi cogitat patrimonio, cuius fratres Orientis et Occidentis simul haeredes et custodes sunt. Vinculorum proinde spiritualium memor, quibus occidentales et orientales fideles inter se iunguntur, muneris sui esse censuit enixa hortatione omnes fideles ad hoc adducere, ut, iunctis precibus et opere, instantius Deum exorent pro ea unitate, quam Christus Dominus, antequam transiret ex hoc mundo, a Patre impense rogavit (*Io.* 17, 11). Hanc unitatem omnes hodie vehementer exoptant, ac simul efficaciora in dies undique proponuntur media et sincera fiunt conamina, ut omnia quae unitati in Christum credentium obsunt auferantur et quaecumque prosunt ulterius promoveantur. Ad quam christianam animorum impulsionem sincere et efficaciter fovendam, necesse est ut Orientalium peculiaris conditio prae oculis habeatur.

I – ORIENTALIUM MERITA, LITURGIAE ET PROPRIA DISCIPLINA

46. Historia, traditiones et plurima instituta praeclare testantur quantopere de universa Ecclesia Orientales meriti sint. Nam in illis regionibus apostolatus et martyria, doctrina et sancti-

---

* Quae in hac altera parte continentur, selecta sunt ex schemate Decreti: « De unitate Ecclesiae: ut omnes unum sint » iam proposito ad sessionem Concilii et probato in Congregatione Generali die 1 decembris 1962. Agitur scilicet de quaestionibus quae christianos orientales spectant, tum catholicos tum non catholicos; atque in votis est ut eaedem quaestiones iterum proponantur ad Concilium ut altera pars huius Decreti. Cetera, generaliora, remittuntur ad schema Decreti « De Oecumenismo », ad mentem ipsius Concilii et secundum praescripta Commissionis de coordinandis laboribus.

tas maxime floruerunt:[1] illic primi surrexerunt fidei et veritatis [16]
nec non ecclesiasticae unitatis indefessi propugnatores, qui eandemque exemplo, scriptis, synodis oecumenicis inviolatam servarunt; in Oriente fides christiana praeclaras obtinuit de errore [17]
victorias, quarum « symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum », in universa Ecclesia acceptum, praefulgens exstat comprobatio et monumentum.

47. Omnibus quoque notum est quanta cum pietate omnes christiani orientales Sacra peragant, quibus Deum Patrem, hominum amatorem, filiali prosequuntur devotione, Domino Iesu, Salvatori, debitum exhibent honorem et gloriam, Spiritum Sanctum vivificantem instanter invocant, Dei Genetrici amorem ostendunt, pro necessitatibus suis aliorumque quam plurimas perpulchras ardentesque exhibent supplicationes, peculiari quodam patrimonio liturgico et spirituali, a maioribus tradito, utentes et linguis propriis laudes Deo canentes. Haec igitur Sancta Oecumenica Synodus Ecclesiarum Orientalium liturgicos ritus et spirituale patrimonium non solum aestimatione debita et laude iusta prosequitur, sed etiam tamquam patrimonium commune universae Christi Ecclesiae firmiter considerat et declarat, quod omnibus commendat, illudque omnes fideliter retinere ac maxima cum diligentia colere desiderat.

48. Cum porro unitati Ecclesiae minime obstet diversitas quaedam disciplinae et consuetudinum, Patrum institutionibus sancitarum, sancta Oecumenica Synodus, ad tollendas omnes dubitationes, sollemniter declarat Ecclesias orientales iure pollere se secundum proprias disciplinas peculiares regendi, utpote veneranda antiquitate claras, moribus suorum fidelium magis congruas atque ad bonum animarum consulendum aptiores. Quapropter Ecclesia Catholica disciplinam Ecclesiarum orientalium servari eamque foveri iussit. Communitatibus igitur orientalibus omnibus ad unitatem catholicam convenientibus, eadem Synodus ius agnoscit et confirmat illam servandi disciplinam eamque sectandi, iis tantummodo, si forte adsint, emendatis, quae unitati huic adversantur.

[17]

II – RITUUM ORIENTALIUM CONSERVATIO ET DEBITA PROMOTIO

49. Sciant ac pro certo habeant omnes Orientales se numquam coactum iri legitimos suos ritus suamque disciplinam relinquere aut mutare. Nam Ecclesiarum Orientalium dignitas, pervetustis rerum monumentis eisque insignibus commendata, magna gau-
[18] det in toto cristiano orbe veneratione et honore. Maxima igitur fidelitate prae ceteris ipsi Orientales suos ritus liturgicos et disciplinam ecclesiasticam observent, eorumdem cognitionem in dies maiorem usumque perfectiorem usque acquirant, et si ab iis ob temporum vel personarum adiuncta aliquomodo fortasse defecerint, ad avitas memorias redire satagant, quantum fieri potest, bono fidelium et adiunctis locorum et temporum prae oculis habitis.

50. Ut tandem omne dubium vel qualiscumque suspicio e medio tollantur, omnes prae oculis habeant statum rerum orientalium, in Ecclesia catholica in hodiernis rerum adiunctis vigentem, non esse prorsus immutabilem, sed meliorem etiam ordinationem suscipere posse. In hoc igitur obstaculum, quo unitas catholica instauranda impediatur, nemo quaerat; siquidem disciplina ecclesiastica et ordo hierarchicus, secundum necessitatem vere probatam, mutationem ac perfectiorem valent recipere formam, quae omnium christianorum orientalium unitati magis respondeat et dignitati melius consulat.

III – ORIENTALIUM SACERDOTIUM ET FIDES

51. Item Sancta haec Oecumenica Synodus in memoriam revocat et sollemniter declarat sacerdotium apud omnes fratres separatos orientales valide servatum fuisse. Nulla proinde adduci potest causa, cur de validitate Sacramentorum dubium moveatur, si, quae ad Sacramenta conficienda sunt necessaria, servatis probatis ritibus, a ministro posita fuerint. Quare clericis orientalibus cuiuscumque gradus, in unitatem catholicam convenientibus, facultas est proprium Ordinem exercendi, iuxta normas a competenti auctoritate statutas.

52. Tandem haec Oecumenica Synodus, animo considerans non ingens esse discrimen, quo Orientales seiunguntur,[2] atque

conspiciens eos quotidie nova et iusta incitamenta invenire ut ad [18] catholicam unitatem accedant, atque de plenitudine Revelationis participent, iubet non plus ab iis convenientibus exigi, quam necessarium revera sit, ut membra unius, sanctae, catholicae et apostolicae Ecclesiae Christi reapse fiant, formula etiam simpliciore adhibita.

IV – MUTUA COGNITIO, CARITAS ET COLLABORATIO [19]

53. Satagant igitur omnes, praesertim locorum Hierarchae ceterique animarum pastores, ut animorum concordiae et unioni Orientem ac Occidentem inter efficacius usque provideatur, precibus imprimis,[3] vitae exemplis, mutua et meliore cognitione, puro et humili corde. In mutua denique ac fraterna rerum animorumque aestimatione, omnes qui christiano gloriantur nomine novis quibusdam rationibus ad invicem intueantur et animos disponant, spiritu christianae caritatis suffulti, et cuiusvis acrimoniae vestigiis sepositis, « cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis » (*Eph.* 4, 2-3); ita, ut viribus unitis et fraterna concordia Regnum Dei in terra efficacius promoveatur.

V – SUB AUSPICIIS DEI GENETRICIS

54. Cum autem permagnum unitatis christianae et animorum concordiae praesidium divinitus oblatum est in Maria, ad eam adiutricem populi christiani, potentem et clementissimam,[4] Virginem et Dei hominumque Matrem, maiore adhuc cum fiducia oportet occurratur. Cum de Orientalibus agatur Ecclesiis, peculiaris adest ratio, cur eius patrocinium fidenter imploretur, egregia scilicet promerita, quas illae Ecclesiae sibi comparaverunt in cultu Deiparae Virginis propagando atque augendo.[5] Repleatur universus orbis terrarum in Dei Genetricem ac Matrem et refugium omnium christianorum laudationum et deprecationum vocibus, ut Ipsa perstet felix et diuturnum inter fratres vinculum, quo unus existat populus Dei.

[19] NOTAE

[1] Cf. LEO XIII, litt. ap. *Orientalium dignitas,* 30 nov. 1894, in *Leonis XIII Acta,* vol. XIV, p. 358; ep. ap. *Praeclara gratulationis,* 20 iun. 1894, *l. c.,* vol. XIV, p. 202, etc.

[2] LEO XIII, *ibid.,* p. 199.

[3] Cf. LEO XIII, litt. encycl. *Divinum illud,* 9 maii 1897, *l. c.,* vol. XVIII, pp. 146-147.

[4] Cf. S. GERMANUS CP., *Oratio in Dorm. Deiparae,* III, a; *PG* 98, 371; LEO XIII, litt. encycl. *Adiutricem populi,* 5 sept. 1895, *l. c.,* vol. XV, p. 308, etc.

[5] Cf. Syn. Ephesin., an. 431; Syn. Nicaen. II, an. 787, et hymnologiam orientalem sacram, imprimis S. Ioannem Damascenum.

2. ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
Quoad schema decreti de Ecclesiis Orientalibus

A) *A die 1 iunii 1963 ad diem 30 septembris 1963.*

1

Em.mus P. D. IOSEPH card. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

While I think the content of this draft is very good, there is some doubt in my mind whether the first part of the schemata responds to the pastoral tenor of the Council. It seems that this section is particular and juridical and pertains rather to the Canon Law of the Oriental Churches.

2

Em.mus P. D. FRANCISCUS card. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Schema decreti *de Ecclesiis Orientalibus* cum spiritu oecumenismi veri et caritatis christianae bene confectum, placet.

Unam, tamen, animadversionem facere velim: ad pag. 7 sub n. 9. Dictum est: « Baptizati acatholici ad catholicam Ecclesiam redeuntes, in regionibus sui proprii ritus servare monentur ritum proprium; ... ».

Dubium oriri potest de interpretatione verbi « monentur »: utrum hoc verbum sit praeceptivum, an tantum exhortativum. Praeopto interpretationem mere exhortativum ne libertas filiorum Dei ad Ecclesiam ingrediendam sine necessitate coarctetur (cf. Motu proprio *Cleri sanctitati,* 2 iun. 1957, can. 11).

3

Exc.mus P. D. IOANNES HIERONYMUS ADAM
Archiepiscopus Liberopolitanus

Pag. 11, n. 33. Observantia cautionum... Videtur quod cautiones istae nonnisi a catholicis praestari possint: a non-catholicis difficiliter peti potest assensum baptizandi infantes in alia religione quam in sua, quod esset cogere eos contra suam etsi erroneam agere conscientiam.

4

Exc.mus P. D. GARABED AMADOUNI

Episcopus tit. Amathusius in Cypro

Animadversiones indolis generalis. Liceat mihi facere quasdam animadversiones indolis generalis.

Pars II huius schematis, « De unione christianorum orientalium », continet conceptus qui stricte non cohaerent parti I huius schematis. Potius deberent stare in schemate *de Oecumenismo.* Ita est: *Prooemium* sub n. 45; ita etiam conceptus sub n. 53, melius stat cum capite III schematis *de Oecumenismo.*

Si revera haec pars II remanebit in schemate *de Ecclesiis Orientalibus,* prouti est nunc; hoc in casu, deberet praecedere ipsam partem I, tanquam res generales quae spectant utramque communitatem, et titulus eius melius fieret « De meritis Ecclesiarum Orientalium » vel aliquid simile.

Decreta quae continentur in parte I, quae inter se nullum nexum habent, erunt tanquam resolutiones Concilii, *via provisoria,* pro Oriente catholico, donec unio plena adveniat.

Pag. 7, n. 9, lin. 2. Hic expressio « in regionibus sui proprii ritus » ambigua est. Revera potest interpretari sensu stricto, sumendo pro plaga orientali vel occidentali, prouti communiter fit; vel sensu lato, *pro regionibus in quibus hierarchia ritus erecta est,* etiamsi locus geographice inveniatur in Occidente vel in Oriente, pro occidentalibus. Ita erit, pro ritu latino, hierarchiae in Medio Oriente; pro ritibus orientalibus, hierarchiae in Europa vel in America.

Si mens decreti interpretanda est hoc posteriori lato sensu, tunc non erit in praeiudicium tutelae rituum; secus, praeiudicat graviter principio tutelae rituum Orientis in diaspora. Tunc erit in praeiudicium etiam unitatis catholicae, quia potior erit conditio schismatici orientalis qui respuit unionem et communionem catholicam. Practice evertitur principium proclamatum sub n. 8 huius schematis; hierarchiae orientales erectae in territorio Occidentis lente extinguuntur, propter indebitam aemulationem rituum.

Mihi videtur quod haec libertas acatholici qui venit ad Ecclesiam catholicam debet regi *per actum,* pro singulis casibus separate sumptis, per interventum Sedis Apostolicae, tanquam casus per se rari. Ideo hoc decretum sub n. 9 vel supprimendum, vel mitigandum prouti feci in mea relatione 10 februarii 1963: « Baptizati acatholici qui ad catholicam Ecclesiam admittuntur, proprium quem habent ritum servare debent; salvo iure, in casibus particularibus recurrendi ad Sedem Apostolicam ». Hoc principium commune erit pro omnibus ritibus.

Exhortationes sub nn. 46, 47, 48, 49, in parte II huius schematis, ad nihilum rediguntur, admissa isto decreto sub n. 9, prouti iacet ibi.

Pag. 11, n. 33. Facultas hic concessa praesulibus orientalibus dispensandi a forma canonica proprios subditos, non medetur malo quo laborant hodie matrimonia mixta apud orientales. Nam pars catholica saepe saepius non se sistit parocho suo vel Ordinario ad petendam dispensationem. In mea relatione 10 februarii, proposueram limitare simpliciter formam catholicam matrimonii, *exclusive catholicis,* nempe quando utraque pars contrahens matrimonium est catholica.

Pag. 11, n. 37. Lex abstinentiae et ieiunii quae hic praescribitur, propter ni-

miam reductionem *ad extremos terminos,* potest erigi in scandalum fratrum separatorum, a quibus nos catholici reprobati fuimus in praeterito propter nostram laxitatem.

Pag. 12, nn. 42, 43, 44. Tot et tanta facultas et libertas in usu linguarum in Liturgia, propria est Byzantinis solis. Omnibus aliis Ecclesiis orientalibus non expedit illa libertas. Maxime hodie, cum maior pars Orientis vivit adhuc in separatione, incepta catholicorum in hoc campo possunt in offendiculum erigi pro unione. Ideo haec quaestio, maxime decretum sub n. 44, remittatur *Iuri particulari.* Nimis arduum est legiferare omnibus orientalibus simul. Caute procedendum est. Melius remittere ad *Ius particulare.*

5

Exc.mus P. D. IOSEPH ATTIPETTY

Archiepiscopus Verapolitanus

N. 17 (pag. 8, linn. 12 ss.). Quoad omnimodam facultatem episcopis in n. 17 concessam animadvertendum puto eam nimiam esse. Ex liberiore enim interpretatione verborum in schemate contentorum, orientales eo pervenire possent ut in ordinaria disciplina ecclesiastica fiant sui iuris, et de facto obtineant libertatem statuendi et abrogandi leges pontificias. Hic abusus debet praevideri et vitari. Praeterea quando Ordinarii latini una cum hierarchis orientalibus iurisdictionem in eodem territorio obtinent, disciplina ecclesiastica valde pateretur, et admirationi fidelium locum faciliter dare posset factum facultatis dispensandi hierarchae orientali agnitae et Ordinario latino negatae circa eamdem legem.

N. 27 (pag. 10, linn. 1-5). Quod concessum est patriarchis relate ad fideles ritus latini a Papa Pio XII, in Motu Proprio *Cleri Sanctitati* 2 iun. 1957, can. 283, § 1, *non oportet extendi ad hierarchas.* Huiusmodi enim extensio territorialitati iurisdictionis obstat, ut patet, et, cum episcopi ritus latini, quorum territorium quoque in quibusdam locis ad plures regiones ritus diversi extendatur, ut accidit in Kerala, huiusmodi potestate non gaudeant, imparitatem causat inter auctoritates eiusdem gradus, quod in Ecclesia catholica non bene sonat, et disciplinae sanae detrimento est.

N. 28 (pag. 10, linn. 6 ss.). Quoad n. 28 dicendum est non oportere ullo modo facultatem presbyterorum orientalium extendere extra proprium territorium, saltem ad audiendas confessiones fidelium ritus latini. Obstat non tantum principium territorialitatis iurisdictionis; sed praecipue obstat prudentia christiana in re tam gravi ut est sacramentum Poenitentiae.

6

Exc.mus P. D. CAROLUS BALDINI

Episcopus Clusinus et Pientinus

Nihil observandum quoad hoc schema.

7

EXC.MUS P. D. ANTONIUS BARANIAK
Archiepiscopus Posnaniensis

De catechismo et catechetica institutione. Attento scopo, qui commissioni praelucet, proposita commendatione digna sunt. Attamen habita prae oculis spe futurae unionis christianitatis, editio catechismi pro universa Ecclesia, atque sub auctoritate Concilii Oecumenici, ad interim non videtur opportuna, faciliter enim inceptum hoc novum impedimentum pro consequenda unione creare possit.

De usu linguarum vernacularum in Liturgiis. Propositum commendatione dignum est.

De facultatibus episcoporum. Ad II. Postulata et iusta « adaequatio » officii episcoporum. *Ad mentem commissionis*: Propositio haec certe etiam ab aliis commissionibus inducta erit. Existimare oportet causam hanc — recognitis maioribus facultatibus episcoporum — ad mentem commissionis vel maioritate suffragiorum vel etiam unanimiter acceptatam fore.

De ritibus in Ecclesia. Ad V. Hoc propositum nimis restricte rem disponit. Cur « debent » « ubicumque » ritum proprium servare et « habitualiter illum exercere »? Saltem hic inseri debent verba: « ubi hoc sine difficultate fieri potest ». Aliquando enim huiusmodi difficultates occurrere possunt, ut bono spirituali fidelium transitus in alium ritum potior sit, e. g. cum fideles ritus orientalis habitant in regionibus, ubi Ecclesiae ritus orientalis non habentur, vel cum mulier ritus orientalis cum viro ritus latini matrimonium init (cf. can. 98, § 4, *C.I.C.*). Propositum VIII praevidet quidem possibilitatem transeundi in alium ritum cum consensu Sedis Apostolicae, nihilominus tamen opportunum videtur, iam in hoc proposito V mentionem facere de concedenda a Sede Apostolica permissione mutandi ritus, in casu maioris difficultatis in servando vel exercendo ritu proprio.

Ad VII. Cur acatholici baptizati et in Ecclesiam admissi proprium ritum servare « debeant »? An melius non sit, illos *exhortare* tantum ad proprium ritum servandum, simulque tamen occasione conversionis, *facultatem transeundi in alium libere electum ritum illis concedere?*

Secundo, commendabile videtur distinctionem facere inter conversionem gremialem seu alicuius coetus personarum et inter conversionem singularem seu unius personae. Coetui acatholicorum in Ecclesiam admissorum obligatio servandi proprium ritum iniungi possit, sed individuo facultas eligendi ritum potius concedi debeat.

Tertio, cum hodie aliquatenus de decentralizatione potestatis agatur, num revera ad mutationem ritus in casu conversionis, consensus Sedis Apostolicae necessarius videatur?

Numquid non melius sit facultatem hanc patriarchis concedere et etiam aliis episcopis-Ordinariis, saltem si de singulari transitu in alium ritum agatur?

Ad VIII. Quod supra de consensu Sedis Apostolicae dictum est, etiam hic applicari possit: coetus fidelium cum consensu Sedis Apostolicae in alium ritum transire possunt, singulae vero personae cum consensu patriarchae seu Ordinarii.

De Ecclesiae praeceptis. I. *De diebus festis*: *Ad V-VI*: non desunt hodie voces, ut loco praecepti audiendi Missam die dominica, inducatur obligatio audiendi Missam semel in hebdomada. Proposita V et VI qua solutiones compromissoriae aestimanda sunt.

Ad VII. Propositum etiam in Ecclesia occidentali acceptatione dignum est.

II. *De abstinentia et ieiunio.* Proposita ius vigens consuetudinarium et particulare respiciunt. Nimis dura non exigunt.

Tamquam bona agnoscenda sunt.

Ad IX. Videtur, quod hoc propositum modificandum sit. Cur enim solum hi, qui in communiter contingentibus graviter laborant — nam anni a 20-60 sunt termini laboris quaestuarii — lege ieiunii adstringi debeant, et emeritus sexagenarius vel puer integer et sanus decimo quarto vel decimo sexto anno finito, quoties voluerit, ad saturitatem manducare possit. Numquid non melius sit, aliquot tantum dies ieiunii statuere et omnes a 14 vel 16 anno vitae usque ad obitum, ad illud observandum adstringere, exceptis utique temporibus infirmitatis vel similis causae iustificantis.

Animadversiones hae etiam Ecclesiam occidentalem respiciunt.

III. De Communione paschali: *Ad II.* Existimo restrictionem termini Communionis paschalis ad decem dies, in hodiernis temporibus saltem importunam esse (nisi quod paroeciae in Oriente minimae sint). *Rationes*:

a) Excipere confessiones millenium poenitentium in decem diebus est supra vires sacerdotum.

b) Confessiones celeriter peractae sunt imperfectae.

c) Sacerdotes propter defatigationem praepropere poenitentes absolvunt.

d) Plures poenitentes semel tantum in anno confitentur et ideo ad confessionem, bene persolvendam, multo tempore indigent.

e) Tempore Tridui Sacri et Paschae propter sollemnes celebrationes valde modicum tempus ad audiendas confessiones habetur.

Omnibus igitur perpensis melius videtur iam a priori designare tempus Communionis paschalis a feria IV Cinerum usque ad festum SS. Trinitatis inclusive. Insuper facultas variandi terminos ad omnes eventus casusve Ordinariis concedi potest, prout in proposito habetur (ultima positio).

De Ecclesiae sacramentis. I. *De ministro sacramenti S. Chrismatis*: *Ad III.* Adhuc non licet presbytero ritus orientalis, qui facultate gaudet confirmationem una cum baptismo infantibus sui ritus conferendi, eandem ministrare infantibus ritus latini (can. 782, § 5).

Attentis et dispersione fidelium per totum orbem terrarum et canone 462 *C.I.C.* reservante parocho collationem baptismi sollemnis, probabiliter non sunt timendi abusus canonis a Concilio Oecumenico in hac re statuendi. Opportunum tamen videtur, ut etiam stricte definiatur, quando presbyteri ritus orientalis licite id facere possunt.

In proposito est sermo tantum de validitate, probabiliter idcirco, quia disceptata fuit quaestio an confirmatio contra prohibitionem canonis 782 § 5 a presbytero ritus orientalis infantibus ritus latini collata, valida sit vel non.

Ad IV. Mutatis mutandis praefatae animadversiones etiam hoc punctum respiciunt, quia C.I.C. in canone 782 § 4 statuit: « Presbyter ritus latini cui, vi indulti, haec facultas competat, confirmationem valide confert solis fidelibus sui ritus, nisi in indulto aliud expresse cautum fuerit ».

II. *De ministro sacramenti Poenitentiae.* Proposita necessitatibus temporum et bono spirituali fidelium apta sunt.

III. *De diaconatu permanenti.* Attentis rationibus a commissione in introductione expositis, restitutio diaconatus permanentis qua utilis pro Dei causa agnoscenda est.

Institutio haec — iuxta propositum — non est a priori restituenda, sed eius reviviscentia hierarchiae locali demandatur, quod rectum videtur.

Quod caelibatum attinet respective facultatem ineundi matrimonium a diaconis, quivis ritus vigentem disciplinam particularem in hac re servare debet, quod item maxime consentaneum videtur.

IV. *De forma canonica celebrationis matrimoniorum mixtorum.* Attentis conaminibus « unionem » spectantibus, propositum acceptandum videtur.

Etiam bonum spirituale catholicorum matrimonia mixta contrahentium admissionem propositi suadet, existentibus utique adiunctis in proposito enucleatis.

Magni momenti pro admittendo proposito est etiam factum Pii Pp. XII, qui facultatem hanc iam anno 1949 patriarchis orientalibus concessit.

De patriarchis orientalibus. 1. Attentis rationibus historicis, in introductione expositis necnon rationibus Unionem spectantibus — praesertim vero cum agitur de Ecclesia orthodoxa, in qua patriarchae pro supremis hierarchis suarum ecclesiarum autocephalarum agnoscuntur — proposita rationabilia et approbanda videntur.

Quaestio moveri possit « ad tempus » de iure eligendi Summum Pontificem a patriarchis, qui dignitate cardinalitia insigniti non sunt. Etsi non desunt voces, ut numerus electorum Papae etiam extra Collegium Cardinalium augeatur.

2. Commissio loquendo de potestate iurisdictionis episcoporum non distinguit inter episcopos-Ordinarios et episcopos titulares, attamen hi ultimi iurisdictionem ordinariam non obtinent (de facto).

3. Ad finem (*ADD,* p. 10) commissio proponit « ad modum desiderii » ut pro Ucrainis catholicis sedes episcopalis Kioviensis ad gradum sedis patriarchalis evehatur, et ut pro Ecclesia Aethiopica patriarchatus erigatur. Elevatio Sedis Kioviensis ad dignitatem patriarchalem pro tempore opportuna non videtur, etenim huiusmodi inceptum pro patriarcha Moscoviensi nimis acerbum fieri et varios conflictus excitare possit.

De communicatione in sacris cum christianis orientalibus non catholicis. II. Sub respectu doctrinali et iuridico nil impedit, quominus propositum acceptetur servatis clausulis ibi additis (remoto scandalo etc.).

Scopus — ut momentum unionis approperaretur.

De Ecclesiae unitate « ut omnes unum sint ». 1. An melius non sit, ut versus 18-19 (pag. 8) omittantur? Unitas Ecclesiae in antecedentibus versibus (15-16) cum magna vi asseveratur, et ingerentia civilis gubernii in gubernium Ecclesiae, non semel damnata fuit.

2. Numquid magis opportunum non sit, ut ratione peculiaris condicionis, caput n. 35 (pag. 19-20), quod iam aliquoties damnatum materialismum et militantem atheismum spectat, paulum modificetur?

8

BEAT.MUS P. D. IGNATIUS PETRUS XVI BATANIAN

Patriarcha Ciliciae Armenorum

Praenotanda. In conficiendo hoc schemate, ad parvam molem reductum, multa videntur « ad providentiam Synodorum Orientalium nec non Sedis Apostolicae remissa », quae modo definitivo tractanda erunt a Commissione Iuris Canonici recognoscendi.

Optandum est ut C.I.C. recognitus *unus sit,* amplectens universam Ecclesiam catholicam, in suis variis ritibus latino et orientalibus.

Hoc modo magis apparebit unitas Ecclesiae catholicae, cuius disciplina communis maximam constituit partem codicis iuris canonici Ecclesiae tum latinae tum orientalis.

Ea vero, quae particularia sunt Ecclesiarum latinae vel orientalium, poterunt tractari, in eodem codice, vel particularibus in capitibus, vel canonibus adiunctis iuxta materiam generalem.

Ita, consuletur etiam studio iuris canonici occidentalis et orientalis, quod, in uno eodemque codice contentum, invenire poterunt studentes et consultores atque differentias percipere.

Pag. 6, n. 3, lin. 2. Optime hic numerantur ea quae requiruntur ut quis sit membrum Ecclesiae catholicae: unitas fidei, sacramentorum et regiminis.

Forsan clarius erit dicere: qui *eadem* fide, *iisdem* sacramentis et *eodem* regimine uniuntur.

Pag. 6, n. 3, lin. 7. Melius esset, fortasse, dicere: aequali modo concreditae sunt *supremo* pastorali gubernio Romani Pontificis.

Pag. 6, n. 6. Optandum est ut determinentur relationes inter Ordines et Congregationes latini ritus, quae inter fideles orientales operam navant, et hierarchas locorum orientalium.

Estne rectum ut schola, cuius fere omnes alumni sunt ritus orientalis, habeatur ut schola ritus latini, quia religiosi in ea operam navantes sunt latini, et consideretur ut dependens ab Ordinario latino tantummodo?

Pag. 7, n. 9. Clausula in fine posita « salvo iure ad Sedem Apostolicam recurrendi » videtur inutilis. Etenim, nulla existit in hoc textu obligatio servandi proprium ritum, cum dicitur tantummodo: « monetur » et « hortandum est ».

Praeferenda videtur sequens redactio huius numeri: « Baptizati acatholici ad Ecclesiam catholicam redeuntes, in regionibus sui proprii ritus, servare *debent* suum proprium ritum, salvo iure, in casibus particularibus, recurrendi ad Sedem Apostolicam; extra vero regiones sui ritus vel Ecclesiae, ritum quem maluerunt amplecti poterunt, etsi optandum sit ut proprium ritum retineant ».

Pag. 7, n. 10. Opportune hic declaratur quod Potestas patriarchalis, quae inde ab antiquis temporibus in Ecclesia viget, *iuris est ecclesiastici.*

Pag. 9, n. 24. Adiungere iuvabit, in fine: « ... , etsi hortentur fideles ut in proprio ritu hanc obligationem adimpleant ».

Pag. 9, n. 25. Dicitur: « ... vel iuxta praescripta aut consuetudinem proprii ritus, *Divinis Officiis adsistendi* ».

Actualiter, quod sciam, in nullo ritu orientali catholico, haec ratio agendi locum habet. Obligatio intelligitur de adsistentia Divinae Liturgiae, Missae.

Missa est institutionis divinae, et quidem pro fidelibus. Porro si Ecclesia obligat fideles adsistendi tantummodo Officiis Divinis, hoc significaret eos non obligari adsistentiae Missae, quod contra mentem Christi videtur.

Praeterea, homo habet obligationem praebendi Deo cultum adorationis, actionis gratiae, impetrationis et propitiationis. Missa autem instituta est a Christo ut medium perfectum debitum cultum Deo praebendi. Ideoque non concipitur quomodo Ecclesia, relicta Missae adsistentia, possit aliam obligationem imponere.

Pag. 9, n. 26. Perutilis est facultas quae datur satisfaciendi obligationi inde a vespere vigiliae. Supprimi tamen debent verba: « aut, ubi talis vigeat consuetudo, Divinis Officiis ».

Pag. 10, n. 28. Num extensio intelligitur cumulative ad totum territorium patriarchatus, archiepiscopatus, metropoliae vel exarchiae, etsi data fuerit, v. g., ab exarcha? Vel intelligi debet pro territorio hierarchae qui illam concedit?

Pag. 10, n. 30. Rationes instaurationis diaconatus permanentis valent pro universa Ecclesia catholica. Estne necesse hic, speciali modo, loqui hac de re?

Pag. 11, n. 32: De matrimoniis mixtis. Facultas, concessa *omnibus hierarchis locorum orientalium,* dispensandi proprios subditos a forma canonica matrimonii in mixtis nuptiis, non solvit difficultatem, neque efficax remedium praebet tristissimae situationi.

Iuvat hic repetere ea quae adnotabam, hac de re, die 4 februarii 1963 circa praecedens schema decreti *de Ecclesiis Orientalibus*:

Dispensatio a forma canonica matrimonii in nuptiis mixtis contrahendis consisteret in facultate facta parti catholicae ut contrahat matrimonium cum acatholico baptizato, per solum mutuum consensum expressum.

Porro, haec facultas, in praxi, videtur inutilis: in ritibus orientalibus, non concipitur, apud fideles, matrimonium sine adsistentia et benedictione sacerdotis.

Immo, in mentalitate contrahentium et fidelium, talis facultas, data ab hierarcha parti catholicae, significaret: « Potes adire sacerdotem acatholicum pro celebrando matrimonio ».

Insuper pars acatholica numquam erit convincta de validitate talis matrimonii; neque auctoritas religiosa acatholica illud matrimonium validum habebit.

Praeterea persuasum habeo omnes dispensationes a forma matrimonii, datas in variis ritibus orientalibus, secutas fuisse matrimonio celebrato coram sacerdote acatholico.

Hic status rerum et haec mentalitas ponunt ipsum hierarcham, facultatem dispensandi a forma habentem, coram casu conscientiae angore pleno. Quomodo enim poterit concedere dispensationem — quae est favor Ecclesiae — mulieri quae, contra legem Ecclesiae, firmiter vult adire coram sacerdote acatholico et coram ipso matrimonium contrahere?

Gravissimo et dolorosissimo huic casui liceat mihi sequentem solutionem proponere:

Lex de forma matrimonii non est divina, sed mere ecclesiastica. Porro in

casu magni periculi vel incommodi, lex mere ecclesiastica non obligat. Atqui, in Oriente, ubi catholici sunt generatim minoritas et vivunt simul cum maioritate acatholica, saepe magnum detrimentum esset pro puella catholica respingere matrimonium cum acatholico baptizato, quando nullum est damnum perversionis. Ergo haec lex non obligat.

Cessante obligatione observandi formam matrimonii praescriptam ab Ecclesia, pars catholica potest matrimonium contrahere solo expresso consensu. Ecclesia potest et debet illi impedire aditum ad sacerdotem acatholicum, et quidem cum gravibus censuris. Si, nihilominus, haec pars catholica, ad suum consensum dandum, adit coram sacerdote acatholico, certe peccat contra praescriptum Ecclesiae, et excommunicata considerari potest; sed nulla est necessitas considerandi eius consensum nullum, quia datum coram sacerdote acatholico.

Ideo, loco facultatis dispensationis a forma matrimonii datae hierarchae (quae, ut dictum est, practice inutilis est), lex consideranda est obligatoria ad liceitatem non ad validitatem.

Hoc modo magnum malum impeditur. A promulgatione M. P. *Crebrae allatae* ad dies nostros, plurima millia matrimoniorum mixtorum contracta sunt invalida, coram sacerdote acatholico, et generatim cum magno damno mulierum, quae constituunt partem catholicam.

Mulieres istae catholicae ab auctoritate ecclesiastica acatholica (quae vindicat iniuriam sibi illatam ab Ecclesia catholica declarante matrimonium apud illam contractum nullum) saepe obligantur renegandi fidem catholicam et amplectendi fidem acatholicam; sunt excommunicatae ab Ecclesia catholica; vivunt in statu concubinatus; nulla relinquitur ipsis filios catholice educandi spes; inveniuntur in societate familiali cui Ecclesia catholica (pro hac sua agendi ratione) odiosa facta est.

Status hic infernalis necessario ad damnationem ducere debet.

Num Ecclesia, mater clementissima, relinquere potest tot animas in hoc horribili statu?

Scio S. S. Congregationem S. Officii facultatem dedisse Patriarchis sanandi matrimonia invalida, in his casibus, vere mitigatis conditionibus.

Haec facultas tamen, in praxi, non solvit ingentem difficultatem.

Etenim, ipsa non attingit nisi raros casus. Et in his casibus etiam videndum est revera si cautelae datae a muliere — quae generatim nihil potest facere contra voluntatem mariti dissidentis — sunt moraliter certae.

Dicendum est quoque quod aliquando ipsa catholica mulier non vult fructum percipere ex hac facultate, ut possibilitatem relinquat liberationi, casu quo matrimonium sit ipsi fastidiosum.

Praeterea, nonne ridiculus esset agendi modus sacerdotis, zelo animarum moti, qui sequenti modo agere deberet hoc in casu?

Ante matrimonium deberet, omni conatu, avertere mulierem a matrimonio contrahendo, clare illi declarando ipsam excommunicaturam iri matrimoniumque ab ipsa attentatum non esse nisi concubinatum.

In diebus autem sequentibus matrimonium, deberet, omni conatu, occasionem quaerere illam eamdem mulierem monendi de obligatione sui matrimonii sanandi, illamque hortandi et supplicandi ut hanc obligationem adimpleat, et redeat ad Ecclesiam, quae libenter matrimonium, a quo paucis ante diebus gravissimis censuris arcebat illam, nunc ipsa Ecclesia vult et instanter quaerit regulare reddere.

Concludendo, liceat proponere ut can. 85 M. P. *Crebrae allatae* sequenti modo modificetur: « Ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur ritu sacro *coram sacerdote* et duobus saltem testibus ».

Omnes alii canones, qui sequuntur et respiciunt formam celebrationis matrimonii, debent referri tantummodo *ad liceitatem.*

Hoc modo admisso, oportebit suprema auctoritate Summi Pontificis, declarare sanata in radice omnia matrimonia hucusque, propter defectum formae, invalide contracta.

Hac ratione consulitur, in praesenti et in futuro, saluti animarum tot puellarum et mulierum catholicarum quae, proh dolor, inveniuntur vel inveniri possunt in periculo aeternae perditionis.

Non solum, sed possibilitas datur his mulieribus, post poenitentiam factam de peccato commisso, ad Ecclesiam redeundi, filiosque catholice educandi et aliquando etiam maritum ad fidem catholicam convertendi.

Experientia scimus res, ante M. P. *Crebrae allatae,* ita se habuisse.

Pag. 11: De temporibus sacris. In diebus festi, ieiunii et abstinentiae stabiliendis, procuranda est quantum fieri potest, uniformitas.

Optandum est ut tempus Quadragesimae sit revera, uti olim erat, tempus poenitentiae et mortificationis.

Pag. 12, n. 40. Timendum est ne maxima confusio creetur hac agendi ratione.

Pag. 13, n. 43. Quaenam est haec competens auctoritas cui reservatur approbatio versionum textuum liturgicorum?

Pag. 16, n. 45. Magis magisque insistendum est super necessitatem precum pro unione christianorum, quae erit effectus gratiae.

Hoc meminisse iuvat praesertim viris oecumenismo deditis, qui, aliquando, nimiam importantiam dant conaminibus humanis et mediis naturalibus.

Pag. 16, n. 46, lin. 17. Addere: « ... Orientales, *praesertim in unione cum eadem universa Ecclesia,* meriti sunt ».

Pag. 16, n. 48, lin. 26. Addere: « Quapropter Ecclesia catholica, *salvis quae ad unitatem fidei et regiminis requiruntur,* disciplinam Ecclesiarum orientalium servari eamque foveri iussit ».

Pag. 18, n. 50, lin. 13. Addere: « ... sed meliorem etiam ordinationem suscipere posse, *salvis semper quae ad unitatem fidei et regiminis requiruntur* ».

Pag. 18, n. 52. Curandum est ut haec forma simplicior statuatur et uniformiter adoperetur.

Pag. 19, n. 53, lin. 2. Addendum: « ... ut animarum concordiae et unionis inter Orientem et Occidentem, *magna cum sollicitudine veritatis cognoscendae et Christi voluntatem adimplendae,* efficacius usque provideatur... ».

Pag. 17, n. 47 et pag. 18, n. 51. Magna cum laude sermo fit, hoc in schemate, de pietate christianorum orientalium non-catholicorum, necnon de aestimatione rituum liturgicorum Ecclesiarum orientalium, et de earumdem spirituali patrimonio.

Haec omnia bona pertinent ad Ecclesias orientales, in quantum provenientia a tempore unionis cum Sede Romana. Ideo non sunt propria ecclesiarum separatarum.

Si haec omnia recognoscuntur ut bona ecclesiarum separatarum, tunc necesse est dicere num maneat prohibitio communicationis in divinis, vel non. In specie, manentne prohibita:

a) Susceptio sacramentorum a sacerdote orientali non-catholico: catholicus, laicus vel sacerdos, potestne confiteri apud sacerdotem orientalem non-catholicum?

b) Assistentia divinae liturgiae et divinis officiis in ecclesiis eorum: hac assistentia valemusne satisfacere obligationi assistendi divinae liturgiae, iuxta n. 25?

c) Permittere eis ut sacra peragant in ecclesiis nostris?

d) Peregrinationem instituere ad sanctuaria eorum, vel emittere vota relativa ad haec sanctuaria?

e) Promiscue praedicare in reciprocis ecclesiis?

f) Visitare SS. Sacramentum, orare et alias devotiones peragere in eorum ecclesiis?

g) Matrimonia mixta, nonnisi datis cautionibus et contracta sub lege « formae celebrationis » quae attingit validitatem et liceitatem?

Omnes istae prohibitiones, si manent, nullo modo cohaerent cum iis quae dicuntur in nn. 47, 48, 49 et 51.

Optandum est ne magna discrepantia intersit inter haec dicta et ea quae erunt in Codice reviso Iuris Canonici.

Pag. 17, n. 48, dicitur: « ... sancta Oecumenica Synodus... sollemniter declarat Ecclesias orientales iure pollere se secundum proprias disciplinas peculiares regendi, utpote veneranda antiquitate claras, ... Quapropter Ecclesia catholica disciplinam Ecclesiarum orientalium servari eamque foveri iussit ».

Porro, inter proprias disciplinas Ecclesiae « orthodoxae », est disciplina adorandi eucharistiam *post epiclesim* et non antea. Num disciplina haec huius Ecclesiae admittenda est et retinenda?

Pag. 18, n. 52, dicitur « Tandem haec Oecumenica Synodus, animo considerans non ingens esse discrimen, quo orientales seiunguntur... ».

Num non admittere *primatum* iurisdictionis et infallibilis magisterii Romani Pontificis non est amplius *ingens discrimen?*

In eodem n. 52, lin. 32, quaestio est de iis qui ad unitatem catholicam accedere volunt, et Oecumenica Synodus « non plus ab iis convenientibus exigit, quam necessarium revera sit, ut membra unius, sanctae, catholicae et apostolicae Ecclesiae Christi reapse fiant, formula etiam simpliciore adhibita ».

Quid est illud minimum exigendum? Quaenam est illa formula simplicior? Cuinam incumbit officium determinandi haec omnia, quae non debent relinqui placitis singulorum?

Num minimum illud exigendum est etiam a rudibus et pueris?

9

Exc.mus P. D. MAURITIUS BAUDOUX
Archiepiscopus S. Bonifacii

In genere. 1. Clare apparet totum hoc schema et unamquamque partem conceptam ac conscriptam esse ab occidentalibus, aut ab orientalibus quorum disciplina fuit seu facta est occidentalis, immo romana. Principium et inceptio huius operis committi debuisset orientalibus qui orientales omnino remansissent licet postea etiam cum occidentalibus idem opus considerandum et disceptandum fuisset, qui attu-

lissent divitias et observationes suas quin tamen imposuissent schemati suum proprium conceptum et mentem. Credo omnino necessarium esse hoc schema ita fieri si totum vere acceptari ab orientalibus catholicis, possit et saltem acceptabile sit ab Orthodoxis.

2. Aperte apparet fontes esse occidentales et quidem posteriores scissioni inter orientem et occidentem. Meo humili iudicio, modo prorsus contrario procedendum fuit. Primum fontes ipsos orientales funditus explorare et exhaurire, postea fontes occidentales subiungere eosque primo qui antecedunt separationem adhuc vigentem.

3. Passim, nunc discrete, nunc acriter, assurgit vox quaedam paterna modulatione ornata quae hic et nunc vix ad rem videtur, immo offendere potest, v. g. « peramanter oculos convertit » (pag. 5, n. 1, linn. 2-3); « in memoriam laeta revocat merita » (pag. 5, n. 1, lin. 4); « percupiens suas sollicitudines patefacere » (pag. 5, n. 1, linn. 6-7) etc. Inter fratres modo multo simpliciori agi oportet. Si fuerint contentiones, etiam graves, venia eroganda est « Si... recordatus fueris quia frater habet aliquid contra te... » (*Mt.* 5, 23).

4. Quoad discrepantiam quae viget inter occidentales et orientales, saepius et facilius quam par est momentum nimis magnum assignatur *ritui,* nimis parvum thesauro traditionis et mentis propriae cuius ritus non est nisi externus vultus atque vox. Optandum omnino est ut prae oculis semper habeantur quattuor praecipua elementa orientalis christianismi:

1) *Traditio patristica* una cum proprio eius cultu et arte, cum spiritualitate, cum philosophia theologiaque et poësi sua.

2) *Hierarchia* propria et particularis, cuius lapis angularis est institutio patriarchalis, patriarcho pollente vera auctoritate, quasi suprema, Petri primatu uno salvo — et non tantum privilegiis honorificis.

3) *Liturgia,* variationes admittens in diversis ecclesialibus familiis, cuiusque prima lineamenta a summa antiquitate procedunt et asservata sunt magna cum zelotypia inter tentamina, ambiguitates immo et persecutiones plurimas etiam ex occidentalibus supervenientes.

4) *Lingua* figuris naturaliter abundans, calore et colore plena, dissimillima linguarum notionalium, iuridica structura pollentium et categorematicarum, cuius ingenium permanet etiam si vertatur in varios sermones.

5. Summopere deceret ubique substituere vocabulo « *Romanus Pontifex* » vocabula seu locutiones sequentes aut eisdem similes: « Papa » (*De Ecclesia,* pag. 27, lin. 35; pag. 28, lin. 9); « Summus Pontifex » (*De Ecclesia,* pag. 12, lin. 6); « Supremus Pontifex »; « Vicarius Christi »; « Praesul seu Princeps Collegii Episcoporum »; « Pastor Ecclesiae Supremus »; « Primus Episcoporum »; « Dux Collegii Episcopalis »; « Beati Petri Successor »; « Episcopus Romae », etc. Loco « sub auctoritate », melius utitur « sub ductu », « arbitro Summo Pontifice »... *Rationes*:

1) Ad *veritatem* pertinentes: Non prout *Pontifex Romanus,* etiamsi est episcopus Romae, non prout Primas Italiae aut Patriarcha Occidentis, sed prout successor Petri, electi ex duodecim ad fratres suos confirmandos, Summus Pontifex seu Papa universali munere curae animarum auctoritateque in ceteros episcopos potitur.

2) Ad *prudentiam* et *caritatem* pertinentes: Maximi momenti est ut nostri et *cogitandi* et *loquendi* modi tales sint ut, veritate salva, « ne quod offendiculum

demus Evangelio Christi » (*1 Cor.* 9, 12; cf. etiam *Rom.* 14, 13; *1 Cor.* 9, 9; etc.). Porro, multi sunt christiani, scil. orientales cum catholici tum orthodoxi et alii, anglicani, lutherani aliique multi ex Reformatione orti, quibus maxime displicet vocabulum « Romanus » semper coniunctum cum vocabulo « Pontifex ». Neque Ecclesiae orientales, neque Ecclesiae afro-asiaticae (etsi multae sunt ritus latini) neque Communiones anglicanae et lutheranae, unitate obtenta, idcirco sunt aut erunt « Romanae ». Illud vocabulum fuit semper permanetque ut petra scandali omnino inutilis in recuperanda unitate secundum Christi voluntatem, quae unitas ab uniformitate essentialiter contradistinguitur et est imago diversitatis admirabilis ipsarum trium personarum unicae Trinitatis, perfectaeque multitudinis attributorum divinorum simulque infinitae diversitatis rerum creatarum. Licet potuisset, Redemptor noster neque nasci ex matre romana, neque vicarium suum ex populo romano seligere neque prima lineamenta cultui Corporis sui mystici romana adscribere voluit.

3) *Ex usu* sumptae:

a) Non parum interest ad rem referre quod S. Thomas in *Summa Theologica* locutione *Summus Pontifex* 27 vicibus, at vocabulo *Romanus Pontifex* tantum 11 vicibus usus est.

b) Sensim sine sensu, in documentis e Sancta Sede prolatis, voci « Romanus » substituitur vox « Summus ». Exemplum unum tantum proferam (licet *plurima* addere possem), scil. documentum pontificale cui titulus *Ordo Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi* (*A.A.S.*, 54 [1962], pp. 609-631). Cum in loco C.I.C. ad quem *Ordo* se refert, Papa semper nominatur « Romanus Pontifex », hic semper vocabulum « Summus Pontifex » adhibetur.

6. Schema tractat de multis ad legislationem spectantibus, in quibus maxima pars episcoporum iudicium dare non potest, propter defectum scientiae particularis. Si oriatur, in congregatione generali, consideratio aut disceptatio circa legislationem proprie orientalem, et si Patres orientales substantiam huius legislationis aut formulam non admittant, concilium sententiam suam reservare et differre oporteat, etiamsi maior pars Patrum occidentalium huic legislationi faveat.

In specie: *Pars I, de disciplina Ecclesiarum orientalium. Prooemium.*

Pag. 5, n. 1, linn. 1-13. *Omnino non placet.* Hic textus ostendit Ecclesias orientales quasi partem Ecclesiae universalis ad quam Ecclesia latina magna et gratuita cum benevolentia se convertit, utens verbis suaviter suasivis tanquam tutor erga pupillum. Sermo ipse sonat prout egrediens ab interno ad aliquem in externo positum. Oporteret hoc prooemium ostendat diversitatem Ecclesiarum orientalium sicut rem connaturalem Ecclesiae. Hae Ecclesiae ortae et auctae sunt ab aetate apostolica secundum ingenium unicuique populo peculiare, et progressum perfecerunt sub institutione patriarchali. Vi huius traditionis antiquae, in oriente magna gaudentis veneratione vique evolutionis propriae Ecclesiarum tum orientalium, tum occidentalium, tandemque ob varias historicas causas, oportet omnes Patres studium suum conferant in ea quae sunt propria his Ecclesiis tanquam pertinentia per se *ad commune bonum totius Ecclesiae,* idque eo magis quod expansionem effecerunt et perseveraverunt vitaliter in multis mundi partibus aliis quam regiones in quibus ortae sunt.

Pag. 5, n. 2, linn. 14 s. « Ecclesiarum... declarat ». Haec sententia debet *tota supprimi.* Praestaret incipere affirmando « Ecclesia enim catholica intendit... » etc.

(linn. 16 s.) et sic efficere ut varietas non ostendatur prout tolerantia in Ecclesia. Ecclesia enim incarnatur in populo, dato, definito, neque gaudet facultate destruendi quod est proprium huic populo, sed officium habet assumendi et christianum efficiendi quidquid hic populus possidet pretii humanitatis et virtutis. Quae ceteroquin varietas traditionum singularium multum auget divitias incomparabiles Ecclesiae.

Pag. 6, n. 3, linn. 1-11. *Non placet tota paragraphus* in genere sumpta. Nova refectio textus incorporare deberet elementa quatuor sequentia:

1) Adhibere linguam quae reddat accurate modos cogitandi et loquendi orientalium, cum figuris suis exquisitis, v. g. substituere « Corpus Ecclesiarum » (cf. S. Basilius, *In Isaiam*, 15, 296: *PG* 30, 637), de quo agitur in schemate *de Ecclesia* (pag. 28, n. 17, lin. 27), expressioni « Corpus Christi mysticum » (linn. 1-2);

2) Cum agitur de Unitate Ecclesiae (linn. 2-3), semper mentionem facere Spiritus Sancti;

3) Potius loqui de *communione* cum Summo Pontifice (lin. 7 et linn. 10-11) quam de subiectione ei; et in hac re, verba « gubernio, moderamine » melius acceptarentur si commutarentur in favorem verborum familiarium Patribus orientalibus, aut iam usitatorum in Conciliis ante XI saeculum habitis;

4) Explicite mentionem facere Patriarchatuum aut Metropolium (linn. 3-4).

Pag. 6, n. 4, linn. 12-17. *Haec paragraphus placet,* salva reverentia debita indoli propriae regionis, ut ex historia et factis compertae, v. g. in regione orientali, ubi ergo non deceret instituere patriarchatum latinum iuxta patriarchatum orientalem iam pridem existentem.

Pag. 7, n. 9, linn. 1-5. Textus emendatus proponitur: « Baptizati acatholici ad catholicam Ecclesiam convenientes, in regionibus sui proprii ritus servant ritum proprium; extra vero regiones sui ritus seu Ecclesiae proprium ritum retineant, salvo tamen iure ob gravissimas causas ad alium ritum transeundi (cf. *Act.* 15, 12).

Pag. 7, n. 10, lin. 7. Substituenda verba « soli Successori Petri ducuntur » verbis « soli Romano Pontifici subduntur »; sic utitur flexibiliore formula.

Pag. 7, n. 11, lin. 15. Substituere verba oportet « sub ductu Summi Pontificis exercendam » verbis « sub... exercendam ».

Pag. 7, n. 12, linn. 18-19. Substituere liceat verba « ab antiqua traditione condita et a primis Conciliis agnita vel a Summis Pontificibus data » tanquam historice accuratiora, verbis « a Romano... vel agnita ».

Pag. 7, n. 12, lin. 23. Addere debet sententiam: « Polleant patriarchi plena auctoritate sua traditionali, Summo Pontifice non nisi per modum exceptionis interveniente prout signum aut medium catholicae unitatis in certis actibus, v. g. recognitio electionis aut nominationis hierarcharum, constitutio novarum eparchiarum, itemque metropolitanarum sedium, acceptatio legislationis latae a Synodis, etc.

Pag. 7, n. 13, lin. 27. Addere oportet sententiam hanc: « Patriarchi orientales apostolici praecedentia polleant relate ad cardinales, iidemque de iure conclavibus participent ».

Pag. 7, n. 14, lin. 28. Incipiatur sententia verbis « Agnitio vero et constitutio novorum... » loco verborum « Constitutio vero », ut accuratio historica magis servetur.

Pag. 7, n. 14, lin. 31. Post « normas » inserendum est « agnoscere vel » ut sensus sit definitior.

Pag. 8, n. 15, lin. 4. Substituantur verba « sub auctoritate immediata patriarchae vel alius auctoritatis proprii ritus, in communione cum Summo Pontifice » verbis « sub auctoritate Romani Pontificis », ut sensus sit magis definitus.

Pag. 8, n. 16, linn. 10-11. Post verbum « intercedat » addantur verba « Summi Pontificis, Patriarchae vel Synodi in contrarium declaratio », auctoritates enim intermediariae idoneae habitualiter sunt ad decernendum de his rebus quin semper recursu ad Romam utantur.

Pag. 8, n. 17, lin. 16. Addere oportet « Patriarchatus vel Synodus » post « Sedes Apostolica ».

Pag. 9, n. 20, lin. 2; pag. 9, n. 22, lin. 11. Substituere convenit « conferre » verbo « administrare », quod nimis connotat gestionem temporalem.

Pag. 9, nn. 23-26. Conveniret hic sequi ordinem alium, ita ut tractetur 1. de *Missa,* 2. de *Communione* et 3. de legibus ecclesiasticis pertinentibus ad totam hanc materiam, scil. n. 25, n. 26, n. 23 et n. 24.

Pag. 9, n. 24, lin. 20. Substituenda verba « in proprio ritu si conveniens sit, salvo iure » verbis « et salva facultate ».

Pag. 9, n. 25, linn. 22-26. *Non placet haec paragraphus* propter facturam imperfectam. Primo loquendum esset de Missa quoad valorem, et postea tantum de obligatione fidelibus imposita. Insuper, modus loquendi de Eucharistia non permeatur spiritualitate et loquela propria orientalibus. Agnoscenda esset Eucharistia ut « occursus » cum Christo, et Communio tanquam anticipatio ac pignus supremi occursus in Parousia.

Pag. 9, n. 26, lin. 30. Addere decet exhortationem sequentem: « Si fideles nequeunt praeceptum adimplere statis temporibus, instanter invitantur ut Sacrae Liturgiae participent altera die hebdomadis ».

Pag. 10, n. 27, linn. 3-5. Substituere oportet verba « declarare eorum potestatem ad confessiones excipiendas fidelium cuiusvis ritus ubicumque terrarum non amplius ligari nec reservari » verbis « ut ipsi... habeant ». *Ratio*: haec potestas inhaeret plenitudine sacerdotali episcopi neque potest considerari ut facultas ei concessa.

Pag. 10, n. 28, lin. 11. Inserenda sunt post verbum « exarchatus » verba « in quolibet loco etiam alterius ritus » ut accuratius res exprimatur.

Pag. 11, n. 33, linn. 11-12. Mutare oportet sententiam « omnibus hierarchis... dispensandi » ita ut sic legatur: « Omnes hierarchae locorum orientalium, non vero Syncellae sine speciali mandato, potestate pollent dispensandi... ». *Ratio*: sicut supra pag. 10, n. 27, linn. 3-5.

Pag. 11, n. 36, linn. 29-30. Totaliter de medio tollendum est, nam agitur de transpositione can. 1252, §§ 4 et 5 *C.I.C.* In Ecclesiis vero orientalibus, cum adest Sponsus, nullum fit, ut par est, ieiunium.

Pars II, de unione christianorum orientalium.

Pag. 17, n. 48, linn. 20-31. *Forma huius paragraphi nullomodo placet,* et de toto est modificanda. Conveniret incipere more prorsus positivo affirmando perspicuam diversitatem Ecclesiarum particularium orientalium mirabiliter illustrare Ecclesiae divitias et pulchritudinem, mediante praecipue traditione patristica et perceptionibus anticipativis (gallice: intuitions) sibi propriis in theologia per textus

liturgicos insinuatis aut prolatis ex diversis suis ritibus et variis scriptorum operibus. Contributio haec patristica et theologica adservat et manifestat amplitudinem traditionis christianae. Praeterea, diversitas ipsa rituum accuratius ostendit id quod est essentiale in fide qua aduniuntur omnes catholici et quod est accidentale, sicut usus vernaculi aut ceremoniarum peculiarium liturgicarum. Denique discrepantiae in forma etiam hierarchica regiminis optime manifestat Ecclesiam non esse natura sua monolithicam.

Pag. 17, n. 48, lin. 23. Non pertinet ad Concilium declarare sollemniter Ecclesias orientales frui iure disciplinaque propria, siquidem hoc est factum antiquum et ius innatum a primo apostolico tempore Ecclesiae subortum.

Pag. 17, n. 48, linn. 26-28. Abolere oportet sententiam « Quapropter... iussit » quia referta est quodam paternalistico animo respiciente Ecclesias orientales proinde ac si essent extra Ecclesiam catholicam.

Pag. 17, n. 48, linn. 28-31. Transferenda est haec sententia ad pag. 18, n. 49, lin. 8, post verbum « habitis ».

Pag. 17, n. 49, linn. 34 s. Abolere decet totam sententiam incipientem verbis « Nam Ecclesiarum... et honore » quia inopportuna videtur et prae se fert quamdam superbiam in verbis.

Pag. 18, n. 50, linn. 9-13. Haec sententia, parum clara, exhibet conatum quemdam publicitatis. Eius loco, haec verba congrua viderentur: « Ad satisfaciendum aspirationibus altioribus Ecclesiarum orientalium, Concilium affirmat voluntatem suam firmam in ordinationem meliorem iuxtaque traditionem antiquam instituere statum rerum orientalium Ecclesiae catholicae, in hodiernis rerum adiunctis vigentem ».

Pag. 18, n. 50, linn. 13-18. Huius nebulosissimae sententiae vix intelligitur sensus, qui praeterea potest sumi aliter omnino atque intenditur. Supprimantur verba « ordo hierarchicus » nisi explicetur quid significent. Tota sententia refecta sic posset conscribi: « Disciplina enim ecclesiastica secundum necessitatem vere probatam, mutationem ac perfectiorem valet recipere formam, quae omnium christianorum orientalium unitati magis respondeat et dignitati melius consulat ».

Pag. 18, n. 52, linn. 31-32. Omittantur ut plane superflua verba « atque de plenitudine Revelationis participent ».

Pag. 18, n. 52, linn. 32-35. Huius sententiae spiritus oecumenicus maior evaderet eam mutando sic: « quam professionem in una, sancta, catholica et apostolica Ecclesia Christi, formula etiam simpliciore adhibita ».

Pag. 19, n. 53, lin. 4. Post « precibus imprimis » addenda verba « etiam cum fratribus orthodoxis ».

10

Rev.mus P. D. HENRICUS BLIESTLE

Superior gen. Miss. a S. Familia

Ante omnia confiteri oportet, schema decreti operam navare particulares proprietates indolesque christiani orientis agnoscendi ac tuendi.

In prima sectione partis II imprimis aliqua dicta inveniuntur perpulchra in laudem venerabilium Ecclesiarum orientalium earumque spiritualitatis in genere et Divinae Liturgiae in specie, et sincere confitetur, historiam, traditiones et plu-

rima instituta praeclare testari, quantopere de universa Ecclesia orientales meriti sint (n. 46).

Insuper solemni promissione declaratur, Ecclesias orientales iure pollere, se secundum proprias disciplinas peculiares regendi (nn. 48, 49). Bene nempe prae oculis habendum est, ritus orientales duos ordines comprehendere, liturgicum scil. et disciplinarem, nec sufficere propriam liturgiam solam fideliter servare, sed et peculiarem disciplinam omnino retinendam esse.

Omnibus his non obstantibus quaedam observationes afferendae sunt, quae aliqua mutanda suadere videntur.

A. *Animadversiones in genere.* 1. Oritur quaestio, utrum opportunum sit proponere decretum peculiare *de Ecclesiis orientalibus,* an ea, quae ibi tractantur, potius diversis aliis decretis inserenda sint, praesertim decreto de Ecclesia, necnon decretis de Sacramentis, de Oecumenismo etc. *Ratio*: Ecclesiae orientales eodem modo ad eandem Unam Ecclesiam sicut Ecclesia latina pertinent. Non gaudent statuto peculiari constitutionem Ecclesiae quod attinet. In hoc tamen differunt, quod accuratius servabant antiquam Ecclesiae structuram, quae in patriarchatu occidentali evolutionem maiorem subiit. Quae structura Ecclesiae occidentalis, separatione inter orientem et occidentem semel facta, magis magisque ut unica forma structuralis Ecclesiae apparebat. Exinde, unione diversarum Ecclesiarum orientalium cum Ecclesia catholica ex parte restituta, earum structura ab occidentalibus tamquam adveniens, licet antiquissima, et per modum privilegii concessa considerabatur.

Decretum de Ecclesia debet esse sat larga ut etiam conditiones speciales Ecclesiarum orientalium ibi locum habere valeant.

2. Absque dubio Primatum Romani Pontificis, successoris B. Petri, in universam Ecclesiam clara voce declarare oportet.

Attamen decretum *de Ecclesiis Orientalibus,* cum habeat relationem ad Ecclesias orientales ab Ecclesia Romana seiunctas, non solummodo *sensu* oecumenico pollere, sed etiam *lingua* oecumenica loqui debet, quam orientales intelligere valent.

Quare minus in « Submissionem » sub auctoritate Romani Pontificis insistendum est (nn. 10, 11, 15) quam in « Unionem » cum Summo Pontifice, successore B. Petri, cui omnes hierarchae ad regendam propriam Ecclesiam adhaerere tenentur.

Oportet semper servari aequilibrium inter duos aspectus regiminis Ecclesiae, monarchici nempe et collegialis.

3. Valde, ut supra iam attulimus, laudanda est solemnis promissio orientalibus facta, propriam disciplinam fideliter observare eis omnino licere.

In specie quod patriarchas attinet, quorum dignitas et auctoritas apud omnes orientales summopere ponderatur, decretum exoptat, « non solum ut eorum iura atque privilegia... salva maneant, verum etiam ut patriarchatus orientales prospere vigere ac florere pergant et in pristinum splendorem restituantur » (n. 12).

Nemini tamen effugi potest, talem promissionem in concreto absque necessitate restrictiones pati (cf. nn. 14, 16).

B. *Animadversiones in specie. Pars I.* I. *De Ecclesiis particularibus.*

N. 9. Sicut in novo Iure Canonico pro Orientalibus (De Ritibus Orientalibus et de Personis, can. 11, § 1), etiam in hoc decreto non satis insistitur, ut christiani

orientales unionem cum Ecclesia catholica amplectentes proprium ritum, cui antea adscripti fuerint, retineant.

Sat clarum est, quod facilitas transeundi ab uno in alium ritum non nisi in favorem ritus latini cedat, cum haud aliquis ab uno ritu orientali ad alium ritum orientalem transeat. Quod « latinismum » sic dictum sapit.

Ad minus caveatur, ne motiva inhonesta ex una vel altera parte occasionem transeundi praebeant.

II. *De sacra hierarchia*. N. 10. Licet doctrina prolata omnino sit recta, formulatio tamen per terminum « subduntur » nimis et modo unilaterali Primatum sublineat, dum ex altera parte dignitati et auctoritati patriarcharum derogat.

N. 11. Quare iterum auctoritas Romani Pontificis in patriarchas repetitur, cum iam in numero praecedenti declaratur?

N. 12. In enumerandis rationibus, a quibus auctoritas patriarcharum deducitur, iuxta evolutionem historicam prius recensenda sunt Concilia Oecumenica, deinde Romanus Pontifex. Insuper ipsa evolutio historica ut ratio, et quidem prima, adducenda est.

N. 14. Textus auctoritatem patriarcharum restringens non bene concordat cum illis, quae sub n. 12, de dignitate patriarcharum dicta sunt.

N. 15. Inserendi sunt et patriarchae, ita ut textus sonet: « ... gubernant et pascant in plena unione cum patriarcha aliove supremo hierarcha propriae Ecclesiae necnon cum Romano Pontifice ».

N. 17. Terminus « Sedes Apostolica » apud orientales quadam ambiguitate pollet. Habentur in Ecclesia Christi plures Sedes Apostolicae, i. e. Sedes episcopales quae ab ipsis Apostolis originem ducunt. Melius de « Sede Romana » vel de « Romano Pontifice » sermo fiat.

III. *De disciplina sacramentorum*. N. 20. In Ecclesiis orientalibus fere omnibus minister *ordinarius* sacramenti Chrismatis non est episcopus solus, sed quilibet sacerdos, exceptis iis Ecclesiis quae et hac in re elapsis temporibus Ecclesiae latinae se conformaverunt.

Sacerdos ergo simplex sacramentum conferre in illis valet ut minister ordinarius, non tantum extraordinarius.

Textus decreti in hoc deficit logica, cum declaret ex una parte, episcopum solum esse ministrum ordinarium huius sacramenti, ex altera tamen parte apud orientales « ab antiquissimis temporibus » vigere praxim, iuxta quam presbyteri sacramentum administrare valeant, ideoque talem praxim « plene » instaurandam esse.

Nn. 27-29. Quaestio de facultate confessiones excipiendi modo generali pro universa Ecclesia solvenda est, et quidem, per comparationem ad ius hodie vigens, modo essentialiter extensivo.

Nn. 32-33. Quaestio de matrimoniis mixtis sub respectu Ecclesiae universalis solvatur.

Attamen notatu dignum est, exstare magnum discrimen inter Ecclesias orientales, quae omnes indolem sacramentalem matrimonii strenue defendunt, et Ecclesias eam negantes.

Vehementer optandum est, quod pro orientalibus restituatur praxis quae ante annum 1949, i. e. ante promulgationem novi iuris pro orientalibus in hac materia vigebat, iuxta quam matrimonium mixtum inter nupturientes catholicum

et orthodoxum censebatur validum etsi tantum coram sacerdote orthodoxo celebratum, ritu liturgico apud orientales ad hoc proviso et requisito, licet deficiente debita permissione ecclesiastica illicitum.

Simplex dispensatio a forma, quo ab omni caeremonia religiosa abstrahitur, orientalibus scandalum est.

Iuxta antiquum orientalium morem matrimonium celebratur coram sacerdote sponsi.

Loco « cautionum » opportunius esset excipere simplicem promissionem nupturientis catholicae — agitur quasi exclusive de sponsa — inquantum moraliter valeat prudentem curam habere de prole in fide catholica baptizanda et educanda. Parochus competens eam de hac morali obligatione modo paterno instruat.

Ex rationibus psychologicis et religiosis omnino respuenda et tollenda est situatio, quod coram parocho catholico « cautiones » de prole in Ecclesia catholica baptizanda et educanda praestandae sunt et postea nupturientes coram sacerdote orthodoxo promittere tenentur, se prolem Ecclesiae orthodoxae baptizandam praestaturos esse.

Talis situatio necessario habetur in illis regionibus, ubi matrimonio coram parocho catholico celebrato habetur ritus matrimonialis coram sacerdote orthodoxo, consentiente auctoritate ecclesiastica, cum ille ritus ex parte potestatis civilis omnino exquiratur ad effectus matrimonii civiles obtinendos.

Quanta turbatio mentis et conscientiae ex tali situatione oritur! Quantum periculum, ut nupturientes omnia parvipendant: promissiones praestitas in hac re et in genere, obligationes religiosas, auctoritatem Ecclesiae etc.

IV. *De cultu divino.* Nn. 39-40. Cum decreto valde laudanda sunt conamina, ut catholici aliique christiani conveniant in unicam diem, qua festivitatem Paschatis omnes celebrent.

Pars II. III. *Orientalium sacerdotium et fides.* N. 52. Pars media, verbis sequentibus constans « ... atque conspiciens eos quotidie nova et iusta incitamenta invenire ut ad catholicam unitatem accedant, atque de plenitudine Revelationis participent... » delenda est, cum, ut non plus dicam, ad minus indole psychologica omnino careat.

Quod omnia Spiritum Domini spirent qui « per diversitatem linguarum cunctarum gentes in unitate fidei congregavit ».

11

Exc.mus P. D. HUGO BRESSANO DE ARAÚJO

Episcopus Mariliensis

De solo animarum seu Ecclesiae bono solliciti, hocce schema cum summis encomiis tum nonnullis etiam (sit venia verbis) negativis censuris dignum fatemur.

Ad encomia praesertim faciunt quae sub litt. A) continuo sonant; ad negativas censuras autem quae dein, praenotamine posito, sub litt. B).

Ceterum, sub utraque littera, ut legenti patebit, ob oculos tantummodo veniunt orientales uniti, cum de Fratribus orientalibus separatis quaecumque promit schematis pars altera unisono plausu dignissima noscuntur.

A) *Ad orientales quod attinet, in suis plagis qui degunt,* optime sane sese habet schema.

Nam orientalium in suis plagis degentium ritus, disciplina, regimen, iura, privilegia integra certo certius manere debent et omni modo in melius foveri, prout ceteroquin Apostolicae Sedis mens est necnon apud omnes in confesso.

Et hocce asseritur, ut patet, etiam quoad orientales in occidentis plagis inde a saeculis degentes et vere particulares Ecclesias constituentes, ut videre est in nonnullis Italiae Meridionalis partibus.

B) *Ad orientales autem quod attinet, in novellis Americae nationibus qui degunt, eorumque praesertim descendentes,* obiectivitate carens idem perhibetur schema.

Praenotamen. Hic tangitur, ut liquet, possibilis discordiae pomum.

Nam, apud orientis et Europae nationes, *in sociologico cogitandi modo,* plerumque praevalet « ius sanguinis », dum econtra apud nostras novellas Americae gentes, *in plenissima rerum obiectivitate,* omnino imperat « ius soli ».

Et re quidem vera, in nostra, e. c., Brasiliensi Republica, nova ob oculos evidenter efformatur gens, ex omni fere stirpe coalescens.

Aliis verbis, illudmet « razzialis » coagmentationis seu potius assimilationis phaenomenon, quod olim, e. c., in Italia, valde pedetentim obtinuit, tot videlicet decursu saeculorum, ... heic, nostra tempestate, tot tantisque novis faventibus adiunctis, summa celeritate procedit.

Sane quidem, e parentibus sive ex Europa sive ex oriente huc demigratis filii qui nascuntur, quique hic adolescunt et postea *cuiuslibet stirpis* uxores, quas volunt, ducunt, re prorsus vera, brasilienses sunt, *et non modo penes fictionem iuris.*

Nullatenus negari potest tanta assimilationis vis heic fortiter suaviterque vigens, omnesque (*solis, ut patet, exceptis Iudaeis*) involvens, sin minus quandoque in priore, at certe in generatione altera vel tertia.

Quae cum ita revera sint, *ipsummet animarum seu Ecclesiae bonum omnino exigit ut hocce Oecumenicum de orientalibus Ecclesiis decretum a tanta rerum obiectivitate nullatenus abstrahat.*

Venerabiles confratres igitur enixe in Domino rogamus ut omni cura attendere velint ad ea quae mox, esto perquam breviter, notantur seu etiam suggeruntur.

1. Candide agnoscatur necesse est *aliam esse conditionem orientalium huc demigratorum, atque omnino aliam eorum descendentium,* utpote reipsa brasiliensium (ut in praenotamine signanter inculcandum fuit).

2. Ex consequenti, absit necesse est ab ecclesiastici legislatoris mente quilibet conatus (chimaericus sane qui esset, utpote omni fundamento in re prorsus carens) ad hoc tendens ut, denis vel bis denis lustris post, exsistant in his novi mundi plagis novellae florentesque Ecclesiae *orientales,* patriarcharum in oriente degentium iurisdictioni subiectae, e fidelibus nimirum (esto, penes fictionem iuris, brasiliensibus) constantes, proavorum (tamen) idiomate loquentibus.

3. Quin potius, *Ordinariis orientalibus specialissima impraesentiarum esto sollicitudo* ut sanctae vitae sacerdotes, iugiter et maiore qua fieri possit copia, eligant, qui in has plagas, quamdiu orientalis immigrationis phaenomenon pergit

(quod forsitan per saeculum erit, prout felici nobis omini est), mittantur ad spiritualem curam de suis concivibus gerendam huc appellentibus.

4. Qui sacerdotes orientales omnes, *tamquam propriis Ordinariis,* subsint episcopis orientalibus heic degentibus.

5. Qui porro orientales episcopi cum *plene in nostro Brasiliensi episcoporum corpore, ceu, iuribus aequalia, membra integrentur,* tum patriarcharum in oriente degentium iurisdictioni nullatenus sint subiecti, sed, propriam personalem Provinciam constituentes, suum habeant metropolitam, unum nimirum ex ipsis, Apostolicae Sedi immediate subiectum.

6. Orientalium huc demigratorum spirituale bonum, penes ea quae heic, sub nn. 3, 4 et 5, suggeruntur, omni ex parte (in germine utique) provisum videtur.

7. *Fideles autem brasilienses ex orientali stirpe,* sive ex toto sive ex parte, *descendentes* (maxime post generationem alteram) cum revera brasilienses sint et nonnisi qua tales sese habeant, perinde ut nonnisi qua tales in foro civili et sociali habeantur, *necesse omnino est nullatenus amplius exsistant,* ad ecclesiasticum forum quod attinet, *vigenti « exceptionis » regimini subiecti,* quippe queis ceteroquin summopere displicet, ut apud fere omnes in confesso dignoscitur.

Necesse, inquimus, omnino est eosdem in Ecclesiae quoque foro ita prorsus haberi itaque revera esse, ut ceteri, sine exceptione, brasilienses omnes, e qualibet alia stirpe descendentes.

Sint videlicet et ipsi nonnisi latini ritus et nonnisi qua tales habeantur prorsus.

Quam maxime igitur in votis est ut, cum nova sint tempora, i. e., cum prorsus nova, in his novellis mundi partibus, exsistant rerum personarumque adiuncta, tum, veteribus dimissis, *nova* etiam *emergant criteria in ritu determinando, cui sit subiciendus fidelis.*

Ut vix notare oportet, heic, sub n. 7, ritus nomine venit disciplina dumtaxat seu regimen. Nam ad ritum, prout, iure merito, potissimum audit s. Liturgiam, facit subsequens ultimusque 8 numerus.

8. Ad sacras Liturgias quod spectat, quibus ditissima promitur orientalium traditio, firmissima nobis arridet spes fore ut, ipsorum orientalium huc demigratorum eorumquem descendentium tramite, perquam magnum sint omni populo allaturae bonum, modo, ut patet, sacri textus lusitane sonent, prout iam, felici auspicio, fieri incipit, e. g., in urbe S. Pauli.

Hae sunt considerationes praecipuae, quas, gravi quidem conscientiae pondere pressi, venerabilibus in episcopatu confratribus, de solo animarum seu Ecclesiae bono sollicitis, summa cum sinceritate promere satagimus, firmiter sperantes fore ut summa quoque industria ab ipsis ad trutinam sapientis criticae revocentur necnon ad lacunam in hocce praeclarissimo decreto implendam eisdem haud nihil deserviant.

12

Exc.mus P. D. ALOISIUS CARLI

Episcopus Signinus

Schema in genere placet. Proponuntur haec, quae sequuntur, emendamenta.

N. 1, lin. 3. « ad *illas* venerabiles ». Auferatur « illas », quia non habet postea correlativum.

Lin. 3. Loco « orientis » (quae vox sensum geographicum habet) dicatur potius « *orientales* », quae sunt illae quoque quae in occidente versantur, ratione ritus.

Lin. 5. Vox « catholicae » auferatur, quia superflua prope « universae ».

Lin. 7. Loco « sive in oriente sive in occidente » melius diceretur: « sive *in orientis* sive *in occidentis* finibus *vivunt* ».

Lin. 10. Loco « inter populos orientis » dicerem « inter populos *orientalium rituum* ».

N. 2. Proponitur nova formula quae videtur clarior: « Ecclesiarum particularium orientalium varietas in Ecclesia *catholica* nedum eiusdem noceat *unitati,* eam potius declarat. *Quapropter* Ecclesia catholica intendit ut salvae et integrae maneant legitimae uniuscuiusque *particularis Ecclesiae* traditiones *propriae,* pariterque vult ut *earum Ecclesiarum* vitae ratio variis temporum locorum*ve* necessitatibus aptetur ».

N. 3, linn. 1-4. Omitterem, utpote hic non necessariam immo forte disputabilem definitionem Ecclesiae.

Lin. 6. Dicatur, claritatis causa, « ... partim *inter se* differentes ».

Lin. 11. Loco « nulla vero Ecclesia », dicatur: « nulla vero Ecclesia *particularis* ».

N. 6, lin. 23. Loco « Ordinibus et Congregationibus Ecclesiae latini ritus » dicerem potius: « Ordinibus et Congregationibus *latini ritus* ».

Lin. 25. Loco « etiam provincias orientales » dicerem: « etiam provincias *orientalis ritus* ».

N. 7, lin. 29. Dicerem: « in cognitione *rituum,* doctrinae, *disciplinae,* historiae etc. ».

N. 9, lin. 1. Sic melius dicendum videtur: « Baptizati acatholici *orientalis ritus, qui ad catholicae Ecclesiae unitatem admittuntur,* in regionibus etc. ».

N. 10, lin. 8. Loco « ... in alios superiorem auctoritatem habere » dicerem: « ... in alios *episcopos* auctoritatem habere ». Illud « superiorem » superabundat.

Lin. 9. Loco « Potestas igitur patriarchalis » dicendum videtur: « Potestas igitur *patriarchae, qua talis,* in episcopos etc. ». *Ratio* est: in propria Eparchia potestas patriarchae in clericos et fideles est vere episcopalis, ergo iuris divini.

N. 12, linn. 20-23. Sic legerem: « Ideoque haec Sancta Synodus non solum *statuit* ut eorum iura... maneant, verum etiam *exoptat* ut patriarchatus orientales etc. ».

N. 13, lin. 25. Loco « tempore posteriores sint », melius diceretur: « tempore *anteriores* sint », nam inaequalitas dignitatis posset oriri ex anterioritate.

N. 14, lin. 30. Loco « cuius est etiam », dicerem « *quorum* est etiam ». *Ratio*: iuxta ea quae dicta sunt in n. 12, non solum Romanus Pontifex sed etiam Concilium Oecumenicum est competens.

N. 15. Totus hic numerus est superfluus, quia est res quae agitur in schemate dogmatico de Ecclesia. Ergo auferri potest.

N. 16, lin. 6. Loco « iis reservationibus » dicatur « iis *tantum* reservationibus ».

Lin. 6, Loco « quas bonum commune Ecclesiae » dicerem fusius: « quas *unitas* Ecclesiae ac bonum *animarum* commune ».

N. 17. Totus hic numerus melius mihi ita sonaret: « Singulis Ecclesiarum orientalium episcopis facultas est a lege generali pro Ecclesiis orientalibus lata in

casu *tantum* peculiari dispensandi, quoties id ad bonum spirituale fidelium conferre *prudenter iudicaverint,* dumomdo agatur de re in qua Sedes Apostolica, *aut alia auctoritas cui specialis reservatio ab eadem Sede Apostolica forte facta fuerit,* dispensare solet ».

N. 20, lin. 2, pag. 9. Claritatis gratia, dicerem: « Idcirco *omnes* presbyteri *orientalium rituum* hoc sacramentum etc. ».

N. 22, lin. 11. Loco « servatis quoad liceitatem etc. » dicendum videtur « servatis quoad *validitatem ac* liceitatem etc. ». *Ratio* est, quia pro presbyteris latini ritus Confirmationem in periculo mortis administrantibus quaedam conditiones sunt ad validitatem. Ergo eaedem conditiones manere debent etiam quando confirmant fideles orientales.

N. 25, lin. 22. Illud « saltem » videtur omnino auferendum, quia obligatio restringitur ad solos dies dominicos et festos de praecepto.

N. 26. Haec facultas mihi videtur inopportuna, ergo non concedenda. Nam:

a) si pro orientalibus concedatur, etiam occidentalibus erit concedenda: idque practice dissacraret institutum diei dominicae, quod iure censetur originis apostolicae;

b) in praxi, dies dominica esset vacua omni cultu divino, quia omnes fideles libentissime onus implerent vespere sabbati, ut tota dies dominica sit pro ipsis libera;

c) turbaretur significatio dogmatica diei dominicae, si cultus anticiparetur ad diem sabbati (quidam sabbatismus!);

d) cessaret mensura chronologica pro omnibus fidelibus, etiam eiusdem loci, quae sit eadem pro omnibus;

e) obligarentur episcopi ad duplicandas Liturgias, ad dandam commoditatem adsistendi Sacris sive die sabbati sive die dominica: idque cum gravi incommodo pro sacerdotibus, qui iam numero non sunt sufficientes.

N. 27, linn. 1-3. Verba « Cum... extendatur » videntur auferenda, quia *a*) ratio legis non est lex, et in iure non est necessaria explicatio; *b*) immo periculosa, cum accipi possent tamquam clausula facultatem ipsam limitans.

Melior videtur formula quae in schemate de episcopis et de dioeceseon regimine habetur, ita: « Placuit huic Sanctae Synodo ut patriarchae et hierarchae orientales, necnon et episcopi mere titulares, ipso iure facultates habeant:

1) Audiendi ubique terrarum confessiones fidelium cuiusvis ritus, etiam religiosorum utriusque sexus;

2) absolvendi ubique terrarum fideles cuiusvis ritus, etiam religiosos utriusque sexus, ab omnibus peccatis etiam reservatis, una excepta delatione qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud iudices ecclesiasticos; necnon absolvendi ubique terrarum, pro externo quoque foro, ab omnibus censuris etiam reservatis, exceptis: *a*) censuris ab homine; *b*) censuris Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatis; *c*) censuris adnexis revelationi secreti S. Officii; *d*) excommunicatione latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservata contra clericos in sacris constitutos, omnesque cum illis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes.

N. 34, lin. 19. Loco « Dies festi pro omnibus », dicatur « Dies festi *de praecepto* pro omnibus ».

N. 40, lin. 16. Loco « Ad unitatem etc. » dicatur: « *Interim,* ad unitatem etc. ».

N. 44, lin. 7. Loco « non fiat inconsulto hierarcha loci » dicatur « non fiat *nisi probante* hierarcha loci ». Inconsulto, videtur parum.

N. 45. Titulus partis II non placet, quia ambiguus. Propono ut ita dicatur: « De unione christianorum orientalium cum catholicis fovenda ».

Lin. 1, « Sancta haec Oecumenica ». Auferatur adiectivus « haec » ad vitandam cacophoniam.

Lin. 2. Loco « fratres orientis etc. » dicatur « fratres *christiani* orientis ».

N. 47, lin. 5. Auferatur « *omnes* », quia inutile et forsan haud verum.

N. 48, lin. 31. Loco « quae unitati huic adversantur » melius diceretur: « quae *rectae fidei* unitati *aut bonis moribus adversentur* ».

N. 50, lin. 13. Loco « ... quo unitas catholica instauranda impediatur », dicatur « ... quo *unio cum catholicis* instauranda impediatur ».

Lin. 14. Loco « siquidem disciplina ecclesiastica et ordo hierarchicus » dicatur: « siquidem ordo hierarchicus *iuris ecclesiastici* et ecclesiastica disciplina ».

Lin. 17. Loco « quae omnium christianorum orientalium unitati magis respondeat et dignitati melius consulat » dicerem: « quae omnium christianorum orientalium *unioni cum catholicis* magis *faveat* et dignitati melius consulat ».

N. 51, linn. 20-21. Loco « sacerdotium... valide servatum fuisse », dicatur « sacerdotium... *validum* servatum fuisse ». Validitas enim stat in ipso sacerdotio non in eiusdem conservatione.

Lin. 24. Loco « a ministro posita fuerint » dicatur « a ministro *competente* posita fuerint ».

N. 52, lin. 29. Loco « quo orientales seiunguntur », dicatur: « quo *christiani* orientales *a catholicis* seiunguntur ».

Linn. 34-35. Loco « Ecclesiae Christi... adhibita », melius diceretur: « Ecclesiae Christi, *super Petrum fundatae ab eoque in aevum pascendae,* reapse fiant, formula *professionis Fidei* adhibita *quae uniuscuiusque scientiae et conscientiae respondeat* ». *Ratio*: 1) debet saltem commemorari pomum discordiae inter nos et orientales, scil. primatus Petri; 2) non potest adhiberi eadem formula pro simplici fideli redeunte et pro episcopo aut clerico aut theologo! In horum professione necessaria videtur expressa mentio illorum dogmatum quae ab orthodoxis nunc impugnantur.

N. 53, lin. 3. Loco « orientem ac occidentem inter » dicatur « orientem inter ac occidentem ».

N. 54, linn. 14-15. Loco « Cum autem... est » dicatur « Cum autem... *sit* ».

13

Exc.mus P. D. BERNARDINUS COLLIN
Episcopus Diniensis

Hoc schema satis respondere videtur praecipuis desideriis hierarchiarum orientalium, nam his venerabilibus Ecclesiis veram ac legitimam dignitatem tribuit in Ecclesia universali, quod quidem Oecumenismo favet. Attamen tres quaestiones nondum solvuntur.

Prima ad auctoritatis in quaque regione unicitatem pertinet (n. 4 non hanc dirimit).

Non amplius solvitur quaestio oriunda ex patriarcharum optandam participationem ad electionem Summi Pontificis.

Tandem principalis quaestio, cum sive praxim pastoralem sive oecumenismum advertimus non dirimitur, scil. communicatio in sacris praesertim. Maxime optandum videtur ut Concilium, secundum antiquam consuetudinem, liberales leges instituat quoad sacramenta non catholicis ministranda. Unaquaeque hierarchia determinare poterit praxim tenendam pro qualibet Ecclesia vel loco.

Fortasse, immo, utiliter tolerandum esset ut catholici fideles recipere possint sacramenta a ministris non catholicis quotiescumque necessitas vel opportunitas id postulet, salvo tamen indifferentismi periculo.

Observationes particulares. Pag. 5, n. 2, lin. 18: bonum erit ut orientales Ecclesiae adhortentur ad mutationes quasdam quae tamen ad « latinizationem » non dirigantur.

Pag. 6, n. 4: optabile erit ut pro certo designentur ii qui convocabunt et praesident collationes periodicas et etiam praevidere coetus permanentes interrituales.

Pag. 7, n. 9, lin. 1: « Transeuntes » melius sonat quam « redeuntes ».

Lin. 4: dicto « Optandum est » bonum videtur addere « generatim » cum hoc verbo indicetur norma generalis.

Pag. 7, nn. 10 et 11: clare definiendum quomodo designantur patriarchae, metropolitani et episcopi bonum erit.

Pag. 7, n. 13: pro certo semel indicandus est et per modo conciliario quaenam praecedentia inter patriarchas. Hoc est magni momenti in Ecclesiis orientalibus.

Pag. 18, n. 51: cur non confiteri, eadem reverentia, validitatem tam episcoporum orientalium quam patriarcharum non catholicorum?

14

EXC.MUS P. D. IOSEPH ANTONIUS DAMMERT BELLIDO

Episcopus Cajamarcensis

N. 6. No es suficiente la recomendación, debe imponerse que tengan las Ordenes y Congregaciones provincias orientales para trabajar eficazmente en esas regiones.

Nn. 32-33. En los matrimonios mixtos las cauciones, generalmente, son odiosas para los cristianos acatólicos, en particular porque se considera que el Sacramento del Matrimonio es válido, lo que es solemnemente afirmado por el presente esquema (n. 51).

15

EXC.MUS P. D. IOSEPH DESCUFFI

Archiepiscopus Smyrnensis

De patriarchis in Ecclesiis orientalibus. Rogo ut sequens paragraphus postponatur paragrapho 2, de patriarchis in schemate *de Ecclesiis orientalibus.*

De patriarchis. In Ecclesiis orientalibus ex antiquo nuncupantur patriarchae

illi episcopi aut metropolitae qui sedem habebant in capite provinciarum quae magna dignitate et potentiore principalitate pollebant in imperio romano. Sicut primitus, Urbes Antiochiae, Alexandriae et postea Byzantii.

Quando in Nicaeno, in Constantinopolitano I (382) et postea in Chalcedonensi (451) eis concessa est iurisdictio et auctoritas extraterritorialis « parilis Romani Pontificis in regione sua » implicite agnoscebatur initium nascentis primatus Sedis Romanae in iure ad appellationem quod est unum ex privilegiis in primatu contentis.

In posterum, specie post Chalcedonense patriarchae pro sibimetipsis vindicaverunt in ecclesias sibi submissas potestatem iurisdictionis; et hoc ipso significabant omnibus compertum esse sine iurisdictione reali regimen et unitas Ecclesiae tueri non posse.

Hanc veritatem experientia comprobatam Christus iam nos edocuit quum vi potestatis suae divinae instituit Petrum principem Apostolorum et promisit ei assistentiam divinam eius successoribus iure communicandam ut Ecclesia sua in universo mundo usque ad consummationem saeculi sit *unum,* ad imaginem SS. Trinitatis et in terris fiat *unum ovile et unus Pastor,* ab oriente usque ad occidentem!

Notanda. 1. *Ad unionem fovendam,* patriarchae orientales, ordine hierarchico in Conc. Lateranense (1215, can. 5) et in Florentino iam recepto, sint etiam dignitate cardinalitia insigniti et in Congregationibus necnon in Commissionibus Romanis cum pari reverentia admissi, fiant cum aliis novis cardinalibus creandis pro regionibus exteris in nationibus noviter surgentibus, non occidentali sed aliena cultura instructis, *authoctoni* consultores, cooperatores aut rectores, in S. Congregatione Orientali aut forsan in alia nova Congregatione instituenda pro regionibus non latinis Asiae, Africae et aliis similibus. Hac nova ordinatione rerum, sub auctoritate directa Summi Pontificis, immane pondus Ecclesiae universalis et praesertim orientalis et aliarum nationum exterarum cum eo portabunt et sic Sacrum Collegium et Congregationes aspectum universalis Ecclesiae praebebunt.

2. Patriarchatus exteri non sunt « latinizandi » nec strictae administrationi romanae (accentramento) addicendi. Eorum iura antiquissima quae multum superant illa quae latinis cum nimia parsimonia conceduntur, non debent esse imminuta, sed immo latinis praesulis etiam sunt elargienda cum liberalitate et fiducia, si volumus unionem Ecclesiarum favere.

Iura Ecclesiarum orientalium compendiose indicantur in *Dictionnaire de théologie Catholique,* Ammann, Tome XI, Pars II, column. 1931-1940 et column. 2282-2285.

16

Exc.mus P. D. DOMINICUS SENYEMON FUKAHORI
Episcopus Fukuokaensis

Nil habeo dicendum. Placet.

17

Exc.mus P. D. IOSEPH GOGUÉ

Archiepiscopus Basrensis Chaldaeorum

Introduzione. Curioso ed enimmatico titolo eppure è una verità storica base di tutta la storia umana, comincia in terra e una volta fuori dalla terra, rimane eterna come eterno è l'Autore di ogni cosa, con questa differenza quanto all'esistenza, Egli non ha principio né fine, ma l'uomo ha principio ma non ha fine.

L'Oriente e l'Occidente. 1. La storia dell'uomo comincia in una parte dell'oriente ben conosciuta da tutti, sia riguardo al luogo sia relativamente ai fatti accaduti, in quel luogo, basta citare alcuni nomi per volgersi subito colla mente verso quelle località dell'oriente: Eden, Tigride, Eufrate, Senear, Babilonia, Ur dei Caldei, Haran Canaan, Ninive, Egitto, Palestina, Mesopotamia (attuale Iraq).

2. Il primo uomo conobbe l'Autore dell'universo, il che vuol dire egli partecipò alle perfezioni non solo nell'esistenza della materia creata, ma anche nella conoscenza di un ordine soprannaturale.

3. Il primo uomo è nell'oriente, e così il primo popolo, la prima lingua, la prima conoscenza dell'Autore dell'universo e dell'uomo; Autore al quale si dà universalmente il nome di Dio. Tale conoscenza di Dio è la prima, fu communicata da Lui stesso all'uomo, e così entriamo subito e direttamente nella sfera divina, per poter dire quel che ebbe luogo in oriente, passò di poi all'occidente, perciò il titolo l'oriente e l'occidente.

4. Oltre quel che fu detto vi è ancora, in favore dell'oriente, quanto segue, tutto da parte dell'oriente e nell'oriente. Iddio scelse dall'oriente e nell'oriente un uomo, lo chiamò, gli parlò e gli promise di farlo il capo di un popolo. L'oriente conosce chi è Abramo e da qual paese era, chi sono i suoi figli e quale è il popolo da essi uscito, di più conosce quali furono le promesse di Dio a quel popolo, e quale fu l'ultima e la più bella, utile, desiderabile, e quasi necessaria promessa, eseguita con una rinnovazione del mondo intero, per tutta la durata dell'umanità sulla terra. Basta nominare uomini, e indicare avvenimenti, per provare la vera storia dell'oriente, non solo riguardo al principio naturale e sociale, ma precisamente riguardo alla sua destinazione divina e alla sua missione unica per il bene dell'umanità intera, sia per la vita spirituale terrestre, sia per l'eternità felice, così che l'oriente fu per così dire la patria di Dio, e poi di Cristo Dio e uomo.

5. I nomi con gli avvenimenti sono: Adamo, Eva, Noè, Sem, Abramo, Isacco, Giacobbe, coi figli Giuda ecc., Mosè, Profeti, profezie, Vecchio Testamento, Maria e l'angelo Gabriele, Giuseppe, Cristo, Apostoli, Nuovo Testamento, Pietro, Chiesa, Roma e Romano Pontefice.

Questi nomi indicano l'unica via scelta dal Creatore dell'uomo da principio, eseguita da Cristo, dallo Spirito Santo da continuarsi dalla Santa Chiesa Romana fino alla fine del mondo, quando si troverà la sola vera chiesa.

Questo fu l'oriente nell'idea di Dio e nelle sue opere per realizzarle.

Questa dunque fu la prima parte della storia umano-divina. Quindi il titolo l'Oriente e l'Occidente è ben giustificato, il secondo titolo l'Occidente e l'Oriente, dimostrerà che i due titoli non erano un enimma, anzi spiegano e confermano una parola del Signore: « ed ecco ci sono degli ultimi che saranno i primi, e dei

primi che saranno gli ultimi » (*Lc.* 13, 30). Perciò entriamo senz'altro nel nostro secondo titolo.

L'Occidente e l'Oriente. Introduzione. Nella prima parte di questo nostro trattato abbiamo avuto in mira l'Oriente. Ma la storia dell'umanità contiene molte relazioni tra l'oriente e l'occidente, conquiste di paesi, commercio, lingue, scienze, leggi. Nonostante tante modificazioni e complicazioni, Iddio continuava la sua via adattando tutto all'adempimento della sua volontà per il bene dell'uomo.

Per meglio mettere in chiaro il nesso religioso e la decisione finale divina per la stabilità finale definitiva della fede e la morale dell'uomo riguardo l'Oriente e l'Occidente senza la minima differenza, e necessario dare qui in breve un'idea semplice storica dei due continenti.

L'Oriente. 1. Gesù nasce quando i romani dominavano la Palestina, Maria e Giuseppe fuggono col Divin Bambino in Egitto poi tornanò in Palestina: i due viaggi furono intrapresi sulla parola dell'Angelo.

2. I giudei furono in esilio più di una volta ed in più di un paese: in Mesopotamia dei Caldei, in Alessandria di Egitto, in Roma. Questo stato imponeva cambiamenti ai giudei, p. e. nella lingua e perciò sulla croce fu scritto, Gesù di Nazaret re dei Giudei, in ebraico (aramaico), greco e latino.

3. Questo ci conduce a dire che Dio aveva preparato coll'esilio e cattività dei giudei la via a questi popoli non giudei, per accettare la predicazione di Cristo, dagli Apostoli, poiché tale predicazione era prima destinata ai giudei che aspettavano il Messia del quale sapevano molte cose dalla loro Bibbia.

Quindi logicamente parlando e concludendo gli Apostoli dovevano avere tra le loro prime ed esigenti missioni in quei paesi dove si trovava un gran numero di giudei, e da questo primitivo nucleo di giudei orientali ed Apostoli orientali, con dottrina dall'Oriente e da Dio uomo orientale insieme con popoli, oltre gli orientali anche gli occidentali, si formarono in una comunità cristiana, col nome di Chiesa.

4. Questa chiesa deve avere certi esercizi religiosi, e così vediamo in uso tre riti con tre comunità in tre lingue: ebraico (aramaico) per il Vecchio Testamento, insieme con il greco ed il latino.

Conclusione. Ecco come si è formata finalmente la vera Chiesa di N. Signore Gesù Cristo: una sola Chiesa per tutti gli uomini, in tutti i tempi, e paesi fino alla fine del mondo, per formare dopo la vita umana su questa terra la Chiesa vittoriosa, beata, eterna nel cielo.

L'Occidente. Alla nascita della religione cristiana vediamo i fedeli pieni di fede e zelo, come vediamo alcuni con certa condotta scandalosa sono rimproverati. Alcuni altri tennero certe idee erronee ma sparirono ben presto, la Chiesa rimaneva una.

Da secolo in secolo vediamo divisioni, comunità con certi insegnamenti falsi, contro le verità insegnate dagli apostoli, ed ecco l'esistenza di chiese con nomi personali o dottrinali.

È possibile che tutte queste chiese siano in pari tempo vere ed accettabili da Dio, dallo Spirito Santo e da Gesù Cristo stesso?

Certo no. Se si può provare una verità dichiarata da Cristo medesimo essa dovrebbe essere accettata da tutti.

Ora Cristo nonché lo Spirito Santo, non era loro possibile d'istituire una chiesa senza munirla di mezzi di stabilità incrollabile nell'insegnamento, apostolato, e nella dottrina, cioè nell'unità della chiesa stessa. Quindi lo Spirito Santo sapeva che quella sua chiesa sarebbe fatalmente divisa come è stato spiegato sopra, perciò ispirò S. Pietro di recarsi a Roma dove la promessa di Cristo a Pietro sarebbe pienamente verificata. Tu es Petrus, ecc.

Così arriviamo finalmente a trovare il capo degli Apostoli e della Chiesa in Roma.

Se la Chiesa ebbe inizio in oriente eccola che si continua in occidente conseguentemente dove è il capo sarà anche il corpo, corpo mistico di Cristo il che vuol dire Chiesa occidentale.

Ma la Chiesa deve essere una e quei popoli che non si trovano in detta Chiesa non hanno la prima dottrina cristiana, e per questo motivo si sono formate molte chiese con differenti contradittorie. Ma se Cristo non può mancare alla verità e l'unità della sua dottrina, così non può confermare ed accettare tali articoli di insegnamenti opposti ai suoi. Dio uno, uno Spirito Santo ed un sol Cristo, una sola ed unica Chiesa di Cristo, la rocca sulla quale Cristo volle edificare la sua Chiesa è Roma, Roma è nell'occidente e perciò Chiesa occidentale per i popoli occidentali come quelli che vivono nell'oriente hanno la Chiesa orientale.

Quindi questo secondo titolo l'occidente e l'oriente conferma e spiega che la Chiesa è una in sé, indivisibile nella sua essenza, perciò deve essere una nella sua prerogativa divina: l'unità. Quanto ad altre denominazioni accessorie dovrebbero piuttosto consolidare quell'unità che distruggerla o paralizzarla.

Conclusione del soggetto. La Chiesa di Cristo è, deve essere, e non può non essere che una.

1. La Chiesa cattolica romana, Chiesa cattolica romana latina, Chiesa cattolica romana caldea, Chiesa cattolica romana greca, Chiesa cattolica romana sira, ecc. Non più Chiesa orientale e occidentale.

2. Conclusione pratica per la fede, l'unità e l'amministrazione. A) Un solo codice di diritto canonico per tutta la Chiesa. B) Con appendice di usi, tradizioni particolari per ogni rito. C) Le SS. Congregazioni romane, coi loro soggetti da trattare per tutti senza nessuna distinzione per i latini e per gli orientali ecc.

Questa separazione non cagiona se non una vera separazione, inferiorità tra gli orientali ed occidentali.

Diritti e doveri uguali per tutti, tutte le chiese orientali sono forse uguali fra di loro? Eppure non sono divise come se fossero orientali ed occidentali.

Una sola Chiesa. Tutto era nell'oriente e dall'oriente. Tutto fu consegnato all'autorità nell'occidente.

L'oriente e l'occidente: l'occidente e l'oriente.

Epilogo. 1. Una sola Chiesa santa cattolica apostolica romana. 2. Una sola legge, una sola amministrazione per tutti.

18

EXC.MUS P. D. CAROLUS GRECO
Episcopus Alexandrinus

Placet.

19

Exc.mus P. D. CAROLUS HERMANNUS HELMSING

Episcopus Kansanopolitanus - S. Ioseph

This Schema is, in general, to be commended. The veneration manifested towards the Eastern Churches is most praiseworthy.

Concerning Patriarchs (page 7), it would perhaps be desirable to acknowledge their precedence over all other prelates.

20

Rev.mus P. D. IOANNES HOECK

Praeses Congr. Bavaricae O.S.B.

DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS
IN UNIONE CUM SEDE ROMANA VIVENTIBUS

A.

Textus propositus
cum emendationibus minoribus
(ordine partim mutato)

Pars I
DE ([a]) DISCIPLINA

([a]) CONSTITUTIONE ET

B.

Adumbratio novi textus
(sublineatis novis partibus et correctionibus manu propria factis).

in B omittitur, quia deest Pars II

Prooemium

A 1. Sancta Oecumenica Synodus Vaticana II, amplissima ([a]) Patriarcharum ac Praesulum orientalium corona honestata, peramanter oculos ad illas venerabiles Orientis Ecclesias convertit ([b]) atque in memoriam laeta revocat merita ([c]) quae illae decursu saeculorum inter tam varias vicissitudines sibi et catholicae universae Ecclesiae comparaverunt. Percupiens, igitur, suas sollicitudines erga has venerandas Ecclesias, quae nunc sive in Oriente sive in Occidente conspiciuntur, patefacere, idque spectans, ut eaedem floreant, et novo robore apostolica missionem pro-

B 1. Apostolicis Ecclesiis Orientalibus praeter ea, quae natura sua ad universam spectant Ecclesiam nihil amplius statuendum est quam quae ab earum Hierarchis ipsis proposita sunt, ceteris ad competentium auctoritatum i. e. Patriarcharum praesertim eorumque Synodorum providentiam remissis.

priam inter populos Orientis explicent, nonnulla capita, a Patriarchis ac Praesulibus orientalibus proposita, ([d]) probare et promulgare opportunum censuit, ceteris ad providentiam Synodorum Orientalium nec non Sedis Apostolicae ([e]) remissis.

([a]) deleatur « amplissima », quia revera est minoritas parvissima, ca. 1:30!
([b]) Totum prooemium aliqualiter supercilium sapere videtur et quandam « indulgentiam erga pauperes cognatos ».
([c]) haec merita potius antiquis Ecclesiis Orientalibus sunt imputanda quam hodiernis.
([d]) quaedam vero capita ab orientalibus revera omnino alio sensu sunt proposita!
([e]) deleatur « nec non Sedis Apostolicae » quia huius Sedis vel Romani Pontificis auctoritas nimis saepe inculcatur (non minus quam duodecies in hoc decreto). Sufficit una vel altera vice. Ceterum terminus « Sedes Apostolica » non est univocus.

I. De Ecclesiis autonomis
vel: De varietate in Ecclesia universali

A 3. Sancta (enim) et catholica Ecclesia, quae est Corpus Christi mysticum, organice ([a]) constat ex fidelibus, qui fide, sacramentis et regimine uniuntur, atque ([b]) in coetus hierarchia iunctos coalescentes, particulares Ecclesias constituunt. Huiusmodi particulares Ecclesiae, ritibus uti aiunt, scilicet liturgia et ecclesiastica disciplina ([c]) partim differentes, aequali modo ([d]) concreditae sunt pastorali gubernio ([e]) Romani Pontificis, qui Beato Petro in primatu super universam Ecclesiam divinitus ([f]) succedit. Eadem proinde ([g]) pollent dignitate, iisdem fruuntur iuribus, etiam quod attinet ad propagandam fidem catholicam ubique terrarum sub moderamine Romani Pontificis ([h]) nulla vero Ecclesia ratione ritus ceteris praestat.

B 2. *Divina dispositione factum est, ut singulae ab Apostolis eorumque successoribus variis in locis institutae Ecclesiae decursu temporum in plures* coaluerunt coetus Hierarchia iunctos, *qui salva fidei unitate* certis differebant et differunt proprietatibus sive in *constitutione* et disciplina sive in ***theologia,*** liturgia, ***canonibus, lingua, indole*** *spiritualique patrimonio.*

vide infra B 3.

NB. Articuli A 2 et 3 logice invertendi sunt, primo origo et definitio (n. 3), deinde approbatio (n. 2, vide infra!). « Enim » ergo in lin. 1 est delendum.
([a]) « organice » melius ponitur ad verbum « uniuntur » (lin. 5).

([b]) + « primo in Ecclesias locales deinde in maiores »..., quia Ecclesiae locales uti stadia evolutionis magni momenti non omnino silentio praetereundae videntur.
([c]) + « necnon theologia et traditione spirituali »...
([d]) « aequali modo » est ambiguum. Certe primatus Romani Pontificis est iuris divini, sed hoc ius variis modis exerceri potest et revera decursu temporum exercebatur.
([e]) « pastorali gubernio » praeferendum « paternae curae ».
([f]) loco « divinitus » melius: « iure divino ».
([g]) Cur « proinde »? Melius « Ceterum ».
([h]) « sub moderamine Romani Pontificis » delendum. Vide supra A 1 not. e!

A 2. Ecclesiarum particularium Orientalium varietas in Ecclesia nedum eiusdem noceat catholicitati, eam potius declarat; Ecclesia enim catholica intendit ([a]) ut salvae et integrae maneant legitimae uniuscuiusque nationis vel regionis ([b]) particulares traditiones pariterque vult suam vitae rationem aptare variis temporum locorumque necessitatibus.

vide supra B 2.

([a]) melius « declarat ».
([b]) loco « nationis vel regionis particulares traditiones » melius dicendum « Ecclesiae particularis traditiones ».

B 3. Quae Ecclesiae varietas nedum unitati noceat, eius potius catholicitatem demonstrat. Quare haec Sancta Oecumenica Synodus *priorum sequens exempla et documenta confirmans* singularum Ecclesiarum traditiones omnino agnoscit et sancte ac integre declarat esse conservandas, tuendas atque fovendas. *Omnes ergo hae particulares Ecclesiae ea gaudent autonomia, quae singulis competit ex earum origine, traditione et dignitate quaeque earum ingenio magis est consona et consueta; hac sane condicione, ut unaquaeque remaneat in unione fraterna cum tota Ecclesia sub cura primatiali Romani Pontificis, successoris Sancti Petri, cui nempe Dominus mandavit, ut confirmet fratres suos.* Ceteroquin nulla earum aliis praestat, sed omnes iisdem fruuntur iuribus iisdemque tenentur obligationibus, etiam quod attinet ad fidem ubique terrarum propagandam.

B 4. Ut autem unio et pax cum Sede Sancti Petri meliori quo potest fieri modo servetur, unaquaeque Ecclesia habeat Legatum apud eam unum ex suis Hierarchis, qui sive singulatim sive una cum aliis Legatis traditiones, iura et necessitates suae Ecclesiae com-

cf. infra A 7

petenter exponat et defendat, et viceversa Sedes Romana habeat Legatos apud Ecclesias orientales, qui in cognitione historiae, doctrinae atque indolis harum Ecclesiarum bene sint instituti.

Nota ad B 4. De deficiente repraesentatione Ecclesiarum Orientalium apud Romanum Pontificem et viceversa multae proferuntur quaerimoniae. Congregatio Romana de Ecclesiis Orientalibus multis orientalibus est scandalum offensionis, non solum quia saepius ex membris haud idoneis constat, sed praesertim quia iura Ecclesiarum Orientalium nimis coarctat (cf. e. g. Codificationem iuris can. Orient.) et ita earum autonomiae contradicit.

A 4. In hac tamen diversitate Hierarchae variarum Ecclesiarum particularium in eodem territorio iurisdictionem obtinentes, curent, collatis in periodicis conferentiis consiliis, unitatem actionis fovere, et, viribus unitis, communia adiuvare opera, ad bonum religionis expeditius promovendum et cleri disciplinam efficacius tuendam.

Nota: Hac in re etiam orientalium non una est sententia. Omnes quidem conqueruntur de tam nociva rivalitate variarum Ecclesiarum in eodem loco vel territorio, tamen multi hierarchae non erunt parati hunc rerum statum funditus mutare. Alii vero sibi persuasum habent sine « sanatione in radice » omnem spem meliorationis esse vanam. Cf. e. g. *Acta et Docum.* Ser. I, Vol. II, pars IV (Asia), p. 448.

A 5. Provideatur ubique terrarum tuitioni atque incremento omnium Ecclesiarum particularium, sive erigendo paroecias pro variis Ecclesiis, sive constituendo pro unaquaque Ecclesia propriam Hierarchiam, ubicumque id postulat numerus atque bonum spirituale fidelium, et quantum fieri potest.

B 6. Ceterum Patriarcharum eorumque Synodorum est providere ubique terrarum tuitioni Ecclesiarum Orientalium, erigendo pro ipsis paroecias, ubicumque id postulat numerus atque bonum spirituale fidelium. ([a])

([a]) Omissa sunt verba « atque incremento », quia non « ubique terrarum incrementum omnium Ecclesiarum particularium » videtur optandum; et verba « constituendo pro unaquaque Ecclesia propriam hierarchiam », quia contradicerent articulo B 5.

A 6. Ordinibus et Congregationibus Ecclesiae latini ritus quae ([a]) in-

B 7. Ordines vero est Congregationes latini ritus, quae inter fideles

ter fideles orientales operam navant, enixe commendatur ut, ad maiorum apostolatus efficaciam, domos aut etiam provincias orientales, quantum fieri potest, constituant.

orientales operam navare *intendunt, studeant* domos aut etiam provincias orientales constituere. *In suo apostolatu etiam ipsae iurisdictioni Hierarchae loci subsunt.* ([b])

([a]) + cum approbatione et sub iurisdictione respectivi hierarchae...
([b]) Certe magna et indubitata sunt merita cleri latini in Oriente, sed propter pacis caritatisque bonum in hodiernis adiunctis melius censeo, si orientales omnes unum ex suis ritibus adoptarent et apostolatus latinorum paulatim restringeretur ad occidentales ibi commorantes, ne Oriens videatur « terra missionis ».

A 7. Illi vero qui ratione sive muneris, sive apostolici ministerii, frequens habent cum Orientalibus Ecclesiis aut cum earum fidelibus commercium, in cognitione doctrinae, historiae, atque indolis orientalium accurate, pro gravitate officii gerunt, sint instituti.

Artic. A 7 in B omitti potest. Cf. *supra* B 4.

A 8. Omnes et singuli fideles proprium ubique terrarum retineant ritum, eumque colant et, pro posse, observent; nec ad alium ritum transire valent, nisi iuxta normas ab Apostolica Sede ([a]) statutas.

B 8. Unicuique fideli Ecclesiarum Orientalium fas est aut suum ritum retinere aut, si mavult, ritum loci, ubi vivit, observare, ([b]) excepto ritu latino.

([a]) melius « a iure ».
([b]) Si solutio supra (B 5) proposita acceptatur, obligatio ad certum ritum neque necessaria neque optabilis videtur.

A 9. Baptizati acatholici ad catholicam Ecclesiam redeuntes ([a]) ut proprium ritum retineant; salvo iure ad Sedem Apostolicam recurrendi.

Articulus A 9 in B omitti potest (cf. B 8!).

([a]) melius: « accedentes ».

II. De sacra hierarchia

De Patriarchis

A 10. Quoniam omnes Episcopi iure divino inter se aequales sunt et soli Romano Pontifici ([a]) subduntur, clare constat neminem eorum in alios superiorem auctoritatem habere aut exercere posse, nisi illam iure ecclesiastico obtinuerit. Potestas igitur Patriarchalis in Episcopos, clericos et fideles, quae inde ab antiquis temporibus in Ecclesia viget, iuris est ecclesiastici. ([b])

Articulus A 10 melius omittitur cum sit sine necessitate nimis rigidus. Sufficit dicere Synodos hanc potestatem agnovisse (cf. infra B 9) et de cetero hanc spinosam quaestionem sinere in suspenso.

([a]) melius: « soli Collegio Episcoporum eiusque capiti, Romano scilicet Pontifici ».
([b]) + « etsi specialis dignitatis, cum iam a primis Synodis Oecumenicis agnita sint ».

A 11. Nomine (enim) Patriarchae Orientalis venit Episcopus cui canones tribuunt([a]) iurisdictionem in omnes Episcopos, haud exceptis Metropolitis, clerum et populum territorii vel ritus, ad normam iuris et sub auctoritate Romani Pontificis exercendam. ([b])

B 9. Nomine Patriarchae venit Episcopus cui iam primae Synodi Oecumenicae *agnoscunt* iurisdictionem in omnes Episcopos, haud exceptis Metropolitis, clerum et populum alicuius territorii vel ritus.

([a]) rectius: « agnoscunt ».
([b]) deleantur verba « ad normam ... exercendam ».

A 12. Secundum antiquissimum Ecclesiae morem, singulari honore prosequendi sunt Ecclesiarum Orientalium Patriarchae, quippe qui amplissima potestate, a Romano Pontifice vel a Concilio Oecumenico data vel agnita, ([a]) suo cuique patriarchatui tamquam pater et caput praesunt. Ideoque exoptat ([b]) haec Sancta Synodus non solum ut eorum iura atque privilegia, in bonum animarum, ([c]) salva maneant ([d]) verum etiam ut patriarchatus orientales prospere vigere ac florere pergant

B 10. Singulari ergo honore prosequendi sunt secundum antiquissimum morem Patriarchae, quippe qui amplissima potestate suae cuique Ecclesiae tamquam pater et caput praesunt. Ideoque haec Sancta Synodus declarat, ut eorum iura et *praerogativa* salva maneant, *sicut correspondet antiquae et authenticae traditioni et sollemnibus Conciliorum Oecumenicorum decretis.* ([f]) Ceterum eadem iura competunt mutatis mutandis Protohierarchis Ecclesiarum autonomarum non patriar-

et in pristinum splendorem ([e]) restituantur.

chalium.

([a]) deleantur verba: « data vel ».
([b]) melius: « vult ».
([c]) deleantur verba: « in bonum animarum ».
([d]) + « sicut correspondet antiquae et authenticae traditioni ».
([e]) melius: « statum ».
([f]) Hic iudicio plurimorum peritorum cardo est totius quaestionis Ecclesiarum Orientalium, quia quidquid sit de lite circa statum iuridicum hodiernorum Patriarcharum unitorum, fratres dissidentes eorum condicionem hodiernam considerant uti specimen suae ipsorum condicionis in casu unionis. Si ergo iura et privilegia Patriarcharum a Concilio Florentino tam sollemniter agnita a latinis hucusque alio modo concipiebantur ac correspondet antiquae traditioni (cf. DE VRIES, *La Sede ed i patriarcati cattolici d'Oriente,* Orient. Christ. Periodica, 27 [1961], pp. 313-361, imprimis p. 344 ss.) necesse est, ut iuxta hanc traditionem clare et distincte definiantur et agnoscantur (cf. articulum sequentem), secus vana est omnis spes unionis.

B 11. Praecipua vero Patriarcharum iura et privilegia haec sunt:

a) *erigendi, una cum sua Synodo, novas Sedes metropolitanas et episcopales easque mutandi,*

b) *praesidendi electioni metropolitarum,*

c) *instituendi ceteros Hierarchas,*

d) *convocandi Synodos easque dirigendi,*

e) *vigilandi super doctrinam, disciplinam, pietatem et mores tam cleri quam populi,*

f) *ordinandi, custodiendi et tuendi liturgiam, administrationem Sacramentorum, Kalendarium, dies festos communes, ieiunia et abstinentias, permittendi celebrationem in ritibus orientalibus,*

g) *consecrandi sacrum myron,*

h) *erigendi monasteria stauropegiata,*

i) *iudicandi ac puniendi necnon et accipiendi quascumque appellationes salvo semper iure recurrendi ad Sedem Romanam,*

In Ecclesia vero universali

k) *praecedendi omnibus Hierar-*

chis, etiam Cardinalibus, excepto Ro mani Pontificis Legato a latere,

1) *eligendi una cum Collegio Cardinalium Summum Pontificem,*

m) *gaudendi aliis quoque privilegiis Cardinalium.*

A 13. Patriarchatus Ecclesiarum Orientalium, licet alii aliis tempore posteriores sint, omnes tamen aequales sunt dignitate patriarchali, salva inter eos praecedentia honoris legitime statuta.

B 12. Patriarchatus Ecclesiarum Orientalium, licet alii aliis tempore posteriores sint, omnes tamen aequales sunt dignitate patriarchali, salva inter eos praecedentia honoris legitime statuta.

A 14. Constitutio vero novorum Patriarchatuum, si id bonum Ecclesiae postulare videatur, Synodo Oecumenicae vel Romano Pontifici reservatur, cuius ([a]) est etiam pro necessitate et opportunitate normas statuere circa iura, privilegia et quaestiones quae ad patriarchale institutum spectant. ([b])

B 13. Novos vero Patriarchatus constituere, si id bonum Ecclesiae postulare videatur, Synodo Oecumenicae vel Romano Pontifici, *auditis ceteris Patriarchis, reservatur.*

([a]) loco « cuius » dicatur « quorum ».
([b]) totus passus « cuius ... spectant » melius omittitur. Sin minus, saltem addatur « quod autem ius Romanus Pontifex nonnisi auditis Patriarchis exercebit ».

De Episcopis

A 15. Apostolorum successores sunt Episcopi, ([a]) qui a Spiritu Sancto positi, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, potestate quidem propria atque ordinaria, gubernant et pascunt, sub auctoritate Romani Pontificis. ([b])

B 14. Salva autem Patriarcharum iurisdictione omnes Hierarchae in regendis suis Ecclesiis utpote successores Apostolorum propria et ordinaria pollent potestate nec aliis restringuntur reservationibus nisi quas bonum totius Ecclesiae necessarias esse probaverit.

([a]) melius: « Apostolorum Collegio successit Collegium Episcoporum ».
([b]) deleantur verba « sub auctoritate Romani Pontificis ».

A 16. Episcoporum Orientalium potestas in suis ecclesiis regendis iis ([a]) reservationibus restringatur, quas bonum commune Ecclesiae necessarias esse probaverit. In dubio tamen posi-

cf. B 14!

« In dubio ... declaratio » in B

tivo et probabili, sive iuris sive facti, de reservatione facta Sedi Apostolicae, ([b]) Patriarchae vel alii Auctoritati, praesumptio stat pro ordinaria Episcoporum potestate, donec intercedat Romani Pontificis ([c]) in contrarium declaratio.

omittitur.

([a]) + « tantum ».
([b]) melius: « Summo Pontifici ».
([c]) melius: « respectivae Auctoritatis ».

A 17. Singulis Orientalium Episcopis facultas est a lege generali pro Ecclesiis Orientalibus lata in casu peculiari dispensandi, ([a]) quoties id ad bonum spirituale fidelium conferre iudicent, dummodo agatur de re in qua Sedes Apostolica dispensare solet, nec specialis reservatio a Sede Apostolica sibi vel Patriarchis vel alii Auctoritati facta fuerit. ([b])

B 15. Singulis Hierarchis fas est legem generalem in casu particulari *secundum oeconomiam interpretari,* quoties id ad bonum spirituale conferre iudicent nec specialis reservatio a *superiore Auctoritate* facta fuerit.

([a]) Vox « dispensatio » male sonat apud orientales, praeferunt loqui de « interpretatione » legis.
([b]) melius: « nec specialis reservatio a superiore Auctoritate facta fuerit ».

De Synodis

A 18. Exoptat Sancta haec Oecumenica Synodus ut Synodorum institutum, antiquitate venerandum, novo vigeat robore, ut necessitatibus et disciplinae Ecclesiarum Orientalium, pro temporum adiunctis, aptius et efficacius provideatur.

B 16. Ut potestas Hierarcharum etiam collegialiter exerceatur, Synodorum institutum antiquitate venerandum novo vigeat robore, ut necessitatibus et disciplinae Ecclesiarum Orientalium, pro temporum adiunctis, aptius et efficacius provideatur.

A 19. Enixe commendatur ut Praesules Orientalium Ecclesiarum, in disciplina propriae Ecclesiae in Synodis promovenda et ad opera in bonum religionis efficacius fovenda, rationem etiam habeant boni communis totius regionis, ubi plures Ecclesiae particu-

A 19 in B omitti potest (cf. *supra* B 5).

lares exstant, consiliis in conventibus ex variis ritibus collatis. [a]

---

[a] Totus articulus omitti potest (cf. supra A 4).

III. De disciplina sacramentorum
(vel potius omittenda capp. III et IV)

De ministro sacramenti Chrismatis

A 20. Etsi Episcopus est solus minister ordinarius Sacramenti Chrismatis, [a] huic Sanctae Oecumenicae Synodo placuit traditam praxim apud orientales inde ab antiquissimis temporibus vigentem plene instaurare. Idcirco [b] presbyteri hoc Sacramentum administrare valent, adhibito Chrismate a Patriarcha vel ab Episcopo benedicto.

B 17. Quoad administrationem Sacramenti Chrismatis placuit huic Sanctae Oecumenicae Synodo traditam apud orientales ab antiquissimis temporibus praxim, *qua etiam presbyteri hoc Sacramentum administrant,* adhibito tamen Chrismate a Patriarcha aut Episcopo benedicto, plene instaurare, et quidem sive cum Baptismate sive separatim omnibus fidelibus cuiusvis ritus.

---

[a] « Etsi ... Chrismatis » delendum, quia apud orientales numquam praxis et vix demonstrandum.
[b] + « etiam ».

A 21. Presbyteri omnes Orientales hoc Sacramentum, sive una cum Baptismo sive separatim, valide conferre possunt omnibus fidelibus cuiusvis ritus, latino non excluso, servatis ad liceitatem praescriptis iuris sive communis sive particularis. [a]

Vide supra B 17.

---

[a] « sive communis sive particularis » deleatur.

A 22. Presbyteri quoque latini ritus, qui facultate hoc Sacramentum conferendi sint praediti, valent illud etiam fidelibus Orientalium Ecclesiarum administrare, servatis quoad liceitatem iuris communis praescriptis. [a]

in B omittitur.

---

[a] Totus articulus videtur superfluus.

De Sanctissima Eucharistia

A 24. ([a]) Omnis fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, tenetur semel saltem in anno SS. Eucharistiam accipere, firmis legibus et consuetudinibus propriae Ecclesiae de Communione Paschali et salva facultate uniuscuiusque fidelis eam in quolibet catholico ritu suscipiendi.

B 18. Omnis fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, tenetur semel saltem in anno SS. Eucharistiam accipere, firmis legibus et consuetudinibus propriae Ecclesiae de Communione Paschali et salva facultate uniuscuiusque fidelis eam in quolibet catholico ritu suscipiendi.

([a]) Articuli A 24 et 23 logice invertendi sunt, primo necessarium, deinde liberum.

A 23. Curent autem locorum Hierarchae ut, iuxta antiquissimum et laudabilem Ecclesiarum Orientalium morem, fideles ad sacram Synaxim saltem ([a]) praecipuis anni festis diebus, accedant, immo et frequentius, ad vitam spiritualem nutriendam ac roborandam. ([b])

B 19. Curent autem locorum Hierarchae ut, iuxta antiquissimum et laudabilem Ecclesiarum Orientalium morem, fideles etiam aliis praecipuis anni festis diebus, immo frequentius, ad sacram Synaxim accedant.

([a]) melius: « etiam ».
([b]) « ad vitam ... roborandam » aut deleatur aut substituatur his verbis: « ad corpus Christi aedificandum et roborandum ».

A 25. Memores sint fideles obligationis, qua, saltem diebus dominicis et festis de praecepto, adstringuntur ([a]) Divinae Liturgiae vel, iuxta praescripta aut consuetudinem proprii ritus, Divinis Officiis adsistendi. Curent autem animarum pastores fideles ita instruere, ut hi actuose et devote Sacris Actionibus intersint. ([b])

B 20. Monentur insuper fideles, ut saltem diebus dominicis et praecipuis festis Divinae Liturgiae vel, iuxta praescripta aut consuetudinem proprii ritus, Divinis Officiis assistant.

([a]) Talis obligatio in sensu stricto non existit apud orientales.
([b]) Talis monitio non pertinet ad Concilium.

A 26. Ut vero huic obligationi facilius satisfacere valeant, eisdem conceditur facultas hoc praeceptum implendi per adsistentiam Sacrae Litur-

Articulus A 26 in B omittitur, quia Missa vesperalis multis orientalibus est scandalum.

giae ([a]) aut, ubi talis vigeat consuetudo, Divinis Officiis, inde a vespere vigiliae usque ad finem diei festi.

([a]) Deleantur saltem verba « sacrae Liturgiae aut », quia Missa seralis multis orientalibus videtur scandalosa.

De ministro sacramenti Poenitentiae

A 27. Cum Patriarcharum et Hierarcharum Orientalium pastoralis cura saepe saepius ad plures regiones Orientis et Occidentis extendatur, placuit huic Sanctae Synodo ut ipsi ([a]) facultatem ad confessiones excipiendas fidelium cuiusvis ritus ubicumque terrarum a iure delegatam habeant.

Hic articulus aut omittatur, quia iam provisum est generaliter pro tota Ecclesia in schemate de Episcopis (p. 36 n. 1), aut mutetur uti in nota ([a]).

([a]) Loco « ipsi » proponitur: « ut Patriarchae ordinariam » sicut Cardinales (cf. *C.I.C.*, can. 873, § 1), « Hierarchae vero ipso iure delegatam habeant » etc. (deletis ultimis 4 verbis).

A 28. Ob cotidianam permixtionem fidelium diversarum Ecclesiarum particularium in eadem regione vel territorio, facultas presbyterorum orientalium ad confessiones excipiendas, a propriis Hierarchis rite et sine ulla restrictione concessa, ad totum territorium Patriarchatus, Archiepiscopatus, Metropoliae, Eparchiae vel Exarchatus et pro cuiusvis ritus fidelibus extenditur. Huiusmodi tamen facultatem Hierarchae ne concedant, nisi de sacerdotis idoneitate plene sibi constet, et servatis requisitis in Synodis particularibus praescriptis.

B 21. Ob cotidianam permixtionem fidelium diversarum Ecclesiarum particularium in eadem regione vel territorio, facultas presbyterorum orientalium ad confessiones excipiendas, a propriis Hierarchis rite et sine ulla restrictione concessa, ad totum territorium Patriarchatus, Archiepiscopatus, Metropoliae, Eparchiae vel Exarchatus et pro cuiusvis ritus fidelibus extenditur. Huiusmodi tamen facultatem Hierarchae ne concedant, nisi de sacerdotis idoneitate plene sibi constet, et servatis requisitis in Synodis particularibus praescriptis.

A 29. Presbyter vero, qui istam facultatem extra proprium territorium habituali modo exercet, certiorem facere tenetur Hierarcham loci, habita praeterea licentia parochi aut rectoris ecclesiae vel oratorii, in quibus confessiones excipiendae sint, et salvis praescriptis a Hierarcha loci datis.

B 22. Presbyter vero, qui istam facultatem extra proprium territorium habituali modo exercet, certiorem facere tenetur Hierarcham loci, habita praeterea licentia parochi aut rectoris ecclesiae vel oratorii, in quibus confessiones excipiendae sint, et salvis praescriptis a Hierarcha loci datis.

De Diaconatu permanenti

A 30. Cum plurima argumenta et motiva, praesertim liturgica et pastoralia, suadeant ut institutum diaconatus permanentis, ([a]) quod ab antiquis temporibus non paucae Ecclesiae Orientales retinuerunt et adhuc retinent, instauretur, exoptat Sancta Synodus ut diaconatus permanens in Ecclesiis Orientalibus, ubi in desuetudinem venerit, iterum vigeat, ut qui in tali statu sint constituti, sacerdotes sive in spiritualibus sive in temporalibus ad normam iuris adiuvent.

([a]) + etiam coniugatorum.

B 23. Cum plurima argumenta et motiva, praesertim liturgica et pastoralia, suadeant ut institutum diaconatus permanentis *etiam coniugatorum,* quod ab antiquis temporibus non paucae Ecclesiae Orientales retinuerunt et adhuc retinent, instauretur, exoptat Sancta Synodus ut diaconatus permanens in Ecclesiis Orientalibus, ubi in desuetudinem venerit, iterum vigeat, ut qui in tali *ordine* sint constituti, sacerdotes sive in spiritualibus sive in temporalibus ad normam iuris adiuvent.

A 31. Curent Hierarchae locorum ut ad hoc institutum restituendum, in quavis provincia ecclesiastica, communi de consilio procedatur, et servatis normis a Synodis propriarum Ecclesiarum Orientalium statutis.

B 24. Curent Hierarchae locorum ut ad hoc institutum restituendum, in quavis provincia ecclesiastica, communi de consilio procedatur, et servatis normis a Synodis propriarum Ecclesiarum Orientalium statutis.

De matrimoniis mixtis

A 32. Licet matrimonia mixta haud facile omnino vitari possint, monentur tamen fideles ut ab huiusmodi matrimoniis abstineant. Quoties vero id vitari nequeat, memores sint obligationis, qua adstringuntur, bonum fidei et unitatis catholicae tam sibi quam proli servandi, per fidelem adimpletionem cautionum quas Ecclesia statuit. Pastores autem fidelium, qui matrimoniis mixtis iuncti sunt, eorumque prolis peculiarem habeant curam.

B 24. Licet matrimonia mixta haud facile omnino vitari possint, monentur tamen fideles ut ab huiusmodi matrimoniis abstineant. Quoties vero id vitari nequeat, memores sint obligationis, qua adstringuntur, bonum fidei et unitatis catholicae tam sibi quam proli servandi, per fidelem adimpletionem cautionum quas Ecclesia statuit. Pastores autem fidelium, qui matrimoniis mixtis iuncti sunt, eorumque prolis peculiarem habeant curam.

A 33. Ad praecavenda autem matrimonia invalida christifidelium orientalium, qui cum acatholicis baptizatis matrimonium ineant, et ad consulendum nuptiarum firmitati et sanctitati

B 25. Ad praecavenda autem matrimonia invalida christifidelium orientalium, qui cum acatholicis baptizatis matrimonium ineant, et ad consulendum nuptiarum firmitati et sanctitati

necnon domesticae paci, omnibus Hierarchis locorum orientalium, non vero Syncellis sine speciali mandato, [a] facultas conceditur dispensandi proprios subditos a forma canonica matrimonii in mixtis nuptiis, ubi pars acatholica suaderi [b] nequeat, ut se coram competente parocho sistat et simul adsit periculum ne eadem partem catholicam sibi adhaerere adigat; Hierarcharum tamen conscientia graviter onerata de observantia cautionum quae in iure praescriptae sunt.

necnon domesticae paci, *matrimonia mixta absque dispensatione Ordinarii loci non in forma canonica contracta apud orientales illicita quidem, sed valida consideranda sunt.* [c]

[a] deleantur verba « non vero ... mandato », quia dispensatio saltem omnino facilitanda est.
[b] melius: « moveri ».
[c] Cf. *Acta et Documenta,* Ser. I, Append. Vol. II 2, p. 174, n. 53!

IV. De cultu divino

De temporibus sacris

A 34. Dies festi pro omnibus Ecclesiis Orientalibus sunt: omnes et singuli dies Dominici, festa Nativitatis D. N. Iesu Christi, Epiphaniae, Ascensionis, Dormitionis seu Assumptionis Dei Genetricis Mariae, et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, salvo iure particulari quoad alios dies festos. [a]

B 26. Praeter festa omnibus communia dies festi in singulis Ecclesiis Orientalibus observantur secundum legitimam uniuscuiusque consuetudinem.

[a] Verba « salvo ... festos » deleantur, quia ius particulare non tangit omnes.

A 35. Alios dies festos omnibus Ecclesiis Orientalibus communes constituere, constitutos transferre aut supprimere, unius est Sedis Apostolicae. [a] Dies festos pro singulis Ecclesiis particularibus constituere aut constitutos supprimere, praeter Apostolicam Sedem, [b] competit Synodo patriarchali aut archiepiscopali.

B 27. Novos dies festos omnibus Ecclesiis Orientalibus communes constituere, constitutos transferre aut supprimere est Sedis Romanae auditis Patriarchis. Dies vero festos pro singulis Ecclesiis particularibus constituere constitutosque supprimere competit *Patriarchis eorumque Synodis.*

[a] loco « unius est Sedis Apostolicae » ponatur: « est Sedis Romanae aut Concilii Oecumenici aut plenariae orientalis ».
[b] deleantur verba: « praeter Apostolicam Sedem ».

Cf. *infra* A 39 et 40!

B 28. Ad celebrationem Paschatis quod attinet valde optandum et enitendum, ut omnes christiani tam Orientis quam Occidentis collatis consiliis de una eademque die conveniant (cf. schema Constit. *de S. Liturgia,* cap. V Append., quare etiam omitti posset totus articulus).

A 36. Diebus Dominicis et festis de praecepto lex abstinentiae vel abstinentiae et ieiunii cessat. ([a])

In B omittitur.

([a]) Articulus est superfluus, quia est lex generalis.

A 37. Lex abstinentiae vel ieiunii et abstinentiae observanda est secundum usum proprii ritus, legitima consuetudine vel iure particulari firmatum, ita tamen, ut lex solius abstinentiae in omnibus Ecclesiis Orientalibus servetur singulis feriis sextis, iis exceptis quae in proprio iure excipiuntur; lex vero abstinentiae et ieiunii prima die Magnae Quadragesimae et Feria sexta Hebdomadae Sanctae, salvo particulari iure quod abstinentiam et ieiunium aliis quoque diebus Magnae Quadragesimae praecipiat. ([a])

B 29. Lex abstinentiae vel ieiunii et abstinentiae observanda est secundum usum proprii ritus, legitima consuetudine vel iure particulari firmatum.

([a]) Verba: « ita tamen ... praecipiat » deleantur, quia orientales detestantur laxam praxim latinorum.

A 38. Singuli fideles extra regiones proprii ritus versantes, quoad leges de abstinentiis et ieiuniis, ad disciplinam ([a]) in loco ubi degunt vigentem se plene conformare possunt. In familiis mixti ritus hanc legem servare licet iuxta unum eundemque ritum.

B 30. Singuli fideles *sub cura alterius* ritus versantes, quoad leges de abstinentiis et ieiuniis, disciplinae in loco ubi degunt vigenti se plene conformare possunt. In familiis mixti ritus hanc legem servare licet iuxta unum eundemque ritum.

([a]) loco « ad disciplinam » melius: « disciplinae » et « vigenti ».

De celebratione Paschatis

A 39. Sancta Oecumenica Synodus conamina ad aptius instaurandum Kalendarium in societate civili laudans, exoptat ut catholici aliique christiani non catholici conveniant ad unicam diem, qua festivitatem Paschatis omnes celebrent, stabiliendam.

in B omittitur. Cf. *supra* B 28!

A 40. Ad unitatem inter christianos in eadem regione vel natione degentes fovendam, Patriarchis vel Supremis Auctoritatibus ecclesiasticis in loco committitur, ut, collatis consiliis cum iis quorum interest, de festo Paschatis eadem die Dominica celebrando conveniant.

in B omittitur. Cf. *supra* B 28!

De Officio Divino

A 41. Valde commendatur clericis et religiosis orientalibus celebratio Laudum Divinarum, quae ab antiquo in magno honore fuit apud omnes Ecclesias Orientales. Omnes, igitur, exempla maiorum prementes, secundum propriae disciplinae praescripta, in Divinas Laudes assidue et devote incumbant.

B 31. Valde commendatur clericis et religiosis orientalibus celebratio Laudum Divinarum, quae ab antiquo in magno honore fuit apud omnes Ecclesias Orientales. Omnes, igitur, exempla maiorum prementes, secundum propriae disciplinae praescripta, in Divinas Laudes assidue et devote incumbant.

De usu linguarum vernacularum in liturgiis

A 42. Ad Patriarcham cum Synodo vel ad Supremam cuiusque Ecclesiae Orientalis Auctoritatem cum Consilio ius pertinet approbandi et moderandi usum linguarum in celebratione liturgica, quas ipsi magis conferre ad bonum animarum existiment.

B 32. Ad Patriarcham cum Synodo vel ad Supremam cuiusque Ecclesiae Orientalis Auctoritatem cum Consilio ius pertinet approbandi et moderandi usum linguarum in celebratione liturgica, quas ipsi magis conferre ad bonum animarum existiment.

A 43. Versiones textuum liturgicorum in linguam vernaculam, antequam in Liturgiae celebratione adhibeantur, a competenti Auctoritate approbentur.

B 33. Versiones textuum liturgicorum in linguam vernaculam, antequam in Liturgiae celebratione adhibeantur, a competenti *i. e. suprema cuiusque Ecclesiae* Auctoritate approbentur.

A 44. Si ob bonum spirituale adstantium in celebratione liturgica, ex parte vel ex toto lingua adhiberi debeat diversa ab illa vel ab illis, quibus Ecclesia celebrantis ex tradito more utitur, id non fiat inconsulto Hierarcha loci.

B 34. Si ob bonum spirituale adstantium in celebratione liturgica, ex parte vel ex toto lingua adhiberi debeat diversa ab illa vel ab illis, quibus Ecclesia celebrantis ex tradito more *vel cum approbatione Patriarchae vel Protohierarchae* utitur, id non fiat *inscio* Hierarcha loci.

V. De conversatione cum Ecclesiis separatis

Cf. A 53!

B 34. Satagant omnes, praesertim Hierarchae ceterique animarum pastores, ut animorum concordiae et *Ecclesiarum etiam dissidentium* unioni efficacius usque provideatur, precibus imprimis, vitae exemplis, mutua et meliore cognitione, puro et humili corde. In mutua denique ac fraterna rerum animorumque aestimatione, omnes qui christiano gloriantur nomine novis quibusdam rationibus ad invicem intueantur et animos disponant, spiritu christianae caritatis suffulti, et cuiusvis acrimoniae vestigiis sepositis, « cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis » (*Eph.* 4, 2-3); ita, ut viribus unitis et fraterna concordia Regnum Dei in terra promoveatur.

B 35. In sacris quidem communicatio stricte dicta non licet, si formalem errori includat adhaesionem. Ubi vero talis adhaesio non est praesumenda, id quod praesertim apud orientales raro fiet, mitior agendi ratio adhiberi potest, immo prodest. Hac ergo sub condicione non tantum extrema salutis aeternae necessitas, sed et magna spiritualis utilitas vel ipsa caritas sufficiens ratio esse potest etiam in sacris inter se communicandi, excluso sane scandalo pusillorum et periculo indifferentismi.

Pars II

DE UNIONE CHRISTIANORUM ORIENTALIUM ([a])

([a]) melius: DE ECCLESIIS SEPARATIS (cf. Pars I).

NB. Tota Pars II omitti potest, quia eadem materia tractatur, nonnumquam fere verbatim, in decreto *de Oecumenismo* cap. III, et forsan et loco et modo aptiori (cf. e. g. n. 45 nostri schematis cum decret. *de Oecum.* 1 et 12; n. 46 cum Oec. 13; n. 47 cum Oec. 15; n. 48 cum Oec. 16; n. 52 cum Oec. 18). Solummodo optandum, ut ibi (in dicto decreto) post n. 17 inserantur nostri schematis nn. 49, 51 et 50 (et quidem hoc ordine); n. 53 vero nostri schematis vide supra in B 34!

Si autem nihilominus Pars II nostri schematis praefertur, saltem sequentes emendationes proponendae sunt:

n. 45 lin. 2 loco « fratres » dicatur « Ecclesiae ».

n. 45 lin. 4 loco « fideles » dicatur « Ecclesiae ».

n. 45 lin. 15 (Titulus) I + « Ecclesiarum » Orient. etc.

n. 46 lin. 17 loco « regionibus » dicatur « Ecclesiis ».

n. 47 lin. 6 loco « christiani » dicatur « Ecclesiae ».

n. 47 lin. 9 loco « amorem ostendunt » dicatur « ceterosque Beatos laudibus celebrant ».

n. 47 lin. 18 post « omnes » + « Ecclesias Orientales ».

n. 48 lin. 28 loco « Communitatibus » dicatur « Ecclesiis ».

n. 48 lin. 31 post « huic » + « evidenter ».

n. 49 lin. 33 post « disciplinam » + « theologiam et patrimonium spirituale ».

n. 50 lin. 12 deleatur « prorsus ».

n. 50 lin. 13 post « posse » + « immo debere ».

n. 52 ita mutetur: Tandem haec Oecumenica Synodus, animo considerans *neque in doctrina* ingens esse discrimen, quo orientales ab Ecclesiae unitate seiunguntur, iubet non plus ab iis exigi, quam necessarium revera sit *ad catholicam unitatem, nempe ut integram substantiam catholicae fidei accipiant et formula simplici et* eorum traditionali exprimendi modo consueta profiteantur.

Ceterum omnino aequum et iustum et permagni momenti esse mihi videtur totum schema, antequam Concilio votandum proponatur, solis Hierarchis orientalibus et quidem singularum Ecclesiarum singillatim disputandum et votandum submitti, ut clare appareat, quid hi de eo sentiant, quos spectat quorumque praeprimis interest.

21

EXC.MUS P. D. ANDREAS JACQ

Episcopus tit. Cerasenus

De sacra hierarchia: *De Patriarchis*. Aussi bien que l'Eglise d'Occident, les Eglises Orientales sont soumises au Pontife Romain, qui « succède à Pierre dans le primat sur toute l'Eglise » (cf. p. 6, lig. 8); les Patriarches eux-mêmes sont donc sous son autorité (cf. p. 7, lig. 15).

En conséquence, il serait souhaitable que les Eglises orientales, comme telles, *participent à l'élection du Souverain Pontife,* et donc que les Patriarches — ou au moins quelques uns d'entre eux — représentent au Conclave les Eglises orientales et prennent part à l'élection du Souverain Pontife.

Une *modification dans l'ordre hiérarchique,* en application de ce qui est prévu pag. 18, lig. 15, pourrait être faite en faveur des « Patriarches ». On ne voit pas pourquoi les Patriarches doivent céder le pas aux « Cardinaux ». Sans doute, le Patriarchat, comme le Cardinalat (qui a fini par prendre une place quelque peu indue dans la Sainte Eglise) est d'institution purement ecclésiastique, mais plus ancien et plus traditionnel.

22

REV.MUS P. D. IOANNES B. JANSSENS

Praepositus gen. Societatis Iesu

Placet schema, et certe placent res in eo propositae. Ex priore tamen parte schematis (Pars I, « De disciplina Ecclesiarum Orientalium ») plura videntur potius ad commissionem postconciliarem vel ad administrationem cotidianam Ecclesiae remittenda. Sunt enim nimis minuta quam ut in Concilio ea promulgari deceat. Ita in specie nn. 16, 17, 21, 22, 29, 36, 37, 43, 44.

Praeterea: nn. 4 et 5, pag. 6, sancitur implicite iurisdictio personalis episcoporum. Uti iam dixi agens de schemate *de episcopis,* n. 31, humiliter crediderim bono Ecclesiae potius expedire si paulatim de medio tollatur iurisdictio personalis ratione ritus.

N. 23 videtur aliquem « minimismum » insinuare quod ad usum praesertim S. Eucharistiae. Communio frequens et cotidiana non est aliquis ritus consuetudine particulari alicuius Ecclesiae probatus, sed commendatur ex principio dogmatico atque catholico. Nonne commendanda etiam in Oriente?

N. 40: praesupponitur festum Paschatis necessario die Dominica celebrare oportere. Utique, Dominus resurrexit die dominica; sed prout ubi de Nativitate Domini, de Annuntiatione B. Mariae V. non curamus quo hebdomadae die haec contigerint, ita essentiale non est ut festum Resurrectionis die dominica celebretur. Quid si Gubernia volent diem Paschatis eodem semper die in anno celebrari utputa die 1 aprilis vel simili? Propono ut simpliciter dicatur in textu: « de festo Paschatis eodem die celebrando »; quod plenam libertatem linquit exigendi in futuro, si opportunum videbitur, ut fiat in die dominica.

23

Exc.mus P. D. IOANNES IOSEPH KROL
Archiepiscopus Philadelphiensis Latinorum

In genere. Omnia tractata hoc in schemate maxime convenire dignitati orientalium videntur. Paucae tamen animadversiones fieri possunt.

In specie. 1. Pag. 6, n. 8: transitus ab uno ad alium ritum praesumit terminum a quo et ad quem. In casu personae baptizatae in ritu alieno quae vult permanere in hoc ritu deest revera terminus a quo. Videtur ergo quod in huiusmodi casibus, non agatur de transitu ab uno ad alium ritum, proindeque formalitates statutae pro ritus mutatione requiri non debeant.

2. Pag. 7, n. 9: esset bene verba « *in regionibus sui proprii ritus* » clarius explicare. Sunt multi episcopi ucrainorum in America Septemtrionali. Consequenter, estne consideranda haec regio tamquam regio « sui proprii ritus »?

3. Pag. 10, n. 28: variis in regionibus, praesertim Americae Septemtrionalis, non habentur Ecclesiae nisi ritus latini. Sacerdotes rituum orientalium aliquando Ecclesia latina utuntur quando, ad visitandas ritus particularis gentes, iter faciunt. Nonne deberet sacerdos ritus orientalis ab Ordinario loci latino facultates obtinere ad confessiones cuiusvis ritus fidelium in Ecclesia latina excipiendas, ne oriantur abusus et confusio?

4. Pag. 11, n. 33: nisi agatur de sanatione in radice, si conceditur haec facultas, erit causa magnae confusionis et forsan scandali, saltem in America Septemtrionali. Praeterea, si acatholicus se coram competente parocho seu sacerdote sistere non vult, valde dubitari de observantia cautionum possit.

24

Exc.mus P. D. IOANNES IOSEPH McELENEY
Episcopus Kingstonensis

Schema, tanquam Ecclesiarum orientalium dignitatis, integritatis ac in Ecclesia catholica aequalitatis manifestatio in genere commendatur. Ea quae ad disciplinam particularem pertinent, opportuna plerumque videntur.

In specie. Pag. 6, art. I, n. 8, lin. 32. Emendatio: optandum ut in aliquo territorio ubi ritus particularis orientalis ad fidelium coetum omnino minorem pertineat, Ordinario ritus maxime maioris facultas concedatur ut ipse, propter iustam causam, fidelis transitum ad alium ritum permittere possit. *Ratio*: quia ille Ordinarius de manendi in proprium ritum difficultate melius iudicare potest.

Pag. 7, art. I, n. 9, lin. 1. Emendatio: optandum ut omnes baptizati acatholici ad catholicam Ecclesiam redeuntes seligendi ritum libertatem plenam habeant. *Ratio*: quia ei obstaculum superfluum praeponere non debet. Praeterea, videtur quod Canon 11 Codicis Orientalis « De Ritibus Orientalibus » ei libertatem dat.

Pag. 7, art. II, n. 13, lin. 24. Emendatio: optandum ut patriarchae sedium antiquissimarum praecedant omnibus in Ecclesia praeter Romanum Pontificem

ac, praeterea, ut ad S.R.E. cardinalium dignitatem ipso facto eleventur. *Ratio*: quia sic eorum dignitas et aequalitas vera in Ecclesia agnoscatur.

Pag. 11, art. III, n. 32, lin. 1. Emendatio: optandum ut tota haec quaestio tum in ritu latino tum in ritibus orientalibus in Concilio funditus reconsideretur. *Ratio*: pars acatholica qui bona fide separatur ab Ecclesia quomodo bona fide promissiones de educatione prolis in fide catholica dare potest?

Pag. 11, art. IV, n. 37, lin. 31. Emendatio: optandum ut Sancta Synodus, num illae leges de abstinentia et ieiunio modificandae vel simpliciter abrogandae *ut leges universales* in adiunctis hodiernis sint, consideret. *Ratio*: quia in mundo hodierno leges de abstinentia et ieiunio fere nusquam plene observantur.

25

Exc.mus P. D. BRENNUS IOSEPH McENTEGART
Episcopus Bruklyniensis

Pag. 5, n. 2: post verba: « varietas in Ecclesia », addatur: « *universali* ».

Pag. 6, n. 3: imprimis hic *ritus* a sensu hodie recepto et codice orientali sancito (Motu proprio *Postquam Apostolicis,* can. 303) deviat, dum ad conceptum disciplinae limitatur. Sensu autem hodierno *ritus* in coetu fidelium fundatur, sicut hic *Ecclesia particularis.* At ille ab hac eo differt, quod ritus canonice sumptus semper est Ecclesia particularis, sed non omnis Ecclesia particularis est ritus. Nostrum autem interest agere de ritibus canonicis vel, si praefertur vocare eos Ecclesias particulares, tunc hae specificari debent, quia etiam in ritu (Ecclesia particulari specifica) plures Ecclesiae particulares sensu vulgari inveniri possunt. Dogmatice e. g. etiam dioecesis est Ecclesia particularis, nam episcopi regunt Ecclesias particulares. Ideoque hic textus clarus non est, quia ex conceptu vulgari in n. 2, transitus fit in n. 3 ad conceptum specificum Ecclesiae particularis, quae hucusque sonabat *ritus canonice sumptus.* Hinc confusio oritur. Utique quaestio non est de nomine, sed de re. Concilium terminologiam hucusque receptam, ut supra, mutare potest, sed clare hoc indicet terminumque determinet. Sed n. 3 elementa constitutiva et normas, quae hucusque *ritibus canonicis* vel in ipso codice orientali, ut supra, et ex parte in C.I.C. applicabantur, nunc Ecclesiis particularibus sine ulla determinatione applicat, i. e., recedit a terminologia hucusque recepta et sancita. Ideoque ad omnem confusionem praecavendam clare hoc enuntiet et consequenter terminologiam in codice orientali mutet, immo etiam latino.

Pag. 6, n. 4: norma analogica ad illam codicis orientalis enuntiatur, sed id quod in codice *ritibus canonicis,* hic Ecclesiis particularibus applicatur sine ulla specificatione.

Pag. 6, n. 6: at hic alia terminologia adhibetur, i. e. *Ecclesia latini ritus.* Sitne haec Ecclesia etiam particularis? Cur pro ea tantum ratio ritus conservetur?

Pag. 8, n. 19: non est constans terminologia adhibita n. 3 seu Ecclesiae particulares, quia hic sermo adhuc est de variis ritibus, ni fallor, sensu canonico sumptis.

Pag. 9, n. 21: iterum terminus *ritus* in sua pristina natura adhibetur, non vero Ecclesia particularis.

Pag. 9, n. 22: idem.

Pag. 10, n. 28: similiter post verbum *exarchatus,* addatur: exceptis locis exclusivae iurisdictionis alterius ritus.

Pag. 10, n. 29: non clare elucet decisio quaestionis de locis exclusivae iurisdictionis. Propterea mea opinione post verbum *vel oratorii,* addatur: *sui ritus. Ratio*: quia in ecclesiis etc. alterius ritus indiget iurisdictione.

Pag. 12, n. 37: post verba « lex vero abstinentiae et ieiunii », addatur: *ubi vigeat. Ratio*: ut clare enuntietur hoc referri ad solos ritus, in quibus talis lex vigeat.

Pag. 12, n. 38: post verba: *versantes,* addatur: non tamen in territoriis orientalibus proprii ritus. *Ratio*: quia illic disciplina propria vigere supponitur ab Hierarcha urgenda.

Pag. 13, n. 43: ambigua est expressio: *a competenti auctoritate.* Ideo corrigi debet praecisiori determinatione, saltem tali: *secundum normas a S. Sede statutas.*

Pag. 16, n. 45: verbum: *omnes* in sententia: hanc unitatem *omnes,* substituatur per: *plurimi.*

26

Exc.mus P. D. FREDERICUS MELENDRO
Archiepiscopus Nganchimensis

Pag. 9, n. 23, lin. 16. Adverbium « frequentius » forte mutari oportet in « quotidie ». Adsunt etenim eaedem rationes pro quotidiana Communione commendanda et Ecclesiis orientalibus et non orientalibus.

27

Beat.mus P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI
Patriarcha Antiochenus Maronitarum

1. *Liberté de la conversion*: p. 7, canon 9. *a*) Refuser la liberté totale *ubique terrarum,* de choisir à son retour à l'Eglise catholique, à tout fidèle non catholique, c'est, pour favoriser certains rites, empiéter sur la liberté de conscience et le désir profond d'adhérer à l'Eglise qui semble répondre le mieux aux aspirations spirituelles les plus authentiques.

b) Admettre cette liberté totale dans les régions *non orientales,* c'est favoriser visiblement le rite latin, aux dépens des rites orientaux et marquer pour lui une préférence non déguisée.

L'on devrait dire ici du rite latin ce que nous trouvons dans ce schéma lui-même, à la page 6, canon 3, ad finem: « nulla vero " Ecclesia " ratione ritus ceteris praestat ».

c) A la page 6, le canon 8 déclare qu'aucun fidèle ne peut changer de rite, si ce n'est en se soumettant aux normes établies par le Siège Apostolique.

Déclarer ici même ces normes, serait éclairer l'Autorité ecclésiastique orientale et les fidèles orientaux éparpillés à travers le monde, pour éviter que des cas douloureux de changement de rite ne se répètent facilement aux dépens des Eglises orientales.

Nous savons pertinemment d'ailleurs que, dans des cas précis, des efforts furent et sont déployés par quelques Autorités ecclésiastiques latines des régions *non orientales* pour latiniser au plus vite les émigrés orientaux de leurs diocèses.

2. *Le Patriarche*: p. 7, canons 10, 11, 12, 13, 14. L'article qui traite du Patriarche me semble, sous des formules apparemment acceptables, réduire l'autorité patriarcale à être purement nominale. Rien de précis, rien de clair.

Certes, l'autorité patriarcale est de droit ecclésiastique, mais l'histoire lui a donné, avec la connaissance et la reconnaissance tacite ou ouverte des Pontifes romains, un mode d'exercice, qui a été parmi les facteurs les plus importants au maintien du Christianisme en Orient.

Que la situation ait changé aujourd'hui, penserait-on, elle exige, cependant toujours ce principe d'unité et de cohésion qu'est le Patriarche, et partant, ce principe de défense du Christianisme: si le titre patriarcal devenait purement nominal, il y aurait, en conséquence, une désagrégation de l'Autorité ecclésiastique en Orient, et un affaiblissement de la position des chrétiens dans le monde musulman.

Par ailleurs, l'article dont nous parlons révèle une méconnaisance de cet Orient et déduit à partir de principe (Episcopat de droit divin) les effets. Et nous en sommes à nous demander si vraiment ce principe n'existait pas du temps où les Patriarcats on été institués et dotés d'autorité large et efficace?

Par conséquent, tout cet article ne me semble pas satisfaisant. Il doit être revu dans le sens: *a*) d'une affirmation *concrète* de l'Autorité patriarcale; *b*) d'une *détermination nette* de cette autorité, pour la rendre efficace; *c*) d'une *reconsidération de cette autorité dans la situation concrète* des pays d'Orient; *d*) d'une *déclaration nette et définitive de la valeur des patriarcats historiques,* incomparable à tout patriarcat existant ou à créer.

Autant de points que le Concile se doit de préciser et de déclarer.

Ne serait-il pas souhaitable, pour résoudre la question des préséances, dont on ne parle que d'une manière vague dans le canon 14, p. 7, de dire: que les Patriarches soient admis, comme Patriarches, dans le Corps des Cardinaux, au lieu et place où les met la date de leur élection ou de leur intronisation, et qu'ils participent, comme tels, à l'élection du Souverain Pontife.

L'Eglise, dans ces deux groupements de Chefs, *Patriarches orientaux* et Cardinaux, aurait, de la sorte, participé à l'élection du Successeur de Pierre, Vicaire du Christ.

3. *L'Union des Chrétiens Orientaux*: *Pars II*. L'ensemble de ce qui est dit, dans cette partie, est bon, dans sa généralité. Mais nos frères séparés accepteront-ils ces généralités? Il ne semble pas.

Reconnaître le sacerdoce et la valeur des sacrements chez les chrétiens orientaux séparés, c'est affirmer un point de doctrine qui n'est pas nouveau.

Reconnaître qu'à leur retour à l'unité catholique, les dignitaires ecclésiastiques *non catholiques* garderont le degré auquel ils sont parvenus, c'est encore affirmer un point indiscutable, si vraiment il apparaît historiquement que les Patriarches *non-catholiques* sont, en droite ligne, les successeurs directs des Apôtres.

Quoi donc de neuf dans cette partie sur l'union des Chrétiens Orientaux?

Reconnaître la richesse de la Tradition orientale, c'est encore affirmer un point indiscutable, et sa reconnaissance est obligatoire.

Ce qu'il y a de neuf, c'est d'affirmer que l'état de choses qui existe dans l'Eglise catholique n'est pas immuable et peut être changé, et, partant, ne peut pas constituer un obstacle à l'union. Cette affirmation est encourageante; elle rappelle une fameuse parole de Jean XXIII, dans son discours inaugural du Concile, sur la substance de la vérité et son enveloppe. Mais elle reste, cependant, vague et incertaine, peut-être comme tout principe général vague qui doit régir les relations humaines.

28

Exc.mus P. D. PAULUS NOUSSEIR

Episcopus Hermopolitanus

J'ai l'honneur de présenter à Votre Eminence Révérendissime, à l'occasion de la deuxième session du Concile Œcuménique Vatican II — ce Concile dont toute la Sainte Eglise attend les meilleurs résultats — quelques suggestions, qui avaient été déjà présentées à la Commission Pontificale Antépréparatoire du Concile Œcuménique, le 8-8-59. Je reprends ces mêmes suggestions avec quelques petites retouches pour les présenter de nouveau à l'étude du Concile. Ces suggestions concernent certains Sacrements dans l'Eglise Orientale notamment dans l'Eglise Copte.

I. *Sacrement de l'Eucharistie.* A) La Sainte Eglise a voulu permettre par décision du Saint Office en date du 27 mars 1957, en vigueur pour une année depuis le 15 juin de cette même année — décision que le Saint Office renouvelle depuis tous les ans —, aux non-catholiques de s'approcher de la Sainte Table, à l'Eglise catholique, tout en demeurant membres de leurs églises non-catholiques, avec certaines conditions et en premier lieu évidemment la validité de leur baptême.

Je dois souligner cette condition chez le sujet non catholique désireux de recevoir le Sacrement de l'Eucharistie dans l'Eglise catholique. Ordinairement nous considérons les coptes orthodoxes baptisés en très petit nombre dans les églises privées, comme ayant été validement baptisés. Quant à ceux qui ont été baptisés dans les pélèrinages ou à l'occasion des Dimanches des Baptêmes où, dans ces deux occasions les baptêmes se font par centaines, et où la forme du baptême est omise, nous les considérons comme ayant reçu un baptême pour le moins... douteux... malgré l'opinion des Coptisants, et à leur tête le R. P. Giamberardini (cf. Giamberardini, *La réitération du Baptême des Coptes,* Jérusalem 1953).

B) Puisque la Sainte Eglise a bien voulu accorder ce privilège aux non-catholiques, ne pourrions-nous pas souhaiter que la Sainte Eglise tolère que les catholiques se trouvant dans des contrées privées d'églises et de prêtres catholiques assistent à la messe et communient chez les non-catholiques, tout en conservant la Foi catholique, ne quittant pas l'union catholique? Apprendre en effet à pareils catholiques que leur communion chez les non-catholiques les expose à des censures, les éloigne sûrement de la Sainte Eglise et donne occasion aux non-catholiques de chanter l'esprit fanatique et séparatiste des catholiques qui n'ont ni prêtres ni églises et qui défendent aux leurs de communier chez les autres. Ce chantage dans nos temps actuels tend à éloigner les chrétiens du catho-

licisme et de fait on entend partout que l'Eglise catholique a un fanatisme inadmissible.

On s'étonnera peut-être de ces suggestions incompatibles avec la mentalité des pays catholiques ou simplement chrétiens. Mais il faut savoir que les chrétiens d'Egypte n'ont pas de catholiques convaincus ni d'hérétiques formellement hérétiques: la charité, l'hérédité, les écoles, les considérations de milieu et de famille font que tel où tel chrétien d'Egypte est catholique, orthodoxe ou protestant. Les convaincus sont une faible minorité qui ne peut servir de mesure pour tous les chrétiens.

II. *Sacrement de l'Ordre.* L'utilité du célibat des prêtres ne peut être niée. Il faut aussi se rendre compte de la position des prêtres catholiques célibataires au milieu d'une grande masse musulmane, qui ne comprend pas le célibat, d'une masse orthodoxe où les prêtres célibataires vivent dans les couvents sans droit de confesser, et où les curés sont tous mariés et d'une masse protestante n'admettant nullement le célibat.

Vu ces raisons, les prêtres célibataires que fournit le séminaire, d'un côté sont en nombre insuffisant pour exercer le ministère dans toutes les paroisses du diocèse; d'un autre côté, ils ne donnent pas leur plein rendement surtout dans les campagnes; ils sont exposés à des misères et leur renommée est souvent flétrie...

Nous souhaitons un retour à nos traditions millénaires, et à côté des prêtres célibataires, nous voudrions être autorisés à ordonner des prêtres mariés qui desserviront surtout les paroisses des campagnes. Seule pareille mesure pourrait sauver le catholicisme dans la campagne égyptienne et assurer une extension dans les villes grâce aux prêtres célibataires que fournirait le Séminaire.

Dans l'audience privée que j'ai eu l'honneur d'avoir avec Sa Sainteté Jean XXIII d'heureuse mémoire le 4 mars 1963, j'avais parlé avec Sa Sainteté à ce sujet et il m'avait promis de l'étudier avec Son Eminence le Cardinal Sécretaire de la Sacrée Congrégation pour l'Eglise Orientale. Je souhaite que cette Sacrée Congrégation donne suite à cette question.

III. *Le Sacrement du mariage.* A) Le mariage des non-catholiques entre eux. Nous prions de vouloir bien considérer les mariages des non-catholiques devant leur propres églises comme étant valides malgré les empêchements d'ordre purement ecclésiastiques pouvant exister entre les partis.

On ne peut admettre en effet que l'Eglise catholique veuille considérer comme invalides les mariages de la grande masse chrétienne d'Egypte. Les catholiques en effet sont une faible minorité chrétienne où la plupart des mariages se font entre consanguins.

B) Le mariage mixte entre catholique et non-catholique devant une église non-catholique. Nous souhaitons que la Sainte Eglise considère ces mariages comme valides. Ils sont certes illicites, mais pour des raisons pratiques et sérieuses, nous souhaitons que ceux qui les contractent ne tombent pas sous les peines et censures de l'excommunication.

Il faut étudier le catholicisme d'Egypte sur place pour comprendre la justesse de cette suggestion. Depuis cette nouvelle loi qui a voulu considérer comme invalides ces sortes de mariages, nous voyons que l'Eglise catholique perd au

lieu de gagner. Cette loi a fait du tort au salut des âmes, plus qu'elle n'a fait du bien.

Des centaines de mariages se contractent invalides chaque année pour cette seule raison, et c'est une faible minorité que nous arrivons à atteindre pour leur faire la « sanatio a radice », la majorité nous reste longtemps inconnue, ou font le mariage à notre insu et à l'insu des pasteurs de l'Eglise; et nous nous demandons pourquoi faire une loi pour en dispenser ou la supprimer par une « sanatio a radice » à chaque cas?... Il faut avouer un fait réel, que ces mariages mixtes, et devant des églises non-catholiques sont inévitables de par la nature même des familles chrétiennes en Egypte.

Il faut aussi tenir compte d'une réalité que les conversions au catholicisme ne se font pas en Egypte par famille, mais par individu. Ce qui fait que la plupart des familles chrétiennes d'Egypte comptent des membres catholiques et d'autres non-catholiques... Des considérations pouvant dépasser les forces des membres catholiques obligent les familles à contracter les mariages devant des églises non-catholiques. S'il faut à tout prix considérer ces mariages comme invalides, nous suggérons alors de défendre ces sortes de conversions individuelles. Inutile d'admettre des individus au sein de l'Eglise pour les ruiner à la suite par des lois positives qu'ils ne peuvent suivre. C'est certainement un recul pour le catholicisme.

Il arrive bien souvent que nos catholiques eux-mêmes ne comprennent pas la sagesse de pareille loi et se trouvent bien scandalisés et quittent la Sainte Eglise nous imputant le fanatisme et le séparatisme en un temps où l'union de tous les chrétiens s'avère d'une nécessité urgente, surtout en Egypte... Autre recul pour le catholicisme. Enfin, il faut avouer un fait consolant à savoir que la pratique nous a appris que ces mariages mixtes, quand ils étaient considérés valides arrivaient souvent à attirer le parti non-catholique à la Sainte-Eglise, les enfants devenaient des catholiques fervents.

Maintenant il arrive que ces mariages étant nuls à nos yeux, au lieu de voir le parti non-catholique rentrer au sein de l'Eglise, c'est le parti catholique qui se révolte contre cette loi inadmissible à ses yeux et quitte le catholicisme. Autre perte pour le catholicisme. Les lois de l'Eglise étant avant tout pour sanctifier les âmes, il faut supprimer cette loi qui ruine les âmes et cause un recul pour l'Eglise catholique en Egypte.

Ce qui peut être admis dans les pays chrétiens et catholiques, ne doit pas l'être sûrement en Orient et en terre d'Islam, où les catholiques sont la faible minorité dans la minorité chrétienne du pays.

Voici, Eminence Révérendissime, les suggestions qui pourraient résoudre nos principales difficultés. Nous ne parlons pas des difficultés financières, elles ne relèvent pas du travail du Concile.

De tout cœur, nous souhaitons pour le Concile Œcuménique un plein succès, et nous prions et faisons prier à cette intention.

Nous remercions le Souverain Pontife pour ce souci qu'il montre en vue de l'Union de l'Eglise. Puisse le Christ accorder aux chrétiens de ce siècle le miracle de voir tous leurs frères formant un seul troupeau et un seul Pasteur.

29

EXC.MUS P. D. IOSEPH PERNICIARO

Episcopus tit. Arbanensis

1. Post id quod circa diaconos statuitur (pag. 10, n. 30), opportunum mihi videtur, saltem pro Ecclesiis orientalibus, statuere etiam alios ordines minores posse conferri, non solum iis qui ascendunt ad diaconatum vel ad sacerdotium, sed et iis qui cum sacerdote adlaborant in Ecclesia Dei.

2. Secunda pars decreti in unum componi debet cum cap. III, 1 decreti *de Oecumenismo,* « De Ecclesiarum orientalium peculiari consideratione », sicut statutum est in prima sessione Sacrosancti Concilii.

30

EXC.MUS P. D. IOSEPH RABBANI

Archiepiscopus tit. Nacolensis, adm. ap. Hemesenus Syrorum

Le schéma *de Ecclesiis orientalibus* est dans son ensemble bien conçu et soigneusement étudié. On peut donc lui donner en général son placet.

Qu'il me soit pourtant permis de faire quelques remarques que j'aime soumettre à l'étude de la Commission. Les voici:

De sacra hierarchia: *De Patriarchis.* Ce nouveau schéma *de Ecclesiis orientalibus,* proposé au vote des Révérendissimes Pères Conciliaires, tout en magnifiant la dignité et le rôle des Patriarches orientaux dans la Sainte Eglise, passe pourtant sous silence les droits et privilèges mentionnés dans la première rédaction du même schéma.

Certes le Saint Concile y exprime clairement son désir et souhait de voir les patriarcats orientaux réintégrer leur antique splendeur. Mais pourquoi se contente-t-on de quelques mots généraux et trop vagues? Le Concile n'est-il pas la précieuse occasion de définir ces droits et privilèges d'une manière aussi explicite que possible?

D'ailleurs une perspective d'union nous trace le chemin à faire. En définissant les dits droits et privilèges, on répond en effet à une attente du monde orthodoxe qui voit dans une définition de cette sorte la porte ouverte à un dialogue d'union dont on espère tant de bien.

De Sanctissima Eucharistia: n. 26. Le n. 26 concède aux orientaux la possibilité de satisfaire à l'obligation de sanctifier le jour du Seigneur, en assistant à la Sainte Messe, depuis la veille du jour d'obligation.

Cette facilité me semble conduire à éclipser le jour du Seigneur et à laisser perdre en quelque sorte le rayonnement du dimanche.

N'est-elle pas d'ailleurs incompatible avec nos coutumes orientales? En introduisant de telles habitudes ne déroute-t-on pas de plus nos frères orthodoxes qui trouveraient de nouveaux arguments pour nous accuser d'abandonner nos traditions ancestrales?

Cette concession a un autre inconvénient, c'est de faire oublier la deuxième obligation du jour du Seigneur, c'est-à-dire le repos dominical; en effet, le fidèle

qui aurait assisté à la Sainte Messe dès la veille du jour de précepte, ne se soucierait plus de son second devoir de s'abstenir des travaux serviles et vaquerait à ses occupations comme d'ordinaire.

De matrimoniis mixtis: n. 32. Dans notre milieu à minorité catholique, c'est toute la théologie et la législation du mariage mixte qu'il faut repenser. Certes, il serait souhaitable que les conjoints soient tous deux catholiques, ce qui procurerait une entente plus intime entre eux, et assurerait l'éducation catholique des enfants. Mais qui ne sait combien il est difficile de faire respecter une telle législation dans un milieu où toutes les confessions se côtoient et où les catholiques restent une faible minorité.

Ne peut-on pas se fonder d'ailleurs sur les paroles de Saint Paul: « Le mari non-croyant est sanctifié par la femme, et la femme non-croyante par le frère... etc. » (*1 Cor.* 7, 12-14) pour trouver une justification du mariage mixte? Si donc on peut obtenir comme garantie minima la sauvegarde de la foi du parti catholique, les inconvénients du mariage mixte disparaîtraient, et avec eux une grave cause de dissension et de heurt entre nous et les orthodoxes. Dès lors il me semble qu'un grand pas positif serait fait sur le chemin de l'union.

N. 32. Les garanties requises par la législation canonique pour les mariages mixtes ne sont pratiquement pas observées dans la plupart des cas. Ce sont simplement un poids bien pesant sur la conscience de l'évêque ou du curé plus que du parti intéressé lui-même.

Pour moi donc il serait préférable de réduire les précautions requises pour un tel mariage à une seule qui serait définie ainsi: Promesses de la part du conjoint non-catholique de respecter la foi du parti catholique et de ne pas s'opposer à sa pratique religieuse.

Pour le baptême des enfants, il est d'habitude en Orient qu'il doit être administré selon le rite du père et non de la mère. Si la femme est catholique, comme c'est presque toujours le cas dans les mariages mixtes, il est inutile de poser une condition qu'on sait d'avance irréalisable. Les enfants ne seront baptisés que dans le rite du père. D'ailleurs on ne voit pas de grands inconvénients dans un pareil cas, puisque le baptême des orthodoxes est valide.

Quant à l'éducation catholique des enfants nés de ce mariage, on peut l'assurer quoiqu'indirectement. En effet, comme la mère est catholique, les enfants, à la maison, demeurent sous son influence immédiate. Dès qu'ils vont à l'école, il n'est pas difficile, pour divers motifs, spécialement à cause du niveau et du prestige de nos écoles catholiques en Orient, de les faire fréquenter une école catholique. Ainsi ils sont gagnés sans résistance de la part du père à la foi et à l'Eglise catholiques.

N. 33: *Forme de célébration du mariage*. Ayant toujours en vue nos frères orthodoxes, et porté par le mouvement de compréhension et de rapprochement dessiné par le Concile Œcuménique, il me semble qu'il serait plus avantageux pour nos fidèles orientaux vivant au milieu d'une majorité orthodoxe, de revenir à l'ancienne forme de célébration du mariage, je veux dire à l'état de choses qui précédait la publication du Motu Proprio *Crebrae allatae* du 22 février 1949. Comme alors on considérerait valide le mariage célébré devant un ministre orthodoxe. Du coup on évite la multiplicité des mariages invalides, contractés hélas! contre la loi, au grand détriment des âmes.

Les circonstances présentes et l'esprit du Concile ne nous invitent-ils pas à montrer de notre part toutes les facilités possibles, quittes à sauvegarder la foi du parti catholique, comme il a été dit autour des précautions à prendre dans les mariages mixtes.

Quant au remède proposé dans le schéma n. 33, consistant dans la dispense de la forme de mariage, donnée en secret, il ne ferait selon moi que compliquer les choses. En effet si le Hiérarque du lieu donne pour chaque cas la dispense, la loi n'aurait pas de raison d'être et conduirait à une pure formalité à remplir. Si d'autre part le Hiérarque la concédait aux uns et la refusait aux autres, même s'il a ses raisons propres, il se causerait beaucoup d'ennuis et prêterait inutilement le flanc à des critiques et à des accusations diverses.

Le bien des âmes et l'esprit d'union qui souffle dans le Concile me semblent donc inviter en définitive à une nouvelle prise de position à l'égard des Communautés séparées d'Orient, spécialement en cette matière si délicate. Comme on reconnaît la validité des autres sacrements administrés dans les communautés orthodoxes, ce n'est pas innover que de considérer comme valide le mariage qu'ils bénissent, comme c'était autrefois.

II Pars. In genere. Toute cette deuxième partie, où éclate le grand désir de l'unité chrétienne, jette une vive lumière sur les esprits et un espoir bien doux dans les cœurs.

Elle me semble pourtant trop générale et trop vague, ne précisant pas assez les moyens pratiques capables de rapprocher les positions.

On ne dit, par exemple, rien de la suppression des obstables qui s'opposent à l'union, comme la mitigation des principes de la Communication in « sacris », etc. etc.

La maxime le dit: Qui veut la fin, veut les moyens. Si donc on veut travailler efficacement à l'union, il faut écarter les obstacles et prendre les moyens propres à rapprocher les cœurs et à laisser entrevoir à nos frères séparés notre désir sincère, pratique, d'unité.

Puisse le Ciel avancer le jour heureux tant désiré où tous les chrétiens ne formeraient plus qu'un seul troupeau, sous la houlette d'un seul pasteur, le vrai successeur de Saint Pierre!

31

Exc.mus P. D. INNOCENTIUS ALFREDUS RUSSO

Episcopus tit. Pegaeus

Lo schema mi piace. La dottrina, la storia, l'utilizzazione dei documenti Conciliari e Pontifici, concorrono a formare uno dei più ispirati documenti del Vaticano II.

Nella I parte, cap. I, n. 6, approvo con gioia la fervida raccomandazione fatta agli Ordini e alle Congregazioni di rito latino « ut, ad maiorem apostolatus efficaciam, domos aut etiam provincias orientales, quantum fieri potest constituant ». Forse vi aggiungerei, o sostituerei, una ragione più chiaramente *ecumenica.*

Al cap. III, n. 28. Sottoscrivo con particolare compiacimento il saggio am-

pliamento delle facoltà, tutelato giustamente dalle norme successive, anche per il n. 29.

Nello stesso cap. III, n. 30. Noto con vivo assenso quanto è stato stabilito per il diaconato permanente.

Al cap. IV, noto con vivo assenso ugualmente, quanto è raccomandato nei nn. 39 e 40 « *De celebratione Paschatis* ».

Allo stesso cap. IV, segnalo, con vivo assenso, quanto è detto nei nn. 42, 43 e 44, circa l'uso « linguarum vernacularum in liturgiis ». Al n. 44, però, stimerei troppo larga la concessione con l'« id non fiat inconsulto Hierarcha loci », specie, perché vi vorrei ripetuta la garanzia sul testo da sostituire, come è detto nel numero precedente (43), dove si dice che le versioni « a competenti Auctoritate approbentur ».

Nella parte II, il proemio e il n. 47 del cap. I, sono pagine degne della grandezza, maestà e carità della santa Madre Chiesa.

Opportuno il n. 50 del cap. II, per le osservazioni prudenti, e per le previsioni incoraggianti.

Il n. 52, poi, è il suggello dello zelo: « ... non plus ab iis convenientibus exigi, quam necessarium revera sit... formula etiam simpliciore adhibita ».

Che dire del n. 54, al cap. V? È davvero corale la chiusa: « Repleatur universus orbis terrarum in Dei Genetricem ac Matrem et refugium omnium christianorum laudationum et deprecationum vocibus, ut ipsa perstet felix et diuturnum inter fratres vinculum, quo unum existat populus Dei ».

32

Exc.mus P. D. CAROLUS EDUARDUS SABOIA BANDEIRA DE MELLO

Episcopus Palmensis

Usque ad pag. 11 certe nihil dicendum est contra proposita.

Deinceps autem, in n. IV leges statuuntur, quae decreta canonica sunt. Cur has res in Concilio determinare? Relinquantur ad competentes Ecclesiae Orientalis auctoritates.

In parte II multa dicuntur, quae sunt repetitiones rerum in parte I tractatarum. Eliminentur, ergo. Conserventur solummodo ea, quae nova sunt vel nondum dicta.

33

Beat.mus P. D. MAXIMUS IV SAIGH

Patriarcha Antiochenus Melkitarum

1. N. 1, p. 5: ce préambule serait à refaire, d'après les observations suivantes:

Linn. 1-2: supprimer l'incise: « *amplissima* Patriarcharum ac Praesulum orientalium corona honestata ». Cette expression semble quelque peu hyperbolique. Il est vrai qu'à ce IIe Concile du Vatican le nombre des prélats orientaux est plus important qu'au Ier Concile du Vatican, mais il n'en reste pas moins

plutôt modeste, par rapport aux premiers Conciles de l'antiquité et aussi à l'ensemble des Pères présents, qui sont à 95% latins.

Linn. 4-5: les mots « *decursu saeculorum* » semblent confiner les mérites des Eglises orientales dans le passé, contribuant par là à les faire considérer comme une vieille relique, presque un archéologisme. On propose de les omettre.

Linn. 6-7: « Percupiens igitur *suas sollicitudines* erga has venerandas Ecclesias... patefacere ». Ces mots sentent le paternalisme. Par ailleurs, ils ont été usés par un emploi trop fréquent. L'Eglise d'Orient ne doit pas être dorlotée comme un enfant chétif, ni amadouée comme un enfant terrible. Elle n'a pas non plus besoin de « sollicitudes » spéciales. C'est une branche de l'Eglise, qui réclame seulement qu'on lui fasse une juste place dans le catholicisme, actuellement trop massivement latin de constitution et de mentalité.

Lin. 10: supprimer l'expression: « *Inter populos Orientis* ». En effet, la mission propre de l'Eglise orientale ne se limite pas aux seuls peuples d'Orient. L'Eglise d'Orient n'est pas aujourd'hui une expression géographique. C'est une branche de l'Eglise, aujourd'hui répandue un peu partout. Il convient donc que, partout, elle déploie son activité. Le schéma trahit, çà et là, une mentalité peu favorable à l'Orient, comme nous le verrons. Pour le schéma, l'Eglise latine, c'est la règle, la norme. L'Eglise d'Orient, la discipline orientale, les Patriarches, c'est l'exception, qu'il convient de limiter au maximum. On veut bien que l'Eglise orientale vive et travaille, mais « inter populos Orientis ». En dehors de l'Orient, elle n'a rien à faire, et ses fidèles de la diaspora sont normalement destinés à se latiniser. Il faut réagir contre cette mentalité.

Linn. 10-11: supprimer la proposition: « *a Patriarchis ac Praesulibus orientalibus proposita* ». Car, d'abord, ce n'est pas vrai. Il ne faut pas attribuer aux Patriarches et aux Prélats d'Orient ce schéma qui n'est pas leur œuvre et qui, en définitive, leur est peu favorable. En second lieu, il ne convient pas qu'un Concile œcuménique affirme s'être contenté de confirmer ce qu'une portion de ses membres a proposé. Les textes conciliaires sont l'œuvre de tous les Pères, même s'ils ont été préparés par un groupe.

2. N. 2, p. 5: nous proposons de faire précéder ce numéro d'une phrase de caractère général, puis de modifier l'une ou l'autre expression. Commencer le numéro par cette affirmation de principe, qui a pour but de montrer que l'épithète *Eglise particulière* n'est pas propre aux Eglises d'Orient, comme on le dit, mais *à toutes les Eglises,* y compris l'Eglise latine: « Ecclesiae omnes apostolicae traditionis cuiusvis ritus, sive orientalis, sive occidentalis, non seclusa Ecclesia latina seu occidentali, particulares sunt Ecclesiae ».

Lin. 14: supprimer le mot « Orientalium ». En effet, ce n'est pas la variété des Eglises *orientales* qui, « loin de nuire à l'Eglise, en démontre la catholicité ». C'est *la variété de toutes les Eglises particulières.* Ce n'est pas seulement les Eglises orientales qui sont « Eglises particulières ». Même l'Eglise latine est une Eglise particulière dans l'Eglise universelle.

Lin. 17: remplacer « nationis vel regionis » par « Ecclesiae ». En effet, il ne s'agit pas de sauvegarder les traditions de chaque « nation ou région », mais de chaque « Eglise ». Il ne s'agit pas de folklore, mais de traditions ecclésiales.

3. N. 3, p. 6, lin. 6: remplacer l'expression: « aequali modo concreditae sunt » par *omnes tamen concreduntur.* En effet, on ne peut pas dire que toutes

les Eglises particulières sont « aequali modo » confiées au Pape. L'Eglise de Rome lui est confiée comme à son évêque immédiat. L'Eglise d'Occident lui est confiée comme à son Patriarche. Mais les Eglises d'Orient et *toutes les Eglises* lui sont confiées comme au successeur de Pierre.

4. N. 5, p. 6: ajouter à la fin de ce numéro la phrase suivante: « Ubi vero Ordinarius cuiusvis ritus iurisdictionem habet in cleros et fideles alieni ritus, eos ad mentem proprii eorum ritus paterno amore regere debet. Mens autem ritus est illa quae viget in patriarchatu vel alia superiori auctoritate eiusdem ritus ». Cette addition est destinée à prévenir certains abus: contamination du rite, négligences graves en matière liturgique et disciplinaire, etc. Du fait que des Ordinaires latins, par exemple, ont juridiction sur des fidèles orientaux, il doivent les régir selon l'esprit de leur rite oriental, et cet esprit doit être recherché auprès de l'autorité supérieure du rite.

5. N. 6, p. 6: ajouter à la fin de ce numéro la proposition suivante: « in quibus, non solum ritus observatur orientalis, sed spiritus quoque orientalis praevalet ». Cette proposition nous semble nécessaire. En effet, il ne suffiit pas aux Instituts religieux latins d'ouvrir des maisons ou des provinces de rite oriental; il faut que ces fondations soient animées de l'esprit oriental, de la spiritualité orientale et, surtout, il faut qu'il y ait là *l'amour de l'Orient*. Le rite ne fait pas l'oriental. On a vu des étrangers se faire orientaux quant à la célébration liturgique, et nourrir en même temps beaucoup d'aversion pour l'Eglise d'Orient, sa discipline, sa spiritualité, son apostolat, etc. On devrait plutôt interdire à ces personnes l'adoption du rite oriental.

6. N. 9, p. 7: ce numéro, tel qu'il est rédigé dans le schéma, est *absolument inadmissible*. Il constitue une *injustice grave,* que nous ne tolérerons jamais. Ce numéro constitue un coup fatal donné à l'Eglise orientale catholique. Aussi, étant donné la gravité de la matière, nous devons nous étendre un peu sur ce point.

Il convient d'abord de rappeler que ce numéro, absolument inattendu, a remplacé un paragraphe que la Commission Orientale avait approuvé à sa grande majorité, après de longues discussions. Nous pensions que l'affaire était close. Mais « certains » — nous ne savons pas qui — ont abusivement remplacé l'ancien paragraphe, favorable aux Orientaux, par ce nouveau texte, qui constitue une vraie injustice. Naturellement, pour couvrir cette façon de faire, on a eu soin de ne pas convoquer la Commission Conciliaire, afin de mettre les Pères du Concile devant le fait accompli.

A. *Status quaestionis*. Dans ce numéro, il s'agit des baptisés non-catholiques qui reviennent à l'Eglise catholique. A quel rite doivent-ils appartenir? Par exemple, un protestant d'Amérique qui se fait catholique, doit-il appartenir à l'Eglise latine, ou peut-il, au moment de sa conversion, choisir de passer au rite qu'il veut, par exemple au rite malabare? Le bon sens répondra sans doute: un protestant d'Amérique, s'il se fait catholique, ne peut normalement que faire partie de l'Eglise catholique latine d'Amérique. Si ses circonstances particulières exigent qu'il se fasse malabare ou arménien, il n'a qu'à s'adresser au Saint-Siège.

Et s'il s'agit d'*orientaux* non-catholiques (orthodoxes), que faut-il penser? Par exemple, un *éthiopien orthodoxe* qui veut devenir catholique, à quel rite doit-il appartenir? Le bon sens répond: Normalement, il appartiendra à l'Eglise *éthio-*

pienne catholique. Cependant, pour des raisons personnelles tout-à-fait spéciales, dont l'autorité supérieure reste juge, il pourra *exceptionnellement,* se faire malabare, arménien, ukrainien ou latin. C'est le point de vue que nous avons toujours défendu: les Orientaux orthodoxes, en devenant catholiques, doivent normalement rester, non seulement orientaux (c.-à-d. ne pas se latiniser), mais d'une manière plus précise, orientaux du même rite auquel ils appartenaient dans l'orthodoxie, sauf motifs personnels qui exigeraient le passage à un autre rite avec le consentement du Saint Siège.

Tel n'a pas été, malheureusement, l'avis des « rédacteurs » de ce dernier schéma, qui ont bien manœuvré pour laisser tomber en oubli le texte voté par la Commission préparatoire, pour éviter de réunir la Commission Conciliaire, et faire passer ainsi, comme venant des prélats d'Orient, une théorie latinisante qui est contraire à l'attitude constante du Saint-Siège sur ce point.

Ceci exige quelques explications. Nous montrerons d'abord la discipline qui était en vigueur jusqu'ici, puis nous critiquerons le texte qui nous est présenté maintenant, pour défendre ensuite le texte voté par la Commission Orientale préparatoire du Concile, et que nous défendrons toujours avec énergie, car il y va de l'avenir même du catholicisme oriental.

B. *Discipline en vigueur jusqu'en 1958.* Jusqu'en 1958, c.-à-d. jusqu'à l'entrée en vigueur du Motu Proprio *Cleri sanctitati* du 2 juin 1957, les baptisés orientaux non-catholiques qui passaient au catholicisme pouvaient choisir, parmi *les rites orientaux,* celui qui leur plaisait. Ainsi, un éthiopien orthodoxe pouvait, en devenant catholique, se faire arménien, maronite ou malabare, mais il devait rester au moins oriental. Pour devenir latin, il leur fallait, ou bien un indult exprès du Saint-Siège, ou bien poser une condition, pour ainsi dire « sine qua non », de ne vouloir devenir catholiques que dans le rite latin. Pratiquement, les apôtres de la latinisation ne se gênaient pas pour autant, et à tous ceux qu'ils « convertissaient » ils conseillaient de mettre cette condition « sine qua non ». On a latinisé ainsi des régions entières. Les Orientaux protestaient énergiquement, mais les latinisants trouvaient des appuis puissants à la Curie Romaine et parmi les représentants du Saint-Siège sur place. Les intentions les plus généreuses des Papes restaient ainsi lettre morte.

Cette discipline, en vigueur jusqu'en 1958, avait un avantage et présentait un inconvénient. L'avantage, c'est qu'elle visait normalement à laisser les orientaux dans l'Eglise orientale, sans exclure la possibilité de passer au rite latin, si des conditions spéciales se réalisaient, du jugement du Saint-Siège. L'inconvénient, c'est qu'elle autorisait les orientaux, au moment de passer à l'Eglise Catholique, à s'agréger librement *à n'importe quel rite oriental.* Ainsi, un éthiopien pouvait devenir ukrainien, un arménien pouvait devenir malabare, et un russe pouvait devenir maronite. Pratiquement, cela ne se faisait pas, car chacun restait de fait dans son rite. Mais la législation était théoriquement défectueuse. Elle appelait une amélioration, dans le sens d'une plus grande précision.

C. *Discipline en vigueur depuis 1958.* Le Motu Proprio *Cleri sanctitati* du 2 juin 1957, au lieu d'améliorer la situation, l'aggrava. Le canon 11 de ce Motu Proprio donne, en effet, aux baptisés acatholiques de rite oriental la faculté, en devenant catholiques, de choisir le rite qu'ils veulent: « ritum quem maluerint amplecti possunt ». Et cela aussi bien en Orient qu'en dehors de l'Orient. On

sait quelles protestations énergiques notre Eglise Melkite a élevées, depuis le fameux synode du Caire de 1958, contre ce canon. Nous les résumons ici brièvement à l'intention de ceux qui n'en auraient pas pris connaissance:

a) L'innovation du canon 11 est contraire aux déclarations des Papes et à la législation qui était jusque-là en vigueur. En particulier, le Pape Benoît XIV, dans la Constitution *Allatae sunt* du 26 juillet 1755, § 33, entend résumer la constante norme suivie par les Papes lorsqu'il dit: « Jamais les Pontifes Romains n'ont demandé de ceux qui reviennent à la foi catholique d'abandonner leur rite et d'embrasser obligatoirement le rite latin. Ce serait, en effet, la disparition de l'Eglise orientale et de tous les rites grecs et orientaux, ce qui non seulement n'a jamais été tenté, mais *a toujours été et est encore aujourd'hui absolument étranger à l'esprit de ce Saint-Siège* ». Et la Propagande a également répondu, le 1 juin 1885 (*Collectanea,* t. II, n. 1633, ad 2) que les missionnaires, en recevant dans l'Eglise catholique ceux qui étaient nés dans le schisme, *devaient les inscrire dans leur rite oriental, et non dans le rite latin,* sauf autorisation spéciale du Saint-Siège. Enfin, que ce canon 11 soit contraire à la législation qui était jusque-là en vigueur, cela est clair par ce que nous avons dit *sub litt.* B.

b) Le nouveau canon, il est vrai, n'oblige pas les acatholiques orientaux à passer *obligatoirement* au rite latin. Mais il suffit qu'on le leur permette pour que les « latinisants », encore très nombreux en Orient et en Occident, redoublent d'ardeur et privent les Eglises orientales catholiques de presque tout apport nouveau. Certes, il n'y a aucun inconvénient à ce que le Saint-Siège Romain, prenant en considération les besoins particuliers de certaines âmes, les autorise à passer exceptionnellement au rite latin ou à un rite oriental autre que le leur; car la fin de toute législation dans l'Eglise est le bien des âmes. Mais, la loi de l'Eglise doit prévoir ce qui est normal, non ce qui est exceptionnel. Or, normalement, un éthiopien orthodoxe sera éthiopien catholique, un malabare orthodoxe sera un malabare catholique, etc. Mais il n'est pas normal qu'un grec-orthodoxe devienne latin ou malabare. D'autre part, permettre aux latins d'admettre normalement et régulièrement dans leur rite latin les acatholiques orientaux qui veulent revenir à l'unité, c'est, dans les circonstances concrètes actuelles, et étant donné les moyens considérables dont les latinisants disposent en personnel, en œuvres et en ressources, condamner les Eglises orientales catholiques à ne plus se développer normalement. Ainsi, la liberté et l'apparente égalité voulues par le canon équivalent pratiquement à livrer le faible à la merci du fort.

c) Le Pape Léon XIII avait prévu des sanctions très graves, allant jusqu'à la privation de l'office, contre ceux qui poussaient les orientaux à adopter le rite latin. Ces sanctions sont pratiquement restées lettre morte et le mouvement de latinisation de l'Orient a continué comme auparavant. Or, ce que les sanctions les plus graves n'ont pu empêcher, un simple souhait mis, comme à la dérobée et sans trop de conviction, au bout du canon, pour encourager les Orientaux à rester dans leur rite, l'empêchera-t-il davantage? Le canon 11 dit, en effet: « Baptizati acatholici ritus orientalis, qui in catholicam Ecclesiam admittuntur, ritum quem maluerint amplecti possunt; *optandum tamen ut ritum proprium retineant* ». Souhait platonique, qui ne trompe personne.

d) Pendant que ce canon 11 autorise les acatholiques orientaux à passer au rite latin, le droit actuellement en vigueur interdit aux acatholiques occidentaux de passer au rite oriental. Il est pacifiquement admis, en effet, chez les

canonistes qu'un protestant italien qui veut se faire catholique ne peut pas normalement se faire de rite oriental, mais appartiendra au rite latin. D'ailleurs, est-il de bon sens que les protestants de Rome, par exemple, en se convertissant au catholicisme, passent au rite arménien? Il n'est pas de meilleur bon sens que les arméniens orthodoxes deviennent latins.

Pour toutes ces raisons, nous avons protesté énergiquement contre l'innovation du canon 11 du Motu Proprio *Cleri sanctitati* et, profitant du fait que la Commission Orientale étudiait de nouveau cette question, le délégué melkite a proposé un amendement à ce canon pour être soumis au Concile. Voici comment les choses se sont passées:

D. *Texte proposé par la Commission Orientale*: La Commission « De Ecclesiis Orientalibus » préparatoire au Concile a approuvé *à une grande majorité,* dans sa session XVI, du 21 avril 1961, le texte suivant (voir document n. 81/1961, p. 2 et 3): « Baptizati acatholici, qui in catholicam Ecclesiam admittuntur, proprium quem habent ritum servare debent, salvo iure, in casibus particularibus, recurrendi ad Sedem Apostolicam ». Ce texte présentait les avantages suivants:

a) Il n'établit aucune discrimination entre le rite latin et les rites orientaux. La règle qu'il propose est valable aussi bien pour les acatholiques occidentaux que pour les acatholiques orientaux.

b) Il indique ce que doit être la règle, la norme: chacun doit rester fidèle à son rite, occidental ou oriental.

c) Il tient compte suffisamment des cas particuliers: le Saint-Siège peut donner autant de dispenses qu'il juge opportun.

Néanmoins, malgré cette ouverture qu'il laisse de passer à un autre rite, le texte n'a pas plu à certains, qui semblent vouloir à tout prix avantager la latinisation des orientaux. Ne tenant pas compte du *vote majoritaire de la Commission,* ils ont essayé, par leurs moyens à eux, de changer le texte, et cela par étapes, très habilement, comme on va le voir.

E. *Modifications apportées successivement au texte voté par la Commission Orientale*: Une première retouche, faite dans une communication polycopiée appelée: « Textus emendatus et breviatus », et datée du 15 décembre 1962, réduit le texte à ce qui suit: « Baptizati acatholici *in regionibus proprii ritus* qui ad Ecclesiam catholicam admittuntur, proprium ritum servare debent; *extra regiones proprii ritus, ritum quem maluerint amplecti possunt, etsi optandum ut ritum proprium retineant,* salvo iure, in casibus particularibus, recurrendi ad Sedem Apostolicam ».

Ainsi donc, cette première retouche, en interpolant très habilement l'incise « in regionibus proprii ritus », limite la norme votée par la Commission aux seules régions d'Orient; en dehors des régions d'Orient, les acatholiques orientaux, en devenant catholiques, ne sont pas tenus de rester orientaux et de leur rite original, mais peuvent choisir le rite qu'ils veulent, c.-à-d. pratiquement passer au rite latin.

Nous avons alors protesté avec la dernière énergie aussi bien contre cette interpolation que contre le procédé qui consiste à mépriser le vote délibératif de la Commission pour substituer à son texte un texte fait en cachette par nous ne savons pas qui.

Résultat de notre protestation: Les mêmes personnes qui avaient interpolé

le premier texte, rédigent un texte encore plus défavorable à l'Orient, celui de l'actuel schéma, n. 9, ainsi conçu: « Baptizati acatholici, ad catholicam Ecclesiam redeuntes, *in regionibus sui proprii ritus,* servare *monentur* ritum proprium »... Ainsi donc, non seulement la règle de rester dans son rite est limitée à l'Orient (in regionibus sui proprii ritus), mais *cette obligation elle-même disparaît*; le verbe « *debent* » est habilement remplacé par le verbe « *monentur* »; après la monition, on est libre de faire ce que l'on veut. Et les prélats d'Orient, qui avaient tant lutté pour que l'on sauvegarde leurs droits, *sont joués*. Et... — comble de l'habileté — *on présente le tout comme venant des prélats d'Orient eux-mêmes*: « nonnulla capita, a Patriarchis ac Praesulibus orientalibus proposita, probare... ».

Conclusion: 1) Le texte que la Commission préparatoire « De Ecclesiis Orientalibus » avait décidé à la grande majorité doit être respecté. Il ne peut être changé que par décision formelle de la Commission Conciliaire, qui ne s'est pas encore réunie.

2) De nouveau, nous déclarons qu'il revient aux seuls Pères du Concile d'approuver ou de rejeter l'unique texte légitimement proposé par la Commission préparatoire compétente, à savoir celui-ci:

F. *Texte proposé au Concile*: « Baptizati acatholici, qui ad catholicam Ecclesiam admittuntur, proprium quem habent ritum servare debent, salvo iure, in casibus particularibus, recurrendi ad Sedem Apostolicam ».

Nous regrettons que l'étude de ce n. 9 du schéma nous ait occupés si longtemps; mais la question qu'il soulève est d'une importance vitale pour les Eglises orientales catholiques.

7. N. 10, p. 7: à supprimer. Ce numéro veut établir que l'institution patriarcale est seulement de droit ecclésiastique. Personne n'a jamais prétendu qu'elle était de droit divin. Ce n'était pas la peine de saisir le Concile œcuménique de cela. D'ailleurs, cette distinction entre « institution de droit divin » et « institution de droit ecclésiastique » est un peu simpliste. La primauté romaine est de droit divin; mais que de choses, dans son exercice, sont de droit purement ecclésiastique!

8. N. 11, p. 7: à supprimer. Ce numéro veut donner une définition du Patriarche. Il l'emprunte textuellement au Motu Proprio *Cleri sanctitati* de Pie XII, can. 216, § 2, 1°. On sait que le Code lui-même évite en principe toute définition. A plus forte raison, le Concile ne doit-il pas s'amuser à donner une définition canonique du patriarcat, d'ailleurs assez plate.

9. N. 12, p. 7, linn. 18-19: supprimer les mots: « a Romano Pontifice vel a Concilio Oecumenico data vel agnita ». On ne peut pas dire, *sic et simpliciter,* que l'institution patriarcale a été donnée ou reconnue par les Papes ou par les Conciles œcuméniques. Ceci est faux historiquement. Ce ne sont pas les Papes de Rome qui ont créé les vrais et grands patriarcats de Constantinople, d'Alexandrie, d'Antioche et de Jérusalem. Ce ne sont même pas les Conciles œcuméniques qui ont créé l'institution patriarcale. Le premier Concile œcuménique de Nicée, en mentionnant les trois principaux sièges de la chrétienté (Rome, Alexandrie et Antioche), suppose déjà l'institution patriarcale, non quant au nom, mais quant à la réalité. Cette réalité supra-episcopale qu'est le patriarcat *plonge*

ses racines dans l'âge apostolique. Les Conciles ont approuvé une situation de fait. Les Papes n'ont créé que *certains* patriarcats uniates d'institution récente. Le patriarcat, en tant que tel, s'il n'est pas de droit divin, n'en est pas moins apostolique et fondé sur la plus ancienne tradition patristique.

Pour le reste, ce numéro peut rester comme un souhait qu'exprime le Concile de voir honorer, dans l'Eglise catholique, l'institution patriarcale. Mais, pour réaliser ensuite ce souhait, il faudra beaucoup travailler. Car, vraiment, dans l'Eglise catholique, l'institution patriarcale paraît aux partisans de la centralisation comme le principal ennemi. Rien pourtant ne soutient la primauté du successeur de Pierre autant que la couronne de ses frères les Patriarches des grands sièges apostoliques de la chrétienté. Rabaisser Constantinople, Alexandrie, Antioche ou Jérusalem, c'est rabaisser Pierre et son successeur. Que l'on se rappelle le mot de S. Léon Pape: « Honor meus in honore fratrum meorum ». Mais il faudra attendre encore un siècle sans doute pour que la catholicité prenne conscience de ce qu'est l'institution apostolique du patriarcat. L'Occident a oublié qu'il avait un Patriarche, qui est l'Evêque de Rome, et que l'Orient, son aîné dans le christianisme, avait plusieurs patriarches. Pour mesurer l'incompréhension de l'Occident catholique en matière d'institution patriarcale, il suffit de lire les trois-quarts de page que le schéma *de Ecclesiis Orientalibus* lui consacre.

Nous répétons: dans cent ans, il faudra reprendre ce thème. Connaissant l'état actuel des esprits, nous désespérons de pouvoir faire adopter un texte sur les patriarcats qui serait vraiment conforme à la Tradition et à ce que l'Eglise est en droit d'attendre d'une institution qui a présidé, avec la primauté du successeur de Pierre, aux destinées de la foi à travers vingt siècles.

C'est pourquoi, nous proposons ou bien que le Concile ne parle pas des patriarcats, plutôt que d'en parler de cette manière aussi plate, ou bien qu'il se contente des quelques lignes qui suivent, laissant aux générations suivantes le soin de mûrir cette question: « Patriarchae sunt in Ecclesia catholica episcopi principales. Gaudent scilicet potestate episcopali plena quae a canonica limitatione, sicut pro ceteris episcopis, minime vel parum restringitur. Non excedit enim potestatem nativam successorum apostolorum quod antiquiores episcopi, pro sua quisque regione, alios episcopos creent, cum quibus eundem territorium collegialiter regant et quibus tanquam principes pastorum praesint.

Quod autem ad titulum vel numerum vel territorii fines vel praecellentiam sedium spectat, hoc ad ius ecclesiasticum pertinet.

Secundum antiquam Ecclesiae traditionem et oecumenicorum conciliorum decreta, hi sunt tituli et ordo maiorum sedium patriarchalium: prima Sedes Romana Beati Petri principis Apostolorum, secunda Constantinopolitana, tertia Alexandrina, quarta Antiochena, quinta Hierosolymitana ».

Ce texte très bref a pour but d'abord de combattre la thèse sous-jacente au schéma d'après laquelle ce qui constitue le patriarcat, ce sont *de purs privilèges* que le Pape a concédés et qu'il modifie à volonté. Or, on voudrait savoir le nom du Pape ou du Concile qui a érigé en patriarcat les sièges d'Antioche ou d'Alexandrie. Au contraire, pour Saint Léon et Saint Grégoire le Grand, les trois sièges de Rome, d'Alexandrie et d'Antioche tirent leur autorité de l'Apôtre Pierre: Pierre à Antioche, Pierre à Alexandrie par son disciple Marc, Pierre à Rome. Même si on ne partage pas aujourd'hui cette opinion des deux grands Papes, il n'en reste pas moins que le patriarcat n'est pas une simple question

de privilèges accordés par le Pape ou par le Concile à des évêques pris au hasard.

En second lieu, le Concile se doit de citer les cinq sièges patriarcaux de la chrétienté. En mettant le siège romain en dehors, et en faisant du patriarcat une institution purement orientale, et presque non-catholique, on dénature les faits de l'Histoire et le caractère propre de l'institution patriarcale.

Si l'on tenait à descendre quand même dans quelques détails canoniques, nous proposerions d'ajouter aussi le texte suivant: « Praeter Romanam Sedem, nulla existit Sedes Patriarchalis ritus latini proprie dicta.

Patriarchae sic dicti orientales, vi eorum dignitatis, potestatis et traditionalis praestantiae, sive in oecumenicis conciliis sive extra huiusmodi concilia, in universalibus scilicet negotiis tractandis, sunt simul cum Romano Pontifice, eorum Summo Praeside, praecipui episcopi illius quae ab undique Ecclesia est.

Quae potestas patriarchalis, etsi vocabulum patriarcha nonnisi tarde apparuit, in episcopos, clericos et fideles proprios, necnon auctoritas in ipsam Ecclesiam universalem, ab antiquissimis, immo apostolicis, temporibus viget, a Spiritu Sancto in Corpore Christi mystico producta.

Patriarchae iure ergo traditionali et canonico constituerunt et constituunt, in communione cum Romano Episcopo, supremum collegium in Ecclesia.

Quae Florentina Synodus et Romani Pontifices post eam saepe saepius affirmaverunt de iuribus et privilegiis patriarcharum minime imminuendis, haec Sacra Synodus sollemniter confirmat; haec autem iura et privilegia sunt illa quae in millennaria unione orientis et occidentis viguerunt, etsi ad nostra tempora aliquando adaptanda sint, minime vero minuenda ».

10. N. 14, p. 7, lin. 30: remplacer « cuius est » par « quorum est », puisqu'il s'agit à la fois du Pontife Romain et du Concile œcuménique.

11. N. 15, p. 8: supprimer ce numéro, dont les idées sont mieux reprises à leur place dans le schéma *de Ecclesia.*

12. N. 16, p. 8: nous proposons une autre rédaction: « Episcoporum (supprimer: orientalium) potestas in suis ecclesiis regendis iis *tantum limitibus restringitur,* quas bonum commune Ecclesiae *reservari consuluit* » (supprimer tout ce qui suit).

Nous pensons en effet, comme nous l'avons dit dans nos observations sur le schéma *de Ecclesia,* que *les évêques ont, de par la constitution divine de l'Eglise, tous les droits et pouvoirs nécessaires pour gouverner leur troupeau.* Il n'y a pas à leur concéder des « facultés » plus ou moins étendues. Seul l'intérêt supérieur de l'Eglise peut porter l'autorité compétente à « réserver » certains cas au Pape, au Patriarche, au Métropolite ou aux Synodes. C'est pourquoi nous avons supprimé le mot « orientalium », car cela vaut de tous les évêques, et non seulement des évêques orientaux. Ensuite, au subjonctif « restringatur » nous avons substitué l'indicatif « restringitur », indiquant un état de fait, et non une concession. Quant à la fin du numéro: « In dubio tamen positivo et probabili, etc. », elle devient inutile. Il est en effet évident que tout ce qui n'est pas *certainement* réservé à l'autorité supérieure est de la compétence de l'évêque.

13. N. 17, p. 8: supprimer ce numéro, qui représente une conception purement juridique latine. En effet, si l'autorité supérieure, comme nous venons de le voir, ne se réserve que les cas vraiment nécessaires, il ne convient pas que l'évêque dispense dans ces cas, sinon la réservation est inutile. Ce numéro

serait utile si l'autorité supérieure se réservait toute sorte de cas, sans que cela soit absolument nécessaire. Mais si l'autorité supérieure sait se limiter, l'autorité épiscopale ne doit pas dépasser ces limites, imposées par le bien commun.

14. N. 19, p. 8: supprimer ce numéro comme faisant double emploi avec le n. 4.

15. N. 20, p. 8-9: supprimer la première proposition: « Etsi episcopus... Chrismatis », et commencer le numéro comme suit: « Traditam praxim apud Orientales relate ad sacramentum Confirmationis, placuit Sanctae oecumenicae Synodo plene instaurare ». La première proposition est à supprimer comme inutile. On sait déjà que le Concile de Trente a défini que le ministre « ordinaire » du sacrement de confirmation est l'évêque. Par ailleurs, le mot « ministre ordinaire » n'est pas très heureux, quand il s'agit de discipline orientale. Il est manifestement inspiré de la pratique latine où l'évêque est de fait le ministre qui *ordinairement* administre ce sacrement, alors que, dans la discipline authentiquement orientale, c'est le prêtre qui administre ordinairement ce sacrement, et l'évêque tout-à-fait extraordinairement. D'autre part, le prêtre oriental ne peut confirmer qu'en utilisant le Myron que seul le Patriarche ou l'évêque peut consacrer. Pour concilier les deux pratiques, on propose de dire que l'évêque est « minister sic dictus ordinarius, seu melius primarius sive originalis ». Pour comprendre le point de vue oriental sur ce point de terminologie, que les théologiens latins se posent la question: Si l'Eglise latine faisait administrer la confirmation ordinairement par les prêtres et non par les évêques, auraient-ils appelé l'évêque « ministre ordinaire » de la Confirmation? Il faut donc trouver un terme qui convienne aussi bien à la discipline orientale qu'à la discipline latine, et ne pas faire plier chaque fois le point de vue oriental à la pratique latine.

16. N. 24, p. 9: nous proposons de faire précéder ce paragraphe d'un premier alinéa ainsi conçu: « Antiqua traditio orientalis sanctissimam ministrandi eucharistiam infantibus simul cum baptismate et confirmatione, ubi viget sancte observetur. Ubi vero iam desinit, laudabiliter restitui potest ».

En effet, si les Orientaux sont restés fidèles à l'usage de conférer, en même temps que le baptême, le sacrement de confirmation, il est logique de conférer aussi le troisième des « *trois sacrements de l'initiation chrétienne* », à savoir la sainte eucharistie. Tous ceux qui sont baptisés dans le Christ, sont en même temps confirmés en lui et reçoivent son Corps et son Sang précieux. Il n'y a pas de raison de donner la confirmation aux enfants et de leur refuser la sainte eucharistie. C'est un usage universel et très beau de l'Eglise d'Orient qu'il convient de conserver ou de restaurer.

17. N. 26, p. 9: amender comme suit le début du paragraphe: « Huic obligationi satis fit per adsistentiam... ». Le texte du schéma veut *concéder* aux Orientaux la faculté de satisfaire à l'obligation de participer au culte divin, les dimanches et jours de fête, à partir des vêpres de la fête. Mais cela va de soi, car le jour liturgique commence, en Orient comme en Occident, aux vêpres du dimanche ou de la fête, c.-à-d. la veille au soir. Il n'y a donc pas à concéder aux Orientaux ce qu'ils ont déjà selon leur discipline. Il suffit de rappeler et de confirmer cette discipline.

18. N. 27, p. 10, lin. 5: supprimer les mots « *a iure delegatam* ». Nous pensons que le Concile œcuménique ne doit pas parler comme un professeur de droit canonique. Le Concile établit une règle et laisse aux canonistes le soin de systé-

matiser et d'employer leur terminologie technique. D'ailleurs, cette notion de « potestas a iure delegata » est-elle absolument sûre?

19. N. 32, p. 11: supprimer tout ce paragraphe. La Commission orientale avait voté le texte mis sous le n. 33, pour faciliter la discipline actuelle des mariages mixte en Orient. On a cru nécessaire de faire précéder ce texte d'une préface (n. 32), qui est inspirée d'un esprit plutôt opposé à la largesse du numéro qui suit. Sans dire que cette préface est compliquée, un peu offensante pour les non-catholiques, et en définitive inutile. On commence par dire qu'il n'est pas facile d'éviter les mariages mixtes. C'est évident, aussi bien pour l'Orient que pour l'Occident. Cependant, ajoute le texte, il faut avertir les fidèles d'avoir à éviter ces mariages mixtes. C'est établir en voie de principe que ces mariages sont quelque chose de mauvais. Puis on dit que si on ne peut pas les éviter, on doit veiller à ce que les conjoints évitent tous les dangers qu'ils comportent, etc. A remarquer que les non-catholiques prennent les mêmes mesures pour se protéger contre nous, ce qui met les fidèles dans un état de conscience fort tourmenté. A notre avis, ce numéro est inutile dans un texte conciliaire.

20. N. 33, p. 11, linn. 14-18: nous proposons l'amendement suivant: « Ubi pars acatholica moraliter nequeat se coram competenti parocho catholico sistere » (puis supprimer tout le reste).

Le texte du schéma ajoute deux autres phrases, que nous proposons de supprimer. La première pose une condition: « et simul adsit periculum ne eadem (pars acatholica) partem catholicam sibi adhaerere adigat ». Cette condition n'est pas nécessaire pour permettre à l'évêque de dispenser de la forme du mariage. Elle se réalise parfois, et parfois ne se réalise pas. Si on la met dans un texte conciliaire, les théologiens vont croire que l'Eglise exige désormais une nouvelle condition. La deuxième phrase est celle-ci: « Hierarcharum tamen conscientia graviter onerata de observantia cautionum quae in iure praescriptae sunt ». D'après une opinion probable fort répandue, et qui nous a été officiellement communiquée par la S. Congrégation Orientale, l'Eglise exige seulement de la partie catholique qu'elle s'engage à faire son possible pour que les enfants soient baptisés et éduqués dans l'Eglise catholique. Rien de plus ne semble devoir être exigé, surtout de la partie acatholique. Etant donné cette opinion et la pratique qui s'en inspire, il nous semble que la phrase du schéma « conscientia graviter onerata » devient un peu excessive. Quelle est la partie catholique qui ne veut pas faire son possible?

21. Nn. 34-48, pp. 11-12: tous ces numéros, constituant le paragraphe « de temporibus sacris », sont à supprimer. Il nous semble que cette matière serait plutôt du ressort du futur Code de droit canonique oriental. Il ne convient pas que le Concile descende à ces détails, à moins qu'il ne veuille innover et unifier totalement cette matière, assez compliquée. Or, ce n'est pas le cas, car chaque numéro du schéma laisse la porte ouverte aux prescriptions du droit particulier. Ainsi, rien n'est fait. Après comme avant le Concile, chaque Eglise continuera à peu près à se régler comme elle l'entend. Par ailleurs, il semble difficile d'unifier cette discipline dans tous les pays du monde à la fois. Mieux vaut, semble-t-il, que le Concile invite les Hiérarques ayant juridiction sur le même pays à unifier la discipline en matière de fêtes, de jeûnes et d'abstinences. C'est une question d'intérêt local, que les synodes ou conférences épiscopales peuvent plus avantageusement traiter.

22. N. 44, p. 13: nous proposons d'amender le texte comme suit: « Si *habitualiter,* ob bonum spirituale adstantium, in celebratione liturgica, ex parte vel ex toto, lingua adhiberi debeat diversa *a lingua huius regionis vernacula,* vel ab illa vel ab illis, quibus Ecclesia celebrantis ex tradito more utitur, id non fiat inconsulto hierarcha loci ».

L'Eglise est dynamique, vivante, s'adaptant sans cesse. Si nous, Melkites par exemple, nous avons passé du grec au syriaque, puis du syriaque à l'arabe, ce n'est pas pour nous arrêter là. Notre « arabe » aux Etats-Unis, c'est l'anglais, à Québec le français, en Argentine l'espagnol, etc. Dès lors qu'il nous est permis de célébrer partout en langue vivante, nous n'avons pas à en aviser le Hiérarque du lieu, car c'est une loi générale de l'Eglise, qu'il est censé connaître et respecter. De même, nous ne l'avisons pas pour célébrer sur du pain fermenté. Mais, si habituellement nous voulons célébrer dans une langue qui n'est pas la langue vivante du pays, ou si nous voulons célébrer dans une langue qui n'est pas celle habituellement en usage dans notre Eglise, alors, dans ce cas, nous devons aviser le Hiérarque du lieu. Par exemple, si nous devons célébrer habituellement en espagnol à New York. Mais, si à New York nous voulons célébrer en anglais, nous n'avons pas à avertir l'Ordinaire du lieu, car la loi générale de l'Eglise nous autorise à célébrer partout en langue vernaculaire, donc en anglais à New York.

23. Nn. 45-54: *De unione christianorum orientalium* (pages 16-19). Cette deuxième partie du schéma mérite toute louange. Nous le disons d'autant plus volontiers que nous avons été sévères pour la première partie, d'allure canonique. Nous ferons l'une ou l'autre remarque, plutôt de détail, afin que le texte soit encore meilleur, si possible. Mais l'esprit avec lequel cette deuxième partie a été faite est nettement différent de l'esprit de la première partie. On sent là le respect et l'amour à l'égard de l'Orient chrétien. Toutes nos félicitations, et sans réserve.

24. N. 47, p. 17, linn. 6-7: le titre « hominum amator » est réservé, dans la tradition byzantine, au Christ, et non au Père.

25. N. 48, p. 17, lin. 23: mettre: « Ecclesias orientales iure pollere *ubique terrarum...* ».

26. N. 48, p. 17, linn. 27-28: mettre: « servari *sine ullo detrimento* eamque foveri iussit *et iubet* ».

27. N. 48, p. 17, lin. 31: mettre: « si forte *adessent,* emendatis, quae unitati huic *adversarentur* ».

Ces amendements de détail ont pour but ou de clarifier l'idée. ou d'écarter certains doutes, ou d'atténuer une expression qui pourrait blesser. Ils se passent de commentaire. Mais le numéro, comme toute cette partie, est excellent.

28. N. 52, p. 18: nous proposons de supprimer tout ce numéro, comme non-indispensable. Il est de caractère canonique, et ne cadre pas très bien avec l'ensemble. Si on tient à le maintenir, nous proposerions les amendements suivants:

Linn. 30-35: « ut *nobiscum denuo catholicam unitatem restaurent* (supprimer: atque de plenitudine Revelationis participent), iubet non plus ab iis convenientibus exigi, quam necessarium revera sit, ut *eorum nobiscum reunio in una, sancta, catholica et apostolica Christi Ecclesia clare manifestetur,* formula etiam simpliciore adhibita ».

Ces amendements sont proposés pour atténuer ce que les expressions du schéma peuvent avoir de blessant inutilement, par exemple les expressions sui-

vantes: « ut ad catholicam unitatem accedant »; l'unité catholique, c'est l'unité de toutes les Eglises dans l'Eglise universelle, la « catholica »; il ne convient pas de présenter l'union comme le retour de nos frères à nous, mais notre ré-union dans l'Eglise catholique; affaire de nuances, pourtant très importantes dans le dialogue œcuménique. De même, il faut à tout prix supprimer la proposition « atque de plenitudine Revelationis participent », car nos frères orthodoxes participent à la plénitude de la Révélation, puisqu'ils ne nient ni l'Ecriture ni la Tradition ni le Magistère de l'Eglise. De même il n'est pas tout à fait exact de dire que par leur adhésion au catholicisme seulement nos frères séparés « membra unius, sanctae, catholicae et apostolicae Ecclesiae Christi *reapse fiant* ». Qu'étaient-ils auparavant? Le schéma *de Ecclesia* a corrigé, sur ce point, les théories de certains théologiens trop rigides; il convient d'en tenir compte.

Ceci dit, il nous plaît de renouveler nos félicitations pour cette deuxième partie, en souhaitant que la première soit refaite dans le même esprit. Nous souhaitons aussi, avec les Pères de la première session du Concile, qu'un texte unique « De unione christianorum orientalium » soit fait en collaboration avec le Secrétariat pour l'Union des Chrétiens. Il n'est pas opportun que le même sujet soit traité par la Commission Orientale et par le Secrétariat pour l'Union des Chrétiens. Une collaboration franche doit être recherchée.

[*Adhaesit etiam*] Neophytus Edelby.

34

EXC.MUS P. D. PAULUS LEO SEITZ
Episcopus Kontumensis

Ce schéma est très important car tout ce qui sera décrété relativement aux « Uniates » aura immédiatement une portée œcuménique, favorable ou non. Uniates et Orthodoxes suivent la question avec une inquiétude un peu sceptique.

Le schéma proposé n'apporte pas grand'chose de nouveau et il reflète un esprit qui semble latin et exclusif.

P. 5, ligne 9: cf. infr. p. 6, ligne 10 (question des Missions de l'Eglise orientale, titre I et § 2): l'expression « Eglises particulières orientales » est maladroite; elle suppose que l'Eglise occidentale ou latine est la principale. D'une part la terminologie « orient-occident » n'est plus à jour (diaspora et missions font que la distinction n'est plus si tranchée), d'autre part les latins ont trop tendance à considérer l'Eglise orientale comme un appendice quasi-extérieur.

L'Eglise latine est elle-même une Eglise particulière; rappelons-nous ces mots d'un mémoire composé par les Melchites: « le catholicisme est-il un latinisme élargi et conquérant, ou bien une institution divine supra-régionale et supranationale dans laquelle les traditions de l'orient et de l'occident ont *également* droit de cité...? ».

Ligne 14: corriger ainsi: Ecclesiarum particularium varietas...

Ligne 16: corriger ainsi: Ecclesia, quia est catholica, intendit...

P. 6, ligne 4: « particulares Ecclesias... », à condition qu'on y inclue l'Eglise latine, qui ne peut être considérée comme norme par rapport aux « particulares ».

Ligne 10: soulève le problème des missions des Eglises orientales. Il fau-

drait distinguer le devoir qu'a toute Eglise, de tout rite, de propager la foi et le souci qu'elle porte de l'Eglise universelle d'une part, et, d'autre part, le droit d'y travailler dans certaines limites afin d'éviter la concurrence de plusieurs rites sur un même territoire à évangéliser — cela relève d'une pastorale d'ensemble relativement à ces territoires.

Sur ce terrain de la propagation de la foi, historiquement, le rite latin s'est trouvé majoré et les rites orientaux comme freinés, jusqu'à ce point d'introduire, par les croisades, des missions latines dans les chrétientés orientales. Jusqu'à nos jours on a le spectacle de chrétientés de rites différents imbriquées sur un même territoire.

Certes « aucune Eglise ne domine en raison de son rite » (ligne 11), mais il ne faudrait pas que le droit de chaque Eglise de propager sa foi aboutisse à étendre cette situation. Le « sub moderamine Romani Pontificis », qui évite cette anarchie, serait à préciser. De plus, il ne faut pas perdre de vue l'unification, souhaitable et déjà en route, de la culture humaine.

P. 6, § 5: cette éventualité est dangereuse; l'érection de paroisses personnelles selon le rite ne semble pas du tout souhaitable (cf. ce que nous en avons dit au chapitre De cura); elle conduit à un morcellement peu favorable à l'apostolat. Cela ne va pas dans le sens du devenir humain et de la planétisation de l'humanité. Ne conviendrait-il pas au contraire de rendre plus souples les rites eux-mêmes, voire de donner aux chrétiens une formation qui les rende polyvalents quant au rite?

Ligne 21: « ubi postulat », cela semble réclamer qu'un organisme précise ces conditions.

§ 6: le même problème se pose pour les religieux de rite latin au sein de chrétientés orientales; dans ces conditions, pourquoi maintenir le rite latin de ces religieux? pourquoi n'adopteraient-ils pas le rite du pays où ils se trouvent?

§ 8: tout au contraire, n'y aurait-il pas intérêt à ce que des individus ou des petites communautés puissent passer d'un rite à un autre afin de ne pas se distinguer inutilement et de s'agréger à la communauté majoritaire existante sur place?

§ 9: la permanence du rite latin chez les Arabes du proche Orient, comme chez les Russes d'Alaska, ne semble pas dans l'esprit de ce paragraphe.

P. 7, § 10: on se garde d'aborder le sujet des rapports entre patriarches et cardinaux et de la prééminence.

« Juris est ecclesiastici »: c'est justement ce que les Orientaux (même Uniates) discutent. Pour eux, le patriarcat est de droit divin, comme épiscopat à l'état pur, succession apostolique dans sa condition originelle; ils s'appuient sur S. Grégoire le Grand qui fait remonter le patriarcat à S. Pierre en trois sièges de Rome, Alexandrie et Antioche, et sur S. Irénée qui fait remonter le patriarcat aux apôtres (« Les Eglises Apostoliques »).

L'Orthodoxe attend que l'on considère ses patriarches; c'est une des premières conditions du dialogue. Aussi n'est-il pas heureux de définir le patriarcat « de droit ecclésiastique », ce qui n'est pas évident, alors qu'on peut très bien le dire de droit divin dans la mesure où il se confond avec l'épiscopat sous sa forme primitive, apostolique. Il ne serait pas œcuménique d'affirmer une différence à ce sujet au lieu de chercher une communion. Quoiqu'il en soit de l'origine de l'institution, l'existence du patriarcat est une réalité pour une partie de l'Eglise

et tend à devenir une nécessité pour l'Eglise tout entière, en raison de la décentralisation (cf. ce que nous avons dit des Conférences épiscopales et de leur présidence).

§§ 13 et 14: pourraient être très valables pour l'Eglise universelle et pas seulement pour les Eglises orientales.

P. 11, § 34: il est pour le moins étonnant que la fête de la Résurrection, première de toutes les fêtes pour l'Orient encore plus que pour l'Occident ne soit pas mentionnée dans ce paragraphe: malgré le titre « de celebratione Paschatis », à la page sq. où il n'est question que de la date de la fête de Pâques.

P. 17, ligne 26: une fois de plus, l'expression semble opposer « Eglise catholique » et « Eglises orientales »; quand il n'est pas question en celles-ci des catholiques, l'expression est inadmissible. Il semble qu'on ait voulu parler ici (comme sujet du verbe « iussit ») du Sancta Synodus, mais alors qu'on le dise clairement.

« ... servari iussit », est-ce bien ce qu'il faut dire? Le Concile travaille pour demain; la diversité des rites est un phénomène transitoire qui s'achèvera dans l'unicité. En ce monde? nous n'en savons rien, mais nous ne pouvons pas l'exclure; il conviendrait donc de dire plutôt: « disciplinam recognoscit ».

§ 49: la « pervétusté » n'est pas une raison suffisante pour une conservation pure et simple; il convient de ménager l'avenir d'une convergence. « Maintenir ce qui est tel que cela est » est un principe de traditionalisme en circuit fermé, non un facteur de progrès.

P. 19, ligne 4: « mutua et meliore cognitione », voilà un facteur capital de rapprochement qu'il convient de mettre en valeur et détailler. C'est par un approfondissement de sa propre voie par chacun que nous nous rencontrerons.

§ 54: l'authenticité et la valeur œcuménique de la démarche exprimée dans ce paragraphe réclame, chez les occidentaux, une rectification sérieuse de la conception qu'ils ont, pratiquement, du rôle de la Mère de Dieu.

Cette pars II de unione christianorum orientalium, complément du schéma *de Oecumenismo,* constitue un réel progrès sur l'ancien schéma *de unitate Ecclesiae,* trop diffus; mais il manque encore de références au schéma *de Oecumenismo* et surtout au schéma central de l'Eglise.

35

Exc.mus P. D. LAURENTIUS IOSEPH SHEHAN

Archiepiscopus Baltimorensis

Hoc schema mihi placet. Nullas emendationes propono.

36

Beat.mus P. D. STEPHANUS I SIDAROUS

Patriarcha Alexandrinus Coptorum

Le schéma est excellent et court, il a évité les questions qui auraient provoqué de longues discussions.

II. *De sacra hierarchia*: n. 11, ligne 15 pour ne pas minimiser l'autorité des Patriarches, il semble qu'au lieu de « sub auctoritate Romani Pontificis exervendam », on peut mettre « salvo Primatu Romani Pontificis ».

N. 14: les nouveaux Patriarcats seraient des Patriarcats Mineurs, par opposition aux Patriarcats Antiques des Premiers Conciles qui seraient des Patriarcats majeurs.

N. 26: en Orient, le jour commence au coucher du soleil. La faculté de pouvoir accomplir le précepte jusqu'à la fin du jour festival est avantageuse.

37

EXC.MUS P. D. IOSEPH SLIPYJ

Archiepiscopus Leopolitanus Ucrainorum

Mihi videtur numeri iuxta principium logicum mutanda sunt:

N. 1.

N. 2. = n. 48, pag. 17. Christus Dominus unam Ecclesiam sub uno Pastore visibili instituit, sed « unitati Ecclesiae... ».

N. 3. = n. 46, pag. 16

N. 4. = n. 47, pag. 17.

N. 5. = n. 2, pag. 5. Ideo « Ecclesiarum particularium... ».

N. 6. = n. 3, pag. 6.

N. 7. = n. 4, pag. 6.

N. 8. = n. 5, pag. 6.

N. 9. = n. 6, pag. 6.

N. 10. = n. 7, pag. 6.

N. 11. = n. 8, pag. 6.

N. 12. = n. 9, pag. 7. Baptizati acatholici ad catholicam Ecclesiam redeuntes ritum proprium servare debent, salvo iure ad Sedem Apostolicam recurrendi. (Cetera omittantur, quia aliter aperitur ianua conversioni orientalium in ritum latinum).

N. 13. = n. 10, pag. 7. « Potestas igitur patriarchalis in episcopos, clericos et fideles, quae inde ab antiquis temporibus in Ecclesia viget, iuris est ecclesiastici ». (Omittatur, quia sine ratione sub hoc numero ponitur).

N. 14. = n. 11, pag. 7. Inter hierarchas orientales eminent patriarchae seu episcopi, quibus « canones tribuunt iurisdictionem... Romani Pontificis exercendam ». Quae potestas igitur ab antiquissimis temporibus in Ecclesia vigens, iuris est ecclesiastici.

N. 15. = n. 12, pag. 7.

N. 16. = n. 13, pag. 7. « ... legitime statuta ». Secundum decreta Conciliorum Oecumenicorum locum primum post Papam Romanum occupat patriarcha Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus.

N. 17. = n. 14, pag. 7. « ... Synodo Oecumenicae vel Romano Pontifici reservatur », *quorum* « est etiam pro necessitate et opportunitate... ». Quorum, non cuius, quia eadem ratio est Synodi Oecumenicae et Romani Pontificis ».

N. 18. = n. 15, pag. 8.

N. 19. = n. 16, pag. 8. « ... in suis ecclesiis regendis iis » limitationibus « tantum restringantur, quas... » (limitatio non reservatio).

N. 20. = n. 17, pag. 8.

N. 21. = n. 18, pag. 8.

N. 22. = n. 19, pag. 8.

N. 23. = n. 20, pag. 8. Doctrina vetus quoad Sacramentum Baptismatis confirmatur. Quoad Sacramentum Chrismatis statuitur: « Etsi episcopus est solus minister... ».

N. 24. = n. 21, pag. 9. Sacramentum Chrismatis presbyteri omnes orientales, « sive una cum Baptismo sive separatim... ».

N. 25. = n. 22, pag. 9. « Presbyteri quoque latini ritus », qui curam orientalium gerunt, ritus orientales assumpti, « facultate hoc Sacramentum conferendi sint praediti... ».

N. 26. = n. 24, pag. 9. « ... de Communione Paschali » et Communione consueta propter pietatem, « salva facultate uniuscuiusque fidelis... ».

N. 27. = n. 23, pag. 9. « ... festis diebus, accedant, immo et » quotidie, « ad vitam spiritualem... » (« Saltem » omittatur).

N. 28. = n. 25, pag. 9. « ... Divinis Officiis », praecipue Matutini et Vesperi, praesertim Hebdomadae Sanctae adsistendi.

N. 29. = n. 26, pag. 9.

N. 30. = n. 27, pag. 10. Canon non clare proponitur et demonstratur.

N. 31. = n. 28, pag. 10.

N. 32. = n. 29, pag. 10.

N. 33. Sacramentum S. Olei ab uno sacerdote impertiri potest, venerata praxi antiqua quoad septem ministros, secundum possibilitatem non neglegatur.

N. 34. = n. 30, pag. 10. Quoad Sacramentum Ordinis Sancta Synodus antiquam doctrinam confirmat. Praeterea « Cum plurima argumenta... ».

N. 35. = n. 31, pag. 10.

N. 36. = n. 51, pag. 18.

N. 37. = n. 32, pag. 11. (Habeantur prae oculis animadversiones orientalium quoad matrimonia mixta. Codex sovieticus nullam curam de matrimoniis fidelium cum infidelibus, sectantibus, aliis mixtae religionis habet. Etiam hoc studio diligenti submittatur).

N. 38. = n. 33, pag. 11. (Vide animadversiones ad numerum praecedentem).

N. 39. = n. 34, pag. 11. « ... festa Nativitatis D. N. Iesu Christi », Theophaniae, Resurrectionis, « Ascensionis », Exaltationis S. Crucis, Annuntiationis, « Dormitionis »... Particulares Ecclesiae alios dies festos celebrare possunt secundum suam venerabilem traditionem.

N. 40. = n. 35, pag. 11.

N. 41. = n. 36, pag. 11.

N. 42. = n. 37, pag.11.

n. 38, pag. 12. (Omittatur).

N. 43. = n. 39, pag. 12. « ... in societate civili laudans » (omittatur, quia ad canonem ecclesiasticum non spectat). « Exoptat » melius « statuit ».

n. 40, pag. 12. (Omittatur. Vagus).

N. 44. = n. 41, pag. 12. In memoriam revocatur cleri et religiosorum orientalium « celebratio Laudum Divinarum... ».

N. 45. = n. 42, pag. 12.
N. 46. = n. 43, pag. 13.
N. 47. = n. 44, pag. 13. « ... more utitur », quod statuere pertinet ad Synodum Provincialem.
N. 48. = n. 45, pag. 16.
N. 49. = n. 49, pag. 17.
n. 50, pag. 18. (Omittatur vel alia redactione clara et firma proponatur).
N. 50. = n. 52, pag. 18.
N. 51. = n. 53, pag. 19.
N. 52. = n. 54, pag. 19.

38

Exc.mus P. D. IOANNES SMIT
Episcopus tit. Paraliensis

Pag. 5, lin. 10: deleantur verba « inter populos Orientis ».
Pag. 6, lin. 22: deleantur verba « et quantum fieri potest ».
Pag. 7, lin. 1: loco « redeuntes » legatur « transeuntes ».
Pag. 9, lin. 12: addatur: iuris *sive* communis *sive particularis* praescriptis.
Pag. 19, lin. 20: legatur: promerita *quae.*

39

Exc.mus P. D. IOANNES WHEALON
Episcopus tit. Andrapenus, aux. Clevelandensis

Cap. I, n. 8, pag. 6, lin. 33: addantur: « unicuique catholico super pubertatis aetatem datur licentia ritum suum seligendi ».

Cap. I, n. 9, pag. 7, linn. 1-3: omittantur verba: « in regionibus... » usque ad « ... seu Ecclesiae ».

40

Exc.mus P. D. PETRUS ZUCCARINO
Episcopus Bobiensis

Optimum mihi videtur, cum ab illis regionibus longe absim et ignorem, unum cum venerabilibus Patribus rite sentire.

41

QUIDAM PATRES CONCILIARES AFRICAE CENTRO-ORIENTALIS

I. *Notae generales.* 1. Schema in genere approbari posse videtur, recognitis tamen difficultatibus quae in una vel altera paragrapho continentur (cf. e. g. nn. 32-33 de matrimoniis mixtis). Cum vero his in quaestionibus sententia ipso-

rum Patrum orientalium audienda sit, speciales animadversiones hac in materia proponi non possunt.

2. Secunda pars huius schematis, « de unione christianorum orientalium », aptius, uti videtur, inseritur schemati *de Oecumenismo.*

II. *Nota specialis.* Pag. 3, n. 3, lin. 2: loco « fide » aptius dicitur: « *professione fidei* ».

[*Subscripserunt*] Adam Kozlowiecki, arch. de Lusaka; Francis Mazzini, ep. de Ndola; Marcel Daubechies, ep. de Kasama; F. Courtemanche, ep. de Fort Jameson; C. Chitsulo, ep. de Dedza, ex mandato J. L. Jobidan; A. Fürstenberg, ep. de Abercorn; R. Pailloux, ep. de Fort Rosebery; J. L. Jobidan, ep. de Mzuzu; James Corboy, ep. de Monze; N. Agnozzi, ep. tit. Adramitti; Rupert Hillerich, praef. ap. de Solwezi.

42

CONFERENTIA EPISCOPORUM NEERLANDICA

Pag. 11, nn. 32-33: quaeritur, utrum agatur in hoc contextu de cautionibus iam statutis pro matrimoniis mixtis, an de cautionibus de quibus in schemate de matrimonio forsan adhuc disceptabitur?

In generali quaeri potest, utrum condicio Ecclesiarum in Oriente ab hoc schemate nimis « optimistica » consideratur, ita ut problemata realia quae reapse praesto sint, de facto sileantur.

B) *A die 10 decembris 1963 ad diem 20 maii 1964.*

1

Exc.mus P. D. FLORIDUS AMBROSIUS ACCIARI
Archiepiscopus Rhodiensis

Circa schema *de Ecclesiis Orientalibus* mihi liceat quasdam observationes facere ad art. 9. Ut notum est, Pius Pp. XII Motu proprio *Cleri sanctitati,* 2 iunii 1957, can. 11 statuit: « Baptizati acatholici ritus orientalis, qui in catholicam Ecclesiam admittuntur, ritum quem maluerint amplecti possunt: optandum tamen est ut ritum proprium retineant ».

Iuxta novam redactionem, a Commissione propositam, art. 9 sic sonat: « Baptizati acatholici omnes ad Ecclesiam catholicam redeuntes, proprium ritum servare debent ». Ita, post septem annos, contrarium statuitur, aufertur libertas iam ante schismaticis ab Ecclesia concessa, eorum condicio mutatur in peius et difficilior redditur reditus illorum ad Ecclesiam catholicam.

At privilegia et iussa principis decet esse mansura. Quaedam firmitas, constantia, immo quasi immutabilitas desideratur et convenit in decretis cuiusvis potestatis, Ecclesia non exclusa.

A redeuntibus nihil aliud exigendum est nisi quod est necessarium ut membra Ecclesiae Christi reapse fiant. Hoc autem plene adimpletur amplectendo quemlibet ritum ad Ecclesiam catholicam pertinentem.

Rebus sic stantibus propono ut art. 9 redigatur iisdem verbis art. 11 Pii Pp. XII: vel saltem secundum quod statuit Leo XIII in *Orientalium dignitas* ut nempe « Baptizati acatholici ad Ecclesiam catholicam redeuntes, proprium ritum servare debent, nisi electio alius ritus ab eis ponatur ut condicio eorum reditus ».

2

Exc.mus P. D. AUGUSTINUS BARONI

Episcopus tit. Baleciensis, vic. ap. Khartumensis

In schemate *de Ecclesiis Orientalibus* libertas ritum eligendi coarctatur cum in art. 9 dicitur: « Baptizati acatholici omnes ad Ecclesiam catholicam redeuntes proprium ritum servare debent, salvo iure in casibus particularibus recurrendi ad Sedem Apostolicam ».

Propono ut textus emendetur et dicatur: « Baptizati acatholici, ad Ecclesiam catholicam redeuntes, proprium ritum servare debent, nisi electio alii ritus ab eis ut conditio necessaria sui reditus scriptis interponatur ».

Rationes: *a*) Ut libertas religiosa uniuscuiusque semper vindicetur. *b*) Ut bono animarum semper consuletur. *c*) Ut hoc modo omnibus pateat quod in Ecclesia catholica omnis ritus eandem aestimationem gaudet. *d*) Ut praxim a Constitutione Apostolica *Orientalium dignitas* die 30 novembris 1894 institutam adhuc servemus.

3

Exc.mus P. D. VITALIS BONIFACIUS BERTOLI

Episcopus tit. Atteatanus, vic. ap. Tripolitanus

Patientiam habe in me de mea annotatione circa rem tam magni momenti quae est: nova redactio textus art. 9 schematis *de Ecclesiis Orientalibus,* quae in formula exprimitur sequenti: « Baptizati acatholici omnes ad Ecclesiam catholicam redeuntes, proprium ritum servare debent, salvo iure in casibus peculiaribus recurrendi ad Sedem Apostolicam ». Mens mea, sensu practico et elementari modo ducta.

In primis, mihi videtur nova redactio consona non est Ecclesiae stylo, quia Mater Ecclesia in libertate religiosa et in animarum bono magis liberalis est, dum in novo textu allato restringitur libertas et obstaculum ad animarum bonum ponit ut illis verbis: « Salvo iure in casibus peculiaribus recurrendi ad Sedem Apostolicam ».

Quaero: quinam sunt illi casus peculiares...? Respondeo: casus peculiares intelligendi sunt ex natura propria, scil.: quando aliqui acatholici redeunt ad Ecclesiam catholicam, sponte eligere volunt alium ritum. Nonne...? Et tunc quomodo ad Sedem Apostolicam recurrere debent quando adest via facilior percurrendi, ut finem consequantur... et magis religiosa libertas et modus procedendi naturalis servetur...?

En regulam, iuxta meum pauperculum iudicium, procedendi redeuntibus, faciliorem: « Ego... Nos... redeuntes ad Ecclesiam catholicam, scripto signato, eligo... eligimus... alium ritum... » v. g. latinum etc. ...

Res tam facilis, ad difficultatem et ad implicationem, non est flectendam.

Qua de re, *Commissioni* ad hoc destinatae, humiliter propono ut textus art. 9 schematis *de Ecclesiis Orientalibus,* emendetur ac sic formuletur: « Baptizati acatholici ad Ecclesiam catholicam redeuntes, proprium ritum servare debent, *nisi* alius ritus, scripto significato, ab eis eligantur ».

Hoc modo, religiosa libertas conservatur et animarum suffragatur bono!

4

Exc.mus P. D. DOMINICUS LUCAS CAPOZI

Archiepiscopus Taeiüenensis

Art. 9 sicut reformatus est die 27 sept. 1963, omnino non placet, nemini placet.

Reformetur ita ut sit vere oecumenicus et pastoralis, et christifideles nullo modo priventur libertate quam Dominus noster adquisivit nobis sanguine suo pretiosissimo. Vera Ecclesia et vera fides est necessaria, et non ritus. In iis rebus nemo quaerat quae sua sunt, sed quae Iesu Christi. Etiam ultimis istis temporibus accidit ut communitas separata sat magna, paratissima ad unitatem Ecclesiae revertere, quia illis negata est libertas mutandi ritum maluerunt potius manere sicuti erant quam uniri nobiscum et manere in proprio ritu.

Igitur: art. 9 reformetur ita ut dicatur sic: « Baptizati acatholici ad Ecclesiam catholicam redeuntes, amplissima libertate fruantur vel retinendi proprium ritum, vel amplectendi ritum quem ipsi maluerint ».

5

Exc.mus P. D. EDGARUS ANTONIUS HÄRING

Episcopus Scioceuvensis

Accepi litteras Suae Beatitudinis Alberti Gori O.F.M., patr. latini Hierosolymitani. Exponit in schemate *de Ecclesiis Orientalibus,* quaestionem de libertate ritum eligendi acatholicis ad unitatem redeuntibus concedenda, non feliciter solutam esse a commissione. A commissione enim die 27 septembris 1963 receptum esse istum textum: « Baptizati acatholici omnes ad Ecclesiam catholicam redeuntes proprium ritum servare debent, salvo iure in casibus particularibus recurrendi ad Sedem Apostolicam ».

Sua Beatitudo affert rationes, ob quas sibi suprarelatus textus videtur inadmissibilis. Proponit tandem textum sequentem: « Baptizati acatholici, ad Ecclesiam catholicam redeuntes, proprium ritum servare debent, nisi electio alius ritus ab eis ut condicio necessaria reditus sui scriptis interponatur ».

Rationes Suae Beatitudinis mihi videntur probabiles. Ideo volo adhaerere proposito de novo textu, ut ita in redactione definitiva art. 9 schematis *de Ecclesiis Orientalibus* sufficiens libertas in tuto ponatur.

6

REV.MUS P. D. IOANNES M. HOECK

Superior gen. Congregationis Bavaricae O.S.B.

N. 1 (pag. 5). Hoc prooemium etiam in forma revisa nondum placet, quia adhuc nimium paternalismum sapit. Sic mutandum propono: « Orientalium Ecclesiarum venerandae originis, traditionis et dignitatis memor haec Sancta Oecumenica Synodus praeter ea, quae ex natura sua ad universam spectant Ecclesiam ea tantum pro eis statuenda censuit, quae ab earum Hierarchis ipsis proposita probataque sunt, ceteris ad competentium Auctoritatum, Patriarcharum praesertim eorumque Synodorum, providentiam remissis ».

Nn. 2 et 3 (pag. 5 et 6). *Hi duo articuli* (2 et 3) *hic omitti possunt,* quia, ni fallor, similes passus inserentur in schema *de Ecclesia,* ubi melius quadrant, quia tangunt totam Ecclesiam (cf. etiam emendationes Scapinelli et Carli sub n. 22 primae seriei); ceterum et abbreviandi causa, id quod iterum desideratur.

Hoc in casu (i. e. omissis nn. 2 et 3), etiam titulus cap. I mutandus esse videtur, sic vel similiter: I. *De Ecclesiis Orientalibus tuendis atque fovendis* (quia hoc deinde remanet uti praecipuus contentus huius capitis).

Si vero retinendi censentur hi duo numeri (2 et 3), tunc *saltem invertantur,* quia *n. 3 tractat de origine et conceptu* Ecclesiarum particularium, *n. 2 vero de earum approbatione,* id quod conceptum praesupponit. *Insuper in hoc casu* sequentes proponuntur emendationes:

N. 2 (sec. ordinem inversum n. 3!) vide infra!

N. 3 (sec. ordinem inversum n. 2!), pag. 6. Lin. 1: deleatur « enim et » (quia inverso ordine non iam habet sensum).

Linn. 2-3: dempto adverbio « organice » ante « constat » transponatur ante « uniuntur », addito « in Spiritu Sancto » (propositio Baudoux), ergo sic: « in Spiritu Sancto organice uniuntur ».

Lin. 3: loco « coetus » dicatur « varios coetus » (ne Ecclesia particularis videatur unicus coetus huiusmodi, transmissis e. g. Ecclesiis localibus, eparchiis, metropoliis etc.).

Lin. 6: post « disciplina » addatur: « necnon et constitutione, theologia et spirituali patrimonio » (ut saltem una vice elementa praecipua enumerentur).

Lin. 6: loco « aequali modo » dicatur « omnes »; loco « pastorali gubernio » dicatur: « fraternae curae » (« et Tu... confirma fratres! »).

Lin. 8: adverbium « divinitus » omittatur, vel eius loco dicatur « iure divino ».

Lin. 8: loco « Eadem proinde pollent » dicatur: « Ceteroquin omnes eadem gaudent ».

Lin. 9: post « dignitate » inseratur: « et autonomia », post « iuribus » inseratur: « iisdemque tenentur obligationibus ».

Lin. 10: deleantur verba: « sub moderamine Romani Pontificis » (quia per se patet; cf. lin. 7).

Lin. 11: deleatur phrasis: « nulla vero... praestat » (quia iam contenta in « eadem dignitate » linn. 8-9).

N. 2 (secundum ordinem inversum n. 3), pag. 5. Lin. 14: loco « Ecclesiarum » dicatur: « Quae Ecclesiarum (nexus logicus cum numero inverso) *particularium* (omisso « Orientalium » uti iam decisum est) *varietas* etc. ».

Lin. 15: (loco « catholicitati » posito « unitati » uti iam decisum) prosequendum: eius potius *catholicitatem demonstrat* (loco « declarat »), (quia *varietas* non quidem *nocet unitati,* sed non eam demonstrat, sed potius *catholicitatem* seu universalitatem).

Linn. 15 ss.: phrasis « Ecclesia enim... necessitatibus » (lin. 19) ita mutetur: « Quare haec Sancta Oecumenica Synodus priorum sequens exempla singularum Ecclesiarum particularium legitimas traditiones agnoscit ac sancte et integre declarat esse servandas, tuendas atque fovendas, dummodo non aliud suadeant vel poscant temporum locorumque necessitates ».

N. 4 (pag. 6): *hic articulus* partim spectat ad n. 18 nostri schematis, partim ad schema *de Episcopis,* ideo *hic supprimi potest,* eo magis, si et nn. 2 et 3, uti supra proposui, hic supprimantur.

N. 5 (pag. 6): *omissis* (vel potius remissis ad schemata *de Ecclesia* et *de Episcopis*) *nn. 2, 3 et 4 cap. I* nostri schematis (titulo mutato, uti supra dixi) *incipiendum erit a n. 5,* emendato vero ut sequitur:

Lin. 19: loco « omnium Ecclesiarum particularium » dicatur: « Ecclesiarum Orientalium ».

Lin. 22: omissis verbis « et quantum fieri potest » (uti votatum est), addatur (ut etiam votatum): « Ubi vero Ordinarius cuiusvis ritus iurisdictionem habet in clericos et fideles alieni ritus, eos ad mentem huius ritus paterno more regere debet ».

N. 6 (pag. 6). Linn. 23-27: hic articulus ita mutetur: « Ordines vero et Congregationes latini ritus, quae inter fideles Orientales operam navare *intendunt, studeant domos* aut etiam provincias orientales constituere. *In suo apostolatu etiam ipsae iurisdictioni hierarchae loci subsunt* ».

N. 7 (pag. 6), remanet (addendis, quae iam decisa sunt).

N. 8 (pag. 6). Linn. 34-35: loco « ab Apostolica Sede » dicatur: « a iure » (ut includantur etiam Synodi oecumenicae et interrituales).

N. 9 (pag. 7). Lin. 1: loco « redeuntes » dicatur « convenientes » (ratio oecumenica).

Linn. 1-5: loco: « in regionibus... retineant » (lin. 5) dicatur: « ritum proprium servare *debent ubique terrarum,* salvo iure etc. (uti decisum).

Lin. 5: ad « Sedem Apostolicam » addatur « Romanam » (ratio oecumenica).

Titulus cap. II ita mutetur: « De constitutione (Ecclesiarum Orientalium) ».

N. 10 (pag. 7). Linn. 6-11: supprimatur totus articulus (quia spectat ad ius canonicum; insuper hic neque necessarius neque opportunus ex ratione oecumenica). Si vero omittendus non videatur, emendetur ita:

Lin. 8: loco « superiorem » dicatur « episcopos » (quia illud « superior(em) » abundat).

Lin. 10: post « (patriar)chalis » addatur « qua talis » (quia in propria eparchia eius potestas est episcopalis i. e. iuris divini).

Lin. 11: post « iuris est ecclesiastici » addatur: « etsi specialis dignitatis, cum a primis Conciliis oecumenicis derivetur ». (Ratio: haec additio est gravis momenti, quia iura patriarchalia apud orthodoxos censentur intangibilia et praesertim non ut mera privilegia).

N. 11 (pag. 7). Linn. 12-15: *etiam hic numerus supprimatur,* iisdem ex causis uti n. 10. Eius loco ponatur sequens textus: « Ab antiquissimis temporibus in Ecclesiis orientalibus viget constitutio patriarchalis, iam a primis Conciliis Oecumenicis agnita, vi cuius unus ex episcopis alicuius territorii, una cum sua Synodo, iuxta canones et in communione cum Romano Pontifice (vel salvo Primatu Romani Pontificis) iurisdictionem exercet in omnes alios episcopos, clerum et populum huius territorii seu ecclesiae particularis ».

Si vero n. 11 supprimendus non videtur, emendetur ita:

Lin. 13: post « canones » addatur: « agnoscunt vel » (uti iam decisum).

Lin. 14: post « populum » addatur *alicuius* (territorii etc.) (claritatis causa).

Lin. 15: loco: « et sub auctoritate » ponatur « salvo primatu » (iam decisum).

N. 12 (pag. 7). Lin. 16: omissis verbis « Secundum antiquissimam Ecclesiae morem » prosequendum: « Singulari *ergo* honore... ».

Linn. 18-19: deleantur verba: « a Romano Pontifice... agnita », quia repetitio (cf. linn. 12 s. aut, his omissis, novum textum n. 11).

Linn. 20 ss.: deleatur « exoptat » et post verbum « solum » (lin. 21) ponatur « statuit »; item post verbum « etiam » (lin. 22) ponatur « exoptat » (uti iam decisum).

Linn. 21 s.: post « eorum » addatur « genuina », loco « privilegia » dicatur « praerogativa », post « animarum » addatur « plene restituantur, immo opportune augeantur » (e. g. praecedentia ante cardinales, vox in electione Summi Pontificis etc.).

Lin. 23: loco « restituantur » dicatur « reviviscant ».

Lin. 23: post « restituantur » addatur: « *Ideoque pristina praecedentia eis est iterum* attribuenda ». *Ratio*: C.I.C.O. Patriarchas valde degradavit, id quod aegre fertur.

Ad totum. Totus articulus ad Codicem reformandum remittatur, quia ad ipsum spectat.

N. 14 (pag. 7): ad totum. *Etiam hic articulus* potius *ad ius canonicum spectat* ideoque illuc est remittendus. Si vero retinetur, duae emendationes sunt faciendae iam decisae, nempe lin. 30 (« quorum est ») et lin. 31 (« normas *agnoscere* vel statuere »).

Nn. 15 et 16 (pag. 8): ad totum. *Hi duo articuli* nil novi dicunt, ceteroquin *ad ius vel ad schema « de Episcopis » spectant ideoque illuc remittendi.* Si nihilominus eos (scil. nn. 15 et 16) retinere placet, aut, emendentur, uti votatum est, nempe: lin. 4 (omissis verbis « Rom. Pontif. » addatur: « immediata Patriarchae vel alius auctoritatis propriae in communione cum Summo Pontifice »); lin. 5 (deleatur: « Orientalium »); lin. 6 (iis *tantum reservationibus*... et: quas *unitas et* bonum...); lin. 7 (deleatur: *In dubio... declaratio.* lin. 11); aut, quod magis placeret, substituantur novo textu, hoc vel simili modo: « Nonobstante autem et salva Patriarcharum iurisdictione omnes Hierarchae, utpote successores Apostolorum, in regendis et pascendis suis gregibus propria et ordinaria pollent potestate nec aliis limitantur reservationibus nisi iis quas unitas et bonum commune Ecclesiae tam particularis quam universalis necessarias esse probaverint ».

Ad totum. Etiam hic articulus per se ad ius remitti possit, *si vero* propter momentum pastorale *retinendus videatur, nihil obstat.*

N. 18 (pag. 8). Lin. 18: sic mutetur: « Ut autem iuxta primaevam traditio-

nem potestas Hierarcharum etiam collegialiter exerceatur, haec Oecumenica Synodus exoptat, ut Synodorum institutum novo vigeat robore etc. ».

N. 19 (pag. 8). Lin. 26: loco « ex variis ritibus » dicatur « in conventibus interritualibus » (iam votatum).

Nn. 20-33 (pag. 8-11 - cap. III): ad totum. Quoad cap. III in genere ex mea parte, exceptis emendationibus iam votatis, pauca tantum observanda. Propter momentum pastorale illud in nostro schemate censeo esse retinendum. Si vero quaedam ad alia schemata remittenda et ibi generaliore modo tractanda censentur, non recuso.

Quoad singula, ni fallor, haec, quae sequuntur, *iam votata sunt*:

Pag. 8, linn. 20 s., deleatur: « Etsi... Chrismatis ». Pag. 9, lin. 5, sic mutetur: « *Sacramentum Chrismatis presbyteri Orientales omnes* sive una etc. ». Pag. 9, linn. 11 s., sic mutandum: « servatis quoad *validitatem* et liceitatem iuris *sive* communis *sive particularis* praescriptis ». Pag. 9, lin. 15, deleatur « saltem ». Pag. 9, lin. 16, loco « frequentius », dicatur « quotidie ». Pag. 9, lin. 24, sic mutandum: « Antiqua venerandaque traditio orientalis administrandi SS. Eucharistiam utpote Sacramentum initiationis iam infantibus una cum Baptismate et Confirmatione, ubi viget, conservari et, ubi desiit, laudabiliter restaurari potest. Omnis vero fidelis, postquam etc. ». Pag. 9, linn. 22, deleatur « saltem ». Pag. 10, linn. 1 ss., deleatur: « Cum... extendatur » (lin. 3); reliqua vero substituantur textu ex schemate *de episcopis,* p. 36, linn. 3-12. Pag. 10, lin. 11, post « exarchatus » inseratur: « in quolibet loco etiam alterius ritus ». Pag. 11, linn. 15 ss., loco « proprium territorium » dicatur: « propriam eparchiam »; loco « qui... exercet » dicatur « ut licite... exercere valeat ».

Nn. 23 et 24 (pag. 9): ad totum. *Istos duos articulos invertendos esse* mihi videtur, quia *primo de necessario* (n. 24), deinde de *libero* (n. 23) agendum.

N. 23 (pag. 9). Lin. 16: loco « ad vitam spirit. nutriend. » dicatur *ad Corpus Christi aedificandum* etc. (*Ratio*: quia aliud potius spectat ad pietatem individualem).

N. 30 (pag. 10). Lin. 21: post « permanentis » addatur « etiam coniugatorum ».

Nn. 32 et 33 (pag. 11): ad totum. Articuli 32 et 33 hoc (vel simili) modo substituantur: « Matrimonia mixta, si vitari nequeunt, saltem coram ministro catholico et sub debitis cautelis ineunda sunt, a qua forma canonica non nisi gravi et rationabili ex causa dispensandum est. Absque tali dispensatione Ordinarii loci contracta huiusmodi matrimonia valida quidem, sed illicita sunt ».

Nn. 34-44 (pp. 11-13 - cap. IV): ad totum. Articuli cap. IV, paucis forsan exceptis, non omnino necessarii, immo nec opportuni in nostro schemate mihi esse videntur; partim enim ad ius spectant sive commune sive particulare, ad quod etiam saepius refertur (cf. nn. 34, 35, 36, 37), partim autem eis iam alibi satis provisum est sive in nostro (cf. n. 38 cum n. 8) sive in aliis schematibus (cf. nn. 39 et 40 cum Appendice constitut. *de S. Liturgia* et nn. 42-44 cum n. 36 eiusdem constitut.).

Tamen, si retineantur hi articuli, non displicet, salvis emendationibus iam votatis vel etiam votandis et his, quae sequuntur:

Lin. 20: post « Dominici » inseratur: « inter quos praesertim dies Paschatis et Pentecostes ».

Linn. 22 s.: deleantur verba: « salvo... festos » (lin. 23).

Lin. 26: ad verba « Sedis Apostolicae » addatur « Romanae aut Concilii Oecumenici aut Synodi interritualis ».

Ad nn. 36 et 37: loco horum articulorum dicatur: « Lex abstinentiae et, ubi viget, ieiunii observanda est secundum usum proprii ritus, legitima consuetudine vel iure particulari firmatum ».

Nn. 44 (pag. 13). Lin. 7: *omnino optandus* mihi hic (i. e. post n. 44) videtur aliquis vel brevissimus *articulus de communicatione in sacris,* his vel similibus verbis: « N. 44 a) Communicationem in sacris cum fratribus separatis quod attinet, patet hanc quidem non licere, si agitur de huiusmodi communicatione stricte dicta, i. e. si formalem errori includat adhaesionem. Ubi vero talis adhaesio non est timenda vel praesumenda, id quod praesertim apud orientales raro fiet, mitior agendi ratio adhiberi potest, immo prodest. Hac ergo sub condicione non tantum extrema salutis aeternae necessitas, sed et vera spiritualis utilitas et vel ipsa caritas sufficiens ratio esse potest in sacris inter se communicandi, excluso sane scandalo pusillorum et periculo indifferentismi ».

Nn. 45-54 (pag. 16-19): *Pars II.* Multa non habeo, quae dicam. Dubito quidem, num Commissio de coordinandis laboribus, quae iterum iterumque urget restrictionem materiae, probatura sit, ut de eodem argumento bis agatur, sed pro casu affirmativo praeter eas emendationes, quas per *placet* approbavi, has, quae sequuntur, propono:

N. 45 (pag. 16). Linn. 2 et 4: loco « fratres », dicatur « Ecclesiae ».

Ad titulum cap. I: loco « Orientalium », dicatur « Ecclesiarum Orientalium ».

N. 46 (pag. 16). Lin. 17: loco « regionibus », dicatur « Ecclesiis ».

N. 47 (pag. 17). Lin. 6: loco « christiani », dicatur « Ecclesiae ».

Lin. 9: suppressis verbis « amorem ostendunt », dicatur « Dei Genetri*cem ceterosque Beatos laudibus celebrant* ». (*Ratio*: distinctio inter cultum latriae et duliae).

Lin. 18: post « omnes » adiungatur: « Ecclesiae Orientales ». (*Ratio*: claritas textus).

N. 48 (pag. 17). Lin. 28: loco « Communitatibus », dicatur « Ecclesiis ».

Lin. 31: post « huic », inseratur « evidenter ».

N. 49 (pag. 17). Lin. 33: post « disciplinam », inseratur « theologiam et patrimonium spirituale ».

N. 50 (pag. 18). Lin. 12: deleatur « prorsus ».

Lin. 13: post « posse », inseratur « immo debere ».

N. 52 (pag. 18). Lin. 29: post « seiunguntur », addatur « ab Ecclesiae unitate ».

Linn. 29 ss.: deleantur verba: « atque... participant » (lin. 32).

Linn. 33 ss.: deletis verbis: « ut membra... adhibita » (lin. 35), dicatur: « ad catholicam unitatem nempe ut quidem integram catholicae fidei substantiam teneant et profiteantur, tamen formulis et modis ipsis magis familiaribus et consuetis ».

Lin. 35: post « adhibita », addatur: « Praeprimis autem Ecclesiae Orientales ad unionem corporativam invitentur ».

7

EXC.MUS P. D. HENRICUS BERNARDINUS HOFFMANN
Episcopus Gibutensis

In schemate *de Ecclesiis Orientalibus,* quaestio de libertate ritum eligendi acatholicis ad unitatem redeuntibus concedenda, non mihi videtur feliciter soluta a commissione.

Libertas, iam valde limitata, in prima redactione art. 9 schematis concessa, die 27 septembris 1963 a maioritate commissionis suppressa est. Secundum novam redactionem textus sic sonat: « Baptizati acatholici omnes ad Ecclesiam catholicam redeuntes proprium ritum servare debent, salvo iure in casibus particularibus recurrendi ad Sedem Apostolicam ». Textus mihi inadmissibilis videtur.

1. *Contradicit reverentiae libertati humanae debitae.* Libertas vero, praesertim religiosa, hodie ut valor fundamentalis et constitutivus personae humanae ab omnibus iure habetur, et Ecclesia catholica hodie ab omnibus ut clarissimus defensor talis libertatis laudatur. Inauditum ergo foret postulare ut Concilium oecumenicum hanc fundamentalem libertatem practice deneget.

Effugium unicum ad libertatem tuendam in textu provisum, nempe recursus ad Sanctam Sedem, non potest haberi ut sufficiens tutela libertatis, nam considerari debet ut formalitas « extraordinaria », semper practice difficilis, quae personalem libertatem valde coarctat.

Hoc addam quod illogice talis recursus ut solutio « ordinaria » proponitur ab illis qui, ut omnibus notum est, recursum ad Sanctam Sedem abhorrent et illum ut tantum « subsidium ultimum » aegre admittunt.

Hodie vero, post promulgatam inviolabilitatem libertatis religiosae in Charta Nationum Unitarum, scandalum foret omnibus, in Concilio Oecumenico, libertatem hoc modo intolerabiliter et illogice ab Ecclesia catholica coarctari, dum illa seipsam omnibus ut strenuum defensorem libertatis religiosae solemniter se praebet.

2. *Saepe contradicere potest bono animarum.* Bonum animarum, semper et ubique in Ecclesia, suprema lex apostolatus fuit. Experientia frequenti constat, redeuntes ad unitatem, qui postulant libertatem alium ritum eligendi, hoc facere eo quod aestimant se in ritu desiderato inventuros esse bonum et requiem animae suae.

Multiplex experientia comprobat dissidentes non paucos extra Ecclesiam remansisse qui certo eam ingressi essent si libertas ritum eligendi eis concessa fuisset.

Si ergo, post debitam propositionem suum ritum ingrediendi eis serie factam, dissidentes expresse malunt alium ritum amplectere, et hoc quidem ut conditio reditus sui, certo ex conscientia, talis libertas eis denegari non potest.

3. *Contradicit praxi anteriori Ecclesiae.* Saeculo elapso, in documento solemni, latinis certo rigoroso (Constitutio Apostolica *Orientalium dignitas,* diei 30 novembris 1894), in tempore quo minor adhuc erat conscientia et reverentia libertatis individualis, quaestio electionis ritus expresse agitata, soluta est tamen in favorem libertatis, in casu voluntatis categoricae petentis, nempe « conditione velut necessaria interposita amplectendi latinum ritum ».

Novus ergo textus commissionis de Ecclesiis Orientalibus, die 27 septembris

1963 exaratus, miram et intolerabilem constitueret regressionem in legislatione et in modo agendi Ecclesiae, et hoc quidem dum, e contra, mentalitas hodierna semper magis sollicita est libertatem individualem reverendi.

Propono ergo ut emendetur textus art. 9 schematis *de Ecclesiis Orientalibus,* tacendo de recursu ad Sanctam Sedem, qui est solutio illogica, inefficax et nimis coarctans libertatem; addendo ipsam formulam, in Constitutione *Orientalium dignitas* consecratam, sub forma sequenti: « Baptizati acatholici, ad Ecclesiam catholicam redeuntes, proprium ritum servare debent, nisi electio alius ritus ab eis ut conditio necessaria sui scriptis interponatur ».

8

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS JÄGER

Archiepiscopus Paderbornensis

Placet adumbratio novi textus a rev.mo Patre abbate Ioanne Hoeck sup. gen. Congregationis Benedictinorum Bavariae, praesertim his rationibus: *a*) quia breviorem praebet formam; *b*) quia sapit spiritum orientalibus convenientem.

Placet etiam, quod matrimonia mixta non in forma canonica contracta apud orientales illicita quidem, sed tamen valida habeantur, si cum orthodoxis vel aliis baptizatis christianis orientalium ecclesiarum contrahantur.

9

EXC.MUS P. D. CONSTANTINUS CHRISTIANUS LUNA

Episcopus Zacapensis

... [*cf. pag. 101 Hoffmann*].

Addere possum, inter orientales episcopos, saltem maronitas et Syros, libertatem ritum eligendi aeque ac nos vindicare.

Aestimo etiam quod omnes, ubique terrarum, exspectant Ecclesiam catholicam in Concilio adunatam, se praebere humanae libertatis, praesertim religiosae, clarissimum et indefessum vindicem.

10

EXC.MUS P. D. ANDREAS PANGRAZIO

Archiepiscopus Goritiensis et Gradiscanus

Pag. 5, lin. 5: deleatur locutio « nedum eiusdem noceat catholicitati, eam potius declarat » et substituatur ita « eius catholicitatem declarat ». *Ratio* est: auferenda est omnis locutio quae suspicionem aliquae concessionis ferat.

Pag. 7, lin. 1: verba « Baptizati acatholici » substituenda sunt cum verbis « baptizati in Ecclesiis fratrum separatorum ». *Ratio* est: locutio magis accepta videtur ipsis.

Pag. 7, linn. 6-31: quaestio satis delicata et maximi momenti pro Unione!

Ante oculos habeatur in primis veneranda traditio Ecclesiarum orientalium, quae patriarchis potestatem primam tribuit in Ecclesiis particularibus.

Principium praecedentiae in Ecclesia orientali vim satis claram habet. Orientales sciunt in Ecclesia Romana patriarchas latini et orientalis ritus esse, sed eorum dignitas post illam Patrum cardinalium agnoscitur, etiamsi declarata sit paritas patriarcharum cum Patribus cardinalibus. Videtur dignitas patriarcharum solemniter declaranda sit post Romanum Pontificem, ita ut orientales nullum dubium habeant de voluntate Ecclesiae Romanae.

Pag. 9, post lin. 30: addatur: « Introducatur celebratio Missae lectae ad satisfaciendum commode praeceptum festivum: non solum una Missa, sed plurimae ». *Ratio* est: experientia in Ecclesia Romana.

Pag. 11, linn. 8-18: substituatur ita: « Matrimonia christifidelium orientalium cum fratribus separatis, celebranda sunt in ritu viri, hierarcharum tamen conscientia graviter onerata de observantia cautionum quae in iure praescriptae sunt ». *Ratio* est: quia sacramentum validum ministratur.

Posset adiungi: « ante sacerdotes amborum rituum ».

11

Exc.mus P. D. PACIFICUS M. ALOISIUS PERANTONI

Archiepiscopus Lancianensis

Post diligens studium schematis *de Ecclesiis Orientalibus,* propono ut emendetur textus art. 9 eiusdem schematis, tacendo de recursu ad Sanctam Sedem et addendo ipsam formulam, in Constitutione *Orientalium dignitas* consecratam, sub forma sequenti: « Baptizati acatholici, ad Ecclesiam catholicam redeuntes, proprium ritum servare debent, nisi electio alius ritus ab eis ut conditio necessaria reditus sui scriptis interponatur ». Haec nova formula magis consona libertati mihi videtur.

12

Exc.mus P. D. PAULUS RUSCH

Episcopus tit. Meloensis in Isauria, adm. ap. Oenipontanus

Pag. 6, n. 3, linn. 4-6: particulares ecclesiae orientales non tantum ritibus et disciplina sunt differentes, sed strictius etiam iure et partim constitutione ecclesiastica necnon spiritualitate et scientia theologica. Cum autem « disciplina » late sumptum ius sub se comprehendat, hoc fortasse expressis verbis dici non debet. Sed saltem spiritualitas propria in qua virtualiter alia scientia theologica includitur, est memoranda. Quare propono ut linn. 4-6 sic sonet: « Huius modi particulares Ecclesiae, ritibus, ut aiunt, scil. liturgia, ecclesiastica disciplina *et spiritualitate,* partim differentes... ».

Pag. 7, n. 10, linn. 6-11: haec quaestio de iure ecclesiastico historice spectata est multo difficilior. Primum scil. Concilium Nicaenum ius patriarcharum iam agnovit, non creavit. Origo ergo non est eadem sicut in ceteris legibus ecclesiasticis. Est lex perantiqua et omnino venerabilis, i. e. specialis dignitatis. Praesertim autem nullo modo aliquod privilegium exprimit. Quare textus cautius pro-

poni debet, ne laedat orientales. Unde textum sequentem praeferrem. « Quoniam omnes episcopi iure divino *per se* aequales sunt et soli Romano Pontifici subduntur, clare constat, neminem eorum in alios superiorem auctoritatem habere aut exercere posse, nisi vel illam sive *iure conciliari* sive iure ecclesiastico formaliter obtinuerit vel illa iisdem modis agnita fuit. Potestas patriarchalis in episcopos, clericos et fideles, quae inde ab antiquis temporibus in Ecclesia viget, est primario iuris *conciliaris.*

Pag. 7, n. 11, lin. 15: ad finem addendum: « Patriarchis pristina praecedentia iterum concedatur ». Novum ius orientale patriarchis in praecedentia damnum inflixit, quod est reparandum.

Pag. 7, n. 14, linn. 28-32: in hoc textu oppositio habetur relate ad textum pag. 17, nn. 48 et 49, ubi solemnes dantur promissiones, praesertim n. 49, ritus orientales et disciplinam nunquam mutatos iri: Hic autem dicitur, Romanum Pontificem ius habere normas statuere circa iura privilegia etc. patriarcharum. Unde orientales concludent, promissiones non esse serias. Textus ergo perficiendus est dicendo in fine: « quod autem Romanus Pontifex non exercebit nisi auditis patriarchis ».

Pag. 9, nn. 24 et 25 et 26: antequam haec statuantur, audiantur patriarchae Ecclesiarum orientalium.

Pag. 11, n. 33, linn. 8-18: hic textus melius et brevissime ita sonaret: Cautione autem facta validum est pro orientalibus matrimonium coram ministro orthodoxo initum.

Quodsi non placet, ad lin. 14, saltem addatur post verbum « nuptiis »: ut ergo matrimonium etiam coram ministro orthodoxo sit validum nec ullis censuris innodatum. *Ratio*: confer petitiones patriarcharum orientalium et querelas in Concilio iam prolatas.

Pag. 11, n. 35, lin. 26: post « Sedes Apostolicae » addatur: « quae autem sedes hoc iure non utitur patriarchis inconsultis ». *Ratio,* ne Ecclesiae orientales putent se aliqua iura amittere.

Pag. 17, n. 48, lin. 31: optime, sed ad finem addatur: « Et haec quidem emendatio non fiet nisi respectivis patriarchis auditis ».

Pag. 18, n. 52: hic textus apparenter prae oculis habet conversiones individuales. Maximi autem momenti est unio corporativa. Ad omne dubium tollendum addendum est ad lin. 35: « Praeprimis autem Ecclesiae orientales ad unionem corporativam invitantur ». Insuper linn. 33-34 verba « membra reapse » substituenda sunt per expressionem « membra plena ».

13

EXC.MUS P. D. UBALDUS THEOPHANUS STELLA

Episcopus tit. Antaeopolitanus, vic. ap. Kuvaitensis

Propono ut emendetur textus art. 9 schematis *de Ecclesiis Orientalibus* sub forma sequenti: « Baptizati acatholici, ad Ecclesiam catholicam redeuntes, proprium ritum servare debent, nisi electio alius ritus ab eis ut conditio necessaria reditus sui scriptis interponatur ».

Praeter considerationes circa libertatem personae, et consilium aliorum Patrum, experientia mea doctus, sic faciendum puto ad tutandam salutem animarum.

14

EXC.MUS P. D. MESROB TERZIAN
Episcopus tit. Comanensis in Armenia

Venia detur mihi proponere quae sequuntur commissioni conciliari de Ecclesiis Orientalibus:

1. Pag. 6, § 7. « Illi vero qui ratione sive muneris, sive apostolici ministerii, frequens habent cum orientalibus Ecclesiis aut cum earum fidelibus commercium, in cognitione doctrinae, historiae, atque indolis orientalium accurate, pro gravitate officii quod gerunt, sint instituti ».

Huic pericopae addere velim: « Et sequantur ritum orientalem, si hoc necessarium vel utile est ad efficaciorem apostolatum ». Etenim clerus orientalis catholicus saepe numero exiguus est et impar necessitatibus apostolatus multiformis hodierni.

2. Pag. 7, § 9. Hanc paragraphum ita scribere velim: « Baptizati acatholici ad catholicam Ecclesiam redeuntes, in regionibus sui proprii ritus servare monentur ritum proprium; etiam extra regiones sui ritus seu Ecclesiae retineant proprium ritum ».

Ita Sancta Sedes sese accommodat spiritui nationalistico communitatum orientalium orthodoxarum cum quibus dialogum oecumenicum instauravit.

3. Pag. 7, § 11. Propono ut iurisdictio patriarchae exerceatur in totum clerum et populum sui ritus, etiam extra territoria patriarchatus secundum antiquam disciplinam orientalium quae viget adhuc apud fratres orthodoxos.

Patriarchae armeni decursu saeculorum semper exercuerunt iurisdictionem ordinariam in omnes armenos ubique terrarum. Haec est iurisdictio catholicossalis (= catholica, universalis) in omnes fideles eiusdem ritus.

Si Sancta Sedes saec. XVIII delimitavit iurisdictionem patriarchae Armeni catholici ad territoria determinata, hoc fecit, quia 1) Patriarcha Armenus catholicus non poterat exercere suam iurisdictionem in toto Imperio turchico propter saevissimas persecutiones adversus Armenos catholicos; 2) nolebat concitare patriarcham schismaticum Ecimiadzinensem; 3) illo tempore Sancta Sedes non favebat iurisdictioni patriarchali sicut potest comperiri ex archivio S. C. de Prop. Fide (*Lettere,* vol. 236, fol. 727^{r}).

Nunc e contra Sancta Sedes promovet feliciter iurisdictionem patriarchalem.

Itaque patriarcha Armenus catholicus debet exercere iurisdictionem etiam extra limites patriarchatus ubicumque sunt Armeni catholici, sicut exercent iurisdictionem patriarchae orthodoxi ubicumque sunt Armeni orthodoxi.

Catholicismus noster non debet inducere diminutionem capitis.

4. Pag. 7, § 14. Propono ut 1) patriarchali dignitate polleant Metropolita Ucrainorum atque archiepiscopi Malabaricorum et Malencarensium; 2) patriarchae polleant etiam dignitate cardinalitia atque efforment in Sacro Collegio « ordinem cardinalium patriarcharum ».

5. Pag. 8, § 18. Exopto ut institutum synodi permanentis revera in usu sit.

6. Pag. 9, § 25. Diebus festis de praecepto non dominicis fideles adstringantur divinae liturgiae assistendi; sed possint laboribus servilibus vacare. Nam in Oriente iam universalis est labor servilis in illis festis.

7. Pag. 11, § 33. Dispensatio a forma canonica matrimonii dat ius christifidelibus matrimonio se iungendi sine benedictione nuptiali a sacerdote impertienda. Huius modi res esset scandalosa apud Orientales, qui tenent omnino indispensabilem, essentialem esse benedictionem nuptialem a sacerdote.

Propono ut simpliciter dicatur quod lex formae canonicae matrimonii ad antiquum usum revertitur, scil. quod matrimonium celebratum coram ministro christiano acatholico sit illicitum, sed validum; atque simul sanentur in radice numerosissima matrimonia quae post decretum *Crebrae allatae* a. 1949 invalide celebrata sunt coram ministro acatholico.

Etenim Synodus Nationalis Armenorum a. 1911 declarat: « Catholicorum cum haereticis connubia valida semper habenda sunt » (Syn. Nat. Armen. n. 571, § 1). Et loquens de impedimento mixtae religionis eadem Synodus affirmat: « Haec matrimonia (scil. cum mixta religione celebrata) contrahi quin unquam de eorum validitate dubitatum fuerit » (*ibid.*, n. 577, § 5).

Haec lex et praxis magis favebant diffusioni catholicae fidei apud Armenos: puellae catholicae matrimonio iunctae cum acatholicis in ecclesia schismatica convertebant maritos ad fidem catholicam.

Nunc vero ab auctoritate ecclesiastica acatholica ultione coguntur ad apostasiam; et cum scandalisatae sunt ab hoc nova lege, pergunt in apostasia neque cogitant de sanatione in radice; intelligere enim nequeunt cur huiusmodi matrimonia antea valida, nunc vero invalida sint.

Itaque lex fit noxia. Revera magis magisque in dies, inde a tempore decreti *Crebrae allatae* matrimonia huiusmodi invalida creberrime augentur; atque vorago separationis inter catholicos et acatholicos dilatatur.

Ne dicatur quod clerus catholicus non conatur avertere catholicos a matrimoniis cum acatholicis. Clerus catholicus Armenus omnia conamina fecit in hoc sensu, sed frustra; nam familiae catholicae et non-catholicae sunt iunctae inter se permultis arctisque ligaminibus; ideoque haec ligamina naturaliter pergunt et roborantur per alios contractus matrimoniales saepe saepius invalidos.

Velim ut restauretur hac in re lex antiqua vigens ante decretum *Crebrae allatae*, simulque detur directorium practicum in sensu oecumenico pastorali.

8. Pag. 11, § 37. Inde a tempore s. m. Pii Papae XII nunc apud Armenos catholicos viget praxis legis solius abstinentiae mitigatae singulis feriis sextis; atque praxis legis abstinentiae rigidae et ieiunii prima die Magnae Quadragesimae et Feria sexta Hebdomadae Sanctae.

Haec praxis iam universalis evasa est. Optandum est ut ita permaneat.

9. Pag. 17, § 49. A Sancta Sede urgeatur executio huius consilii: « Et si ab iis (ritibus et disciplinis) ob temporum vel personarum adiuncta aliquomodo fortasse defecerint, ad avitas memorias redire satagant, quantum fieri potest, bono fidelium et adiunctis locorum et temporum prae oculis habitis ».

Quod attinet ad legem prohibentem communicationem in sacris cum orientalibus orthodoxis, propono mitigationem hac in re.

Etenim per multa saecula, ante saeculum XVIII, Armeni catholici et orthodoxi frequentabant easdem ecclesias, recipiebant eadem sacramenta et subditi erant iisdem praesulibus modo catholicis modo heterodoxis.

Etiam missionarii ipsi, sicut P. Raphaël di Mans, P. Gabriel de Chenon, P. Aimé Chézot, P. Giovanni Pyromalli (postea episcopus), P. Clemente Galano,

P. Louis Villot et alii, saec. XVII-XVIII, communicabant in sacris ad convertendos heterodoxos.

Sancta Sedes praescripsit Vicario Patriarchali Constantinopolitano et Vicario Apostolico Syriae (Alep) quamdam tolerantiam tacitam in casu receptionis sacramenti matrimonii in ecclesiis schismaticis, tolerantiam, quae habita est etiam in receptione sacramentorum baptismi et confirmationis atque in funeribus (Tabularium S. C. de Prop. Fide, *Istruz.*, vol. I, fol. 675).

Practice quaedam mitigatio debet dari in lege prohibente communicationem in sacris:

1) In casu in quo fideles catholici essent doctiores schismaticis in Doctrina christiana, et exercuissent influxum salutarem ad devellendos errores, ad arcenda praeiudicia connationalium.

2) Si vitatur periculum scandali, perversionis atque indifferentismi.

3) Ad facilitandum negotium oecumenismi.

4) Ad maiorem cooperationem omnium christianorum ad arcenda pericula atheismi hodierni ubique pervadentis.

5) Ad apostolatum catholicum apud schismaticos, quibus etiam praebere debemus media salutis.

6) Considerando etiam quod preces liturgicae Armenorum schismaticorum sunt secundum fidem catholicam et sacramenta eorum valida sunt.

7) Perpendendo quae dicuntur in schemate de oecumenismo, ubi inter alia declaratur quod christiani acatholici « Quadam communione nobiscum coniuncti sunt... eosque Ecclesia ut filios agnoscit » (*ibid.*, pag. 8, linn. 19 et 21).

8) Prae oculis habitis permultis ligaminibus parentalibus familiarum catholicarum et heterodoxarum adeo arctis ut necessario communicent in sacris tempore baptismi, confirmationis, Missae funebris, funerum, matrimonii, caeremoniarum religioso-nationalium.

In fine proponere velim ut commissio Concilii pro Ecclesiis Orientalibus et secretariatus pro Unione Christianorum aliquod directorium praeparent speciatim pro clero orientali catholico, ad praecavendas innovationes imprudentes et ad excitandos tepidos.

C) *A die 21 maii 1964 ad diem 13 septembris 1964.*

1

EM.MUS P. D. PETRUS TATSUO CARD. DOI
Archiepiscopus Tokiensis

In pag. 10, linn. 8-9: loco « periculum perversionis in fide » dicatur: « periculum aberrationis in fide ». *Ratio*: expressio « perversio » fratres seiunctos offendere potest quia in multis regionibus — specialiter illis linguae anglicae — sumi solet in sensu perversionis moralis, sexualis.

Nomine omnium episcoporum Iaponiae.

2

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. SIRI
Archiepiscopus Ianuensis

Generatim hoc decretum apparet nimis abundans et nimis laudativum. Ecclesiae orientales laudes merentur utique, sed restrictus sermo magis stylo conciliari congrueret.

Praeterea plura particularia censeo esse remittenda — circa Sacramenta praesertim — ad Codicem Iuris Canonici pro Orientalibus, eo magis quia in occidentalibus quasdam suscitant admirationes.

Denique institutio patriarchatus est omnino iuris ecclesiastici omnique proinde mutationi submissa si hoc tempora postulassent.

Hisce praelibatis solummodo de paucis sermonem habeo.

Art. 4, pag. 6, linn. 6 ss. Apparet in hoc disposito aliqua difficultas, quia migrationes multiplicantur, filii in nova patria nati facillime non amplius retinent observationes maiorum et periculum est in eadem dioecesi multiplicandi ritus cum damno animarum. Sicut peroptime disponit textus in hac eadem pagina, linn. 32 ss., ita res deberent esse faciliores in sibi eligendo locali communiori ritu, pro his qui definitive suam terram dereliquerunt, si hoc malunt.

Art. 19, pag. 9, linn. 2-3, haec verba leguntur: « ... Transferre aut supprimere unius est Synodi Oecumenicae vel Sedis Apostolicae ». Textus probari nequit eo quod videtur intelligere esse in Ecclesia duas potestates supremas aequales et adaequate distinctas. Quod non est omnino verum. Etenim unitas Ecclesiae diarchiam excludit. Item primatus Romani Pontificis plenitudine non polleret, sicuti definitum est. Addas Synodum Oecumenicam non posse legitime convocari nisi a Romano Pontifice et ideo non existere sine Romano Pontifice. Tandem aperta hucusque est quaestio, utrum ea omnia quae pertinent ad Synodum Oecumenicam certo et indubitanter sint iuris divini. Ergo in textu sermo fiat unius Sedis Apostolicae.

Artt. 26-29, pag. 10. Haec communicatio in sacris apparet nimis laxa, exemplum periculosum pro occidentalibus, foecundior dissensionis quam unionis. Etenim cum practice aboletur distinctio in sacris, populus rudis non intelligit alia quaeque esse mutanda ut reditus fiat ad unitatem Ecclesiae.

3

EXC.MUS P. D. GARABED AMADOUNI
Episcopus tit. Amathusius in Cypro

Art. 3, p. 5. Au n. marginal 23-24: J'ajouterais: « ... aequali modo *partem constituunt integrantem Ecclesiae Christi* et concreduntur etc. ... ». Ainsi, d'abord on relève l'appartenance de chacune de ces Eglises particulières, en tant que partie intégrante, au même titre, à l'Eglise catholique, et ensuite signifier la conséquente dépendance du gouvernement pastoral des Romains Pontifes.

Art. 6, p. 6. Au nn. marginaux 22-24: Le passage « ac nonnisi ratione proprii et convenientis progressus mutationes inducendas esse » *a*) est dangereux; *b*) il

peut même devenir anti-œcuménique, eu égard du nombre bien restreint des Communautés Orientales catholiques vis-à-vis de leurs frères séparés. Car cette formule, telle qu'elle est, ouvre large la porte aux innovations. Quelle serait la réaction des frères séparés si la Hiérarchie catholique introduisait, toujours à titre du progrès, dans le rite qui est commun à toutes les deux Communautés, des innovations qui ne seraient pas partagées par la Communauté séparée qui représente l'écrasante majorité?

On pourrait adoucir la formule par « respectu habito semper spiritu et stylo proprio ritus ». Mais cela n'enléverait pas les inconvénients prévisibles. Donc pour moi supprimer ce passage mentionné plus haut et laisser les choses à la prudence et à la surveillance du St-Siège.

Art. 6, p. 6. Au n. 36, à la fin ajouter: « et sodales suos in his regionibus operam navantes, efforment secundum spiritum, mentalitatem, culturam et exigentias populorum illarum regionum ».

Art. 7-11, p. 7. Puisque dans le schéma *de Ecclesiis Orientalibus* ont été placés ces articles 7-11, sur les Patriarches Orientaux, il faudrait ajouter à la fin au moins un article sur les Synodes Permanents qui conditionnent l'exercice de la juridiction supra-épiscopale des Patriarches. D'autant plus que dans le schéma *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* à l'art. 5, il a été contemplée la constitution d'un Conseil Episcopal en aide de la Suprême Autorité des Souverains Pontifes. D'ailleurs, cela existait déjà dans le schéma du 22 avril 1963, à l'art. 18 qui a été omis. Pourtant l'institut du Synode Permanent fait partie intégrante du pouvoir Patriarcal.

Art. 11, p. 7. Le vœu exprimé par le Concile Œcuménique d'ériger de nouveaux Patriarcats Orientaux est à supprimer, afin de ne pas inspirer aux Orthodoxes l'impression de vouloir remplacer les anciens sièges historiques par des nouveaux. Si le Souverain Pontife ou un Concile Œcuménique veut le faire, ils peuvent toujours le faire. Quelle necéssité de l'afficher ici dans les Acte du Concile. Cet art. 11 donc se réduirait: « Constitutio novorum Patriarchatuum uni Synodo Oecumenico vel Romano Pontifici reservatur ».

* * *

Note: Nous avons déjà présenté nos réserves au sujet des *mariages mixtes,* dans nos Remarques faites sur le schéma du *Textus emendatus* du « De Ecclesiis Orientalibus », le 11-2-1963, à l'art. 69, p. 31 de ce schéma. Ici, à l'occasion du nouveau texte, sous cet art. 18, nous voulons ajouter d'autres considérations, dans le but de bien servir l'Eglise, dans cette matière si délicate.

La faculté de dispense accordée *a jure,* sur les *mariages mixtes*, à tous les Hiérarques orientaux, dans cet article 18, selon nous n'est qu'un palliatif. Il est loin d'être un remède aux inconvénients surgis, dans les rapports entre les catholiques orientaux et leurs frères séparés de l'Orthodoxie, à cause de la loi (can. 85) sur la forme des mariages du Motu proprio *Crebrae allatae* du 22 fév. 1949.

L'intention du législateur, dans le canon mentionné, a été bien de discipliner les mariages des Orientaux, en en modelant la forme sur celle de C.J.C. C'est malheureusement le résultat contraire qui a été obtenu. La raison en est qu'on n'a pas fait, dans le temps, suffisamment attention sur deux aspects de ce problème.

Le I est le fait tangible qu'en Orient les Eglises Orientales catholiques ne

représentent qu'une très faible minorité en comparaison de leurs homologues séparées. Donc les mariages mixtes sont de l'ordre du jour le plus fréquent.

Le II aspect de ce problème est qu'en Orient, selon la constante conception des Eglises Orientales, dans le Sacrament du mariage, c'est plutôt l'*acte cultuel sacramental posé par la présence du prêtre et survenu à l'adhésion et au consentement des deux parties qui fait le sacrament du mariage*. Puisque le prêtre orthodoxe est décoré de l'ordre sacré sacerdotal, on ne conçoit pas pourquoi le couronnement béni par lui ne devrait-il pas rendre valide le mariage. D'autant plus qu'il existe derrière nous une longe tradition des siècles, où ces mariages n'ont pas été mis en doute. Le fidèle oriental ne conçoit pas comment d'un jour à l'autre ces mariages soient jugés comme nuls.

Il est bien à relever que sur ce point particulier de la discipline orientale, on a la réponse autorisée d'une Congrégation Pleinière convoquée sous la présidence immédiate du Pape Benoît XIV, dont la connaissance théologique et canonique est incontestable, qui a rectifié certaines réponses de la Congrégation de la Propagande. La Pleinière disait, en s'exprimant des mariages des arméniens catholiques bénis par les prêtres dissidents, qu'en Orient était inconcevable tenir pour invalides de tels mariages; et aussi, comme valides les mariages faits devant le Cadi musulman, lorsqu'il s'agissait de mariage des baptisés.

Or, pour l'avenir, la solution projetée par l'art. 18, loin d'être un remède aux inconvénients, elle ouvre large la porte aux mariages invalides. Car si la forme récente de mariage des Orientaux reste telle qu'elle est, le nombre des unions invalides poursuivra à s'accroître indéfiniment. C'est après coup que le curé catholique ou l'Ordinaire du lieu saura le fait accompli. Il ne lui restera que poursuivre les deux parts, afin de leur accorder la *sanatio ex radice*. Combien de cas pourra-t-il détecter? Quel avantage alors pour insister sur une loi qui ne sera pas respectée? A mon humble avis, c'est la forme des mariages des orientaux qui doit être révisée et la récente loi modifiée, pendant le travail post-conciliaire du C.I.C.O. Entre temps, la faculté de la dispense, envisagée dans cet art. 18 de ce schéma, doit rester comme un indult quinquinnal accordé aux Hiérarques Orientaux, en attendant la meilleure formulation dans le Code Oriental de la forme des mariages des Orientaux.

Pour moi, il faut revenir à l'ancienne discipline, au moins pour les mariages mixtes, ou bien la forme récente soit *ad liceitatem* seulement.

La crainte que les fidèles, dans ce cas, aient recours à l'autorité civile, est gratuite. Cela ne cadre pas avec leur conception. Au contraire, cette crainte serait justifiée lorsqu'on donne au mariage des baptisés la forme de trop notariale.

Les mariages faits devant le pasteur protestant seraient invalides. Oui, selon la conception orientale. Mais il faut noter que ces mariages sont très rares en Orient. Ensuite, les protestants ne tiennent pas autant que dans le mariage mixte soit leur Pasteur ou leur église à primer. Ce qui n'est pas le cas avec les orthodoxes.

4

EXC.MUS P. D. MAURITIUS BAUDOUX
Archiepiscopus S. Bonifacii

In genere. Schema ut in pluribus placet. Videntur tamen aliquae emendationes introduci, quae sublineatae hic apparent.

In specie. Pag. 5, n. 1. Proponitur novus textus sequens: (Prooemium). In Orientalium Ecclesiarum institutis, ritibus, traditionibus ecclesiasticis atque vitae christianae disciplina, utpote veneranda antiquitate praeclaris, elucet ea quae a Patribus est et ab Apostolis traditio, quaeque partem constituit divinitus traditi atque indivisi universae Ecclesiae patrimonii. Ecclesiarum igitur Orientalium, quae huius traditionis testes sunt vivi, sollicitudinem gerens, haec Sancta et Oecumenica Synodus id spectat ut eaedem floreant et novo robore apostolico concreditum sibi munus absolvant. Quare haec capita statuere decrevit, ceteris ad providentiam Synodorum orientalium *vel* Sedis Apostolicae *Romanae* remissis.

Rationes: linn. 1-3: 1. Ut melius manifestetur Ecclesias Orientales partes esse universalis Ecclesiae. 2. Verbo « semper » omisso, affirmatio hodie disputata vitetur.

Linn. 9-10: eliminentur verba « praeter ea... Ecclesiam ». In aliis decretis, spectantia ad Ecclesiam universam et particularem non separatim tractantur.

In schemate vero agitur de rebus quae sunt patrimonium traditionis apostolicae, per se Ecclesiae universae commune.

Lin. 11: additur « *Romanae* » ut distinguatur sedes romana ab illis orientalibus sedibus quae sese apostolicae quoque vocantur.

De Ecclesiis particularibus: pag. 5, n. 2: novus textus affertur: Sancta *Christi* Ecclesia constat ex fidelibus, qui eadem fide, iisdem sacramentis et eodem regimine in Spiritu Sancto organice uniuntur, quique in varios coetus hierarchia iunctos coalescentes, particulares Ecclesias constituunt. *Inter eas mirabilis communio viget ita ut* earum varietas in Ecclesia nedum eiusdem noceat unitati, eam potius declarat; Ecclesiae enim catholicae hoc propositum est, ut salvae et integrae maneant legitimae uniuscuiusque particularis Ecclesiae traditiones, eademque pariter vult suam vitae rationem aptare variis temporum locorumque necessitatibus.

Rationes: lin. 12: omittatur dictio: « quae est Corpus Christi mysticum ». A contextu enim expostulatur mera referentia ad Ecclesiam, ideoque vitanda est aspectus doctrinae Ecclesiae minus orientalis elaboratio.

Pag. 5, lin. 15: addita verba elementum interius et profundius ipsius unitatis aperte declarant vocabulo « *communionis* », quod quidem omnibus christianis orientalibus familiare est.

Pag. 5, n. 3: novus textus proponitur: Huiusmodi *ergo* particulares Ecclesiae, *tum Latinae, tum Orientales,* licet ritibus, ut aiunt, nempe liturgia, ecclesiastica disciplina et patrimonio spirituali partim inter se differant, pari tamen pollent dignitate. Nulla proinde earum, sive Latina *sive una ex Orientalibus,* ceteris praestat ratione ritus, atque iisdem fruuntur iuribus et tenentur obligatio-

nibus, etiam quod attinet ad *Evangelium praedicandum in universum mundum* (*Mc.* 16, 15), *in plena communione cum Summo* Pontifice.

Rationes: linn. 21 et 25: sic ostenditur Ecclesias *particulares* non constituere phaenomenon Orientis.

Linn. 23-25: tollendum videtur « aequali modo... succedit », quia sufficienter affirmatur verbis « communio » et « in plena communione » in novo textu nn. 2 et 3.

Lin. 27: expressio allata magis biblica est, et aliunde tollitur nomen « propaganda » quod sensum peiorativum indoctrinationis sapit.

Lin. 28: per introductionem « in plena communione » usurpatur verborum consociatio apud Orientales tum Catholicos tum Orthodoxos magis traditionalis.

Pag. 5 et 6, n. 4: textus immutatus, excepto errore typographico « religionis », ubi legendum est « regionis » (pag. 6, lin. 5).

De spirituali Ecclesiarum Orientalium patrimonio servando. Pag. 6, n. 5: textus sic legitur: Historia, traditiones et plurima ecclesiastica instituta praeclare testantur quantopere de universa Ecclesia Orientales Ecclesiae meritae sint. Quapropter Sancta Synodus patrimonium hoc ecclesiasticum et spirituale non solum aestimatione debita et iusta laude prosequitur, sed etiam tamquam patrimonium universae Christi Ecclesiae firmiter considerat. Ecclesiae *igitur* Orientales *sicut et Latinae* iure pollent et officio tenentur se secundum proprias disciplinas peculiares regendi, utpote quae veneranda antiquitate commendentur, moribus suorum fidelium magis sint congruae atque ad bonum animarum consulendum *et ad Ecclesiae missionem integre explendam* aptiores videantur.

Ratio: linn. 16-20: haec sententia veluti conclusio praecedentis se habet, ideo in forma simpliciori scribenda est. Ex alia parte, aptitudo missionalis Orientalium Ecclesiarum hic declaratur.

Pag. 6, n. 6: textus sic legatur: Sciant ac pro certo habeant omnes orientales, se suos legitimos ritus liturgicos suamque disciplinam semper servare posse et debere, ac nonnisi ratione proprii et *organici* progressus mutationes inducendas esse. Haec omnia, igitur, maxima fidelitate ab ipsis orientalibus observanda sunt; qui quidem harum rerum cognitionem in dies maiorem usumque perfectiorem acquirere debent, et si ab iis ob temporum vel personarum adiuncta indebite defecerint, ad avitas traditiones redire satagant. Illi vero qui frequens cum Orientalium Ecclesiarum fidelibus habent commercium, in cognitione rituum, disciplinae, doctrinae, historiae atque indolis orientalium accurate, pro gravitate officii quod gerunt, versati sint. Religionibus vero et associationibus latini ritus, quae in regionibus orientalibus vel inter fideles orientales operam praestant, enixe commendatur, ut, ad maiorem apostolatus efficaciam, domos aut etiam provincias orientalis ritus, quantum fieri potest, *de consensu vero Patriarchae vel Hierarchae eiusdem ritus,* constituant.

Rationes: lin. 23: vox « organici » melius exprimit aptationem internam ex vitalitate Ecclesiae profluentem.

Lin. 34: hic consensus requiritur ad « maiorem apostolatus efficaciam ».

De Patriarchis orientalibus. Pag. 7, nn. 7-11: *Adnotatio generalis*: Ad materiam hic elaborandam quatuor novae paragraphi proponuntur. Quae quidem secundum ordinem diversum procedunt, ut primo de institutione patriarchali, et postea de Patriarchis agatur. Sic legitur:

7. Ab antiquissimis temporibus *in Ecclesia orta est* institutio patriarchalis, *cuius origo ducitur ex quinque sedibus dignioribus, quibus iam a primis synodis oecumenicis tributa est ordo sequens*: *Romana, Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena et Hierosolymitana. Haec institutio patriarchalis modo suo proprio et quidem diverso evoluta est in oriente ac in occidente, ubi munus patriarchale in Summi Pontificis persona assumptum est.*

8. *His sedibus patriarchalibus, antiquioribus aut maioribus dictis, aliae sedes, recentiores seu minores dictae, tam in occidente quam in oriente, temporum decursu adnumeratae sunt. Attamen, dum apud latinos sedes titulo patriarchali decoratae quasi ad honorem paulatim devenerunt, Ecclesiae orientales* formam regiminis traditionalem *retinuerunt. Quapropter* Sancta et Oecumenica Synodus exoptat ut institutum patriarchale in Ecclesia *servetur,* et si opus sit, novi erigantur patriarchatus, *confirmante* Synodo Oecumenico vel *Apostolica* Romana *Sede* (ex n. 11).

9. Nomine vero Patriarchae orientalis venit episcopus, qui tamquam pater et caput praeest populo, clero et episcopis, haud exceptis metropolitis, ratione territorii vel ritus *sibi commissis,* et cui canones *agnoscunt* vel tribuunt iurisdictionem *propriam in communione perfecta cum Sedis* Romanae *episcopo* ad normam iuris exercendam (ex nn. 7 et 9).

10. *Haec Sancta et Oecumenica Synodus statuit ut quamprimum restituantur et accommodentur cuiuscumque orientalis Patriarchae et Archiepiscopi maioris* propria iura et privilegia, *sicuti congruit genuinis* priorum saeculorum traditionibus et *hodiernis exigentiis.*

Rationes emendationum aliquorum maioris momenti:

Pag. 7, n. 7: 1. Imprimis declarari oportet originem institutionis patriarchalis sistere penes quinque sedes historice determinatas, et diversitates in hac institutione iam ab initio sese manifestare. Consulto abstinet textus a iudicio ferendo in quaestionibus historicis adhuc agitatis.

2. Cum in Concilio Oecumenico de institutione patriarchali ex professo tractetur, fieri debet referentia ad patriarchatum unicum et principaliorem occidentis, nempe Romae, qui ab initio vitae Ecclesiae exstat.

Pag. 7, n. 8: consideratur ipsa evolutio patriarchalis institutionis in oriente, ubi plures ab eadem profecti, et quidem vero regimine ecclesiastico praediti, nunc ingenium orientis omnino peculiare laudabiliter proclamant.

Pag. 7, n. 9: Patriarchae figura, quae characterem ecclesialem inducit, theologice delineatur, ita ut postea ad considerationem iurisdictionis eius propriae in praxi exercendae descendatur.

Pag. 7, n. 10: auctoritatis traditionalis patriarcharum restauratio petitur.

De disciplina Sacramentorum. Pag. 7, n. 12, linn. 23-24: sic emendetur textus: « Sancta Oecumenica Synodus laudat, *atque,* si casus ferat, exoptat ut eadem instauretur *et pastoralibus exigentiis iugiter accommodetur* ». *Ratio*: non convenit Concilium *confirmare* disciplinas iam ex antiquo legitimas; e contra, proprium Concilii est loqui de aptationibus pastoralibus introducendis (cf. Constitutio *de sacra Liturgia,* n. 62).

Pag. 8, n. 14, lin. 4: verbo « administrationem » subdetur verbum « *celebrationem* » vel « *collationem* ». *Ratio*: magis congruit rei sacrae.

Pag. 8, n. 15, lin. 13: introducantur sublineata verba: « immo frequentius,

ac etiam quotidie, *ubi ritus id permittit,* Sacram Eucharistiam suscipiant ». *Ratio*: cavendum est ne decretum contradicat ritum.

Pag. 8, n. 18, linn. 28-29: sic emendetur textus: « *quando* catholici orientales cum *aliis christianis* orientalibus matrimonium mixtum ineunt ». *Ratio*: menti oecumenicae melius consonat.

Pag. 8, n. 18, lin. 34: addatur textus sequens: « *Absque tali dispensatione contracta huiusmodi matrimonia illicita quidem, sed valida sunt, dummodo interveniat ritus sacer* ». *Ratio*: opportunum videtur positive praecludere dubia circa validitatem matrimonii mixti sine supradicta debita dispensatione celebrati.

De cultu divino. Pag. 9, n. 20, lin. 12: post verborum « quorum interest » inserenda est consociatio verborum « *etiam aliorum christianorum* ». *Ratio*: ab ipso Synodo exoptatur collaboratio cum fratribus seiunctis, quae spiritu oecumenico congruit et quae nunc fructuose instaurari potest.

De conversatione ecclesiastica cum fratribus seiunctis. Pag. 9, in titulo ante n. 24; pag. 10, linn. 1, 7, 21, 30 et 32. His in locis substituatur verbum « seiunctis » vocabulo « separatis », ut usus constanter servetur in diversis schematibus sicut in illo *de Oecumenismo*.

Pag. 9, n. 24, lin. 32: verbis « mutuo auxilio » subdetur verbum « *collaboratione* ». *Ratio*: magis sic significatur actio dynamica et constans inter plures.

5

EXC.MUS P. D. LEOPOLDUS BRELLINGER
Episcopus Chimscienensis

Agitur in schemate de constitutione, organisatione interna, cultu divino, sacra liturgia, etc., illarum Ecclesiarum. Iuvaret forte addere verbum de labore apostolico illarum Ecclesiarum, scil., quid — praeter celebrationem sacrae Liturgiae — faciant relate ad extensionem Regni Dei et S. Evangelii.

Facile enim appellantur ab adversariis " Introvert Churches ", i. e., directae ad intra, nullam activitatem ad extra habentes.

6

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CARLI
Episcopus Signinus

Pag. 5, lin. 4. Negandum mihi videtur traditionem *a Patribus* (quae ponitur etiam ante traditionem ab apostolis!) partem constituere depositi divinae revelationis.

Pag. 8, n. 15. Rationibus iam a me allatis contra hanc innovationem in satisfaciendo obligationi diei festi de praecepto nulla idonea responsio datur in pag. 32 huius fasciculi, sed solummodo dicitur: « Commissio expresse textum schematis unanimiter probavit »!

Si ergo manere debet dispositio, saltem formula accuratior evadat. Etenim: *aut* die festo fidelis legitime excusantur, et tunc improprie dicitur pro ipsis « quo facilius hanc obligationem adimplere valeant », cum obligatio illo in casu non

transferatur ad vigiliam, vel si reapse transfertur clarissime dicendum est a Concilio; *aut* die festo fideles possunt satisfacere praecepto, et tunc non videtur ratio cur, etiam pro ipsis, per conciliare decretum transferatur ad vigiliam possibilitas satisfaciendi praecepto.

Utcumque, formula clarissima, meo quidem iudicio, haec esset: « tempus utile ad adimplendam obligationem incipit inde a vesperis vigiliae et desinit in fine diei Dominicae vel festi ».

Pag. 10, lin. 2. Formula « *simplex* fidei catholicae professio » est obscura et ambigua.

7

Exc.mus P. D. DOMINICUS LUCAS CAPOZI
Archiepiscopus Taeiüenensis

1. N. 4, a lin. 6 ad 10, non placet etiam quia modo captioso, ut mihi videtur, compositus est. Corrigatur sic: « Omnes et singuli fideles catholici proprium ubique terrarum retineant ritum, salvo iure, in casibus peculiaribus, recurrendi ad Apostolicam Sedem. Baptizati autem acatholici ad Ecclesiam catholicam convenientes amplissima fruantur libertate sive ritum proprium retinendi, sive alium ritum amplectendi quemcumque maluerint ». Nihil enim ipsis ultra imponendum est quod non sit omnino necessarium. Recta fides necessaria est non ritus. Nolimus perdere animas propter ritum.

2. N. 6, linn. 31-35. Quae hic dicuntur de latinis inter orientales pariter dicatur de orientalibus inter latinos. Et hoc quidem ne videamur orientales *minoribus* aequiparare, seu tutela quadam protegere et fovere quasi ipsi orientales essent parvuli in fide.

3. Nn. 7, 8, 9, 10, 11. Bene, adprobo. Sed liceat mihi dicere quod sentio: si ego essem episcopus orientalis me *minoratum* sentirem relate ad episcopum occidentalem. Et hoc explicatione non indiget.

4. N. 18. Quae hic dicuntur de orientalibus catholicis cum orientalibus acatholicis matrimonium ineuntibus, pariter dicatur de latinis matrimonium cum orientalibus acatholicis ineuntibus. Eadem enim est ratio et conditio.

5. N. 20. Non placet, quia nullam utilitatem, immo tantum confusionem magnam pariet.

6. N. 25. Placet iuxta modum. Modus est ut detur ipsis etiam libertas mutandi ritum, si ipsis placet, et hoc absolute, nempe sine necessitate recurrendi ad Apostolicam Sedem. Cur illam libertatem nolumus dare? Numquid ritus est iuris divini, vel ad salutem necessarium? Nonne illi qui hanc libertatem concedere nolunt propter rationes humanas potius quam evangelicas, hoc facere censendi sunt? Ubi est oecumenismus?

8

Exc.mus P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES
Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Schema *in genere* placet; ab illo schemate confirmatur locus Ecclesiarum Orientalium in Ecclesia catholica: « in eis elucet ea quae a Patribus est et ab

Apostolis traditio, quaeque partem constituit indivisi universae Ecclesiae patrimonii »; plene sociantur cum actione missionaria Ecclesiae. Monitiones opportunae proponuntur de disciplina sacramentorum. Servatis articulis 25-28, relationes fraternae faciliores evadent cum fratribus a nobis seiunctis.

Quoad singula, hae emendationes proponuntur:

Art. 1. Emendetur prooemium, quemadmodum petierunt Patres linguae germanicae: « Orientalium Ecclesiarum instituta, ritus, traditiones (ecclesiasticas) atque (vitae christianae) disciplinam (...) *magni faciens, quia* in eis, utpote veneranda antiquitate praeclaris, elucet ea quae a Patribus est et ab Apostolis traditio, quaeque partem constituit divinitus traditi atque indivisi universae Ecclesiae patrimonii, (...) haec Sancta et Oecumenica Synodus nihil antiquius habet quam ut eaedem floreant et novo robore apostolico concreditum sibi munus absolvant. *Quare* praeter ea quae *per se* ad universam spectant Ecclesiam, *haec* capita statuere decrevit, ceteris ad providentiam Synodorum orientalium *vel* Sedis Apostolicae remissis ».

Art. 2. Post verbum « constituunt », oportet dicere: « *inter eas mirabilis communio viget, ita* ut earum varietas, etc. ». Deplorandum est enim quod in schemate nulla fit mentio de communione Ecclesiarum, cum ea notio « communionis » sit orientalibus familiaris.

Art. 3. Loco « pastorali gubernio » praeferendum est verbum « sollicitudini »; quod verbum sine dubio ab orthodoxis facilius admittitur; in linea autem sequenti in memoriam revocatur primatus Pontificis Romani in Ecclesiam universam.

Et forsan melius articulus mutetur sicut proposuerunt episcopi linguae germanicae cum parva mutatione propter rationem supra allatam: « Huiusmodi *ergo* particulares Ecclesiae, licet ritibus, ut aiunt, nempe liturgia, ecclesiastica disciplina et patrimonio spirituali partim inter se differant, (...) tamen *concreditae sollicitudini* Romani Pontificis, qui Beato Petro in primatu super universam Ecclesiam *iure divino* succedit, omnes pari pollent dignitate, etc. » (usque « *ubique terrarum* », lin. 28).

Art. 4. Lin. 29: ne eadem verba iterum scribantur quae iam in lin. 28 pag. 5, et in lin. 8 pag. 6, « in universo mundo » substituatur verbis « ubique terrarum ».

Pag. 6, lin. 5: verbo « religionis », substituatur « regionis », ut in textu in Commissione examinato: scriptoris lapsus!

Art. 6. Lin. 23: in textu de quo disputabatur in Commissione erat verbum « harmonici », non autem « convenientis »; quod verbum « harmonici » praeferendum est.

Art. 9. Lin. 10: expungatur verbum « antiquissimam », ne sit iterum idem verbum quod iam legitur linn. 1 et 13.

Lin. 13: textus mutetur sicut proposuerunt episcopi germanicae linguae: « ... sancta Synodus, *priorum sequens exempla,* ut eorum iura et privilegia *quam primum ita restituantur et accommodentur, uti congruit genuinis traditionibus et hodiernis exigentiis* ».

In re tam magni momenti, valde enim convenit ut de principio saltem Concilium statuat.

Art. 20. Lin. 12: post « interest », addatur: « etiam non catholicis »; convenit enim ut exquiratur quid de re censeant Ecclesiae non catholicae.

Art. 24. In subtitulo huius articuli, verbo « separatis », substituatur « a nobis seiunctis », ut sint eadem verba in hoc schemate quae in *de Oecumenismo.*

Lin. 32: verbis « mutuo auxilio », substituatur « collaboratione »: sic enim melius definitur mens oecumenica; praeterea, hoc dicendi modum consentaneum est vocabulis schematis *de Oecumenismo* (cf. pag. 8, lin. 37; pag. 9, lin. 5; pag. 22, lin. 20).

Art. 25. Lin. 1: verbo « separatis » substituatur verbum « seiunctis » eadem ratione quae supra indicata est.

Idem, pag. 10, linn. 7, 21, 30, 32.

9

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS FRANIĆ

Episcopus Spalatensis et Macarscensis

Proposuerim ut in pag. 7, lin. 21 adderetur: *a*) « Sancta Synodus exoptat ut etiam in occidente introducatur systema patriarchale ita, ut diversae nationes proprios patriarchas habeant qui praecedentiam prae cardinalibus S. Romanae Ecclesiae habeant oportet »; *b*) « Patriarchae in occidente eligantur ad tempus a conferentiis nationalibus ita, ut a S. Sede approbatione indigeant ».

Ratio ad *a*): puto institutionem patriarchatus, praesertim si patriarchae consilium supremum Summi Pontificis constituerent, valde placere orthodoxis atque habere magnum valorem oecumenicum.

Ad *b*): tali modo provideretur maiori vitalitati in Ecclesia, maiori sobrietati necnon caritati fraternae Patriarcharum novorum, immo etiam eorum firmiori subiectioni Summo Pontifici.

10

EXC.MUS P. D. IOSEPH GOGUÉ

Archiepiscopus Basrensis Chaldaeorum

Colgo l'occasione della ricevuta di nove « Schemata » per la prossima sessione del Sacrosanto Ecumenico Concilio Vaticano Secondo per ringraziare V. Ecc. Rev.ma [1] non solo per Sua pregiatissima lettera, in data del 20-11-1963, ma anche e specialmente, per un nuovo motivo, sui generis, voglio dire suo gesto e suo spirito di purissimo Ecumenismo.

Il primo schema che ho aperto, senza il minimo indugio fu il n. IV *de Ecclesiis Orientalibus,* e mi sono affrettato di avere una idea generale delle materie ivi proposte; e mi sono accorto, con gioia, dell'ultima linea, pag. 20, sotto il n. 4. Unica est catholica Ecclesia unicus proinde habeatur Codex Iuris Canonici, cum appendicibus pro singulis ritibus, SS. Congregationes omnes causas latinorum et orientalium simul tractent. *Resp.* Non pertinet ad schema nostrum.

Eccellenza Rev.ma, il mio lavoro su questo soggetto durò per mesi intieri,

[1] Mons. Pericle Felici.

mi costò molte fatiche, oltre la mia debole salute, perciò avevo tralasciato nella mia proposta altre osservazioni di non poco valore. Quindi prego V. Ecc. Rev.ma di degnare servirsi del suo provvidenziale preziosissimo titolo di Segretario generale del Concilio Ecumenico, per insistere su questa materia, fosse almeno per noi Caldei. Le carte qui accluse sono in conferma delle precedenti e della mia convinzione: procedere sempre più e meglio, o piuttosto retrocedere e finalmente sparire!

L'Oriente e l'Occidente. - L'Occidente e l'Oriente.

Sotto questo titolo fu inviata una spiegazione storica e divino-cristiano-religiosa, avendo in mira l'idea di una effettiva cooperazione, per la desiderata unità di tutti i cattolici, rimanendo, tra di loro, differenti in certi punti, divinamente non essenziali né umanamente difettosi o nocivi.

Ora avendo ricevuto i nove schemi per la terza sessione del Sacrosanto Concilio Ecumenico Vaticano II, preferii leggere il n. IV *de Ecclesiis Orientalibus* e vidi: Resp. Non pertinet ad schema nostrum.

Una risposta alla risposta.

1. Non è un occidentale o un latino, che propone l'unità nel Codice e nell'amministrazione delle SS. Congregazioni, per dire che la Chiesa occidentale o latina vuole sottomettere le Chiese orientali alla sua propria legge, per così dire, trattarle come quasi schiave. La proposta è fatta da un orientale, cioè da uno che vuole sinceramente il progresso nell'ordine e nella vera unità, e una unione necessaria in tutta la Chiesa cattolica. Per qual motivo, debbono per sempre, le Chiese cattoliche orientali rimanere inferiori, tra di se stesse per secoli e secoli divise? Una medesima fede, una medesima morale richiedono le medesime buone opere, tali opere è necessario che siano basate sulla medesima legislazione. Perché accettiamo dagli occidentali, volentieri e con fretta, perfino le pessime mode moderne, rigettando con disprezzo nostre tradizioni di vita esemplare in famiglia e nella società; mentre in pari tempo insistiamo con rauca voce, su quelle medesime pretensioni nostre orientali, ricusando il codice latino, preferendo piuttosto la nostra libertà individuale, in una legislazione particolare.

2. Un solo Codice, in tutta la Chiesa cattolica sarebbe tra le mani di tutti: professori, alunni, clero, membri di tribunali, ecc. eliminando così divisioni, partiti, critiche, accuse, inganni, scandali, ecc.

3. L'anno 1929, a Roma Via Etruschi, 7-9, dalla Schola Typographica « Pio X » fu pubblicato un libretto col titolo: *Schema variationum ad Codicem Iuris Canonici pro Ecclesia Chaldaeorum.* L'origine e la causa di questo titolo fu l'inizio di un lavoro basato sul Codice Latino per finire di essere per i Caldei.

La S. Congregazione Orientale profittò di un tale lavoro, adottando l'iniziativa e l'applicò a tutte le Chiese orientali, come lo provano le « Litterae Apostolicae motu proprio datae » di Pio XII di f. m. come segue:

1) Del Matrimonio (22 febbr. 1949).
2) Dei Tribunali (6 gen. 1950).
3) Dei Religiosi (9 febbr. 1952).
4) Le Persone (11 giugno 1957).

4. Le Chiese orientali divise tra di loro, hanno accettato tale legislazione.

Perché non potrebbero ora, anzi esse dovrebbero domandare un solo codice, fondato su quello latino, per tutta la Chiesa cattolica, e un supplemento con le particolarità di ogni rito, non escluso il latino.

5. Se le Chiese orientali, come tali non tutte confermano la proposta, si può chiedere il voto dei singoli vescovi, per permettere a quelli che confermano la proposta di formare una commissione per eseguirla, e pregare la S. Sede di validarla per quella Chiesa che l'accetta con una indimenticabile gratitudine.

6. Se i vescovi sono i successori degli Apostoli, hanno il diritto e il dovere di servire e salvare le anime del loro ovile. Ma noi fin tanto che rimarremo i medesimi orientali dei nostri giorni, ci troveremo, finalmente e per sempre, spariti con il nostro ovile.

7. La risposta nello schema « non pertinet ad schema nostrum » sembra equivalente ad una ricusa definitivamente decisiva.

A) Come è che S. Ecc. Rev.ma Mons. Pericle Felici, Segr. gen. del Conc. Ecum. Vat. II, non ha saputo che quel soggetto non pertinebat ad schema *de Ecclesiis Orientalibus.*

B) Come è che una tale risposta non gli fu data, e il soggetto non gli fu rimesso, per non menzionarlo affatto nello schema, e così S. Ecc. l'avrebbe consegnato alla commissione incaricata di trattare un tale soggetto.

C) Anzi sarebbe stato molto meglio se la commissione per le Chiese Orientali avrebbe essa indirizzato un tal soggetto a tale commissione. Perché noi tutti sappiamo, meglio che gli altri, che quel che ci manca di più è il Codice cattolico, non un Codice orientale; come è il popolo così è il suo codice. Tale popolo tale codice.

Conclusione. Nel S. Concilio Vaticano II piena libertà fu concessa a tutti i membri di esporre le loro idee su qualunque soggetto, sia dal Concilio stesso sia da essi medesimi, creduto necessario o utile.

Avendo l'esperienza sacerdotale per cinquantadue anni, non solo riguardo la nostra Chiesa, noi Caldei, ma anche delle altre orientali, cattoliche e ortodosse, ho trovato nella mia mente, e sentito nella mia coscienza l'obbligo di proporre al S. Concilio queste carte in conferma di quelle precedenti che non hanno avuto l'onore di « pertinere ad schema *de Ecclesiis Orientalibus* ».

1. La necessità di un solo Codice di Diritto Canonico per tutta la Chiesa cattolica, con un supplemento per ciascuna Chiesa contenente le sue particolarità.

2. La S. Sede è una e la medesima per tutta la Chiesa cattolica senza distinzione di occidentali ed orientali, per tutti uguali diritti, doveri, privilegi, relazioni, casi, problemi ecc. Questo sarebbe il vero primo passo verso la vera e tanto desiderata unità e unione soprannaturale in tutta la Chiesa cattolica, tra tutti i riti; un solo Dio, un solo Cristo, una sola Chiesa cattolica, un solo Romano Pontefice, una sola Disciplina, o Codice fondamentale.

3. Dopo aver preparato quanto sopra esposto, ebbi in mano l'*Acta Apost. Sedis,* del 30-5-64, n. 6. Nella pag. 384 e ss. il Nostro Santissimo Padre Paolo VI, felicemente regnante, spiega quattro punti di somma importanza ed urgente necessità d'effettuazione, basta citare le seguenti poche parole del 1° punto. Primo punto: « La vita religiosa è chiaro... senza questo restauro interiore ed esteriore

non è da sperare che la vita religiosa possa largamente sopravvivere nel mutato costume moderno ».

4. Con queste parole ispirate, Pietro dei nostri giorni, Nostro Santissimo Padre, conferma i suoi fratelli, tutti i vescovi, gli apostoli del mondo intero, adempiendo così l'ordine di N.S.G.C. a S. Pietro, Tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

Supplica filiale al Nostro Santissimo Padre Paolo VI, fel. regnante, di degnarsi concedere a quella Chiesa orientale e Vescovi residenziali dei riti orientali, di seguire se vogliono la disciplina della S. Chiesa Romana, con le proprie loro particolarità rituali. Così sarebbe realizzata, nella vera Chiesa di N. S. la nostra preghiera « adveniat regnum tuum » amen.

11

REV.MUS P. D. IOANNES B. JANSSENS

Praepositus gen. Societatis Iesu

Pag. 5, Prooemium: eo ipso quod peculiare schema exaratur *de Ecclesiis Orientalibus,* videtur confirmari hoc praeiudicium quod, ut saepe apparuit, multorum est: Ecclesiam catholicam esse Ecclesiam latinam; Ecclesias autem orientales esse aliquam appendicem Ecclesiae catholicae, tolerandum quia orientales id omnino desiderant. Optandum sane fuisset ut hoc schema insereretur schemati *de Ecclesia,* particularibus quibusdam praescriptis variis locis insertis.

Ceterum quod ad res quae in eo referuntur, schema optimum est.

Pag. 10, n. 27, lin. 27: nonne opportunum foret dicere « ad sacerdotem catholicum proprii ritus »? Nobis latinis et in regione latini ritus versantibus, obvium videtur ut quemlibet sacerdotem catholicum adeamus; timuerim ne res non obvia videatur in regionibus quibusdam orientalibus. Olim in Russia sacerdotes catholici fere omnes erant Poloni latini ritus; ad quos difficillime accedebant catholici orientales. Sane tunc argui poterat de « morali » impossibilitate, quae idem est ac magna difficultas. Ad tollendos tamen scrupulos, utile esse potest rem explicite declarare.

12

BEAT.MUS P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

Réflexions générales. L'esprit dans lequel a été refait le présent schéma est généralement à louer. Il est fait de sympathie, de respect du patrimoine théologique et spirituel des Eglises particulières, et de catholicité vraie.

Il était à craindre que l'Eglise catholique, tout en reconnaissant la richesse des traditions orientales et la nécessité de les connaître, ne considérât ces Eglises comme en marge, des excroissances, dignes de pitié et de condescendance: ce qui aurait blessé nos Frères non-catholiques. Ceux-ci, en effet, pourraient penser que l'Eglise catholique veut finalement les absorber, en diminuant leur autorité et en supprimant leurs droits et leurs privilèges.

Or ces Eglises orientales sont, en fait, l'aspect oriental de l'Eglise universelle.

C'est pourquoi, je serai toujours pour le maintien d'un schéma propre *de Ecclesiis Orientalibus,* qui, comme notre présent schéma, affirme leurs droits et leurs obligations.

Réflexions particulières. 1. *De Patriarchis orientalibus.* Le texte qui concerne *les Patriarches orientaux* est bon, quoique trop général.

Je ferai, à son propos, une remarque.

A la fin du n. 9 de notre schéma, il est dit: « iuxta antiquas traditiones et Conciliorum Oecumenicorum decreta ».

Or, ces traditions sont différentes pour les différentes Eglises orientales. L'on trouve, en effet, dans certaines Communautés des privilèges patriarcaux que l'on ne trouve pas chez les autres. Il en est ainsi de l'Eglise maronite qui a été, dès ses premières origines, l'appui du christianisme en Orient et l'un des facteurs importants du retour à Rome des chrétiens séparés.

Ne faudrait-il pas, dans ce cas, qu'il y ait un droit particulier de chaque Communauté orientale qui serait adjoint au droit commun, et ce, pour éviter les difficultés d'interprétation qui pourraient surgir, un jour, d'un texte trop général, comme le texte de notre schéma.

Et si l'on ne veut pas de cette suggestion, consentirait-on facilement à niveler les droits et les privilèges de toutes les Eglises orientales?

Il y aurait là un désir louable peut-être d'uniformisation. Il n'y aurait pas respect de l'histoire et de ses données: ce qui créerait, sans doute, un grand malaise et mécontentement chez ces Communautés-là.

2. *Communicatio in Sacris.* Ce qui est dit de la *Communicatio in sacris* dans notre schéma est bon, courageux, mais peut-être un peu *téméraire.*

Le mot *moraliter* employé dans le texte, malgré les réticences relatives à l'indifférentisme que nous trouvons dans les considérants, laisse la porte ouverte à bien des excès de la part des catholiques: antipathie vis-à-vis du Curé de la paroisse, opinions politiques ou autres opposées ou divergentes, démagogie de l'un des paroissiens contre le Curé, etc. Tout cela serait — pour les catholiques — une cause morale suffisante d'aller chez le Curé orthodoxe et de délaisser leur propre Curé.

Le mot « moraliter » serait à enlever ou à préciser. La porte que nous ouvrons pour accueillir nos Frères non-catholiques ne devrait pas faciliter l'exode des catholiques.

3. *Sous-diaconat.* Bien que, dans sa Constitution apostolique *Sacramentum Ordinis* du 30 novembre 1947, Pie XII, p. m. se rattachant au Concile in Trullo, introduise le sous-diaconat parmi les Ordres majeurs qui dirime toute tentative ultérieure de mariage, il me semble qu'il serait utile de revenir sur cette décision pour les raisons suivantes:

a) les séminaristes orientaux pouvant se marier avant le sacerdoce, il est difficile pour eux de pouvoir se décider assez jeunes pour la femme qui serait de leur choix avant le sous-diaconat. Celui-ci demeurant ordre mineur, leur permettrait de mûrir pendant un an au moins leur décision et leur choix.

b) Nos Eglises orientales, malgré les canons du Concile in Trullo, en

sont restées jusqu'à la Constitution susdite de Pie XII, à un sous-diaconat, ordre mineur.

c) La plupart des Hiérarques orientaux sont restés étonnés de la décision de Pie XII qui a été prise sans les consulter.

d) L'intérêt œcuménique de revenir sur les décisions de Pie XII ne peut échapper à personne. Nos frères non-catholiques accepteraient difficilement de se ranger du côté d'un sous-diaconat, ordre majeur.

13

Exc.mus P. D. MESROB TERZIAN
Episcopus tit. Comanensis in Armenia

Ad motum oecumenicum fovendum, proponere velim ut de iuribus patriarcharum nihil novi statuatur, antequam audiantur patriarchae orthodoxi, per tramitem Secretariatus pro Unione Christianorum.

Quod attinet patriarchatum aut catholicossatum Armenum Orthodoxum, ipse non admittit distinctionem inter Patriarchatum Maiorem et Patriarchatum Minorem. Haec naturalis est consequentia multisaecularis autocephaliae Ecclesiae Armenae Nationalis.

Aliunde cum vix quidem Ecclesia Armena Nationalis admittat primatum honoris Romani Pontificis, nunquam admittet quosdam patriarchatus orientales esse maiores aliosque minores.

Quod praecedentiam spectat Ecclesia Armena Nationalis posset admittere dumtaxat praecedentiam patriarcharum ortam ex antiquitate evectionis personalis ad Sedem Patriarchalem.

Itaque enumeratio Sedium et Titularium secundum praecedentiam non expediunt.

14

Exc.mus P. D. CYRILLUS IOANNES ZOHRABIAN
Episcopus tit. Acilisenus

De matrimoniis mixtis, pag. 8, n. 18: formula quae ibi de matrimoniis mixtis mihi *non placet*; *placet* autem formula antiqua.

Formula novissima pro facultate dispensandi etc.: « Ad praecavenda matrimonia invalida, cum catholici orientales cum acatholicis orientalibus baptizatis matrimonium ineunt, et ad consulendum nuptiarum firmitati et sanctitati nec non domestici paci, omnibus hierarchis orientalibus locorum, exceptis syncellis sine speciali mandato, facultas conceditur dispensandi proprios subditos a forma canonica in matrimoniis mixtis contrahendis, si illa gravi de causa observari non possit, dummodo saltem pars catholica suetas cautelas sincere praestare parata sit ». Formula praedicta mihi non placet, quia Ecclesia armena possidet legitime formulam antiquiorem magis claram et expresse dictatam pro Ecclesia armena cuius exigentiae differunt a ceteris orientalibus ritus. Ut sole clarius exprimitur in sequenti documento: (*Miscel. Arm.*, vol. IV, ff. 109-112) (Copia di Lettera della

S. Congreg. di Prop. Fide scritta a Mons. Vicario Patriarcale di Costantinopoli 8 marzo 1749 circa i *matrimoni degli armeni cattolici*). « Essendo giunti a notizia della Santità di Nostro Signore i gravi pericolosi imbarazzi, nei quali si trovano i poveri Cattolici Armeni, che sono in Costantinopoli pel dubbio insorto, se i Matrimoni fatti da essi avanti il Prete o sia Parroco Scismatico, siano validi, leciti, ed avendo Sua Beatitudine conosciuto che tutto proveniva da certi Decreti di questa S. Congregazione, ne quali erano stati dichiarati nulli, e che erano stati da Nostro Signore, benchè con molta cautela notificati a Sacerdoti, e Confessori Cattolici, ha creduto la Santità Sua essere necessario di tenere avanti di sé una Congregazione, per esaminare il quid juris, tanto più che dopo gli accennati decreti, si sono avute nuove notizie di fatto, riguardanti i matrimoni di sopradetti Armeni Cattolici, che si contraggono avanti al Prete, o sia al Parroco scismatico, ed essendosi tenuta avanti Sua Beatitudine la sudetta Congregazione nel giorno 27 febbraio, c. a. (1749), alla quale intervennero i seguenti Signori Cardinali Gentili Prefetto della Congregazione del Concilio, Cavalchini, Prefetto della Congregazione de Vescovi e Regolari, Tamburini Prefetto della Congreg. de Riti, Besozzi Sommo Penitenziere, e di me Prefetto di questa S. Congregazione (Card. Valenti, Prefetto di Propaganda), dopo aver la Santità sua esposto il caso, rappresentate le ragioni, tutti i prefetti Signori Cardinali unanimamente furono di sentimento, che i sopradetti matrimoni *fossero validi,* e *che per tali si dovessero avere*; e *la loro risposta fu coll'oracolo Pontificio pienamente approvato.* Dipoi si passò all'esame, se erano *leciti,* nascendo il dubbio dalla persona, che assiste ad essi, ch'è, come si è detto, un sacerdote, o sia Parroco scismatico; e quantunque siasi creduto non dovere recedere in verun modo dalle regole generali, altre volte stabilite, proibenti ai cattolici il comunicare in divinis coi scismatici, si è però creduto, e determinato con uniformità di pareri dai Congregati, e *con approvazione di Sua Santità,* che attese le funeste conseguenze provenienti dalla prepotenza del Patriarca Armeno Scismatico, e che sono state esposte diffusamente nelle lettere di V. S., ed in quelle del Padre Franzosini, non debbano nel caso, di cui si tratta, per questo capo inquietarsi gli Armeni Cattolici, senza tralasciare di ricorrere all'aiuto divino, acciò una volta opportuna occasione di poter ridurre le cose a quel sistema in cui dovrebbero essere. Si notifica il tutto alla V. S. acciò ne faccia e faccia fare uso opportuno colla dovuta prudenza, *ed osservi,* che la stabilita validità de' matrimoni *comprende i cattolici armeni,* e *non le altre nazioni* che hanno in sino ad ora osservato la forma del Concilio di Trento, e che la toleranza indicata in ordine ai matrimoni che si fanno *avanti il prete scismatico, non deve estendersi* agli altri atti, che dagli stessi cattolici armeni si potessero o si possono fare, senza il grave pericolo, che s'incontrerebbe, non facendosi i matrimoni degli armeni cattolici avanti il Prete scismatico ».

Praedicta formula evidentissime enunciat mentem Sanctae Ecclesiae, ita ut qualecumque commentarium obscuraret sensum genuinum.

15

QUIDAM PATRES CONCILIARES AFRICAE CENTRO-ORIENTALIS

Ad n. 1 (Prooemium), lin. 3, verba « semper magni facere consuevit » substituantur ut sequitur: « Orientalium Ecclesiarum instituta etc. ... Ecclesia catholica *magni facit* ». *Ratio* modificationis est controversia etiam inter catholicos de ininterrupta et debita aestimatione orientalium ex parte totius Ecclesiae.

Ad n. 9, linn. 13-14 sic sonet: « (Ideo statuit) Sancta Synodus ut eorum iura atque privilegia *quamprimum, secundum genuinas traditiones et hodierni temporis exigentias, recognoscantur* ». *Ratio* modificationis: textus schematis uti iacet nimis parum dicit quando Patriarchis tantum ea concedere videtur quae a iure hodierno ipsis tribuuntur. Ex alia parte etiam institutum patriarchale ad tempora moderna adaptandum est. Dicitur « quamprimum » quia notum est hanc recognitionem ab orientalibus tum « uniatis » tum a nobis seiunctis iam dudum expectari.

[*Subscripserunt*] Adam Kozlowiecki, arch. Lusakaensis; Guido del Mestri, arch. tit. Tuscamiensis; Franciscus Mazzieri, ep. Ndolaensis; Marcellus Daubechies, ep. Kasamaensis; Ioseph Fady, ep. Lilongweensis; Firminus Courtemanche, ep. de Fort Jameson; Adolfus Fürstenberg, ep. Abercornensis; Renatus Pailloux, ep. de Fort Rosebery; J. L. Jobidon, ep. Mzuzuensis; Iacobus Corboy, ep. Monzeensis; Nicolaus Agnozzi, ep. tit. Adramittenus; Clemens Chabukasansha, ep. tit. Cibiraensis; Rupertus Hillerich, praef. ap. Solweziensis.

16

PATRES CONCILIARES LINGUAE GERMANICAE ET SCANDIAE

Schema *in genere* placet, praesertim in iis partibus, quae respiciunt disciplinam sacramentorum et conversationem cum fratribus separatis, i. e. communicationem in sacris, minus vero in parte de Patriarchis, quae pars momento huius quaestionis omnino non congruit.

Quoad *singula* hae emendationes proponuntur:

Ad n. 1 (Prooemium), lin. 3: deleantur verba « semper magni facere consuevit » quia non correspondent veritati historicae.

Quare Prooemium sic mutandum: « Orientalium Ecclesiarum instituta, ritus, traditiones (ecclesiasticas) atque (vitae christianae) disciplinam [...] *magni faciens, quia* in eis, utpote veneranda antiquitate praeclaris, elucet ea quae a Patribus est et ab Apostolis traditio (1), quaeque partem constituit divinitus traditi atque indivisi universae Ecclesiae patrimonii, [...] haec Sancta et Oecumenica Synodus nihil antiquius habet quam ut eadem floreant et novo robore apostolico concreditum sibi munus absolvant. *Quare* praeter ea quae *per se* ad universam spectant Ecclesiam, *haec* capita statuere decrevit, ceteris ad providentiam Synodorum orientalium *vel* Sedis Apostolicae remissis ».

Ad n. 3: textus sic mutetur: Huiusmodi *ergo* particulares Ecclesiae, licet ritibus, ut aiunt, nempe liturgia, ecclesiastica disciplina et patrimonio spirituali partim inter se differant, [...] tamen *sub moderamine Romani* Pontificis (qui Beato Pe-

tro in primatu super universam Ecclesiam *iure divino* succedit), omnes pari pollent dignitate etc. ... (usque « catholicam » lin. 27!) (vel: + *in universo mundo,* cf. lin. 29!). *Ratio*: phrasis « aequali modo concreduntur pastorali gubernio Rom. Pontif. » possit minus recte intelligi. Ceteroquin: ne bis in idem!

Ad n. 6, lin. 35. Post verbum « constituant », addatur: *, de consensu vero Patriarchae vel Hierarchae eiusdem ritus. Ratio per se patet.*

Ad n. 9, lin. 13: textus sic mutetur: [Sancta Synodus], *priorum sequens exempla* (11), ut eorum iura et privilegia *quam primum ita restituantur et accommodentur, uti congruit genuinis traditionibus et hodiernis exigentiis. Ratio*: neminem latet momentum et pondus huius quaestionis. Quare ad mentem tot propositionum Patrum Conciliarium (cf. Emendationes in Appendice infra pp. 26-29 nn. 64-95) opportunum videtur saltem principium statuere in Concilio (sicut vel in quaestionibus minoris momenti) et non remittere totum problema ad alias auctoritates.

Ad n. 15, lin. 13: post « etiam », addatur: « ubi ritus id permittit ». *Ratio*: quia e. g. in Quadragesima multi ritus id prohibent.

Ad n. 18, lin. 34: post « sit », addatur: *Absque tali dispensatione contracta huiusmodi matrimonia valida quidem sed illicita sunt* (vel si libet: *illicita quidem, sed valida sunt*). Cf. Emend. n. 129 infra p. 34. *Ratio*: quia secus remanet iterum difficultas vel saltem dubium.

Ad n. 20, lin. 12: post « interest », addatur « etiam non catholicorum ». *Ratio per se patet.*

D) *A die 14 septembris 1964 ad diem 15 octobris 1964.*

1

EM.MUS P. D. IGNATIUS GABRIEL TAPPOUNI
Patriarcha Antiochenus Syrorum

Le Patriarche Syrien et ses Evêques, sont pour le maintien de la législation du Code Oriental, promulguée le 2 juin 1957 et entrée en vigueur le 25 mars 1958, par le Motu Proprio *Cleri Sanctitati* de Pie XII, et qui stipule, au canon 11 (onze): « Baptizati acatholici ritus orientalis, qui in catholicam Ecclesiam admittuntur, ritum quem maluerint amplecti possunt; optandum tamen ut ritum proprium retineant ».

2

EXC.MUS P. D. FLOYD LAURENTIUS BEGIN
Episcopus Quercopolitanus

Pag. 6, n. 4, lin. 1. Coexistentia plurium hierarchiarum in eodem loco confusionem introducant. Talis conditio debet eliminari.

Providere optime potest pro variis ritibus eorumque fidelibus per Vicarios episcopi.

Pag. 6, n. 4, lin. 7. Melius providebitur pro bono spirituali noviter conversi ad fidem, si ipse conversus eligere libere permitteretur ritum ab ipso sequendum. Porro « proprium ritum » quandoque difficillime determinare potest.

De titulo schematis. Cur loquitur de Ecclesiis Orientalibus « ut aliquid ab Ecclesia » distinctum et separatum. Loquar potius « De variis in Ecclesia ritibus » i. e. de ritu latino, graeco, armeno, etc.

3

BEAT.MUS P. D. ALBERTUS GORI

Patriarcha Hierosolymitanus Latinorum

Attentionem attrahere vellem ad quaestionem magni momenti in fine art. 4, pag. 6, linn. 6-10 in schemate: *de Ecclesiis Orientalibus,* nempe *de libertate in ritu eligendo* pro *acatholicis* baptizatis qui ad Ecclesiam catholicam conveniunt.

Quaestio illa, in fine istius articuli quodam modo abscondita, faciliter effugiet multorum attentioni. Attamen magni momenti est, sive in se, relate nempe ad notionem libertatis religiosae aliunde a Concilio nostro solemniter vindicatae, sive practice relate ad praxim antecedentem Ecclesiae et ad quietem animarum.

Rationes reiciendi textum actualem, ut melius salventur valor supremus libertatis, bonum animarum et praxis antecedens Ecclesiae, invenies in textu sequenti.

In ulterioribus documentis, nempe in litteris em.mi card. Ignatii Tappouni, Patriarchae Antiocheni Syrorum, et Beatitudinis Pauli Meouchi, Patriarchae Antiocheni Maronitarum, clare videbis quomodo Ecclesiae istae orientales Syrorum et Maronitarum eamdem defensionem libertatis unanimiter strenueque urgent.

Opto ut, rationibus istis convictus et auctoritatibus praedictis confirmatus, reicias textum deficientem art. 4 schematis et emendationem infra relatam proponas.

Modus propositus. Commissio conciliaris de Ecclesiis Orientalibus, in ultima forma schematis (art. 4, pag. 6, linn. 6-10) libertatem nimis videtur coarctasse per sequentem redactionem: « Omnes denique et singuli fideles, necnon baptizati acatholici ad Ecclesiam catholicam convenientes proprium ubique terrarum retineant ritum, salvo iure, in casibus particularibus, recurrendi ad Sedem Apostolicam, eumque colant et pro viribus observent ».

Cum vero de dicto schemate suffragationes tantum habebuntur, non autem disceptatio, timendum est ne momentum quaestionis multos Patres effugiat. Cum tamen agatur de valore supremo libertatis, necessarium videtur, in mentem Patrum, momentum istius problematis clare repraesentare ut avertatur adoptio textus omnino inconvenientis.

Coarctatio libertatis, in praedicto textu proposita, *intolerabilis* apparet ob sequentes rationes:

1. *Quia saepe contradicere potest bono animarum,* quae suprema lex certo retineri debet.

Ad mutationem ritus *inter fideles catholicos,* iure requiritur recursus ad Sedem Apostolicam, quia plerumque ad talem mutationem impellunt motiva futilia.

E contra, si agatur *de acatholicis baptizatis* ad Ecclesiam convenientes, saepe accidit ut electio ritus sit pro eis imperativum conscientiae, eo quod in solo ritu electo aestimant se inventuros esse bonum et quietem animae suae. Constat

dissidentes non paucos, extra Ecclesiam catholicam contra desiderium suum remansisse eo quod nimia eis opponebatur difficultas alium ritum eligendi.

Quando ergo baptizati acatholici sincere petunt electionem alius ritus, ut conditio reditus sui, talis libertas eis denegari non debet.

2. *Quia contradicit praxi anteriori Ecclesiae.* Etenim, in Constitutione *Orientalium dignitas* (1894), quamvis in illo tempore minor fuisset reverentia libertatis individualis, tamen possibilitas alium ritum eligendi expresse concedebatur ut « conditio velut necessaria interposita ».

Eadem libertas agnoscebatur in canone 11 novae legislationis orientalis (1957).

Textus vero commissionis conciliaris se praebet ut *mira et intolerabilis regressio,* in legislatione simul ac praxi, Ecclesiae catholicae.

3. *Quia contradicit reverentiae libertati humanae debitae* et hodie ab ipso Concilio, in schemate *de oecumenismo* (art. 26, 28 et notula 1) alte proclamatae.

Ista libertas, utpote valor fundamentalis et constitutivus personae humanae, nequit ab Ecclesia illogice coarctari quando agitur de electione ritus. Inauditum et immo scandalosum foret Concilium Vaticanum II libertatem religiosam extollere in schemate *de Oecumenismo* et illam practice negare in schemate *de Ecclesiis Orientalibus.*

Post promulgatam inviolabilitatem libertatis religiosae in Charta Nationum Unitarum, post lautam declarationem episcoporum Americae, post solemnem proclamationem in schemate *de Oecumenismo,* illogicum et indecorosum foret Concilium in concreto libertatem religiosam intolerabiliter coarctare.

Nec dicatur quod ista satis salvatur per provisum recursum ad Sedem Apostolicam in casibus particularibus. Tale effugium, valde illogice admissum ab iis qui, ut omnes sciunt, recursus ad Sedem Apostolicam exsecrantur, remanet in se *formalitas extraordinaria,* semper practice difficilis, quae certo libertatem personalem nimis limitat.

Proponitur ergo ut textus alio modo redigatur ut sic salvetur reverentia debita et ritibus et libertati, ita tamen ut in casu conflictus, praevaleat libertas, quae certo valor supremus est.

Sequens ergo redactio textus proponitur, in fine art. 4, pag. 6, schematis *de Ecclesiis Orientalibus*: « Omnes denique et singuli fideles proprium ubique terrarum retineant ritum, eumque colant et pro viribus observent, salvo iure, pro acatholicis baptizatis ad Ecclesiam convenientibus, eligendi alium ritum si hoc ab eis ut conditio necessaria interponatur ».

4

Exc.mus P. D. VLADIMIRUS MALANCZUK

Episcopus tit. Epiphaniensis in Syria

De Ecclesiis Orientalibus: ad nn. 11 et 24-25.

A) Quidam Patres postulaverant disparitionem schematis *separati de Ecclesiis Orientalibus* ut sic magis eluceret ex una parte locus Ecclesiarum Orientalium in sinu totius Ecclesiae, et ex altera parte pluralismus in structura vitae ecclesialis.

Attamen laudamus schema *separatum* de hac materia, nam secus quidam loci huius schematis difficilius integrari possent in alia schemata, et tale schema separatum postulat pro bono Ecclesiae creationem commissionis post-conciliaris quae curet de applicatione principiorum relatorum in hoc schemate, praesertim in iure ecclesiastico.

B) Iam vero, praeter alia optima in hoc schemate laudamus: 1. par. 11 qui loquitur de instauratione *novorum* patriarchatuum; 2. et par. 24-25 qui loquuntur *de speciali missione* Ecclesiarum Orientalium catholicarum, in opere oecumenico.

Et ideo insistimus in hunc duplicem locum, quia, ut comperimus, quidam conantur Patres influere verbo et scripto Patris in sensum contrarium, praetendendo non recte, quod: *primo*: Creatio novorum patriarchatuum a parte Ecclesiae catholicae parum oecumenica evaderet, nam Ecclesiae Orientales orthodoxae talem creationem considerarent *directam contra eas*; *secundo*: Quaedam Ecclesiae Orientales catholicae dubiae originis sunt, ut quidam audeunt insinuare, et spiritu proselytico imbutae, et ideo parum aptae videntur ad *opus oecumenicum perficiendum*.

C) *Respondemus quoad primum*. Si Ecclesia catholica in suo modo agendi respicere deberet quid sentiant et dicant communitates non-catholicae, tunc in actione sua salvifica ac missionaria impediretur.

Tunc etiam omnes patriarchatus catholici nunc existentes et creati ab Ecclesia in decursu temporum, deberent aboleri quia eorum existentia obstaculum esset pro efficaci dialogo cum patriarchatibus atque Ecclesiis orientalibus orthodoxis correspondentibus, eiusdem ritus.

De cetero, Ecclesiae orientales, etiam catholicae, ius habent sec. principium sic dictum phyletismi, in Oriente christiano vigens, praesertim si sat numerosae sint, complere structuram suam ecclesiasticam patriarchalem.

Et ultimo, pacare possumus tum talia loquentes, tum Ecclesias orthodoxas, promittendo, quod, in casu quo Ecclesia orientalis orthodoxa patriarchalis alicuius nationis, quae Ecclesia maioritatem membrorum possidet, catholica fit, Ecclesia catholica orientalis eiusdem nationis in minoritate existens, facile Ecclesiam patriarchalem maioritatis agnosceret.

Ne ergo, in vanum timeant, illi omnes qui difficultates vident in creandis patriarchatibus novis in sinu Ecclesiae catholicae.

D) *Respondemus ad secundum*. Et quidem breviter: parum nobile ac generosum videtur pro catholicis: Ecclesias unitas despicere, easque considerare tamquam ulcus super Corpus mysticum Christi, quas libenter quidam viderent potius evanescere vel redire in sinum Ecclesiarum orthodoxarum, ut facilior reddatur, uti dicunt, dialogus oecumenica; eas Ecclesias nempe, quae tot difficultates superarunt ut catholicae fierent, tot martyres habuerunt pro testimonio catholicitatis Ecclesiae Christi, tot et tanta passae sunt ut se in fide et traditione orientali conservarent, nonobstantibus pressionibus tam ab intra quam ab extra, vexationibus atque persecutionibus...

5

BEAT.MUS P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

Je ne peux que rendre hommage à la vigilance dont vous [1] faîtes preuve en prévoyant les conséquences fâcheuses que pourraient entraîner la formulation de cet article. L'attitude que j'ai prise à ce propos et qui a favorisé cette formulation m'a été dictée par des considérations tendant à écarter tout soupçon de prosélytisme de notre part.

Cependant après avoir mûrement réfléchi à la question, et étant donné l'avis unanime de notre collège épiscopal, je souscris volontiers à la correction de l'article proposée par votre Béatitude et ainsi formulée: « Omnes denique et singuli fideles proprium ubique terrarum retineant ritum, eumque colant et pro viribus observent, salvo iure pro acatholicis baptizatis ad Ecclesiam catholicam convenientes, eligendi alium ritum si hoc ab eis ut conditio necessaria interponatur ».

En plus des raisons exposées par votre Béatitude, on pourrait ajouter les deux suivantes:

1. *Différence entre catholiques et non-catholiques.* Il serait plus logique de ne pas mettre sur le même pied d'égalité catholiques et acatholiques, en matière de changement de rite. Pour les catholiques il s'agit, bien souvent, d'un caprice, alors que pour les acatholiques il s'agit de répondre à un impératif de conscience à l'exécution duquel on doit fournir toutes les facilités souhaitables.

2. *Analogie entre changement de rite et privilège paulin.* On pourrait, en outre, par certaine analogie, s'appuyer sur le principe du privilège de la foi, dit paulin ou pétrin. L'appartenance à un rite, ne saurait être, en effet, plus forte que le lien du mariage légitime.

6

EXC.MUS P. D. IOANNES MORKOVSKY

Episcopus tit. Tigavitanus, coad. c.i.s. Galvestoniensis-Houstoniensis

In propositione suffraganda *de Ecclesiis Orientalibus,* in n. 4, ad finem, omnino optanda videtur *Emendatio* quae propositam disciplinam « *pro acatholicis baptizatis ad Ecclesiam catholicam convenientibus* » magis consonam reddat cum can. 11 Codicis Orientalis, necnon cum libertate conscientiae in rebus quae non sunt de fide, ut nempe isti *ritum quem maluerint amplecti possint.*

7

BEAT.MUS P. D. MAXIMUS IV SAIGH

Patriarcha Antiochenus Melchitarum

Question préliminaire: *Ce schéma est-il nécessaire?* Plusieurs Pères ont pensé qu'un schéma particulier « sur les Eglises Orientales » n'était pas nécessaire et que sa matière pouvait avantageusement être répartie entre les autres schémas.

---

[1] S. B. Albertus Gori, patr. Hier. Lat.

En effet, les Eglises Orientales ne sont pas des Eglises en marge de l'Eglise, distinctes de l'Eglise, de telle sorte que le Concile doive leur consacrer un schéma à part. Elles sont de l'Eglise autant que l'Eglise Latine. Il y a donc danger qu'en s'adressant d'une manière particulière aux Eglises Orientales, le Concile ne s'identifie avec l'Eglise latine s'adressant, avec une teinte de bienveillance paternaliste, aux Eglises Orientales.

Ce danger n'est pas chimérique, mais il peut être écarté par des éclaircissements opportuns, dont certains figurent déjà dans le texte du schéma, et d'autres devront lui être ajoutés. Le Concile, c'est l'Eglise catholique, universelle, qui n'est pas plus latine que grecque, arménienne ou autre. Par le Concile, c'est l'Eglise catholique elle-même qui s'adresse tantôt à l'Eglise latine, pour y opérer des réformes (c'est le cas de l'ensemble des schémas canoniques), tantôt aux Eglises Orientales, qui ont des besoins particuliers, tantôt à l'ensemble des Eglises, la latine et les orientales, sans distinction. La confusion entre Eglise catholique et Eglise latine peut ainsi être facilement évitée.

Par ailleurs de nombreuses raisons positives militent en faveur d'un schéma particulier « sur les Eglises Orientales »:

a) Les Eglises orientales catholiques ont certainement aujourd'hui des problèmes particuliers à résoudre, qui ne se posent pas à l'Eglise latine dans son ensemble: effort pour résister à la latinisation massive et pour rester fidèles à leur vocation orientale, restauration des prérogatives patriarcales et synodales, retour à une discipline canonique vraiment orientale, collaboration inter-rituelle, relations inter-confessionnelles plus larges avec nos frères orthodoxes, etc. Ces problèmes, propres à l'Orient, devaient recevoir une solution particulière et ne pouvaient être dispersés dans les autres schémas, au risque de passer inaperçus ou de recevoir une solution moins adéquate. Néanmoins, dans tous les autres schémas, il a été souvent tenu compte des institutions propres à l'Orient, en guise d'amorce annonçant le schéma propre aux Eglises Orientales.

b) En second lieu, le schéma actuel a profité de la tenue du Concile, autorité suprême, pour abolir, dans la législation canonique orientale actuelle (faite par voie d'autorité romaine), ce qui paraissait inopportun ou contraire à la saine tradition orientale. Si l'on venait à supprimer ce schéma, la Commission de codification, siègeant à Rome, risquerait soit de différer indéfiniment son travail soit de le codifier dans un sens défavorable aux Orientaux. Voir par exemple, les mesures prises par le schéma pour interdire la latinisation massive (n. 4, p. 6, lignes 6-7): « necnon baptizati acatholici ad Ecclesiam catholicam convenientes », pour faire reconnaître partout la valeur du sacrement de confirmation administré par les prêtres orientaux (nn. 13-14), pour élargir le précepte dominical (n. 15), pour faciliter les confessions (n. 16), pour remettre le sous-diaconat parmi les ordres mineurs (n. 17), pour faciliter raisonnablement les mariages mixtes en Orient (n. 18), etc. A tout prendre, l'actuel schéma, même s'il peut être amélioré sur plus d'un point, est bon et aidera beaucoup les Eglises Orientales à se retrouver elles-mêmes.

c) Enfin, avantage considérable, la présence d'un schéma particulier sur l'Orient, préparé par une Commission particulière, donnera droit à la création d'une Commission post-conciliaire, qui reprendra le travail commencé et l'améliorera. Comme toutes les autres Commissions post-conciliaires, celle-ci sera vraiment internationale, aux larges horizons et saintement audacieuse. Le progrès de l'Orient

sera ainsi, en grande partie, l'œuvre des Orientaux eux-mêmes ou de frères amis de l'Orient.

Pour toutes ces raisons, nous estimons que l'actuel schéma « sur les Eglises Orientales » doit être maintenu comme schéma distinct, et qu'il est assez bien fait pour être proposé au Concile. Il doit être corrigé sur certains points. Sur d'autres points, il peut être amélioré. Mais, tel quel, il représente un avantage.

Titre du schéma. Comme le terme « Eglises Orientales » désigne aussi bien les Eglises Orientales orthodoxes que les Eglises Orientales catholiques, et comme, d'autre part, le Concile n'entend légiférer que pour les seuls catholiques, nous proposons de dire: « De Ecclesiis Orientalibus catholicis ». « Oriental » ou « Occidental » s'entendent non plus comme d'une position géographique, mais comme de deux modes d'être dans l'Eglise, de deux formes partiellement distinctes de vie ecclésiale. Car, géographiquement, aujourd'hui, des Orientaux sont en « Occident », et des Occidentaux sont en « Orient », en Afrique, partout. Pour permettre aux Orientaux, aussi bien qu'aux Occidentaux, d'être partout *chez eux,* il ne faut plus parler de *territoires orientaux* et de *territoires occidentaux*: il y a des *fidèles de rites orientaux* et des *fidèles de rite latin,* dispersés dans le monde entier, et étant *tous partout chez eux* au sein de la même Eglise catholique.

N. 1, page 5: *Prooemium.* Le Prooemium n'est pas heureux. Il n'évite pas assez de donner l'impression que l'Eglise catholique parle des Eglises Orientales comme d'entités distinctes d'elle. Or l'Eglise catholique est constituée par les Eglises orientales autant que par l'Eglise latine.

En second lieu, l'Eglise catholique s'y fait gratuitement le compliment « d'avoir *toujours* tenu en grande estime » les institutions, les rites, les traditions ecclésiastiques et la discipline des Eglises Orientales. Or, à part les rites liturgiques (et encore!), les autres institutions de l'Orient ont été, dans l'Eglise catholique, généralement si peu respectées que, sans la prise de conscience, relativement récente, de certains orientaux, elles couraient un grand risque de disparaître. La latinisation de l'Orient n'est pas seulement un phénomène du passé; elle est encore aujourd'hui prônée ouvertement, et soutenue en cachette et même publiquement par de très graves autorités de l'Eglise catholique, malgré les avertissements sévères et cent fois répétés des Papes. Dire après cela que l'Eglise catholique représentée, bien sûr, par les catholiques, chefs et fidèles, a toujours eu en grande estime les institutions de l'Orient, cela peut paraître presque de l'ironie.

Nous proposons de dire plus clairement et plus humblement: « Orientalium Ecclesiarum instituta etc. ..., *christifideles omnes et ubique magni facere debent* ».

On peut aussi purement et simplement supprimer ce Prooemium et lui substituer le n. 2 qui est, en général, une bonne introduction à l'existence, au sein de l'Eglise, de groupements hiérarchisés tels que l'Eglise latine ou les différentes Eglises Orientales.

De Ecclesiis particularibus. Titre: On est un peu surpris par ce titre. Non pas que l'expression « Eglises particulières » fasse aujourd'hui difficulté, ayant été largement employée dans le schéma « De Ecclesia ». Mais on s'étonne que le Concile parle des « Eglises particulières » juste au début du schéma consacré aux « Eglises Orientales », comme si *seules* les Eglises Orientales étaient des Eglises particulières, et l'Eglise latine synonyme d'Eglise universelle. Cette im-

pression, contraire à la doctrine catholique, peut être dissipée si l'on insère dans le texte un mot d'éclaircissement, comme proposé plus bas au début du n. 3.

N. 2, page 5: Nous proposerions volontiers ce n. 2 pour servir de préambule à tout le schéma, au cas où l'actuel préambule ne pourrait pas être suffisamment amélioré. Il reprend d'ailleurs une idée, exprimée avec plus de profondeur dans le schéma « De Ecclesia », sur l'origine *des Eglises dans l'Eglise.* Dans tous les cas, il doit être maintenu afin d'exclure toute confusion entre Eglise particulière et rite liturgique. Le rite n'est qu'un des éléments constitutifs d'une Eglise. Un même rite peut être commun à plusieurs Eglises, par exemple le rite byzantin, pratiqué aussi bien par l'Eglise Grecque que par l'Eglise Russe, Ukrainienne, Roumaine, Bulgare, « Melkite », etc. De même une Eglise peut avoir, en soi, des rites liturgiques différents, par exemple l'Eglise de Lyon qui pratique le rite lyonnais et le rite romain. Il faut donc distinguer ces notions, et surtout ne pas voir dans les Eglises Orientales rien que des rites liturgiques différents. C'est ce que le n. 2 a voulu éviter de faire.

N. 3, page 5, ligne 21: Pour éviter de faire croire que seules les Eglises Orientales sont des Eglises particulières et que l'Eglise latine *est* l'Eglise Universelle, il faut *absolument* modifier le début de ce paragraphe comme suit: « Huiusmodi particulares Ecclesiae, *sive orientales, sive latina,* licet ritibus etc. ». Il faut à tout prix déclarer, une fois pour toutes, que l'Eglise latine est, au sein de l'Eglise catholique, une des Eglises particulières, bien qu'aujourd'hui, de fait, elle soit la plus nombreuse. Ainsi les Eglises orientales dans le catholicisme ne paraîtront plus comme des exceptions, des annexes, des appendices, mais des Eglises, autant que l'Eglise latine.

N. 3, page 5, lignes 23-24: L'expression « *aequali tamen modo* concreduntur pastorali gubernio Romani Pontificis, etc. » ne correspond pas à la vérité théologique et historique, et cela pour deux raisons:

a) D'abord il n'est pas vrai que toutes les Eglises sont confiées *aequali modo* au Pontife Romain. *L'Eglise de Rome lui est confiée comme à son évêque immédiat; la province du « Latium », comme à son métropolite; l'Italie, comme à son Primat; l'Occident, comme à son Patriarche*; enfin, *toutes les Eglises, comme au successeur de Pierre dans son primat universel.* Il est certain, par exemple, que sur l'Occident, le Pape exerce des prérogatives de caractère plutôt patriarcal, qui sont *normalement et traditionnellement* réservées, en Orient, aux Patriarches et à leurs Synodes, par exemple la désignation des évêques. Ces distinctions se sont peu à peu estompées dans l'enseignement et la pratique de l'Occident latin, où l'organisation ecclésiastique se réduit pratiquement à deux réalités ecclésiales: d'une part une infinité de diocèses, d'autre part un pouvoir central les dirigeant tous également. L'Orient est resté fidèle à une organisation plus hiérarchisée et, surtout, à une conception plus nuancée de l'ordre ecclésiastique. C'est pourquoi l'expression « aequali modo » paraît inadéquate.

b) En second lieu, le texte commence par indiquer ce par quoi les Eglises particulières diffèrent entre elles: liturgie, discipline, patrimoine spirituel. Puis il veut indiquer le lien commun entre ces Eglises, et il ne trouve pour cela que le fait qu'elles sont toutes « également confiées au gouvernement pastoral du Pontif Romain ». *C'est bien peu et c'est purement extrinsèque.* Les différentes Eglises, bien qu'ayant certaines choses particulières, ont cependant et surtout beaucoup de choses en commun: l'adhésion à Jésus-Christ par la foi, les mêmes sacre-

ments, la même morale, la même mission dans le monde, etc. Et même dans les matières où elles présentent quelques variétés, comme la liturgie, la discipline, etc., les points de convergence sont infiniment plus nombreux que les points de divergence.

C'est pourquoi, nous proposons l'*amendement suivant*: « Huiusmodi particulares Ecclesiae, licet ritibus, ut aiunt, nempe liturgia, ecclesiastica disciplina et patrimonio spirituali partim inter se differant, *omnes tamen aequo iure unam constituunt Ecclesiam* ».

Le reste de la phrase peut être omis. Si l'on tient cependant, bien qu'il ne soit pas nécessaire de le répéter partout, à mentionner ici le primat romain qui est principe visible d'unité entre les Eglises, on peut ajouter: « *quae* (sc. Ecclesia) *concreditur pastorali gubernio episcoporum omnium in communione cum Romano Pontifice,* qui Beato Petro in primatu super universam Ecclesiam divinitus succedit ».

Le reste du paragraphe est excellent. Il abroge d'un trait de plume la théorie de la « praestantia ritus latini » et affirme le droit des Eglises Orientales à avoir leur part, indispensable, dans l'évangélisation du monde: deux vérités fondamentales, encore bien méconnues.

Ce schéma ouvre des horizons nouveaux et pose des jalons pour une réforme radicale d'attitude à l'égard de l'Orient chrétien.

N. 4, page 5-6: *Ce numéro est très dense et nous prions les Pères du Concile de le voter en bloc, sans y apporter de modification, car chaque mot y est pesé.* Il représente en faveur des Eglises Orientales trois nouvelles et très importantes acquisitions, obtenues après de nombreuses et laborieuses discussions en Commission:

1. *Droit des Orientaux à avoir partout leur hiérarchie,* « toutes les fois que le bien spirituel des fidèles l'exige », c'est-à-dire, pratiquement, toutes les fois qu'ils sont en nombre suffisant.

Jusqu'ici, la hiérarchie latine se considérait maîtresse de l'univers. L'Eglise latine s'était partagée la terre. Partout elle était présente. Il n'y a pas un point du globe où il n'y a pas de hiérarchie latine territoriale, se considérant pleinement chez elle, fût-ce au cœur même de Constantinople ou de Moscou. Même là où il n'y avait que 500 fidèles latins, pour la plupart étrangers au pays, une hiérarchie latine locale a été installée. L'autorité orientale ne devait pas élever la voix pour protester, sous peine d'être mal vue ou soupçonnée dans sa foi catholique.

En face, il y a des *centaines de milliers* d'Orientaux catholiques qui se sont fixés en Europe, en Afrique, en Australie et surtout en Amérique. Pour eux nous réclamons depuis de nombreuses années l'institution d'une hiérarchie, même simplement personnelle, pour s'occuper d'eux, de leurs prêtres, de leurs œuvres, de leur avenir; car la hiérarchie latine, même avec la meilleure bonne volonté, ne peut s'occuper efficacement d'eux. Il leur faut, non seulement des prêtres de leur rite, mais aussi des évêques de leur rite. Peine perdue. On trouve mille raisons pour nous refuser ce que nous demandons, non pour nous, mais pour nos pauvres fidèles qui sont en train de se disloquer et de se perdre. L'Episcopat du pays intéressé refuse, nous fait-on dire. A nous, quand on a installé la hiérarchie latine en plein cœur de l'Orient, on n'a pas demandé notre avis. Et quand

nous réussissons, après des démarches infinies, à convaincre qui de droit à accepter un évêque oriental, on trouve d'autres difficultés d'ordre financier, politique, local, personnel... Sans notre foi en Dieu et notre amour pour les âmes nous aurions désespéré en voyant nos enfants aller toujours de plus en plus à la dérive parce que nous avons les mains liées, alors que nous pouvons les sauver. Nous subissons ces malheurs parce nous sommes orientaux unis à Rome, alors que les Orthodoxes, parce que non unis à Rome, s'organisent et se développent.

Cette injustice doit cesser. La première partie de ce paragraphe affirme que le bien des âmes doit primer tout. Il va de soi que cela doit s'appliquer à nous aussi. De même qu'on a installé des paroisses et une hiérarchie latines en Orient, en faveur des fidèles de rite latin, alors que leur nombre est quelquefois bien minime, on doit aussi en justice — sans parler de charité et de bien des âmes — installer des paroisses et une hiérarchie en « Occident » (Europe, Afrique, Australie et surtout en Amérique) en faveur des fidèles de rite oriental.

Pour la modalité d'exécution de cette réforme capitale, nous faisons confiance au *Père commun,* le Souverain Pontife de Rome. Le Concile, dans ce début du paragraphe 4, le sollicite respectueusement dans ce sens, et brise par le fait même l'opposition, très préjudiciable aux âmes, de tous ceux qui ne veulent pas encore comprendre.

2. *Coopération inter-rituelle*: Bien que l'unicité de juridiction sur le même territoire soit en principe la meilleure formule, il y a de gros avantages et parfois nécessité à ce que des Eglises de divers rites et de traditions différentes, existant sur le même territoire, soient confiées à des hiérarchies différentes. *Le fait* est qu'il est impossible, *sans de très graves inconvénients et pour l'Eglise et pour les fidèles,* de faire abstraction actuellement de cet état de choses. Néanmoins, malgré la multiplicité de juridiction, l'unité d'action de l'Eglise doit être sauvegardée par les synodes inter-rituels. Cette forme particulière de la collégialité episcopale demande que, si pour le bien des fidèles, plusieurs hiérarques ont juridiction sur le même territoire, ils doivent prendre en commun, collégialement, les décisions opportunes pour unifier l'action de l'Eglise sur leur territoire.

C'est donc à une attitude nouvelle de pensée et d'action que sont conviés les évêques, en Orient surtout. Pour toutes les questions qui ne sont pas d'ordre strictement rituel ou communautaire, il faut collaborer, unir les efforts, décider en commun collégialement, éviter la dispersion des forces: écoles, presse, radio-télévision, œuvres de charité, action catholique, pastorale d'ensemble, catéchisme, prédication, etc.

Les différentes Eglises ont vécu jusqu'ici plutôt refermées sur elles-mêmes, jalouses de leurs prérogatives. Aujourd'hui à des temps nouveaux doit correspondre une mentalité nouvelle. Si l'on ne peut unifier les juridictions, on peut et on doit unifier l'action, en exploitant au maximum les possibilités de la collégialité épiscopale, du synodalisme, si cher à l'Orient.

3. *La latinisation interdite*: *La 3e partie de ce paragraphe est de la plus haute importance*: Elle ferme une fois pour toutes la porte à la latinisation de l'Orient. Dans nos Observations sur les précédents schémas, distribuées au cours de la 2e session du Concile (voir pp. 42-49), nous avons fait l'historique de cette grave question.

A l'unanimité moins trois voix (sur un total de 17 voix) *la Commission Orientale a voté le présent texte, et nous prions tous les Pères du Concile, qui ont à cœur l'avenir de l'Orient, de l'approuver tel quel.* En résumé, l'idée est celle-ci: Chaque fidèle doit rester dans son rite, c'est-à-dire, dans l'Eglise particulière où la Providence l'a mis: latin, il doit rester latin partout, même en Orient; oriental, il restera oriental partout, même en « Occident ».

Cette règle ne présente aucune difficulté quand il s'agit de fidèles *catholiques,* qui ne peuvent changer de rite que pour des raisons graves et, sauf cas de mariage, avec l'autorisation du Saint Siège lui-même.

Cela vaut-il aussi des baptisés *non-catholiques* (orthodoxes et autres) qui demandent à entrer dans la communion catholique? Là est toute la question. Nous ne sommes pas sans ignorer le grand mouvement œcuménique qui pousse aujourd'hui les chrétiens à établir un dialogue d'union d'Eglise à Eglise. Nous voulons même réaffirmer notre volonté de condamner tout prosélytisme qui voudrait diminuer une Eglise pour en agrandir une autre.

Mais, en attendant l'heureuse union générale de toutes les Eglises, il nous faut constater qu'il y a forcément dans la chrétienté des individus ou des groupes non-unis à Rome qui demandent à accéder à l'union avec elle. Pour ces cas, dont nous ne pouvons faire abstraction, il nous faut établir des normes applicables provisoirement — c'est-à-dire jusqu'à l'union générale des Eglises — pour régler ces cas d'unions individuelles ou partielles.

Il ne faut pas que l'élaboration de ces normes offusque nos frères orthodoxes ou soit considérée comme l'indice d'un prosélytisme de mauvais aloi qui cherche à « grignoter » leur Eglise. Nous agissons ici comme l'Eglise orthodoxe elle-même qui, dans ses livres canoniques et liturgiques, édicte légitimement des prescriptions à appliquer aux autres chrétiens qui accèdent à l'Orthodoxie.

Il ne faut pas non plus que nos frères de l'Eglise latine s'offusquent si nous voulons empêcher normalement le passage de ces orthodoxes au rite latin. Nous respectons et aimons l'Eglise-sœur de rite latin. Mais nous réaffirmons que les orientaux, dans l'Eglise catholique, doivent rester orientaux, et ceci pour le bien même de l'Eglise catholique.

Ceci dit, il y a, en ce qui regarde ce problème du rite des autres chrétiens qui veulent passer à la communion catholique, trois attitudes possibles:

A) *Attitude des « latinisants »*: Laissez, disent-ils, les acatholiques libres de choisir, au moment de passer au catholicisme, *le rite qu'ils veulent,* du moins quand ils mettent, comme condition *sine qua non* de leur « conversion », le passage au rite latin.

Arguments des latinisants: *a*) C'est la discipline actuelle de l'Eglise. Voir le canon 11 du Motu Proprio *Cleri sanctitati* du 2 juin 1957.

b) Les acatholiques ne sont d'aucun rite. Chacun peut se les agréger, en les « convertissant », à son propre rite, un peu comme les Juifs, les Musulmans ou les Païens. Cela crée l'émulation entre les « missionnaires », à qui « convertira » davantage.

c) Les acatholiques orientaux eux-mêmes, c'est-à-dire, les orthodoxes, en devenant catholiques, refusent généralement de rester de rite oriental et exigent de devenir latins.

d) Le clergé oriental catholique ne s'occupe pas assez de « convertir » les

orthodoxes. Si on veut « convertir » tous les orthodoxes, il faut laisser faire les missionnaires latins.

e) Les catholiques de rite oriental sont « imparfaitement catholiques », « de foi suspecte ». Il faut éviter que les orthodoxes ne passent à eux. « Les orientaux ne seront jamais pleinement catholiques que s'ils deviennent latins »...

f) Obliger les orthodoxes qui deviennent catholiques à rester orientaux, c'est attenter à la liberté humaine, constitutive de la personne et garantie par... « la Charte des Nations Unies ».

Réponse aux arguments des latinisants: *Ad a*) La discipline contenue dans le canon 11 du Motu Proprio *Cleri sanctitati* ne date que de 1957. Elle a été imposée aux orientaux malgré eux, à la suite d'obscures manœuvres que l'histoire dévoilera un jour... La discipline antérieure donnait le choix aux orthodoxes qui voulaient se faire catholiques de s'agréger *au rite oriental* qu'ils préféraient, et non au rite latin, à moins qu'ils ne mettent, comme condition *sine qua non* de leur passage au catholicisme, de devenir latins. Pratiquement, les « latinisants » s'arrangeaient pour faire mettre par leurs « convertis », chaque fois, cette condition *sine qua non.* Il y avait même pour cela des formulaires imprimés d'avance et distribués comme devant être signés. Ce qui, dans la pensée du législateur, devait être une exception est devenu la pratique normale. Le Motu Proprio de 1957 a supprimé même cette entrave théorique, ouvrant, toute large, la porte à la latinisation. C'est cette disposition du Motu Proprio de 1957 que le texte du schéma entend réformer.

Ad b) Il n'est pas vrai que les orthodoxes ne sont d'aucun rite. Ils appartiennent bel et bien à un rite, à une Eglise, et en devenant catholiques ils doivent rester fidèles à leur rite, comme à une mission. Tout autre est le cas des non-baptisés.

Ad c) Les orthodoxes qui veulent devenir catholiques n'exigent de devenir latins que lorsque les prêtres qui les conseillent leur mettent cette idée en tête. La meilleure preuve en est que partout en Orient, sauf dans une région que les latinisants ont choisie pour fief (la Palestine), les orthodoxes ne mettent pas cette condition. S'ils la mettent dans cette région, c'est qu'ils y sont poussés par un clergé qui a intérêt à les latiniser. Si ce clergé leur conseillait de rester orientaux ou les laissait libres, les orthodoxes ne demanderaient pas mieux. (Cf. notre opuscule: *Catholicisme ou Latinisme?*).

Ad d) Il ne faut pas accuser le clergé oriental catholique de ne pas « convertir » suffisamment. Les orthodoxes n'ont pas à être « convertis », mais à être « réconciliés »; il faut leur montrer l'idéal de la communion catholique et les inviter à restaurer l'unité, en leur montrant *par les faits* combien le Saint-Siège Romain est respectueux de leur rite, de leur discipline, de tout leur patrimoine spirituel. Voilà la seule méthode loyale, vraiment œcuménique, de travailler à l'unité des chrétiens.

Ad e) Les « latinisants » ne croient pas à notre pleine foi catholique, bien que nous l'ayons défendue, des siècles durant, au prix de mille sacrifices. Mais il est certain que le catholicisme ne représente pas pour nous ce qu'ils veulent y mettre. Nous voulons être catholiques et orientaux à la fois. C'est la seule bonne formule œcuménique.

Ad f) Obliger les orientaux à rester dans leur rite, ce n'est nullement contraire à la liberté humaine. Toute loi, par définition, restreint un peu l'exercice de la liberté humaine, en vue d'assurer un bien supérieur, celui de la société. Dans le cas, le bien supérieur de la société qu'est l'Eglise exige que les orientaux ne deviennent pas latins, qu'ils comprennent leur mission et leur vocation d'orientaux. Néanmoins si, pour des raisons personnelles, l'un ou l'autre oriental tient absolument à devenir latin, nous n'y voyons pas d'objection. C'est pourquoi, le texte du schéma prévoit ces cas particuliers en disant: « salvo iure, in casibus particularibus, recurrendi ad Sedem Apostolicam ». Nous préférons, pour ces cas, le recours au Saint-Siège, plutôt que l'ancienne discipline de la condition *sine qua non,* qui s'est avérée inefficace, comme nous l'avons dit. Mais il ne faut pas, sous prétexte de respecter la liberté d'un chacun, utiliser les grandes ressources en biens et en personnel dont disposent les missionnaires latins en Orient pour pousser les orientaux vers le latinisme. Aidons-les à retrouver la communion catholique et à rester en même temps orientaux, comme leurs Pères, comme la Providence les a faits.

B) *Autre attitude*: Les orthodoxes, dit-on, ne doivent pas devenir latins. Ceci est acquis. Mais permettons-leur du moins, au moment de leur passage au catholicisme, de choisir, *parmi les rites orientaux,* celui qu'ils préfèrent.

Arguments: *a*) Ainsi, dit-on, le danger de la latinisation est écarté d'une part; *b*) on revient d'autre part à la discipline antérieure à celle de 1957; *c*) on laisse plus de liberté aux orthodoxes désireux de se réconcilier avec l'Eglise romaine.

Réponse. Ad a) Le danger de la latinisation, dans cette théorie, n'est pas entièrement écarté, car les latinisants pourront objecter: pourquoi autorisez-vous un arménien orthodoxe à devenir maronite, et vous ne l'autorisez pas à devenir latin? Le rite latin n'est-il pas un rite catholique comme les rites orientaux?

Ad b) La discipline antérieure à celle de 1957 représentait un inconvénient d'ordre logique. Il n'est pas *normal,* en effet, qu'un *éthiopien* orthodoxe devienne *Ukrainien* catholique ou qu'un *arménien* orthodoxe devienne *grec-catholique.* Si chacun a une mission à remplir dans l'Eglise où la Providence l'a mis, il doit *normalement* y rester et ne la quitter que pour des raisons personnelles et dans des circonstances extraordinaires.

Ad c) La loi ecclésiastique ne doit pas garantir la liberté de se dérober à sa vocation, à la mission qui est assignée à chacun dans son Eglise.

En d'autres termes, si nous demandons que les Orientaux restent dans leur propre rite, dans leur propre Eglise, c'est afin que, au moment de l'union générale tant souhaitée des Eglises, ils puissent rejoindre leurs frères orthodoxes de même rite et, de nouveau, constituer avec eux une seule Eglise, unie et en communion avec l'Eglise universelle.

Dans cette perspective, nous estimons que chaque oriental doit rester dans son propre rite.

Cependant, entre les rites orientaux il y a une communauté d'origine, de pensée et d'apostolat qui fait qu'un oriental qui passe à un autre rite oriental n'est pas du tout dans la situation de l'oriental qui passe au rite latin.

C'est pourquoi nous déclarons que, *si les autres communautés orientales le préfèrent, nous donnons, nous aussi, notre accord pour un retour pur et simple*

à la discipline antérieure à 1957, à savoir que les Orthodoxes, en passant à l'Eglise catholique, peuvent demander à s'agréger au rite oriental de leur choix, restant interdit le passage au rite latin, sauf recours, dans des cas particuliers, au Saint-Siège Romain.

C) *Attitude de la très grande majorité des Orientaux*: En devenant catholiques, l'orthodoxe (et les acatholiques en général) resteront normalement chacun dans son rite. *Ceci est la règle.* Exceptionnellement, si le bien de son âme l'exige, il peut toujours demander au Saint-Siège Romain la faveur de passer à un autre rite. On le lui accordera facilement, car le but dernier et suprême, c'est le bien des âmes. Mais en dehors de ces cas particuliers, chacun, comme dit l'Apôtre, « doit rester dans la vocation dans laquelle il fut appelé ».

C'est ce que le texte du schéma a fort heureusement codifié et nous souhaitons que les Pères du Concile l'approuvent intégralement.

N. 5, page 6, ligne 16: « Quamobrem (Sancta Synodus) solemniter declarat Ecclesias Orientales iure pollere et officio teneri se *secundum proprias disciplinas* peculiares regendi... »: Les Eglises Orientales doivent donc être régies « secundum proprias disciplinas peculiares ». Ceci pourrait donner à croire que les Eglises Orientales ont seules des disciplines *particulières* qui constituent dans l'Eglise une *exception, à légitimer et à défendre.* Or, l'ensemble de ces disciplines constitue la partie la plus substantielle et la plus authentique de la discipline chrétienne traditionnelle, à laquelle l'Occident chrétien est en train de se ressourcer. La discipline orientale n'est pas plus *particulière* que la discipline latine. Une fois de plus il faut se convaincre que « Eglise Universelle » n'est pas synonyme de « Eglise latine », et que « droit commun » n'est pas synonyme de « droit latin ».

Pour parer à cet inconvénient, on doit modifier comme suit la ligne 16, page 6: « Quamobrem sollemniter declarat Ecclesias Orientales, *sicut latinam,* iure pollere... etc. ».

Nn. 7-11, page 7. *De Patriarchis Orientalibus*: Ce chapitre est le moins heureux de tous ceux de l'actuel schéma. Sur certains points, il est même inadmissible.

A) *Déficiences de ce chapitre*: *a*) Le schéma parle des droits et privilèges des Patriarches Orientaux en se référant aux Conciles Œcuméniques (pag. 7, ligne 2) et à une « tradition très ancienne dans l'Eglise » (pag. 7, ligne 10). *Or, les Conciles Œcuméniques et la Tradition n'ont pas parlé de « Patriarches Orientaux ». Ils n'ont jamais envisagé le Patriarcat comme une institution des Eglises Orientales,* mais plutôt comme une *institution d'Eglise, conciliaire,* à laquelle appartient en premier lieu le Siège de Rome.

Le Pape Jean XXIII et le Pape Paul VI, en affirmant constamment que le Souverain Pontificat ne doit pas les empêcher d'être les évêques attitrés de Rome et de s'occuper personnellement de leur diocèse, ont mis fin à cette conception fausse d'une papauté détachée de l'épiscopat, présidant le collège épiscopal sans en faire partie. Le Pape est le premier évêque de la chrétienté; mais il n'a pas cessé pour cela d'être l'évêque de Rome.

Evêque de Rome, le Pape est aussi Patriarche d'Occident: La tradition patristique et les Concile Œcuméniques l'ont toujours considéré comme tel, sans

jamais croire que cela pourrait nuire à sa primauté. Le Pape, qui ne se sent pas diminué du fait qu'il est évêque de Rome, et à ce titre égal aux évêques, pourquoi se sentirait-il diminué du fait qu'il est aussi patriarche d'Occident, égal, *sur ce plan,* aux Patriarches d'Orient?

Toute tentative de placer la papauté au-dessus et en dehors de l'Episcopat et de l'Eglise, porterait atteinte à la sérénité et à la sincérité du dialogue avec l'Orthodoxie.

Le Secrétaire Général du Concile n'est-il pas toujours là pour communiquer solennellement aux Pères Conciliaires le programme des cérémonies papales dans la « basilica patriarchalis » de Saint-Jean-de-Latran, la « basilica patriarchalis » de Saint-Pierre de Rome, la « basilica patriarchalis » de Saint-Paul-hors-les-murs, et la « basilica patriarchalis » de Sainte-Marie-Majeure. Quant au palais du Latran, où habitaient les Papes, les archives et la pierre ont conservé son nom: il s'appelait le « Patriarchium ».

Le titre patriarcal n'est donc pas un titre purement oriental dont il faudrait innocenter les Papes de l'Eglise romaine.

b) D'autre part, le schéma parle des Patriarches d'Orient sans faire mention, ne serait-ce qu'en passant, du Patriarcat œcuménique de Constantinople et des trois sièges apostoliques d'Alexandrie, d'Antioche et de Jérusalem. Le schéma exalte la dignité patriarcale, en se référant aux traditions anciennes et aux Conciles œcuméniques. *Or, les traditions anciennes et les Conciles œcuméniques n'ont pas exalté une institution patriarcale anonyme,* comme le fait le schéma. Ils ont reconnu à des *sièges déterminés,* qu'ils ont cité nommément, *une dignité particulière,* fondée sur des motifs précis, propres à ces seuls sièges.

De plus, *ces sièges ont été déclarés les premiers dans l'Eglise* — après Rome — par la tradition la plus ancienne de l'Eglise et par des Conciles œcuméniques, *avant même qu'ils ne fussent investis, au 5e siècle, du titre patriarcal.* Exalter l'institution patriarcale, sur la base de la tradition et des Conciles, en taisant les noms des sièges auxquels l'institution patriarcale doit son existence, c'est donner au titre la priorité sur le siège et à la décoration la priorité sur la personne. Cela pourrait être interprêté comme le signe d'*une volonté préméditée de noyer les quatre patriarcats,* qui sont toujours à la tête des Eglises d'Orient, dans la multitude des sièges auxquels ce titre ou son équivalent a été octroyé par extension et d'une manière secondaire.

Il aurait fallu, au contraire, nommer les cinq sièges patriarcaux traditionnels — comme l'ont fait les Conciles — qui ont priorité sur les autres, et mettre à leur tête le siège romain. C'était ici le lieu de reproduire en trois lignes la substance de ce que ces Conciles ont voulu dire à savoir que, *dans l'Eglise, il y a cinq sièges traditionnels qui ont la priorité sur les autres et qui doivent être classés comme suit*: Rome, Constantinople, Alexandrie, Antioche et Jérusalem. Ces Conciles n'ont pas dit que, dans l'Eglise d'Orient, Constantinople avait la priorité sur Alexandrie, Antioche et Jérusalem, mais ils ont dit que, dans l'Eglise de Dieu, l'Eglise de partout, Constantinople était le premier siège après Rome, Alexandrie le second après Rome, Antioche le troisième après Rome et Jérusalem le quatrième. Et, de fait, *les titulaires de ces quatre sièges patriarcaux d'Orient ont été associés à la sollicitude de toute l'Eglise,* en collaboration avec l'Evêque de Rome et sous sa présidence. Et, de fait, les titulaires des 4 grands sièges

d'Orient ont exercé, à travers les mille ans d'union avec Rome, un rôle de premier ordre dans la vie de l'Eglise Universelle.

Papes et Patriarches Orientaux ont été, au temps de l'union, les sommets de l'épiscopat universel. A peine élu, l'évêque de Rome envoyait sa profession de foi aux quatre titulaires de Constantinople, Alexandrie, Antioche et Jérusalem et *à eux seuls*. Et ceux-ci dès leur intronisation faisaient de même entre eux et à son égard exclusivement. Il s'était constitué ainsi dans l'Eglise un collège patriarcal, un « sommet » de sollicitude générale par lequel s'opérait la *communion* collégiale visible de toutes les Eglises, de tout l'épiscopat, comme l'attesterait à lui seul cet échange de lettres « *iréniques* », selon l'appellation en usage dans l'Orthodoxie.

Rien d'étonnant alors qu'au 4e Concile de Constantinople, dit 8e œcuménique,[1] Concile qui débuta avec une douzaine d'évêques et ne fut jamais très étoffé, la seule présence, directe ou par représentation, des quatre Patriarches d'Orient, ait suffi pour le faire considérer jusqu'à nos jours comme *universel*. L'accord des quatre Patriarches canoniquement et vitalement unis avec leur épiscopat comme avec l'évêque de Rome, a paru suffire pour lui reconnaître une telle valeur œcuménique.

Rien d'étonnant non plus que le concile de Florence, déclarant à son tour, après ce 8e concile œcuménique, l'ordre des premiers sièges de la chrétienté, dits patriarcaux, tel qu'il existait multiséculairement déjà au IXe siècle, le donne comme suit: Rome, Constantinople, Alexandrie, Antioche, Jérusalem, et prononce que, ce faisant, il « *renouvelle l'ancienne tradition* ».

De ces faits, de tant d'autres, de l'estime par exemple où Saint Grégoire, Pape, tenait les titulaires d'Alexandrie et d'Antioche qu'il considérait comme successeurs avec lui sur le *même siège, celui de Pierre,* de toute cette réalité dont s'est nourrie et vit en particulier l'Orthodoxie actuelle, ressort avec éclat la sollicitude plus particulièrement universelle des patriarches dans l'Eglise.

Avec aussi toutes les conséquences qu'elle implique: Sollicitude se manifestant très singulièrement encore par l'activité missionnaire admirable de Constantinople dans l'Est Européen, notamment en ses fils Cyrille et Méthode, d'Alexandrie en Nubie et Ethiopie, d'Antioche en Arménie, en Perse et, par le relai de sa filiale de Séleucie-Ctésiphon, jusqu'aux Indes et en Chine.

B) *Amendements proposés.* Titre: Dire « De Patriarchis », sans ajouter « Orientalibus ».

1. *N. 7*: Il faut supprimer dans ce numéro tous les mots qui pourraient faire croire que le patriarcat est une institution propre à l'Orient.

Dire donc: « Ab antiquissimis temporibus in Ecclesia (supprimer le mot: *orientalibus*) viget institutio patriarchalis, iam a primis Synodis oecumenicis agnita. Nomine vero Patriarchae (supprimer le mot *orientalis*) venit episcopus, cui canones tribuunt iurisdictionem in omnes episcopos, haud exceptis metropolitis, clerum et populum territorii vel ritus » (*supprimer le reste*).

---

[1] Texte du canon 21 de ce 8e concile œcuménique: « Nous définissons que ceux qui président aux sièges patriarcaux doivent être jugés dignes de tout honneur, spécialement le Très Saint Pape de l'Ancienne Rome, puis le Patriarche de Constantinople, puis celui d'Alexandrie, et d'Antioche et de Jérusalem ».

Le reste de la phrase: « ad normam iuris et salvo primatu Romani Pontificis exercendam » doit être supprimé pour deux raisons:

a) Il est *évident* que le pouvoir patriarcal doit s'exercer « ad normam iuris ». Quel est le pouvoir qui peut s'exercer « contra ius »? Il est *évident aussi* que le pouvoir patriarcal s'exerce « salvo primatu Romani Pontificis ». Rien dans l'Eglise ne peut se faire contre le primat de l'évêque de Rome ou n'en tenant pas compte. Faut-il répéter cette vérité, à toute occasion, jusqu'à la satiété?

b) Le Pape de Rome étant lui aussi Patriarche, il ne convient pas logiquement de dire, en parlant même de lui comme patriarche, que son pouvoir patriarcal s'exerce « salvo primatu Romani Pontificis ».

2. *N. 8*: Commencer le numéro par ce rappel très important: « Secundum antiquam Ecclesiae traditionem et oecumenicorum Conciliorum decreta, hi sunt tituli et ordo maiorum sedium patriarchalium: prima Sedes Romana Beati Petri principis apostolorum; secunda Constantinopolitana; tertia Alexandrina; quarta Antiochena; quinta Hierosolymitana ».

Remplacer ensuite le texte du n. 8 par le texte suivant: « Alii autem patriarchatus, etsi recentioris aetatis, maioribus sedibus patriarchalibus aequiparantur quoad exercitium potestatis patriarchalis, salva inter eos praecedentia honoris legitime statuta ».

Dans tous les cas, il faut supprimer dans ce n. 8 le mot « Orientalium », et cela pour les raisons exposées plus haut.

Ajouter ensuite: *a*) « Patriarchae, cum suis Synodis, supremam constituunt instantiam pro quibusvis negotiis proprii patriarchatus, non secluso iure constituendi novas eparchias atque libere nominandi episcopos sui ritus ubicumque hoc opportunum videbitur, salvo inalienabili Romani Pontificis iure in casibus particularibus libere interveniendi ».

b) « Patriarchae sic dicti orientales, vi suae dignitatis, potestatis et traditionalis praestantiae, sive in oecumenicis conciliis sive extra huiusmodi concilia, in universalibus scilicet negotiis tractandis, constituerunt ab antiquo et constituunt, in communione cum Romano Pontifice et sub eiusdem primatu, supremum consilium hierarchicum in Ecclesia ».

c) « Quae ergo Florentina Synodus et Romani Pontifices post eam saepe saepius affirmaverunt de iuribus et privilegiis Patriarcharum minime imminuendis, haec Sacra Synodus solemniter confirmat. Haec autem iura et privilegia sunt illa quae in millennaria unione Orientis et Occidentis viguerunt, etsi ad nostra tempora aliquando aptanda sint, minime vero minuenda ».

« Ubicumque hierarchia alicuius ritus constituitur, illa subditur eiusdem ritus Patriarchae, etsi extra fines territorii patriarchalis ».

3. *N. 9*: supprimer ici aussi le mot « Ecclesiarum Orientalium », car ce qui est dit vaut de tous les Patriarches, et pas seulement des Patriarches des « Eglises Orientales ».

4. *N. 10*: Après « pertinent etiam », ajouter: « aliquo modo » ou une expression semblable, car les archevêques majeurs ne sont pas tout à fait des Patriarches.

5. *N. 11*: Là encore supprimer: « in Ecclesiis Orientalibus », le patriarcat n'étant pas propre à l'Orient.

N.B. - Au sujet des Patriarches et de l'institution patriarcale, bien d'autres choses devraient être dites. Cette matière, dans la théologie catholique de nos jours, est encore trop ignorée. Le progrès des études historiques et patristiques préparera peu à peu le terrain pour une vision plus complète du sujet.

N. 11 bis, page 7. Il n'est pas normal que l'on parle, dans ce schéma, des Patriarches, sans dire un mot des synodes patriarcaux et de leur compétence. Aussi proposerions-nous volontiers un n. 11 qui serait consacré à ces deux points.

En effet, la conception authentiquement orientale du patriarcat est inséparable du système synodal. Le Patriarche est le président du synode des évêques de sa région, celui qui coordonne collégialement l'activité des évêques, ses frères. A côté de lui et sous sa direction, son saint-synode tient une place capitale. On ne conçoit pas un patriarche sans un synode. Cette institution synodale ayant été quelque peu oubliée dans la plupart des Eglises orientales catholiques, par imitation de l'Occident où le synodalisme n'est pas à l'honneur, le schéma devrait la ressusciter.

En second lieu, il convient de laisser à ce saint-synode ses pouvoirs pleins, en particulier relativement à l'élection des évêques, qui devrait pouvoir se faire librement, sans qu'il soit nécessaire d'obtenir une autorisation préalable ou une confirmation subséquente du Saint-Siège Romain. En saine théologie, basée sur la Sainte Ecriture, la tradition patristique et l'histoire de l'Eglise, la désignation des évêques n'est pas réservée au Saint-Siège Romain, même pas à titre de confirmation postérieure. C'est Pie XII qui, il y a seulement 16 ans, a étendu à tous les Patriarches orientaux catholiques l'obligation de dresser en synode des listes d'épiscopables, approuvées préalablement par Rome ou d'obtenir la confirmation subséquente de Rome. Mais cette mesure, loin d'être exigée par la théologie de l'Eglise, comme nous l'avons dit, est contraire à la tradition orientale constante; et il convient de revenir, sur ce point, au respect des compétences du Saint-Synode. Quand tous les évêques, réunis autour de leur Patriarche, élisent un candidat à l'épiscopat, il faut leur reconnaître le libre exercice de leur droit. Dans des cas particuliers, pour des motifs de bien général de l'Eglise, le Saint-Siège Romain peut user de son droit primatial universel. Mais, en dehors de ces circonstances exceptionnelles, on doit respecter le jeu normal des institutions de l'Orient et laisser aux synodes patriarcaux toute leur compétence, comme par le passé.

A ce propos, il faut dire aussi que la procédure canonique actuelle permet, sans motif, de passer par dessus les instances judiciaires normales pour introduire l'instance en cour de Rome. Ce moyen est souvent utilisé par une des parties pour vexer l'autre partie, lui faire supporter des frais excessifs ou faire traîner le procès en longueur. Aussi proposons-nous que la succession des instances, dans les procès, soit respectée.

Nous proposons aussi que le jugement en matière de mariage « ratum et non consummatum » ne soit plus réservé au Pape, mais aux Patriarches orientaux pour leurs fidèles respectifs.

A titre d'exemple, nous suggérons les formules suivantes:

a) « Salvo iure Romani Pontificis advocandi litem, causae cuiusvis generis sequi debent cursum hierarchicum variarum instantiarum, nec licet, sine peculiari mandato Romani Pontificis, instantias episcopales vel patriarchales praetergredi ut causa directe introducatur coram tribunalia Sanctae Romanae Sedis ».

b) « Instructio nec non dispensatio causarum circa matrimonium ratum et non consummatum ad Patriarcham reservantur pro fidelibus sibi subditis ».

Nn. 12-18: *De disciplina Sacramentorum*. Ce chapitre est bon dans son ensemble. Il contient des restaurations intéressantes, dans l'Eglise catholique, de l'antique discipline orientale et d'heureuses adaptations aux exigences des temps modernes.

Les nn. 13 et 14 affirment la validité du sacrement de confirmation conféré par *tout* prêtre oriental, quel que soit le territoire et quel que soit le sujet. Ainsi les dernières restrictions, absolument illogiques, mises à l'exercice de ce droit dans certaines régions latines, sont enlevées.

Le n. 15 tient compte de l'usage de certaines Eglises orientales en vertu duquel les fidèles satisfont au précepte dominical et festif en participant soit à la Sainte Liturgie eucharistique, soit à l'Office Divin. Il anticipe en même temps la durée du précepte dominical ou festif à partir des vêpres de la veille, puisque, logiquement, les vêpres commencent le jour liturgique: ceci peut faciliter l'observance du précepte à certaines catégories de fidèles.

Le n. 16 étend la « juridiction » pour entendre les confessions à tous les lieux et à tous les fidèles des autres rites. Cela facilite l'exercice du saint ministère en Orient, où plusieurs juridictions se compénètrent.

Le n. 17 souhaite la restauration *effective* du diaconat permanent dans toutes les Eglises Orientales. *De droit*, le diaconat permanent n'a jamais été supprimé. Mais, chez presque tous les catholiques orientaux, il a besoin d'être remis en vigueur. Le n. 17 remet à nouveau le sous-diaconat parmi les ordres mineurs, conformément à la discipline orientale, fermant une parenthèse ouverte par le Motu Proprio *Crebrae allatae sunt* de 1948.

Le n. 18 propose une solution au problème aigü des mariages mixtes en Orient. Tout Ordinaire du lieu peut, pour de justes raisons, dispenser la partie catholique de la forme du mariage, de manière qu'elle puisse contracter validement mariage devant le ministre orthodoxe. Tout bien considéré, nous préférons reconnaître purement et simplement la validité des mariages mixtes des fidèles orientaux conclus en dehors de l'Eglise catholique, à condition toutefois qu'ils soient contractés devant une autorité religieuse chrétienne. Cette solution est très importante du point de vue œcuménique.

Nn. 19-23: *De cultu divino*: Ce chapitre est également bon et peut être voté intégralement. Nous proposons seulement de l'alléger.

Le n. 19 parle des *fêtes de précepte*, soit communes à toute l'Eglise Orientale, soit propres à une Eglise particulière. Il détermine quelle est l'autorité qui peut établir ces fêtes. Mais il ne nous apprend rien de neuf et ne présente pas, par suite, grand intérêt. Nous proposerions volontiers de le laisser tomber.

Il en est de même du n. 21 qui permet aux orientaux demeurant en dehors de l'Orient de se conformer à la loi en vigueur dans le pays, pour ce qui a trait aux fêtes de précepte. Les époux de rite différent peuvent également suivre l'une ou l'autre discipline. Tout ceci est déjà connu par le droit canon, et il n'est pas nécessaire que le Concile descende à ces détails.

Par contre, le n. 20, traitant de la *date de Pâques*, est d'une très grande importance.

Le Concile a déjà exprimé son désir de voir la fête de Pâques célébrée le même jour par tous les chrétiens. Sur ce point tous les chrétiens sont d'accord.

Pratiquement, comment ce souhait pourra-t-il être réalisé?

Si, par accord entre toutes les Eglises et éventuellement avec le concours des organismes internationaux, on obtient la fixation de la fête de Pâques (par exemple le premier ou le second dimanche d'avril), le problème est résolu.

Mais cette solution sur le plan international peut tarder, bien qu'il faille tout faire pour la hâter.

En attendant, les chrétiens d'Orient perdent patience. Les fidèles ne veulent plus de cette différence de dates, qui les humilie profondémnt devant les non-chrétiens. Il faut à tout prix trouver une solution. Ce sera un très grand pas vers l'union tant désirée.

Le schéma, au n. 20, autorise les Patriarches et autres chefs suprêmes sur place, à conclure, après consentement unanime de tous les intéressés, des *accords locaux* pour que tous les chrétiens d'une région fêtent ensemble Pâques.

Le n. 22 ne fait que rappeler l'*obligation de l'office divin,* dans la mesure et selon les modalités propres à chaque Eglise. Il n'innove rien.

Le n. 23 traite de l'usage des *langues vernaculaires en liturgie.* Toute cette matière, rappelle le n. 23, est de la compétence exclusive de l'autorité suprême dans chaque Eglise Orientale, qui règle l'usage des langues vernaculaires et approuve les nouvelles versions, sans qu'il soit nécessaire de recourir au Saint-Siège Romain, comme dans l'Eglise latine, où le Pape fait fonction aussi de Patriarche.

Comme on le voit, ce chapitre « De cultu divino » est d'inspiration nettement orientale et décentralisatrice. Les Pères du Concile peuvent le voter sans hésitation.

Nn. 24-29: De conversatione ecclesiastica cum fratribus separatis.

Ce dernier chapitre sur les *rapports avec nos frères orthodoxes* est une vraie réussite de la Commission Orientale.

Le n. 24 commence par affirmer la vocation œcuménique des orientaux catholiques, leur « vocation d'unisseurs ».

Le schéma indique à quelle condition ils peuvent remplir cette noble et grande mission: prière, exemple authentique de vie chrétienne, fidélité à l'Orient, connaissance de l'orthodoxie, entr'aide fraternelle.

Le n. 26 justifie la nécessité d'adopter, à l'égard de nos frères orthodoxes, en matière de « communicatio in sacris », une attitude plus large. Les dangers que l'on craint généralement de cette « communicatio » avec les non-catholiques ne se réalisent ordinairement pas en ce qui concerne les orthodoxes. C'est pourquoi, tout danger étant écarté en matière de foi, l'Eglise juge opportun d'indiquer un nouveau tournant, afin surtout, dit le schéma, de renforcer les avances d'union entre catholiques et orthodoxes.

Le n. 27 indique la nouvelle règle: les orthodoxes de bonne foi, s'ils le demandent spontanément et ont les dispositions requises, peuvent recevoir des ministres catholiques les sacrements de pénitence, d'eucharistie et d'onction des malades. A leur tour, les catholiques peuvent demander ces mêmes sacrements aux ministres orthodoxes, toutes les fois qu'il y a nécessité ou vraie utilité spirituelle et que, poursuit le schéma, il est physiquement ou moralement impossible de recourir au prêtre catholique.

Le n. 28 applique les mêmes règles, a fortiori, à la « Communicatio » aux autres fonctions sacrées, à l'usage des objets et lieux de culte.

Enfin le n. 29 confie cette nouvelle discipline, très délicate, à la prudence des Ordinaires de lieu. Il ne faut pas que chaque individu reste juge en cette matière, car elle est d'ordre public.

* * *

Ce seul chapitre des « rapports ecclésiastiques avec nos frères séparés » suffirait à montrer avec quelle profondeur et quelle largeur de vues la Commission Orientale a abordé ces problèmes d'ordre disciplinaire.

Nous faisons de graves réserves pour le chapitre « De Patriarchis » qui est, tel quel, inadmissible.

Sous réserve des amendements que nous avons indiqués, nous souhaitons que ce schéma reçoive l'approbation des Pères du Concile.

Ce n'est qu'un début; mais il est l'indice que les Orientaux commencent à se retrouver et qu'ils sauront, à partir de leur propre patrimoine, faire évoluer leur discipline et l'adapter aux exigences du temps.

Nous souhaitons néanmoins que ce schéma ne soit pas voté définitivement avant d'avoir été revu par le Secrétariat pour l'Unité des Chrétiens.

8

Exc.mus P. D. ANDREAS SANA

Episcopus Akrensis

Ne connaissant pas bien le latin, je m'excuse d'écrire en français. Parlant du schéma des Eglises Orientales, je veux aborder deux points, qui sont essentiels à la vie de toute communauté: 1) la création pour les Eglises orientales de nouveaux diocèses en dehors du territoire oriental; 2) le droit de ces Eglises orientales d'évangélisation aussi en dehors du territoire oriental.

1. *La création de nouveaux diocèses.* Depuis que les Eglises orientales sont unies à Rome, elles ont été emprisonnées dans le territoire qu'elles détenaient lors de leur union. Les moyens de transport actuels ont facilité une émigration de plus en plus nombreuse vers l'Europe et l'Amérique. Ils sont actuellement des centaines de milles surtout en Amérique. Ces orientaux émigrés, le plus qu'ils ont pû avoir de leur rite ce sont quelques curés; quant à avoir des évêques celà n'a été que de rares exceptions. Par ailleurs, pour le rite latin, quoique ses adeptes étant très peu nombreux en orient, ils ont dans toutes les grands villes des évêques, voire même des archevêques. Baghdad, par exemple, est le siège d'un archevêque latin, qui a dans tout l'Iraq environs 1.500 fidèles, dont la plupart y résident pour travailler. Cependant l'exemple le plus caractéristique, c'est dans les Indes, dans la province de Keralla, l'ancien Malabar. En effet, parmi les Eglises orientales, la plus vivante et la plus dynamique est l'Eglise Chaldéenne de Malabar, appelée habituellement Syro-Malabar: elle a plus de 1.500.000 de fidèles, environs 2.000 prêtres réguliers et séculiers, plus de 1.000 séminaristes; et environ 9.000 religieux et religieuses. Donc une Eglise pleine de vie. Elle a

été d'ailleurs implantée là dès les premiers siècles du christianisme; pendant que les latins n'y datent que de la fin du moyen âge. Pourtant il y a des diocèses latins dans tous les coins des Indes, y comprise la province de Keralla. Quant aux malabarais orientaux, quoique étant les premiers chrétiens occupant les Indes, et ayant plus de 50.000 fidèles de leur rite émigrés en dehors de Keralla, dont 30.000 dans la seule ville de Bombay, ils n'ont aucun diocèse en dehors de la province de Keralla, pas même un prêtre de leur rite qui s'occuperait d'eux. L'Iraq avec 1.500 adeptes latins un archevêque, et les Indes avec 50.000 orientaux sans aucun diocèse. Pendant que les orthodoxes de Keralla, quoique moins nombreux que les catholiques, ont 65 églises en dehors de Keralla, contre rien du côté catholique. Avec ces mesures de ségrégation rituelle, comment voudrions-nous que nos frères séparés s'unissent à nous, pour être eux aussi mis dans une cage. Ces mesures, donc défavorisent au plus haut degré l'Œcuménisme.

2. *L'Evangélisation. a*) L'Eglise latine a commencé de zéro en Asie, en Afrique et en Océanie. En effet, il n'y avait aucun adepte du rite latin quand les missionnaires ont commencé à y travailler. Pourtant ils se sont installés dans le territoire des rites orientaux; et ils ont évangélisé. Ils ont ensuite eu des adeptes, enfin des diocèses ont été créés.

b) Quant aux Eglises orientales, depuis des dizaines d'années, ils ont des adeptes dans presque tout le monde par émigration; et jusqu'à présent l'évangélisation leur est défendue en dehors de leur territoire traditionnel, et ne peuvent recevoir, même pas un payen dans l'Eglise du Christ suivant leur rite en dehors de leur territoire.

Ici aussi je viens au cas le plus typique, qui est celui de l'Eglise de Malabar: avec leurs 2.000 prêtres et 9.000 religieux et religieuses et avec un pourcentage de vocations sacerdotales et religieuses, qui est le plus élevé dans toute l'Eglise. Avec tout celà, cette Eglise si riche en spiritualité, ne peut faire un pas en dehors de Keralla pour prêcher la religion du Christ. Et ces orientaux, qui, autrefois ont prêché l'Evangile dans toute l'Asie, jusqu'aux lontains confins de la Mongolie, scellant leur prédication par leur sang, ces orientaux, dis-je, parce que orientaux, n'auraient plus le droit de prêcher le Christ! Pourtant, tout chrétien a, par sa vocation de chrétien, non seulement le droit, mais le devoir de propager le règne du Christ.

Bien plus, ces chrétiens fervents de Malabar, ne pouvant contenir leur zèle ardent de la propagation du Règne du Seigneur, ont dû quitter leur rite pour travailler dans des diocèses latins des Indes. Selon les statistiques de l'année 1962, 6.838 prêtres, religieux et religieuses du rite chaldéen de Malabar, travaillent dans les Indes chez les latins, en suivant aussi le rite latin. Et les conversions qui se font en leurs mains, ce sont pour le rite latin! Etrange affaire!!! C'est comme si un homme procréait des enfants et qu'un autre plus fort s'en emparerait.

Quels sont donc les facteurs qui montrent qu'une Eglise a les capacités d'évangéliser?

D'abord le *personnel*: i. e. les prêtres, religieux et religieuses. L'Eglise de Malabar les a abondamment, puisque des milliers de ses fils travaillent pour d'autres rites.

Ensuite le *zèle*; ces hommes de Dieu l'ont d'une façon intense, au témoignage

de tous ceux qui les ont vus aux travail aussi bien chez eux que pour d'autres rites.

Enfin l'*argent*; l'Eglise de Malabar ne l'a qu'en partie. Cependant dans les autres parties des Indes, l'argent que les latins dépensent pour leurs œuvres, ne leur vienne-t-il pas en grande partie, de la S. Congrégation de la « Propaganda Fide »? Pourquoi donc ne pas aider aussi cette Eglise, qui a tant de capacités à propager la foi, du même argent, qui lui serait donné par l'intermédiaire de la S. Congrégation pour les Eglises Orientales?

Il est vrai qu'il a été concédé aux Carmes de Malabar un petit terrain, d'ailleurs peu habité, pour évangéliser en dehors de Keralla; cependant ce n'est pas encore assez. C'est même manquant à leurs droits que de leur mettre des barrières dans le terrain de la vigne du Seigneur.

Conclusion: 1. Faciliter la création des diocèses pour les Eglises Orientales en dehors de leur territoire actuel.

2. Ouvrir grand la porte de l'évangélisation devant les Eglises Orientales. Et les deux points, surtout pour l'Eglise si dynamique de Malabar.

9

Exc.mus P. D. ANDREAS SAPELAK
Episcopus tit. Sebastopolitanus in Thracia

Ad n. 14 (pag. 8, lin. 3). In ultima phrasi huius numeri: « Presbyteri quoque latini ritus... », post verba: « valent illud etiam fidelibus Ecclesiarum Orientalium ministrare » addantur haec vel similia verba: « sine praeiudicio ritui, servatis... ». *Ratio*: communissima inter latinos persuasio est, quod orientales apud latinos ex necessitate baptizati, ipso facto latini fiunt. Similis persuasio etiam per administrationem Chrismatis a presbytero latino peractam oriri potest.

Ad n. 26 (pag. 10, lin. 6). Titulus huius numeri hoc vel simili modo mutetur: « De admissione ad sacra », ut in titulo ipsa res contineatur. *Titulus* « De communicatione in sacris » per se plenam communicationem significat, quod reapse non conceditur.

Ad n. 27 (pag. 10, linn. 21 ss.). *A*) Non placet locutio: « Orientalibus, *qui bona fide separati* inveniuntur ab Ecclesia catholica ». Multi orientales credunt Ecclesiam catholicam *significare* Ecclesiam latinam. Quoad separationem formalem ob rationes dogmaticas, scil. ob doctrinam de primatu Romani Pontificis, hanc ignorant. Quamobrem minime habendi sunt tamquam formaliter separati. Separatio hominum huiusmodi tantum *iuridica* dici debet, quia subsunt iurisdictioni cuiusdam Communitatis (Ecclesiae) quae reapse separata est.

Propono ergo hanc mutationem: « Orientalibus, *qui doctrinam de primatu Romani Pontificis ignorant,* si sponte petunt... ». *Ratio*: nemo christianorum privetur mediis necessariis ad salutem ob solam rationem, quod *primatum* iurisdictionis nescit aut difficillime scire potest.

B) In lin. 26 eiusdem n. 27 deleantur verba « aut vera spiritualis utilitas ». Hoc modo moderamen hierarcharum locorum impossibilis evadit, quia *iudicium*

de spirituali utilitate ad singulos fideles pertinet, ideo « quot capita tot sententiae ».

Ad n. 28. Verbum « communicatio » substituatur verbo « participatio », quia hoc ultimum aptius rem exprimit. Non agitur enim de vera *communione,* sed de quadam *participatione,* quousque fratres separati in separatione permanent.

Item loco « iusta de causa permittitur », quod significari potest « ipsis fidelibus », dicatur potius « iusta de causa ab hierarchis locorum permitti potest ». *Ratio*: ob particularia adiuncta locorum aut personarum haec participatio occasio scandali esse potest. Ideo hierarchae locorum sint iudices de opportunitate vel non.

II

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

Quoad schema de Ecclesia in mundo huius temporis

usque ad diem 19 septembris 1964

1

Em.mus P. D. PAULUS M. card. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

In hoc magistrali schemate, inter eius optimas suggestiones exopto, pag. 27, lin. 5, ampliorem enumerationem rationum istae perturbationis in re oeconomica. Scil.: contra ipsam veram evolutionem oeconomicam militant sane omnes fraudes in commercio, augmentum perpetuum pretiorum, excessus in beneficiis reservatis a possidentibus vel dirigentibus, tractationes pecuniares cum emolumento mere fictivo, cessationes laboris quae non praevidentur vel nimis facile consentiuntur.

2

Em.mus P. D. IOSEPH card. SIRI
Archiepiscopus Ianuensis

1. Schema est nimis prolixum et esset restringendum, praeterea non habet sufficienter stylum documenti conciliaris sed potius cuiusdam elucubrationis. Peropportunum est argumentum, sed forma qua argumentum proditur est res magni momenti.

2. Schema apparet unilaterale. Etenim magnum pondus tribuit aliquibus quaestionibus, temporalibus quidem, quibus tamen recte principia parantur. Eae sunt quaestiones in quibus schema iudicat posse Ecclesiam mundo adiumento esse.

Sed sunt aliae quaestiones in quibus Ecclesia mundo succurrere potest quaeque sunt forsan magis consentaneae naturae eiusdem Ecclesiae et de quibus schema non curat. Etenim est fames, est utique inaequalitas socialis, sed sunt etiam anormalitates plures in vita moderna, est tristitia, angor solitudinis plurium hominum sine sufficienti fide, desperatio late diffusa, suicidia perplura etc. Agitur de malis praesertim spiritualibus, quibus imprimis deputata est Ecclesia, utpote a Christo Domino deputata spiritualibus et supernaturalibus in primis officiis.

3. Schema non videtur sat retinere ideam « mundi », utique deterioris, quam tamen clare dedit Dominus Noster Iesus. Agendum est nempe de « mundo » in quo sumus, ad quem tamen non pertinemus, quique nos odit. Haec omnia, utique necessaria et semper fundamentalia, schema non videtur recoluisse. Et hoc est magni ponderis.

Sermo est copiosior de liberatione ab inopia materiali, quam de liberatione ab inopia spirituali.

4. Art. 12, pag. 12 est incompletus omnino. Agitur de habitudine ad potestates terrenas et demostrat se parum petere immo contentum esse communis libertatis absque privilegiis. Nullum est dubium persaepe res esse hoc modo acceptandas de facto. Sed aliud est ius, quod cum sit divinum, nobis non licet pro nihilo habere, sed saltem affirmandum est in tam solemni documento. Ius completum Ecclesiae si non dicatur, suspicaret quis iam esse obsoletum, vel non amplius fundari in verbo Dei. Agitur de carentia gravi in documento conciliari.

5. Art. 21, n. 4, pag. 24. Videtur omnino inopportunum, cum nondum omnia bene sint perspecta, de hac re agere in documento conciliari. Ea remittenda apparent, praesertim post recentem de hac re sermone Summi Pontificis, ad ipsum pontificium magisterium.

6. Art. 24, pag. 29, n. 5. Idem redicendum duco ac superiori numero. Quoad dicta ibidem linn. 18-19 censeo esse simpliciter expungenda, ad minus, ob periculum malae interpretationis.

3

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* optime conficitur etsi, ut bene notatur in « Historia Schematis » sub n. 5, nexus idearum et processus locutionis clarior et simplicior adhuc patere debeat. Dubium molestum oritur solummodo ex eo quod schema simpliciter obmutescit de oboedientia in Ecclesia et in mundo huius temporis. Quaeritur utrum locus aptus inveniatur, e. g. pp. 9-10 ubi de caritate et responsabilitate personali, aliqua saltem breviter et modo pastorali adiungere de momento virtutis oboedientiae filialis in Ecclesia, eo fine praesertim ut filii Ecclesiae sint exemplum huius virtutis pro mundo huius temporis.

Schema *de Divina Revelatione,* iam multum disceptatum et recensitum, nunc feliciter concluditur. Dubia adhuc restant solum de duobus punctis in textu praesenti. In pag. 8 sub n. 12, distinctio inter varia genera dicendi non clare et praecise exprimitur. Iterum, in pp. 11-12 sub n. 18, in sententia fere ad verba hausta ex Instructione « Sancta Mater Ecclesia », omissio verbi « explanantes » sensum totius sectionis notabiliter debilitat.

Circa duo ultima capita schematis *de Ecclesia,* nihil a me amplius dicendum.

4

EM.MUS P. D. LEO IOSEPH CARD. SUENENS
Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis

Textus schematis *Ecclesia in mundo huius temporis,* prout nunc iacet, *in genere placet,* sed non sine quibusdam restrictionibus.

Placet: 1. quia multa problemata et quaestiones tangit quae sunt maximi momenti pro coaevis nostris, et iisdem responsionem praebet sat felicem, exponendo doctrinam Ecclesiae modo adaptato praeoccupationibus et mentalitati fidelium.

2. Ipse modus dicendi videtur talis qui attentionem fidelium et aliorum hominum percellere valeat, et doctrinam Ecclesiae pro ipsis intelligibilem reddat.

Cum restrictione tamen: 1. doctrina theologica non est semper accuratissime elaborata, praesertim in cap. I (De integra hominis vocatione). Desiderantur emendationes circa expositionem « valorum » naturalium et « supernaturalium » et circa eorum relationes.

2. Ratione praecise eius adaptationis ad loquelam et mentalitatem fidelium, ipse modus dicendi interdum ansam praebet aequivocationi. Verba technica in theologia interdum adhibet in sensu latiori.

Attamen, urgente tempore et ad praecavendam magnam desillusionem fidelium si schema hoc non praesentaretur in futura 3 sessione, attenta etiam promissione subcommissionis responsabilis puncta deficientia retractandi ad lucem animadversionum prolatarum in commissione praeparatoria, videtur quod praesentari possit deliberationibus Patrum conciliarium.

5

Exc.mus P. D. ALOISIUS CAROLUS BORROMEO
Episcopus Pisaurensis

1. Schema, prouti iacet, reiciendum puto, et ea quae in eo dicuntur quaeque alibi iam dicta non sint (perpauca, ut verum dicam et fere omnia in cap. IV diffusa) contrahenda in uno capite, collocando in schemate *de Ecclesia* ante caput ultimum, de B. Maria Virgine.

2. Si vero schema servandum sit, denuo alio stylo et ab alio extensore redigatur. Nimio taedio afficimur nos, perlegentes; quid erit de aliis praesertim de laicis? Difficultas materiae non videtur talis quae iustificet sermonem tam obscurum et inutiliter involutum et iocum paucarum idearum quae super se ipsas redeunt sine fine.

3. In pag. 6, n. 4, periodus prima sensum non habet, ob mendas, puto, typographicas. Legatur, attente, quaeso, et ad maiorem perspicuitatem reducatur.

4. In pag. 8, n. 6, lin. 23, verba « ad altiorem dignitatem evexit » non videntur mihi sustineri posse. Dignitas materiae eadem ac antea permansit, sed quomodo ordini morali et supernaturali inservire potest, miro modo ostensum est. Ut omittantur ergo propono, omnia supprimendo a praecedenti verbo « opus » usque ad sequentia « et omnia », inclusive.

5. In pag. 13, n. 12, lin. 23. Non sufficit ut iura aliorum sancte serventur, ut quis licite possit quae sentit publice proferre, sed attendendum est etiam ad intrinsecam honestatem eorum quae publice proferuntur. Non tantum hominum, enim, sunt iura servanda, sed etiam Dei, naturae, veritatis, etc., saltem quatenus haec omnia vel ab omnibus facile dignosci possunt, vel a communitate in qua quis vivit reapse agnoscuntur.

6. In pag. 13, n. 12, in lin. 28. Propono ut verbis « legisque divinae » adiiciantur verba: « legis divinae naturalis et positivae nec non legis ecclesiasticae quae ordinem publicum non perturbent ». Rationem evidentem puto.

7. In pag. 15, n. 14, linn. 25-40. Quae hic dicuntur, praesertim a linea trigesima ad 37, dici posse et debere censeo a singulis Pastoribus, et proinde verum non esse Ecclesiam non habere responsiones ad omnes quaestiones. Aliud est, enim, responsum non habere apodicticum, aliud est responsum non habere ullum. Ex principiis reflexis semper possibile est responsum deducere quae conscientiam

certam reddant — et hoc Pastores docere debent; et quae sint principia et quomodo applicanda docere debent. Dicere fidelibus: « Audete consilium capere vestra responsabilitate » facile est, at parum est, nimis parum.

Propono ut sic textus modificetur: « Fideles vero ne putent Pastores suos competentes ut sibi in rebus practicis responsiones apodicticas dent quid hic et nunc sit agendum: in rebus practicis, saepe valde complexis, non semper possibilis est omnimoda certitudo. Pastores vero ne fideles suos agere cum conscientia dubia aut perplexa, sinant, eos diligenter doceant quomodo ex principiis reflexis conscientiam certam sibi efformare semper liceat. Item doceant, interdum, ea quae in se ipsis omnimode certa esse non constat, fieri practice certa et secure perficienda eo ipso quod sint legitime imperata ».

8. In pag. 20, n. 18, linn. 9-10. Verba: « immo ipsae institutiones etc. » usque ad punctum omittenda censeo. Rem, enim, dicunt nimis amplam et meo humili iudicio, in singulis casibus ab iis, ad quos spectat, definiendam.

9. In pag. 24, n. 21, linn. 24 ss. Periodus quae incipit: « Agnoscit haec » etc. usque ad punctum non est intelligibilis. Non propono quomodo corrigenda sit, eo quod non intellexerim quid voluerit schema hic significare. Etiam ea quae sequuntur usque ad finem paragraphi nimis mendosa apparebunt si attente lecta erunt.

10. In pag. 26, n. 23, lin. 20. Verba « vires caecas » non placent. Vires illae perfecte vident quid sibi sit faciendum et perfecte faciunt. Propterea Scriptura eas excitat ad laudandum Dominum. Propono ut omittatur verbum « caecas ».

11. In pag. 29, n. 24, linn. 18-19. Sententiam: « Quod autem ad numerum prolis » etc. usque ad punctum, prouti iacet, periculosam puto. Propono ut haec verba addantur: « salvis semper praeceptis naturae et moralitatis christianae », vel alia huiusmodi. Quod hoc alibi dicatur non eximit ab officio idem et hic dicendi, quia sententia haec potest citari quin alii textus citentur; et prouti iacet non bene sonat. Hoc meo humili iudicio.

12. In pag. 30, n. 25, lin. 25, verbis « condicionis complexae » substituenda propono verba « de rei difficultate ».

13. In pag. 31, n. 25, in lin. 35. Verba « etiam ad defensionem iuris » puto sic immutanda: « ne ad suum quidem ius defendendum ».

14. In pag. 32, lin. 2. Loco « ipsa caritate etc. » dicendum propono: « In caritate, iustitia, unitate sint nuntii pacis Christi ».

15. In pag. 32, in conclusione, lin. 28, ad verba: « sed etiam ut petamus veniam ». Istud « petere veniam » si saepius repetatur, aliquid spiritualis mazochismi mihi sapit. Propono ut dicatur: « sed etiam ut reprobationem nostram exprimamus... ».

6

Exc.mus P. D. LEOPOLDUS BRELLINGER
Episcopus Chimscienensis

Non est exaggeratio dicere mundum universum exspectare multum ab hoc schemate XIII. Sed timeo ne — sicut actu iacet — non correspondeat exspectationibus multorum. Quod desiderant, est simplex enumeratio problematum urgentiorum et breve responsum ad ea: omnia modo lucido et stylo facili proposita.

Huiusmodi problemata sunt: limitatio prolis (Birth-control), matrimonia mixta, divortium, crematio corporis, coalitio partium politicarum ad formandum gubernium, paupertas massae, trade-unions, human rights, et alia plura peritis nota.

Si responsum decisivum adhuc dari nequit, addantur saltem quaedam verba consolatoria sicut pag. 24 vel similia: « Mater Ecclesia hortatur sponsos ne animo deficiant si videantur ministri eius, dum leges Dei inculcant, conflictus non solvere inter legem et difficultates concretas... ».

Ita parochi et fideles sciunt Ecclesiam sese occupare de hac quaestione et qualem positionem eam actu tenere relate ad illud problema.

7

Exc.mus P. D. ALFREDUS CAVAGNA

Episcopus tit. Tianus

Anche se ci permettiamo fare qualche rilievo, tenuta presente l'importanza e l'urgenza dell'argomento, lo schema merita davvero attenzione e lode.

Cap. I, n. 6, pag. 8. L'accenno al Salvatore divino sarebbe maggiormente valorizzato aggiungendo il doveroso ricordo di quanto Egli fece nell'ordine temporale per sfamare le turbe e sanare gli infermi e la raccomandazione fatta ai suoi discepoli di *sanare infirmos.*

Cap. II, n. 11, pag. 12. Sia pure sinteticamente sarebbe bene ricordare: come gli Apostoli continuarono la missione di Gesù anche per la salute dei corpi (*Act.* 2, 43); come « Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una: nec quisquam quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia »... « Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quae vendebant » (*Act.* 4, 32-34) *et ponebant ante pedes apostolorum*; di qui l'istituzione dei diaconi; come lo sviluppo dell'agricoltura e della ricerca scientifica si deve alle Comunità religiose nell'inizio del Medio Evo.

N. 13, pag. 14. Qui e nelle pagine precedenti non suonerebbe male una sia pur breve dichiarazione della verità e delle conseguenze del peccato originale.

N. 14, pag. 15, riga 25. Il brano che comincia « Fideles vero... » va meglio spiegato: altrimenti sembrerebbe che l'intervento della Chiesa in questione non strettamente spirituale non deve limitarsi all'enunciazione dei principi ma dovrebbe scendere a particolari questioni, in un settore riservato alla responsabilità dei laici.

Cap. III, n. 18, pag. 19, riga 31. Mentre si domandano ai laici doverosi ma gravi sacrifici, finora meno esplicitamente richiesti, rimane invece quasi sempre sottinteso l'aiuto e il valore della preghiera. Si desidera quindi un accenno più esplicito dell'urgenza e dovere della preghiera. Così per accennare qualche esempio: (n. 18, pag. 19, riga 31), alle parole « sapientiam et prudentiam... a Deo », aggiungere « *in oratione* exposcant »: oppure alla riga 34 dove si legge « Ad hoc multum confert spiritus — qui includere *orationis* — verae humiliatis ». È vero che a pag. 32 alla « conclusio » ottimamente è detto: « Orare non desinemus »,

che si riferisce ai capitoli precedenti, ma non sarebbe inutile, ma doveroso, ricordarlo anche prima.

Cap. IV, n. 25, pag. 30: *de pace firmanda.* In questo paragrafo non dovrebbe mancare il ricordo di quanto ha fatto e può fare il Papa per la pace. Si potrebbe aggiungerlo al n. 4, di pag. 31, perché veramente il Papa è il rappresentante del Principe della pace. Non basta il riferimento alla Chiesa, ma si deve esplicitamente ricordare il Capo, tanto più ora che si tenta sacrilegamente rinnegare quanto il Papa fece per la pace.

8

EXC.MUS P. D. ANGELUS FERNANDES

Archiepiscopus tit. Neopatrensis, coad. c.i.s. Delhiensis

Schema placet, sed uti in « Relatione circa rationem qua schema elaboratum est iam animadvertitur (pag. 41, n. 5), textus adhuc perficiendus est. Praeter illa quae ibi notantur, ad novum textum adlaborandum sequentia suggerimus:

1. Schema in genere peccat nimia verbositate quae aliquando ideas obscurat.

2. Si quidem initio schematis « prooemium » sat longum iam invenitur ibidemque brevis introductio pro unoquoque capite etiam datur, introductiones quae postea unicuique capiti apponuntur breviores esse possent.

3. Cum diversae schematis partes de eisdem agant quaestionibus, cavendum ne eadem idea eisdem vel similibus verbis denuo exprimatur. Ad repetitiones vitandas valde iuvaret si in unoquoque capite seu numero diversae quaestiones tractarentur tantum sub « angulo » seu « perspectiva » unicuique capiti seu numero propria.

E. g.: ex his quae dicuntur in n. 24 pag. 29, linn. 14-29, de quaestione demographica aliqua (e. g. responsabilitas relate ad numerum prolis, educatio parentum, puerorum et adolescentium, etc.) videntur pertinere ad responsabilitatem individuarum nationum vel aliarum societatum uti familiae et Ecclesiae, potius quam ad responsabilitatem internationalem de qua in n. 24 directe agitur. E contra in hoc numero nihil dicitur de migrationibus internationalibus quae ad problema demographicum solvendum contribuere possunt et directe a solidarietate internationali pendent. Denuo in cap. III, ubi agitur de « *ratione* christianorum se gerendi in mundo in quo vivunt » mentio fit munerum christianorum relate ad internationales institutiones (pag. 20, linn. 11-14): Haec quaestio denuo et directe tractatur in cap. IV, n. 24, pag. 29, linn. 37-40 et pag. 30, linn. 1-2.

4. Nullum caput neque numerus schematis directe et exclusive agit de relatione inter hominem et societatem politicam nationalem. Haec quaestio quae tantum in Adnexo I, C), tractatur magni momenti hodie esse videtur et in corpore schematis includi deberet. De muneribus politicis christianorum praecipue agitur in paragrapho n. 24 (pag. 30, linn. 3-12) cuius titulus est « De solidarietate familiae populorum promovenda ».

5. Non est schematis proponere seu elaborare solutiones pro omnibus hodiernis problematibus, seu potius doctrinam et principia enuntiare quibus ipsi christiani de ipsorum temporali responsabilitate iudicare et diversarum quaestionum solutiones invenire possint. Schema in aliis locis non clare principia enun-

tiat, dum e contra in aliis ad res minutas et nimis particulares descendit. E. g.: in n. 23, pag. 27, linn. 26-39, agitur de promovenda participatione operariorum in progressu et in vita oeconomica tum nationalis tum officinarum in quibus operarii laborant. Non videtur cur schema debeat proponere *particularem modum* huius participationis verbis « intra et extra officinam partem habeant, praesertim per delegatos suos libere electos »: Si particulares suggestiones faciendae sunt, in Adnexis potius quam in ipso schemate fieri debent.

In n. 25 qui agit « De pace firmanda » plura dicuntur de bello: pax laudatur, bellum ut instrumentum ad iura violata sarcienda dissuadetur, cursus ad arma apparanda denuntiatur, sed normae seu principia generaliora quibus illi qui ad politicas vel militares decisiones sumendas vocantur regi possunt, non clare definiuntur. Relatio inter pacem et iustitiam melius declaranda videtur. Quae dicuntur de liceitate belli ad iura sarcienda, et de ipsis effectibus belli, videntur praesupponere hypothesim sic dicti « belli totalis » et non satis respondere videntur hodiernis conditionibus in quibus, etsi periculum « belli totalis » re vera adest, tamen in pluribus mundi partibus « bella regionalia » dicuntur et non raro vi et coactione utitur praecise ut bellum totale praecaveatur. Tandem quae de armis nuclearibus dicuntur (pag. 31, linn. 2-8) omnibus huius generis applicari posse non videntur: in hac quaestione sat difficili de armis nuclearibus et de ipsorum effectibus, oporteret ut periti etiam laici consulerentur.

9

Rev.mus P. D. IOANNES B. JANSSENS
Praepositus generalis S. I.

Doctrina pag. 24, linn. 4-36 exposita, recta quidem est, sed incompleta et nimis aliena a spiritu Evangelii. Ne alluditur quidem ad doctrinam Domini, *Mt.* 6, 25-33, de fiducia reponenda in Dei Providentiam et bonitatem: « Ne solliciti sitis animae vestrae quid manducetis... ».

Olim nimis exclusive forsitan instinterunt in hunc aspectum; longa tamen et multorum experientia comprobaverat secretum felicitatis coniugalis et bonae educationis filiorum huic forti fiduciae potius inniti. In mea patria proverbium vulgatum erat: « Singuli agnelli secum afferunt propriam lanam... ».

Haec fiducia in Deum recte sane componenda est cum normis prudentiae humanae; sed normae prudentiae humanae ne sint solae in hac re.

Videntur auctores huius schematis nimis plene acceptasse conclusiones peritorum in re oeconomica et sim. Lin. 12, memorant « necessitudines societatis ». Haud semel autem nec in re minoris momenti, experientia iam ostendit conclusiones peritorum fuisse praematuras.

10

Beat.mus P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI
Patriarcha Antiochenus Maronitarum

Titre. Pour montrer dès le titre le dynamisme et le sens de l'adaptation de l'Eglise dans le monde, ne faudrait-il pas mettre « de Ecclesiae *praesentia* »?

1. Le n. 1, tout en étant pastoral par sa facture, logique dans la division claire des idées, tout en insistant sur des idées déjà communes et plus vivantes à la réflexion chrétienne depuis le début du Concile: les pauvres et les affligés, unité de la création, sort identique de tous les hommes dans le bien et dans le mal, et enfin unité de vocation surnaturelle et d'appel, semble être assez dilué et long. Le rappel à la fin de la Préface de la Messe du Christ Roi, dans la liturgie latine, est le bienvenu.

2. Le premier paragraphe du n. 2 est très long, avance lourdement dans un latin assez déficient, et qui sent la traduction, p. e. paten*tem* ad homi*nem* voc*em*; vocem Dei audire oportet (pour vox Dei audiatur oportet), etc. On pourrait ne conserver de ce par. que les dernières lignes (p. 5, lignes 20-26), dans lesquelles le Concile affirme que l'Eglise n'est pas étrangère aux aspirations de ce monde et des hommes de ce monde, et est heureuse de tous les progrès.

Le second par. n'apporte pas beaucoup de logique dans ses développements. Les premières lignes parlent de l'évolution et du progrès et de ses effets. A partir de la ligne 1 de la page 6, on s'engage dans la paix. Cette dernière idée devrait être développée dans un par. spécial. On a l'impression que les idées sont nombreuses et qu'on veut les inclure toutes dans le même par.

Le troisième par., en affirmant que tout ce qui arrive est l'œuvre de l'Esprit, extérieure dans les événements du monde et intérieure dans la rénovation des cœurs, donne la note chrétienne à toute l'évolution du cosmos.

En somme, le n. 2 est à condenser, à présenter d'une manière plus logique, à polir dans sa latinité.

3. Le n. 3 fait appel aux fidèles de l'Eglise, à ceux des Eglises ou Communautés séparées, à ceux qui, ignorant le Christ, rendent grâces à Dieu qu'ils voient dans la création, et à tous les hommes qui nous demandent raison de notre espérance. Ce n. 3 pose déjà en clair l'objet de ce Schéma: ce qu'est l'homme, sa vocation, son rôle dans ce monde (p. 6, lignes 26-27).

Ce numéro est bon. On voudrait que les réminiscences de l'Ecriture soient notées: p. e. à propos de l'espérance qui est en nous (p. 6, ligne 25) rappeler le texte de *1 Petr.* 3, 15. Cette remarque vaut pour d'autres endroits que je noterai en son temps.

4. Le n. 4 me paraît très bon. Le texte revient sur des thèmes devenus communs au Concile: la mort du Christ, la pauvreté du Christ et sa vie humble que l'Eglise doit imiter. Aspect très important: Mais le Christ est ressuscité et est devenu esprit vivifiant. On devrait noter le texte des Actes à propos de *resuscitatus a Patre* (*Actes* 2, 24, ou 10, 40), et à propos de *suo amore vivificat Ecclesiam et mundum,* rappeler la *1 Cor.* 15. L'affirmation que le Christ vivifie l'Eglise *et le monde* est la bienvenue: Tête de l'Eglise et Chef de l'Univers.

Le début de ce n. 4 est en un latin entortillé. A simplifier.

Le plan du Schéma vient sans aucune introduction. Il semblerait nécessaire de donner un sous-titre à ce plan.

Les deux premiers chapitres semblent suffire. Ils sont présentés dans une forme qui satisfait. Les deux derniers sont une précision du premier chapitre. Ou bien donc, on les intègre dans ce premier chapitre, ou bien on nuancerait davantage les deux derniers chapitres. En effet, le chapitre troisième traite de la collaboration des chrétiens et du mode de cette collaboration. Or dans le chapitre

premier le texte parle du devoir des chrétiens de s'engager dans le temporel. Le chapitre quatrième demande aux chétiens d'aller rapidement aux œuvres les plus urgentes avec beaucoup de zèle et de courage. Qu'ajoute ce chapitre au chapitre premier et même au chapitre second qui dit: l'Eglise, en tant qu'Eglise, n'est pas étrangère aux tâches terrestres.

Chapitre I. 5. Le n. 5 commence par présenter les deux attitudes modernes devant les problèmes de la terre: les incarnationistes: la terre suffit; les eschatologistes: il faut traverser ce monde sans s'y intéresser. L'Eglise, qui est finalisée sur le Règne parachevé de Dieu, veut cependant montrer que la terre ne doit pas être étrangère aux chrétiens. Les « res terrenae » jouent un rôle dans la réalisation de la vocation intégrale de l'homme.

L'affirmation « Christus enim venit... » etc. (p. 8, lignes 11-12) pourrait venir soit à la p. 5, ligne 13, soit dans le par. 6, p. 8, ligne 23 qui répète la même idée.

6. Le premier par. du n. 6 affirme la souveraineté universelle du Christ. Les idées, cependant, se suivent dans un ordre qui n'est pas très logique: il s'agit, en effet, des choses créées qui sont bonnes et qui parlent à l'homme. Il s'agit ensuite du Verbe du Père qui a élevé l'homme à une dignité plus haute, lui et la création et la matière elle-même. Les charges terrestres ont acquis avec Dieu par le Verbe du Père, une nouvelle relation qui dépasse la nature humaine.

Je crois qu'on pourrait faire deux par. de ce seul développement un peu disparate. Le second par. qui commence à la ligne 26 pourrait être intégré dans la première partie du premier par.

Dans le troisième par. qui commence à la ligne 29, il y a, pour la troisième fois, répétition de l'élévation à une vocation supérieure (p. 8, ligne 32). Ce par. exalte l'espérance qui doit traverser les choses du monde pour tendre vers la Cité qui demeure. Il fait bien. La valeur de l'espérance chrétienne n'est pas suffisamment dégagée dans l'ensemble des Schémas du Concile. Elle est très nécessaire surtout dans une époque où la terre attache les hommes, où les faux messianismes les rivent à la terre. Valeur de l'espérance chrétienne (cf. ce que nous en avons dit dans nos remarques sur le Schéma *de Ecclesia*).

Cependant, on aurait voulu que ce développement soit plus logiquement amené dans le corps du n. 6.

Le par. quatrième qui commence à la p. 9, ligne 4, est bon, peut-être un peu long. Il nous remet dans une atmosphère paulinienne.

Nous y trouvons une répétition textuelle de ce qui a été dit au n. 4: (p. 9, ligne 1: « qui est lux et Salvator mundi »; et cf. p. 6, ligne 34).

Enfin le cinquième par. qui commence à la p. 9, ligne 21, nous définit la vocation de l'homme, en guise de conclusion.

Etant donné le développement de ce n. 6, le sous-titre devrait être formulé comme suit: « *de valore rerum et munerum terrestrium et de spe christiana* ».

7. Le n. 7 attaque tous les messianismes qui voudraient river l'homme à la terre, que ce soit par le progrès de la technique ou par la science. La matière devient le tyran de l'homme qu'elle prétend servir.

8. Le n. 8 tient à noter avec insistance le rôle du péché dans cet asservissement et le rôle libérateur du Christ. Analyse du péché, non seulement extérieur et provenant peut-être du développement de la science, mais de l'intérieur: celui-ci est la source de celui-là.

Même remarque pour des textes sans références, p. e. « a Deo omnium primus resuscitatus ». Une fois de plus, texte un peu long.

9. Trop long développement dans le n. 9 (mêmes idées qui reviennent à l'intérieur de ce numéro), pour décrire la tension dans laquelle doit vivre le chrétien entre le monde et la vie de l'esprit. Ce texte fait bien d'insister sur le fait que la misère ne rapproche pas de Dieu, mais en éloigne, et éloigne aussi les hommes de s'occuper des choses d'En-Haut.

Réflexion générale sur l'ensemble du chapitre. Long, dilué, pas très nerveux, latin assez lâche qui sent la traduction, sans toujours une grande unité dans le développement des idées. Devrait être refondu suivant les quelques remarques données plus haut, et suivant les deux perspectives annoncées dans le Prooemium: nécessité d'une incarnation dans le monde, pour aider à sa construction, mais nécessité aussi de tout orienter vers Dieu, pour lui donner sens et valeur. Ces deux perspectives se perdent de vue dans le développement.

Chapitre II. 10. Le n. 10 pose le problème à développer dans ce second chapitre. Il faudrait faire ici ce qu'on a fait, me semble-t-il, dans le Schéma *de Ecclesia*: dans les dernières lignes qui veulent donner un plan, mettre le Peuple de Dieu, puis la Hiérarchie, ajouter les prêtres (qui exercent un rôle sérieux dans le service des hommes et de Dieu dans la cité terrestre), puis les laïcs (p. 12, lignes 10-12).

Par ailleurs, le « illam missionem » semble ne renvoyer à rien. On en comprend pourtant le sens. On n'en voit pas la place.

11. Le n. 11 doit être remplacé par un développement sur le Peuple de Dieu: l'Eglise, en tant que société parfaite spiritualo-humaine, a un rôle dans la Cité terrestre, qui sera vécu par la Hiérarchie, les prêtres et les laïcs. Le n. 11 en tant que tel est bon.

12. Le premier par. du n. 12 qui commence à la p. 12, ligne 25, est difficile à comprendre dans son latin entortillé. On réalise ce qu'il veut dire: sur les moyens employés par les Apôtres et leurs successeurs dans le travail au sein de la Cité terrestre.

Le second par. qui commence p. 13, ligne 1, répète dans sa première phrase des choses dites. Il pourrait commencer à « ipsa Ecclesia... ». Le « iis potestatibus » ne renvoie à rien.

Le par. à partir de « Semper autem... » doit être versé dans le troisième alinéa qui commence à la ligne 13. Ce troisième par. redit ce qu'avait dit, et presque textuellement, le chapitre sur la liberté religieuse. Il est bon de laisser ce par. dans ce Schéma synthétique sur l'Eglise dans le monde moderne.

Le par. 4 qui commence à la ligne 25 de la p. 13, détermine l'action temporelle des Pasteurs: lorsqu'il y va du bien spirituel de l'homme. En dehors de cela, les Pasteurs ne doivent pas s'immiscer dans le temporel en tant que tel. Le principe est bon. Il y a, cependant, des circonstances de lieu et d'hommes et de mélanges de communautés où l'Autorité ecclésiastique locale peut être seule juge, pour défendre les intérêts civils, et partant religieux, des chrétiens, d'intervenir dans le temporel. Cela ne pourrait être dit dans un texte officiel, mais cela devrait être compris par ceux qui n'ont pas cette expérience, et pris par eux en considération.

Ce par. 4 veut établir la distinction des deux pouvoirs, spirituel et temporel,

dans l'esprit de l'Evangile et des nombreux enseignements de Léon XIII sur le sujet.

L'ensemble de ce texte aurait dû passer après celui qui traiterait du Peuple de Dieu.

13. Le n. 13, après avoir affirmé, avec raison, et dès le début, que toute lumière vient du Verbe, et toute puissance, dit que l'Eglise peut se servir des progrès divers apportés par le monde, pour mieux éclairer la révélation et la communiquer.

14. Le n. 14 dans son premier par. qui commence à la p. 14, ligne 21, insiste de nouveau sur la liberté religieuse de l'homme. Est-ce nécessaire?

Le second par. dit que l'Eglise rend service, non seulement par son magistère, mais aussi par toute manifestation du sens de la foi du Peuple de Dieu, et par les institutions promues par les Pasteurs et les Fidèles. Ce dernier point est à garder et à développer. Le sens de la foi qui est parfois plus persuasif que les textes eux-mêmes du magistère.

Le troisième par. qui commence à la ligne 35 de la p. 14 répète ce qui a été dit immédiatement plus haut dans le premier par. du même n. 14. Le quatrième par. (p. 15, ligne 3), pourrait ne faire qu'un avec le par. premier et second, étant donné que les verba Verbi incarnati (p. 14, ligne 26) sont l'Evangile et sont elles-mêmes la caritas qui est l'objet de ce par. 4 (p. 15, lignes 3 sq.). On pourrait, cependant, développer les dernières phrases de ce par. 4, à partir de la ligne 17 « quo in officio... ».

Le par. 5 (p. 15, ligne 25) est très bon, libérateur pour la Hiérarchie et pour les laïcs. Il est dans le sens du chapitre *de laicis* et de la liberté et de la responsabilité qui leur sont laissées pour la recherche scientifique et humaine: humilité des Pasteurs qui pensent qu'ils ne sont pas nécessairement compétents en tout et pour tout.

Le par. 6 (p. 16, ligne 1) devrait passer au début de ce chapitre second, mais plus étoffé. Ce par. général sur le Peuple de Dieu (Hiérarchie et laïcs compris), lancerait les principes qui seront adaptés au Magistère, aux prêtres et aux laïcs. Il demanderait seulement à être refait dans un meilleur latin.

Réflexion générale sur le chapitre II. Le titre affirme que l'Eglise est au service de Dieu et des hommes: c'est cela qui aurait dû être développé avec plus de vigueur. Pourquoi parler de ce que le monde apporte à l'Eglise: cela aurait pu être dit en passant. Par ailleurs, nous l'avons dit, l'organisation de la matière devrait être autre: après l'introduction, un paragraphe sur le Peuple de Dieu, puis sur les différents groupes qui le composent. Enfin, supprimer les répétitions, et indiquer davantage les références soit à l'Ecriture soit à Léon XIII, pour marquer la continuité dans l'enseignement de la Tradition.

Chapitre III. 15. Le n. 15 introductoire à ce chapitre affirme bien que l'homme chrétien n'a pas à se sauver seul, mais à pénétrer de l'esprit du Christ toutes les Communautés dont il fait partie, et par là à aider à la construction de la Cité terrestre.

16. Le début du n. 16 répète le par. 4 de la p. 15, lignes 3 sq. Le développement, cependant, qui se trouve dans le par. est à garder. Il est bon, concret et d'une situation vraie.

Les subdivisions *a*) et *b*) doivent être fondues ensemble. Le *b*) est une con-

clusion de *a*). Les par. *c*) *d*) sont à garder tels quels. Le par. *e*) est très important, et surtout à notre époque où les slogans de l'opposition entre la science et la foi sont nombreux. On devrait, me semble-t-il, le développer dans le sens d'une vraie collaboration des deux et d'amitié. Le par. *f*) développe une idée qui aurait dû paraître déjà dans le *a*): que le chrétien dans cette ouverture aux cultures et aux nécessités spirituelles, etc., du monde, affirme toujours sa fidélité envers l'Evangile. Le par. *g*) est bon.

17. Le n. 17 est excellent dans son début. Il aurait dû venir, comme nous l'avons dit, dans le *a*) de la p. 17. Cependant, si on maintient la généralité dont nous avons parlé plus haut pour le *a*), ce début du n. 17 peut rester tel quel.

Le n. 17 se développe harmonieusement, et les idées qui s'y trouvent sont bonnes. Mais les lignes 2-5 de la p. 19 ne viennent pas directement dans la logique de ce qui précède. Il faudrait en faire un nouveau par. Il s'agissait d'un esprit à créer. Il s'agit là de vraie prédication.

Par ailleurs, le n. 17 a bien fait d'insister sur le fait que l'état de misère n'est pas du tout souhaitable, si celui de détachement l'est au plus haut point (p. 18, ligne 36). Enfin le n. 17 a bien fait de noter que les pauvres sont des personnes humaines qu'il faut aider à se former (ligne 5, p. 19).

Le second par. du n. 17 (p. 19, ligne 6) est bon. Il faudrait, me semble-t-il, noter que le détachement des biens de la terre, qu'on a en abondance, est une vertu. On ne le dit pas assez. On a insisté surtout sur des aspects de la pauvreté effective. Il en est dit, il est vrai, un mot, à la ligne 13 de la p. 19. Cela ne suffit pas. C'est dit per transennam.

Enfin remédier à la latinité de certaines lignes de ce n. 17. Resserer tout le numéro.

18. Le début du n. 18 est ouvert et libérateur. Heureusement, cependant, qu'il a ajouté « ubicumque christiana prudentia id permittit » (ligne 21, p. 19).

Ce n. 18 développe des idées déjà vues dans le premier chapitre et dans le Prooemium. Il répète souvent certains mots, comme exposcere. Sa latinité est à revoir. Mais les deux idées centrales sur lesquelles il insiste sont à maintenir, dans un texte moins lâche: la charité et l'humilité.

Bien aussi sur la valeur du dialogue des communautés et non seulement des individus (p. 19, lignes 36-40).

Bien aussi pour la collaboration dans des instituts communs aux chrétiens pour le même service (p. 20, lignes 1-10). Ce principe a été déjà développé dans le Schéma sur l'activité missionnaire de l'Eglise.

De même pour le dernier par. (p. 20, lignes 11-14).

Réflexion générale sur le chapitre III. Même caractéristique que précédemment: de très bonnes idées dévelopées d'une manière lâche et parfois désordonnée. Latin à revoir.

Chapitre IV. 19. L'introduction note que l'esprit de la collaboration ayant été défini dans les chapitres précédents, on procède maintenant à préciser des cas où cette collaboration est possible, utile et nécessaire.

20. Le n. 20 est descriptif d'une situation. Il me semble assez complet. Il commence par insister sur la dignité de la personne humaine, sur ses droits, ses obligations et sa responsabilité. Le second par. renvoie au Père qui a tout créé par son Verbe, l'éveil de tels désirs vrais et bons de notre époque. Il finit

dans le troisième par. par dire que les conditions de vie de notre monde ne favorisent pas cette éclosion et cette croissance de la personne humaine.

Le n. 20 fait bien d'insister sur le rejet de tout pessimisme et de toute angoisse: pour les chrétiens qui doivent être intrépides pour l'instauration de la valeur de la personne humaine, ce sont là des conditions indispensables.

Ce texte, assez long, est bon, clair, exprimé en un langage compréhensible pour les hommes d'aujourd'hui.

21. Le premier par. du n. 21 (p. 22, ligne 30) fait bien de mettre en un intime rapport la personne et la famille, de dire que la famille a résisté à toutes les attaques qui voulaient l'anéantir (on sait que les régimes totalitaires, surtout communistes, sont visés par ces affirmations), mais que cependant elle est exposée aujourd'hui à bien des périls.

Le par. (p. 23, ligne 6) « Sacra familia... » est bon. Il insiste, outre les fins du mariage, sur la sanctification mutuelle des époux et la glorification de Dieu par le Foyer. C'est un point sur lequel on n'a pas bien l'habitude d'insister. Par ailleurs, la famille est mise en rapport avec la société civile: son épanouissement est celui même de la Cité terrestre.

Le latin de ce par. laisse beaucoup à désirer. Par moment il est difficile à comprendre.

Le par. (p. 23, ligne 20) « Cum homines... » développe à la ligne 26 ce qu'on appelle l'harmonie conjugale et insiste sur l'harmonie intérieure. Il aurait pu faire allusion à l'harmonie physique, qui fait partie aussi de l'amour. Que de foyers désolés par le manque de cette harmonie physique.

Par ailleurs, ce par. veut redresser la notion d'amour dans les esprits modernes. Il aurait pu analyser plus qu'il ne le fait, cette notion d'amour conjugal. Ce qui est dit là est commun et pâle.

Le par. (p. 23, ligne 34) affirme de nouveau l'indissolubilité du mariage, même stérile, tout en notant que le mariage est, par nature, ordonné à la procréation et à l'éducation.

Cependant, ce qui est dit dans les lignes 4-12 pose de graves problèmes. La notion de responsabilité reste vague et pleine de dangers. Dans les moments où les époux sont conscients de ne pas pouvoir éduquer un enfant et de s'en porter responsables, peuvent-ils pratiquer l'onanisme, s'ils sont sûrs aussi de ne pas pouvoir pratiquer la continence? La notion de responsabilité, neuve dans la théologie morale demande à être précisée, nuancée, analysée.

Par ailleurs, que veut dire dans ces lignes le « veri amoris norma »? Et n'y a-t-il, pour la procréation et l'éducation de l'enfant dont on se donne pour responsables, que les conditions pédagogiques et économiques? La confiance en Dieu semble bannie de ces considérations, c.-à-d. un vrai sens chrétien: « les oiseaux du ciel, le lys des champs... » de l'Evangile.

Le par. (p. 24, lignes 13-23) fait preuve, de la part du Concile, de compréhension et de bonté vis-à-vis des familles qui souffrent de bien des difficultés à cause des enfants, et ce, pour rester chrétiennes et maintenir fort l'amour conjugal.

Dans les lignes 24-34, le texte est bon; il reconnait que les solutions que donnent les ministres de l'Eglise ne résolvent pas les difficultés des Foyers. Il y a tellement de causes à ces difficultés de tout genre. Il reconnait, par ailleurs, qu'il y a encore des régions de la médecine inexplorées qui donneront un jour plus de

lumière sur ces difficultés. Mais ce qu'il y a de bien dans ces lignes, c'est la finale: toute solution n'évacuera pas la Croix du Christ.

En somme, ce long par. 21 n'apporte rien de neuf, sinon ce qui est discutable (à propos de la responsabilité dans la régulation des naissances).

22. Le début du n. 22 est gêné: répétition à deux reprises de *via patet*: via hominum et viae in humana cultura... Par ailleurs, il est bon de mettre une relation entre religion et culture et d'insister aussi sur leur distinction.

Dans le premier par. (p. 25, lignes 9-19): apport de la culture à la religion: plus on est cultivé, plus la liberté se dégage de l'utile et plus la religion devient plus intérieure. Ce qui est bien ici, c'est la considération de la personne humaine qui oriente ces développements et les suivants. Mais le texte exagère, en *répétant* que cette personne humaine est l'image de Dieu: pourquoi le dire deux ou trois fois... (p. 25, lignes 11, 21, etc.). Par ailleurs, l'échelle des valeurs dans la détermination des degrés de la vraie culture est aussi rattachée à la personne humaine. Le texte a bien fait de noter la valeur du loisir (p. 25, ligne 26). L'évolution et les découvertes scientifiques ne valent que par relation à la personne. La vraie culture favorise le dialogue, et ce dialogue consiste dans l'estime mutuelle des cultures et dans la reconnaissance de leur autonomie légitime.

Le par. (p. 25, ligne 36) doit être adjoint aux lignes 4-8 de la même page 25.

Quant au par. (p. 26, lignes 1 sq.), il est très bon, très important. Il comprend un des thèmes principaux du Concile: l'Eglise ne veut pas absorber les Eglises, l'activité missionnaire ne veut pas détruire les différentes cultures, mais leur donner plus de consistance, etc. Ici, il est affirmé que l'Eglise n'est attachée à aucune culture particulière. Elle reçoit et donne, partout. Elle invite les laïcs, et les pasteurs et théologiens à emprunter, pour dire la révélation, les formes de cultures où ils travaillent. Le Christ est la Parole du Père qui se diffracte dans les multiples richesses du monde et les transcende.

En somme, ce n. 22, long et riche, peut être réduit, tout en en conservant les principaux thèmes. C'est dans ce par. que le texte de S. Paul (*Phil.* 4, 8) devrait être rappelé.

23. Le n. 23 fait bien de donner une définition de la socialisation (p. 26, lignes 17-19). Suivent deux applications de cette socialisation (lignes 19-26).

Le par. (p. 26, lignes 31-39) défend les initiatives privées dans l'ambiance du bien commun. Il est contre toute dictature économique qui opprimerait l'homme (encore l'importance de la personne humaine).

Le par. (p. 26, lignes 40 sq.), est contre tout monopole de nation, d'origine ou de Pays. L'évolution économique doit avoir une finalité humaine.

Le par. (p. 27, lignes 6-10), même remarque. Détermination plus précise de la relation de l'économie à la personne humaine.

Le par. (p. 27, lignes 11-19) affirme que l'Eglise n'est liée par aucun système économique: l'utilité et l'unité des hommes sont la loi de l'utilisation des biens.

Le par. (p. 27, lignes 26-40) résume la doctrine sociale actuelle de l'Eglise: dignité du travailleur, respect de sa personne, sa participation à l'entreprise, aux bénéfices... etc.

Le par. (p. 27, ligne 41 - p. 28, lignes 1-12): exhortation aux fidèles, principes bons et orientant les laïcs surtout dans le sens de l'esprit des Béatitudes. Partout ils doivent être témoins de leur foi.

24. Le n. 24 remet, heureusement, l'évolution économique dans un contexte qui lui donne sa valeur: spirituel, intellectuel, moral (p. 28, lignes 30-32). C'est cela qui devrait se retrouver toutes les fois qu'on parle d'évolution économique.

Le par. (p. 29, lignes 14-27) pose des problèmes. Il y est affirmé d'abord: « quod autem ad numerum prolis attinet ultimum iudicium ad ipsos coniuges spectat ». Qu'est ce que cela veut dire? Cette affirmation a son sens vrai, relativement au contexte. En elle-même elle ne peut pas être tenue. On devrait ajouter « ad ipsos coniuges *legi Dei submissos* spectat ». L'affirmation du texte ne rejoint-elle pas l'affirmation sur la régulation des naissances que j'ai critiquée plus haut?

Le texte (p. 29, lignes 28-30) est à revoir. Le par. (p. 29, lignes 31-36) qui traite de droit international, est à revoir du point de vue latin. Il est d'ailleurs formé de principes déjà souvent développés dans les pages précédentes.

25. Le n. 25 est un hymne à la paix. Logique, clair. La paix est analysée avec son fondement, ses avantages et ses effets. Il y a dans ce numéro de l'émotion vraie, un vrai sens chrétien et un désir réel de faire régner les principes spiritualistes et chrétiens, par la condamnation de la course aux armes, par les critiques réciproques, etc. et par l'insistance sur l'amitié, sur la rénovation de la Communauté des Nations, et sur les principes de charité vécus et rayonnés par les chrétiens, etc.

Conclusio. Cette conclusion, qui développe les lignes 19-30 de la page 6, peut rester ce qu'elle est. N'y aurait-il pas lieu de tirer une autre conclusion: un retour au Dieu créateur, à la loi de la conscience et à la nouvelle création opérée par le Christ pour le bien de l'humanité. L'Eglise a été, durant les siècles de son histoire, le témoin du Créateur en libérant la personne humaine, le témoin de la conscience en appelant toujours à la valeur des principes spirituels, le témoin du Christ en servant dans la pauvreté et l'humilité ses fidèles et l'humanité entière. En somme, une activité de fraternité, de charité, de paix.

La demande de pardon, à la fin de la conclusion, ne me semble pas nécessaire.

Réflexion générale sur le chapitre. Je crois qu'il est écrit d'une autre main que les chapitres précédents: meilleur latin, organisation plus grande des matériaux, sens synthétique des problèmes, plein de droit international, privé, économique, familial, et le tout envisagé sous l'angle de la personne humaine.

Faut-il critiquer, cependant, l'amplification des paragraphes? Je dirai aussi que je serai pour l'organisation suivante de ces mêmes paragraphes: 19, 20, 21, 24, 25, 22, 23.

Réflexion générale sur l'ensemble du Schéma. Le Schéma, prout iacet, peut fournir la base d'une discussion du Concile, mais pas avant qu'on ait mis entre les mains des PP. les *adnexa,* qui, probablement, éclaireront certains points du Schéma lui-même.

Bien qu'il doive être pastoral, ce Schéma gagnerait à avoir, au moins, un paragraphe sur la nature de l'Eglise qui l'habilite à s'occuper du temporel et à lui apporter la seule solution qui vaille. Ce par. serait mis, peut-être, dans le chapitre second, avant de traiter de la Hiérarchie et des laïcs. Il traiterait du Peuple de Dieu, en tant que tel.

Le Schéma devrait être repris: en entier; et refondu, pour y mettre plus de

logique, plus de relations entre les différents chapitres et les différents paragraphes, pour le réduire, sans pour autant lui donner la forme de propositions, et enfin retravailler son latin.

11

EXC.MUS P. D. ANTONIUS SANTIN

Episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus

Inscriptio non placet. Generatim schema est praelongum saepe etiam nebulosum, res iam dictas vel inutiles continens. Contrahendum est; atque dicat fratribus nostris qui nobiscum in hac hora vivunt simplicitate et animo sincero res quas expectant et quibus indigent.

N. 12. Comma secundum. Per multa saecula Ecclesia privilegiis usa est. Nunc schema dicit ipsam in privilegiis etiam ultro oblatis nullam spem posituram. Dicatur saltem sincere quod iis usa est secundum necessitates temporum, quibus nunc libenter valedicit, quia solummodo bonum animarum quaerit.

Comma secundum. Loco « candorem testimonii » « sinceritatem testimonii » dicatur.

Comma tertium. Habemus iam declarationem super libertatem religiosam. Hic habemus inutilem iterationem.

Comma quartum. Locutio « Cupiditas regnandi » accusatio est, quam adversarii contra Ecclesiam iactant. Quare et nos hac locutione utimur?

N. 14, pag. 15, linn. 25-36. Estne possibile quod Ecclesia Concilium Oecumenicum celebret ut universum mundum solemniter doceat se non habere responsa et solutiones novis quaestionibus et fideles agere debere secundum praeceptum suae conscientiae?

N. 18. De « dialogo » loquitur abundanter schema *de Oecumenismo* et loquuntur etiam Litterae Encyclicae *Ecclesiam suam* Pauli VI.

N. 20. Comma primum. Locutio « evolutionem moralem » est ambigua.

N. 21, 3) Comma secundum. Clare dicatur: sine violatione legis Dei.

N. 21, 4) Comma secundum, linn. 24-36. Pars prima accuratae veritati non respondet. In parte secunda exhortatio profertur, quae ad Concilium non pertinet.

N. 24, 4) Haec verba laedendo apta sunt, quare non sunt opportuna.

N. 24, 5) « ad ipsos solos coniuges, *salvo dictamine legis Dei,* spectat ».

N. 24, 8) Verba « influendo in electionem publicae auctoritatis » falsae interpretationi facile obnoxia sunt, ideoque periculosa.

Conclusio pag. 32, lin. 9. Ponatur: « fratres seiunctos » et non « fratres in Christo nondum plene nobiscum coniunctos » quod nec nobis nec fratribus seiunctis placet.

Inter signa temporum magis clara et inter facta graviora nemo est qui non indicet communismum. Etiam Summus Pontifex in suis Litt. Encycl. *Ecclesiam suam* de communismo locutus est. Duae e tribus partibus humanitatis ab ipso oppressae sunt atque ubi imperat non solum Ecclesiam sed omnes religiones penitus delet. Ac de hoc ne verbum quidem.

12

EXC.MUS P. D. IOANNES SAUVAGE
Episcopus Anneciensis

I. *Generalia de prooemio et cap. I.* Si conferamus textus sequentes: pag. 5, linn. 9-13 de finalitate adventus Christi ut congreget homines; pag. 6, lin. 11, de Spiritu qui dirigit cursum temporum et renovat faciem terrae; pag. 6, linn. 16 s. (Christiani) Ecclesiae mysterio considerato, coniunctis viribus partem suam praebeant in mundo secundum spiritum Christi aedificando; pag. 6, lin. 26, quid sit homo et quaenam sit eius vocatio in hoc mundo; pag. 6, linn. 33 s. (Christus) qui est Salvator mundi... nonnisi per Ipsum Ecclesia sua fungi potest missione pro mundi vita... in spiritu Crucis Christi... (suscitati a mortuis), qui vivificat Ecclesiam et mundum; pag. 7, lin. 3 verae et integrae vocationis in hoc mundo; pag. 8, linn. 21 s. Verbum Patris... ipsam quoque materiam ad altiorem evexit dignitatem, ita ut in Ipso instaurentur quae in caelis et quae in terra sunt; et alios similes, duo notanda sunt:

1) Dicet quis non esse hic locum de tractando dogmate vel supernaturali ut sermo fiat de rebus ordinis temporalis;

2) Sed altius progrederetur si res sumerentur ordine inverso: Nonne tali modo loquendo fundamentum praebetur veritati revelatae minuendae, evanescendae et obliterandae eam restringendo ordini temporali huius mundi? V. g. Estne vocatio hominis omnino in hoc mundo? Renovatne Spiritus faciem terrae terrestri organizatione? Instauratio omnium in Christo consistitne in constructione terrestri mundi?

Equidem haec non est sententia auctorum schematis et postea omnes essentiales veritates recte enuntientur. Attamen in his primis paginis adest periculosa aequivocatio propter rationem sequentem:

Multi fideles et sacerdotes in periculum versantur ne, propter aperturam mundo, obliviscantur transcendentiae fidei: timendum ergo ne formulae aequivocae tali tendentiae ansam praebeat. Increduli vero dicent: Ecce nunc Ecclesia quae sua dogmata reliquit, sentiens suam esse finitam partem et quaerens novam viam cum eadem phrasaeologia religiosa.

Necesse ergo est ut ab initio aequilibrium manifestetur integrae veritatis Fidei, ne caritas quae inspiravit schema videatur concessio qua Ecclesia catholica se dubitare manifestaret de mundo venturo.

Concludendo: Ecclesiae missio sine sufficienti visione Divini consilii unitatis qui in Christo omnia vult recapitulare. Laborant hi textus vitio generali quo Christianismus consideratur tantummodo respectu beneficientiae socialis et incitantur lectores ut vitam christianam aestiment consistere in sola caritate fraterna. Breviter resumendo: Ecclesia apparet cum sola finalitate mundi constructioni adiumentum praebere.

II. *Singularia de prooemio.* Ad n. 2, pag. 5, linn. 14-20. Textus videtur confusione laborare, male introducere sententiam sequentem, quae, in contextu actuali sapit dualismum et exterioritatem inter mundum et Ecclesiam quae mundum quasi ab extrinseco considerat.

Pag. 6, lin. 32. Thema centrale impraecisione laborans, sive agatur de Ecclesia, sive de mundo: cf. Litterae Mgr. Guano, pag. 42, 1. Exinde ponitur quaestio de deceptione probabili incredulorum, quando videbunt Concilium non respondisse quaestioni fundamentali de futuro humanitatis, de sensu historiae et de proprio fine.

III. *Singularia de cap. I.* Sensus generalis huius capitis est ut afferatur basis doctrinalis ulterioribus effatis de relatione Ecclesiae et mundo in particulari. Ast nullibi respondet quaestioni coaetaneorum: Ut quid? quaestio maximi interesse in hac « ambiente » relativismi et existentialismi.

Nullibi hic agitur de homine in sua dimensione collectiva; nihil de socializatione, de dimensione historica, de unitate cum « cosmos ».

Ad n. 5, pag. 8, linn. 5-12. Nimis fortis oppositio cui resolutio praebereturne per dualismum pag. 10, linn. 30-33?

Ad n. 6, pag. 8, linn. 18-19, citatio *Col.* 1, 16 de Christo intellegenda est in textu S. Pauli, non de Verbo.

Pag. 9, linn. 13-14. Sententia caritas... debet: revisioni subiiciatur quia obscura est haec oppositio.

Ad n. 8. Nil de nisu humano qui meliorem e perfectiorem reddit mundum.

Pag. 10, linn. 1-2 exaggerata assertio.

De defectibus theologicis huius primae partis speculativae schematis: Nil dicit de consummatione omnium in Corpore glorioso Christi; nil de consecratione mundi; nulla explicatio satisfaciens de nexu inter mundi aedificationem et adventum regni, inter spem humanam et spem christianam.

IV. *In cap. II. De titulo*: Quid hic, Ecclesia? Pastores specificum servitium huic mundo praebentes? Aut totus populus Dei, idem servitio praebente? Textus haesitat.

Similiter textus laborat quadam restricta significatione de mundo: 1) pag. 12, lin. 1: omnes homines eorumque institutiones et officia; 2) pag. 13, linn. 25-30: potestates civiles; 3) cap. IV: diversae partes activitatis profanae; 4) cap. I, pag. 11, lin. 3: sensu Ioannico.

Nullibi in usum venit sensus ille fundamentalis mundi qui est locus vitae laicorum et materia consecrationis permanentis. Proh dolor, gravis defectus!

Ad n. 10, pag. 12, linn. 12-13 de toto populo... participat illam missionem: formula, quae discussioni praebet ansam.

Ad n. 12, pag. 13, linn. 1-12: optimae.

Pag. 13, linn. 29-30: praebeturne ratio sufficiens interventus pastorum in rebus temporalibus?

Pag. 14: pastores minus implicentur... formula praecisior et fortior desideratur: agiturne de constatatione, de voto pio, de expressa voluntate?

Ad n. 14, pag. 14, lin. 39 et pag. 15, linn. 1-2. Infelix formulatio quae causatur ab infelice distinctione inter evangelizationem et consectaria fidei in res temporales.

Pag. 15, lin. 38: « in doctrina definitive propositam unitatem omnino adesse debere »: formula praecisior desideratur.

Pag. 16, linn. 10-11: melius incitarentur christiani ad suam religionem ut vi progressus in futurum considerarent potius quam ratio complacentiae in exemplis praeteritorum felicium fructuum.

V. *In cap. III.* Optima expositio de caritate in mundo hodierno.

Ad n. 16, pag. 17, linn. 13-14: lex suprema... complectens: relinquit impressionem quod vita christiana in temporalibus reducitur ad exercitium caritatis fraternae, nullibi affirmatur necessitas, pro christiano, in lumine suae fidei percipiendi et discernendi sensum religiosum rerum temporalium. Eadem restrictiva visio in pag. 9, lin. 10, pag. 15, lin. 3. Quae visio grave periculum secum affert considerare mundum ut occasio exercendi caritatem, dum adest etiam occasio exercendi fidem et spem.

Ad n. 17, pag. 18, linn. 30-31: pro fecunda... paupertatis: exaggerata formulatio: potestne dici quod praeoccupatio efficacitatis temporalis impellat ad sequelam Christi pauperis? Nil de sensu divitiarum in creatione, quae, cum sint res creatae, sunt bonae. Nil de obligatione laborandi ut omnes homines sufficientes res creatas habeant in usum.

Pag. 19, lin. 6: « quem exprimant omnes Ecclesiae structurae » et in fine par., linn. 12-14. Si haec paragraphus retinetur fortior et praecisior formula desideratur: Estne hic constatatio, votum pium vel expressa voluntas?

Ad n. 18, pag. 19, linn. 37-38: « perpendant... pusillanimi »: non videtur ratio praecipua congregationis quod reddat dialogum efficaciorem.

VI. *In cap. IV.* Equidem hic sermo est de magnis actualibus problematibus. Attamen impossibile apparet ut omnia de his effata in Scriptura fundarentur.

Ad n. 21, pag. 23, lin. 1 « redimentes tempus » in usu pure accommodatitio.

Pag. 24, linn. 20-21 « bonum prolis et bonum fidei » formulae nimis technicae.

Ad n. 22, pag. 24, lin. 38: quisnam est hic sensus culturae?

Pag. 25, linn. 25-27 valor culturalis technicae reducitur ad medium acquirendi otium et subsidia! Nimis breve.

Ad n. 24, 5, pag. 29, linn. 15-29: de problemate demographico: Textus nimis exclusive morale et nimis serenum, nullam mentionem faciens de terribilibus problematibus in quibusdam terris.

Ad n. 25, 2, pag. 31, linn. 2-8: « Quamvis... iudicandus est »: expressio clarior absque aequivocatione, praecautionibus nimis ecclesiasticis desideratur.

Ibid. n. 11: « alia similis roboris » nemo nostrorum coaetaneorum intelleget hic agi de armis chimicis et bacteriologicis!

13

QUIDAM EXC.MI PP. CONCILIARES AFRICAE CENTRO-ORIENTALIS

I. *In genere.* 1. Schema valde placet, quia in eo perutilis summa continetur eorum principiorum, quorum lumine graviora problemata huius temporis in spiritu christiano tractanda sunt.

2. « Summa » dicitur, quia quasi compendium constituit multorum problematum quibus vita hodierni hominis premitur, una cum responsis auctoritativis quibus illa problemata solvenda sunt.

3. Attamen, utpote « summa » vel « compendium », hoc schema *non intendit ad minora puncta descendere,* nec practicales methodos supplere quibus problemata tractari queunt.

Hae enim *practicales methodi applicationis ad peritos pertinent,* et in nonnullis scriptis ab eminentibus et sapientibus viris editis facile reperiuntur.

4. Ut autem clarius appareat non omnia, quae in praesenti schemate continentur, nova esse, forsitan utile foret si aliqua mentio fieret de declarationibus hac de materia nuper factis a Summis Pontificibus, saltem in notis vel appendice.

5. Fas nobis sit optare ut *textus definitivus* ita refundatur ut « *maiori facilitate percipi* possit ab hominibus nostrorum temporum, in disciplinis theologicis peculiariter non versatis », sicut in pag. 43 optime dicitur. Tota terminologia schematis accurato examine indiget.

Nobis enim videtur multa in hoc schemate remanere, quae simpliciori modo et dici et praesentari possunt. Si hoc schema ab omnibus fere hominibus legi desideramus, multum proderunt *translationes in varias linguas modernas,* de quibus pag. 40 agitur, non exclusis Adnexis.

Cum documentum magni pretii sit, optandum est ut divisiones materiae clarius appareant.

II. *In particulari.* 1. Ad prooemium. Art. 4: *a*) pag. 7, ad 2, linn. 6-8: Proponitur sequens alteratio: « ut, dum spiritualis natura suae missionis hominibus pateat, bonum etiam commune totius generis humani, *suo influxu,* promoveat, *in quantum homines ad caelestia destinatos, ut bonos cives etiam terrenae civitatis,* ad bonum communitatis *prosequendum* inducat ».

b) In prooemio vel in decursu capitum nota aliqua de conceptu « mundi » addi debet, cum hic conceptus sat diverso modo applicetur, sive in Sacra Scriptura, sive in traditione ecclesiastica, sive in genere. Forte etiam in textu ipso brevis explicatio dari potest.

2. Ad cap. II. *a*) Divisio materiae pag. 12, linn. 10-12 in ipso cap. II facta confusionem inducere videtur:

aa) Nam clarum non est utrum haec divisio comprehendat cap. II tantum, an etiam cap. III. Si ultimum, tunc haec divisio ponenda esset in fine cap. I. Si primum, tunc divisio haec inutilis est, quia de hierarchia tantum loquitur. Quod etiam in titulo exprimendum esset.

bb) Tamen secundum ea, quae dicta sunt in schemate *de Ecclesia* conceptus « populi Dei » complectitur et hierarchiam et laicos. Examinanda sunt ergo secundum schema *de Ecclesia*: 1) terminologia cap. II et III (Ecclesia, populus Dei, pastores Ecclesiae, laici); 2) divisio materiae cap. II et III; 3) superscriptiones horum capitum.

b) Ad art. 12, pag. 13, linn. 1-6. Paragraphus in notis concretius exemplis illustretur. Inseratur in lin. 15: « qui ex bona intentione ».

3. Caput III. *a*) Art. 16: ad *a*: lin. 27. Nonne opportunum esset vocabulum addere: « nationis, condicionis vel etiam persuasionis religiosae »?

b) Art. 18, pag. 19. Cum de dialogo disseritur, opportunum forsitan esset hic mentionem specialem facere de non-catholicis organizationibus, v. g. The World Council of Churches.

4. Caput IV. *a*) Art. 19. Introductio: Forsitan, non inutiliter hic diceretur Ecclesiam de practicalibus modis applicationis non disserere, cum hi iudicio hominum peritorum ad normam circumstantiarum, saepe saepius relinquendi sint. Cf. supra, I, 3.

b) Art. 21. Pag. 22, lin. 35: quaeritur utrum expressio « familiaris instituti » propria sit ad familiae statum rite exprimendum.

Pag. 23, linn. 27-28: verba « labilem inclinationem mere affectivam, quae si egoistice excolitur citius et misere evanescit », sine ullo dubio ad personas in reali matrimonio iunctas pertinent. Attamen, aliquid certe dici posset contra istum « liberum amorem » quo duae personae ad tempus tantum, determinato proposito, et sine ullo matrimonii foedere, se iungunt.

Pag. 23, lin. 36: nota 5 clarius exprimit quae hic dicuntur.

Pag. 24, n. 4: tota expositio huius paragraphi faciliori stylo concipiatur oportet.

c) Art. 22. Pag. 25, lin. 9: expressio « excolendo terram » conceptum culturae non clare exprimit.

d) Art. 23. Ad n. 4, pag. 27: nobis videtur hanc paragraphum facile quis in deteriorem sensum interpretari posse, cum dicatur Ecclesiam nulli particulari systemati oeconomico obligari. Hoc assertum verum est in se, sed forsitan opportunum esset dicere: « systemati *pure* oeconomico ».

e) Art. 24. Pag. 28, lin. 33: substituatur: « emergentes » loco « minus evolutae ».

Pag. 29, linn. 1-2: « Societas proxima »: quaeritur quid hoc vocabulo intendatur.

Pag. 29, lin. 19: sententia « Quod autem ad numerum prolis attinet ultimum iudicium ad ipsos solos coniuges spectat » aliqua explanatione indigere videtur.

Pag. 29, linn. 25-27: « Edoceantur... etc. ». In hac sententia sufficiens explanatio materiae brevitatis desiderio sacrificari videtur. Cum enim clare appareat coniuges de bono prolis et familiae coram Deo rationem reddere debere, non tam clare eorum responsabilitatis ambitus circa maiores communitates et nationem apparet.

Quodsi aliud hic insinuatur, maiore cum luce tractetur oportet.

Ultima animadversio. Nonne considerationes de Iudaeis, Mahomedanis, Atheistis, aliisque non-christianis in hoc praesenti schemate melius ponerentur quam in declaratione quae in schemate *de Oecumenismo* includitur?

Quod etiam valet, nostro saltem iudicio, de n. 34 eiusdem declarationis, nempe de necessitate omnem speciem discriminationis de mundo hodierno eradicandi.

[*Subscripserunt*] Adam Kozlowiecki, arch. Lusakaensis; Guido del Mestri, arch. tit. Tuscamiensis; Franciscus Mazzieri, ep. Ndolaensis; Marcellus Daubechies, ep. Kasamaensis; Ioseph Fady, ep. Lilongweensis; Firminus Courtemanche, ep. de Fort Jameson; Adolfus Fürstenberg, ep. Abercornensis; Renatus Pailloux, ep. de Fort Rosebery; J. L. Jobidon, ep. Mzuzuensis; Iacobus Corboy, ep. Monzeensis; Nicolaus Agnozzi, ep. tit. Adramittenus; Clemens Chabukasansha, ep. tit. Cibiraensis; Rupertus Hillerich, praef. ap. Solweziensis.

INDEX

CONGREGATIONES GENERALES

Congregatio Generalis CIII

Congregatio Generalis CIV

Congregatio Generalis CV

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA DECRETI DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS

CONGREGATIO GENERALIS CVI

Congregatio Generalis CVII

Congregatio Generalis CVIII

Animadversiones scripto exhibitae quoad schema de Ecclesia in mundo huius temporis in genere

Congregatio Generalis CIX

Congregatio Generalis CX

Animadversiones scripto exhibitae quoad schema de Ecclesia in mundo huius temporis Prooemium - Capp. I-III

Congregatio Generalis CXI

APPENDIX

I – De Ecclesiis Orientalibus

II – Animadversiones scripto exhibitae quoad schema de Ecclesia in mundo huius temporis *usque ad diem 19 septembris 1964*